





M
5 B



ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

—

MARCHINI.

De Divinitate et Canonicitate SS. Bibliorum.

WILLIAM CARPENTER

Scripturæ Historia naturalis, seu Bibliæ Zoologiæ, Botanicæ, Geologiæque, Expositio descriptiva.

EDITORES.

Dictionnaire archéologique et philologique de la Bible.

ALEX.-FR. BARBIÉ DU BOCAGE.

Dictionnaire géographique de la Bible.

EDITORES.

De SS. Bibliorum Chronologiâ. — Chronographiæ LXX Interpretum Defensio.

LE QUIEN.

Défense de la Chronologie du texte Hébreu.

EDITORES.

Annotations géologiques à la Génèse.

—

INDEX RERUM.

Excudebat Migne,

in viâ dictâ D'AMBOISE, hors la barrière d'Enfer.

SCRIPTURÆ SACRÆ
CURSUS COMPLETUS,

EX COMMENTARIIS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICÈ CONFLATUS;

Plurimis annotantibus presbyteris

ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTAVIT VERO SIMUL ET EDIDIT

J.-P. M***.

TOMUS TERTIUS.

De Divinitate et Canonicitate SS. Bibliorum.

Scripturæ Historia naturalis, seu Bibliæ Zoologiæ, Botanicæ, Geologiæque, Expositio descriptiva.


Dictionnaire archéologique et philologique de la Bible.


Dictionnaire géographique de la Bible.

De Sacrorum Bibliorum Chronologiâ : Chronographiæ LXX Interpretum Defensio.

Défense de la Chronologie du texte Hébreu.

Annotations géologiques à la Génèse.






PARISIIS,
APUD EDITOREM,
IN VIA GALLICÈ DICTA :
RUE D'AMBOISE, BARRIÈRE D'ENFER.

1840.





MONITUM

Nonnulla passim in diversis Scripturæ interpretationibus de authenticitate canonicitateque necnon divinitate sacrorum Librorum delibavimus, de quibus in principio sequentis voluminis haud pauca equidem traduntur. Nullibi verò circa hanc materiam absolutum firmumque adæquato modo sermonem habuimus, cùm tamen de rebus maximi momenti ageretur, utpote quibus potissimùm innitantur omnes de Scripturâ sacrâ quæstiones. Maximâ ergo animi nostri oblectatione, nec sine lectorum, ut speramus, plausu utilitateque, post longas et inanes disquisitiones, præsens F. Marchini opus Taurini reperimus, nostrisque typis recudimus. Nec dubium quin si illud penès nos devenisset antequàm prelo mandaretur quartum nostri *Cursûs* volumen, priora hujusce voluminis folia omisissemus. Cùm verò in hoc tertio tomo tractandæ nobis materies occurrerent, de quibus ut plurimùm siluêre antiqui interpretes, ideòque ingens nobis ex rebus arduis labor incumberet, nempe ut recentioris scientiæ apicem attingeremus, hinc suscepti semel operis celeritate abrepti, quartum volumen, interverso ordine, ante tertium edidimus. His accedit quòd in re tanti momenti haud certè suffecissent quæ leviter tantùm ac summatim in tomo sequenti perstringuntur; nec præterea futurum speramus ut lectores nostros pigeat si eamdem materiam diverso sub aspectu, diversisque ab auctoribus tractatam in nostro *Cursu* fortè repererint.

MARCHINI VITA.

Marchini (Joannes Franciscus), Vercellis in Pedemontio natus est mense maio anni salutis 1713. Vel primâ ætatulâ sese prodens optima pueri natura et acies ingenii, patri cui nihil erat antiquius religione, honestâque liberorum disciplinâ, non mediocrem attulit spem fore ut, ubi adolesceret, quas ad artes studiaque animum appulisset, in iis excelleret aliquando. Neque oblatam spem fefellit consequens ætas, cùm ab iis artibus, quibus puerilis informari solet ad humanitatem, ad philosophiæ studium animum adjunxit adolescens, in quo studii genere diligenter versatus primas inter æquales ferè obtinuit, omnibus ejus disciplinæ consultis et magistro probatissimus; quo auctore adhuc ephebus de iis quæ toto curriculo tradita erant, tam acutè, subtiliter, disertèque in publico primorum civium et doctorum conventu disputavit, ut et viri patricii, et sapientes admirati doctrinam et eloquentiam adolescentuli ex animo laudarent parentis fortunas, eique gratularentur, qui filium haberet tam præstanti ingenio, tantâque præditum facultate disputandi; qui cùm biennio post adscriptus esset in clerum, ut universo regno maximè salutare, ita in ejus commodum cecidit regis Victorii Amedei II auspiciis excitatum, omnibusque præsidiis instructum Provinciarum collegium; in quo patriæ suffragiis susceptus Joannes Franciscus, divinarum rerum rationem ingressus, magnâ animi contentione in iis versatus quæ artes liberales, disciplinas et virtutem attingerent, mirum quâ celeritate omnia et singula arripuit et condidit, quæ suo tempore publicè depromeret. Studiosissimis jure accensebatur Marchini, cujus animum invictum à labore, et acre ingenium liberales artes, Græcorum lingua, sacrorum monumentorum interpretatio, et Orientalium populorum varius sermo ita exercuêre, ut in omnibus, et singulis excellens ante honestam missionem præesse juberetur domesticis theologicis, et hebraicis exercitationibus, in quibus dictata recoli atque illustrari consueverant. Ubi verò legitima dies eum vocavit ad privata publicaque studiorum pericula, tam vehementer se probavit et professoribus suis, et cæteris judicibus, ut in theologorum Patrum collegium plenis suffragiis, anno 1736, sit cooptatus. Quamvis autem theologus noster infinito labore, perpetuisque vigiliis eximiâ rerum divinarum, sacrorum monumentorum, Hebraici, Chaldæi, Syriaci, Arabici et Græci sermonis comparatâ scientiâ præstaret, nunquàm tamen efferri animo, aut se valdè amare, aut quidquam sibi arrogare; illi contra solemne de rebus suis demissè sentire ac nemini se præferre.

Ineunte anno 1738, cùm regis Caroli Emmanuelis auspiciis bonarum artium collegium institueretur, in eloquentium classem adscriptus fuit doctor noster, et eodem anno philosophiæ præfectus renuntiatus est. Anno verò 1745, cùm delectus esset S. Theologiæ professor, et regiis scholis in patriâ præfectus, longius latiùsque à theologici collegii doctore susceptus labor, et vigiliæ in rebus divinis patuerunt; cui muneri incumbendo totos decem et ampliùs annos perpetuò transmisit in magnâ versatus nominis celebritate. Hinc factum, ut Vercellensis antistes, Joannes Petrus Solarius, adscitum in familiam, in mensam adhibitum, et domum susceptum diceret sibi theologum et à consiliis doctorem Marchini. Tum verò idem familiariter usus tanto viro in dies magis egregias animi artes, et sapientiam, et solertiam probare, arcanis admittere, habere loco filii, nihil aggredi, nisi ejus consilio uteretur. Lustratâ enim totâ diœcesi theologo suo negotium dedit ut synodi leges, quæ plus uno seculo siluerant, litteris consignaret; quâ ratione latæ olim ab integerrimo Mediolanensi archiepiscopo D. Carolo Borromæo per synodos provinciales, et deinceps ab aliis Vercellensibus episcopis per

synodos dioecesanas, quæ penè abierant in desuetudinem, revocarentur, et in pristinam vim restituerentur; quæ leges antistitis prudentissimi auspiciis in lucem prolatæ magnam eidem existimationem conciliârunt; atque ex eo tempore nihil Latinè, nihil Italicè prodiit antistitis nomine, quod ab ejus theologo non esset ornatè, eleganter prudenterque conscriptum.

Anno denique 1555, sacrarum Litterarum interpretatio, et Orientalium sermonum institutio in regio Taurinensi Athenæo ipsi demandata est; et hoc suo integrè et diligenter functus est officio delectus professor, id inprimis spectans, ut serviret auditorum utilitati, ad quos ut nihil adferret non perfectum ingenio, et elaboratum industriâ, nullam perhorrescens laboris faciem, diu noctuque veterum monumenta versare, cum hoc studii genere elegantiam conjungere, majestatemque Romanam haustam ex terendis Tullianis scriptis, philosophicis præsertim et poetis, quos tulit ætas Augusti, aliisque optimæ notæ scriptoribus. Atque ut, quod concupierat, facilè assequeretur, jam inde plurima quæ olim scripserat de humanis artibus et rebus philosophicis atque etiam divinis, neque suî, neque suorum scriptorum amator, concremârat, ut in sacris unicè hæreret, habitaret, Israelitarum mores, leges, jura, cæremonias perlustraret, totius Orientis plagas obiret, mores investigaret, et vim sermonis à finitimis gentibus usurpati. Quod quidem tam feliciter cessit, ut non apud auditores modò ejus fidei, integritatis, sapientiæ, sed etiam apud universam gentem magnam nominis existimationem sibi conciliaret. Erat enim vir ingenio simplici, sine fuco, candido pectore, in colendis amicitiis diligentissimus, ab ambitu abhorrens; ultrò delatis honoribus modestè utebatur, nullius rei appetens præter sapientiam, et omnem rationem humanitatis, et usuram temporis, ne quid sibi periret. Hinc illa singularis dicendi facultas, varietas, elegantia, festivitas, ut audientium animos et aures in gymnasio et in frequenti Patrum theologorum conventu orationem salibus respergens quâdam suavitate perfunderet ac demulceret, quod non pauca ejus monumenta testantur.

Ex vigiliis perpetuisque laboribus singulos ferè annos ei malè erat, extremisque vitæ annis identidem laborabat ex pedibus et manuum articulis. Hinc anno 1773, mense julio, vehementi æstu pectoris noctu subitò exarsit, qui morbus, die septimo postquàm cubuit, virum è medio sustulit anno ætatis 61.

AD LECTOREM.

Tractatus quem publici juris facimus, primas tenet inter partes Commentariorum in sacram Scripturam, quæ in regio Taurinensi Athenæo lectissimæ rebus divinis vacaturæ juventuti secundùm academiæ leges tradi consueverunt. Quando autem hæ jubent solidum quinquennium ita dispartiri, ut primò quidem biennii labor totus versetur in demonstrandâ tuendâque sacrarum litterarum in universum, tum singulorum librorum divinitate et canonicitate: reliqui deinde triennii curas et vigilias sibi vindicent sacra chronologia, et aliquot locorum utriusque Testamenti, et illorum præsertim, qui salebrarum plus, ac difficultatis habeant, explicatio, et interpretatio, re totâ in quinque annorum spatium compulsâ, atque conclusâ: hinc factum est, ut Cl. auctor non posset difficiliores quosque locos, ut interpretum mos est, sigillatim persequi, in iisque pluribus immorari; sed amplissimis quæstionibus in quinquennales disputationes coactis præcipuas Scripturarum controversias ad quædam capita revocanda censeret, ad quæ cùm reliquæ referri commodè possint, tum valida inde suppetere præsidia ad graviores cujusque generis quæstiones dirimendas. Quâ initâ ratione et legibus, et auditorum utilitati, in quam toto pectore perpetuoque incubuit, facilè consultum existimavit.

Quapropter hoc de divinitate Scripturarum opus sequuntur interpretationes decem in difficiliores ejusdem sacræ Scripturæ locos: quinque in vetus, reliquæ in novum Testamentum. Priores sunt: I. de Chronologiâ sacrâ; II. de Annis peregrinationis Patriarcharum in terrâ alienâ; III. de Conjugiis Hebræorum; IV. de Ritibus, et Cæremoniis; V. de Paschate Judæorum; posteriores: I. de Genealogiâ Christi; II. de Isaiæ oraculo cap. 7: *Ecce Virgo concipiet, et pariet,* etc.; III. de Joanne Baptistâ; IV. de Annâ Prophetissâ; V. de Tentatione Christi.

Atque ut apertiùs constet quo consilio doctissimus vir habuerit delectum eorum potissimum capitum, quæ et latiùs paterent, et adjumenta adferrent ad alias quæstiones illustrandas, ac definiendas, per lectoris humanitatem liceat huc unum, vel alterum exemplum proferre ex utroque Testamento depromptum. Sit ergo interpretatio tertia, quæ est de *Conjugiis Hebræorum.*

Hujusmodi argumentum latissimè patet, pluresque complectitur cùm veteris, tum novi Fœderis locos, qui multùm negotii facessere interpretibus solent. Ii autem omnes tantâ perspicuitate doctrinæ, eruditionisque copiâ explicantur, ut vix porrò aliquid ampliùs desiderandum supersit. Quidquid enim in sacris Codicibus continetur, quod ad matrimonii formam, leges, jura, conditiones, consuetudines, adjuncta ullo modo pertinere queat, id omne fusè, dilucidè, doctè ac eruditè excerpit et enucleat. A primâ matrimonii institutione in jugali Adami et Evæ societate constitutâ exorsus, quærit quibuscum primævo naturæ jure matrimonium esse possit; unumne naturâ, et perpetuum. Tum explicatâ celebri controversiâ an Abraham ex peculiari Dei indulgentiâ Agarem in conjugium susceperit, an ejusdem indulgentiæ jure licuerit non solùm Abrahæ posteris, verùm etiam reliquis gentibus Abrahâ non prognatis plures simul mulieres matri-

monio sibi jungere, multa disputat de Mosaicæ legis præscriptis ad matrimonium pertinentibus; quibuscum Hebræi jungi prohiberentur, aut juberentur; quousque uxorum numerum augere fas esset; quomodò earumdem fidem experiri; quâ de causâ ductas repudiare : an licitum dimissis, vivente adhuc priore marito, ad alias nuptias transire. Quibus expeditis de Hebræorum sponsalibus, ac de vulgaribus et communibus quibusdam usibus in Hebræorum conjugiis adhiberi solitis, agit ut viam sibi paret ad ea explicanda quæ in novo Testamento ad conjugalem Beatæ Mariæ Virginis cum Josepho societatem pertinent. Denique postremo loco ostendit Christum (Matth. 19), matrimonium ad primam formam revocâsse, jure omni polygamiæ, et Mosaici repudii abrogato. Unum adhuc explicandum restabat, nimirùm an Paulus (epist. 1 ad Corinth., cap. 7, v. 15), potestatem faciens conjugi fideli ab altero discedendi, quoties hic discedit, vel cum altero sine contumeliâ Creatoris habitare non consentit, an, inquam, Paulus docuerit in hâc specie matrimonium dissolvi non solùm quoad thorum, verùm etiam quoad vinculum. Huic quæstioni, quam ætate hâc nostrâ celebriorem fecit nota inter Borach Levi, et Suessionensem episcopum concertatio ad Parisiensem senatum deducta, manus admoverat Cl. noster auctor cùm acerbo, gravissimoque morbo sublatus est.

Ex novo autem Testamento occurrit interpretatio secunda de Isaiæ testimonio : *Ecce Virgo concipiet, et pariet*, etc., à Matthæo (cap. 1, v. 23), laudato, Christique conceptioni ac partui accommodato. Factâ autem opportunitate multis docet quânam viâ et ratione veteris Testamenti locis usi sint scriptores novi Fœderis, quoties eos ad quidpiam confirmandum adhibuerunt. Maximæ profectò utilitatis disputatio hæc est : de quâ tamen altum ferè apud interpretes silentium. Jam verò quot hìc versat tam veteris quàm novi Testamenti locos, eosque explicat, conciliat, vindicatque à præstigiis offuciisque Hebræorum, ab hæreticorum dicteriis! Quanta hìc omnigenæ eruditionis, ac præsertim rabbinicæ copia, ut adversarios propriis armis oppugnet, domesticisque testimoniis revincat! Nullus ferè locus est ab evangelicis scriptoribus ex veteri in novum Fœdus traductus, quem ad Christum, vel Christi res pertinere non demonstret ex ipsâ Synagogæ traditione, atque Hebræorum magistrorum decretis. Eadem est ratio scribendi in reliquis interpretationibus adhibita : ex quo intelligitur eruditissimum virum non tam peculiaria argumenta, cujusmodi à quibusque interpretationum titulis præferuntur, pertractare, quàm totam interpretari Scripturam ad singularia quædam capita ex academiæ legibus revocatam.

Sed in antecessum generalem, ut diximus, Scripturæ explicandæ rationem tradidit in Prolegomenis, agens de ejusdem divinitate, et canonicitate in genere, et sigillatim. Præmissâ ejus notione de sacrorum librorum canone, multa disputat : tum eorumdem antiquitatem, veritatem, integritatem, divinitatem omni argumentorum genere vindicandam suscipit; non dissimulatis, quæ veteres, quæ recentiores adversarii contra adferre solent ad eorum infringendam evertendamque auctoritatem et fidem. Progreditur deinde ad eam quæstionem magnâ animorum contentione catholicos inter atque heretodoxos theologos agitatam, quâ scilicet ratione Spiritus sanctus sacros scriptores afflaverit. Denique longam habet disputationem de sacrorum Bibliorum sinceritate ac integritate, ubi de Græcâ Septuaginta et Vulgatâ Latinâ versione tantùm agit, quantùm satis est, ut sua primigeniis codicibus dignitas consistat, et hæreticis Tridentinum decretum Vulgatam Latinam authenticam declarans accusantibus resisti acriter possit. Sed latiùs patet in alterâ Προλεγομένων parte, in quâ disserit de divinitate et canonicitate speciatim. Singulos libros recenset; argumenti genus persequitur; quærit, quis eorum auctor; quo sermone et stylo sit usus; qui Codices primigenii; quæ inde susceptæ versiones; à quibus primùm probati vel rejecti; quo tempore in canonem adscripti. Obscuros locos illustrat, specie dissentientes conciliat, incredulorum atque hæreticorum argumenta exagitat, explicat, diluit, atque ita rem totam pertractat, ut ex difficilioribus quibusque textibus, quibus peculiarem non dedit in sequentibus interpretationibus locum, vix aliquis prætermittatur, qui idoneam explicationem non habeat. Ex quo fit ut hujusmodi commentaria brevem quidem, sed integram accuratamque totius ferè Scripturæ interpretationem exhibeant.

Hæc nos breviter : res erit apertior legenti quæ modò edimus de divinitate et canonicitate Scripturæ sacræ Prolegomena.

Non dubitamus autem quin sacrarum Litterarum studiosis gratum acceptumque futurum sit susceptum à nobis de ejusmodi commentariis edendis consilium. Id suadet magna illa ac singularis doctrinæ eruditionisque laus, quam sibi vir clarissimus comparaverat non solùm apud eos quos frequentissimos habuit vel in Taurinensi Athenæo, vel in provincialibus scholis auditores (quorum acrius solet esse, æquum, severum de magistrorum suorum facultate judicium), verùm etiam apud doctos quoscumque, æquosque rerum æstimatores, apud quos maximo semper in honore fuit. Quod testatum facit incredibilis illa aviditas, quâ sive in scholis docens, sive in publicis Academiæ conventibus oratorem agens audiebatur; studium, et cura singularis in ejus dictis, scriptisque excipiendis, describendisque; crebræ multorum voces postulantium, et efflagitantium, ut quidquid ille litteris consignaverat in lucem ederetur, ne ecclesiastica respublica, et subalpina præsertim Juventus in sortem Domini delecta summo eum studio, cultuque prosecuta tanti pretii monumentis, quæ non nisi paucorum manibus terebantur, careret.

His causis adducti manum operi admovimus, eamque pro viribus attulimus diligentiam, quæ auctoris nomini, rerum delectui, scribendique castitati atque elegantiæ responderet.

(Deprompt. ex edit. Taurin. an. 1777.)

DE DIVINITATE
ET CANONICITATE
SACRORUM BIBLIORUM.

PROŒMIUM.

Qui sacrarum litterarum studium ingredi cupiunt, rectumque cursum tenere, antequàm operam suam in iis addiscendis collocent, perspectam habere debent librorum dignitatem, quos interpretandos suscipiunt, ut non ipsi modò sciant quantam rem tractent, verùm etiam eamdem ab improborum obtrectationibus tueantur. Non enim ut juris explicatoribus satis est declarare suorum codicum legumque sententias, sic Scripturarum interpretibus obscuros locos aperire; quòd illi, salvâ legum auctoritate et majestate, de solâ earum intelligentiâ disputent; istis verò scriptorum quoque sit suscipienda defensio. Quæ quidem rerum divinarum omnium conditio est, ut primùm res ipsas existere certâ ratione confirmetur; deinde ostendatur quid ad nostram institutionem et vitæ actionem eæ conferant. Nempe hùc primùm nos adducit hominum perversitas et corruptela, qui nullam unquàm indictam animis aut credendi aut agendi legem ideò putant, ut perpetuo metu liberentur, quo non agitari non possunt, si legem ullam divinam fœdissimæ vitæ accusatricem et judicem exstare assentiantur. Istorum numerus magnopere crevit ætate nostrâ; ii ipsi sunt scilicet qui liberi existimari et dici volunt, cùm omni turpitudini serviant. Hanc enim animo opinionem imbiberunt Deum nihil curare res humanas; neque suâ interesse, neque hominum, qui tandem cultus sibi adhibeatur; nunquàm cum mortalibus locutum; nihil scripto tradidisse, quod eosdem alligaret; quæ in libris, quos divinos dicimus, scripta sunt, callidorum hominum esse præjudicia perinde ac quæ in Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum libris de religione conscriptis inveniuntur ab iis facta qui populum sub potestate continendum esse metu religionis censuerunt; quibus, nisi primùm certis rationibus effeceris exstare planè divinæ voluntatis testimonia relicta in litteris à summis viris, qui Dei mandata ad homines perferebant, frustra aliud argumentorum genus opponeres. Accedunt Judæi, qui libros quidem à vetere Synagoga susceptos et probatos pro sacris habent; verùm reliquos veteris Testamenti profanos judicant; novi autem ad fallendum compositos. Tertio loco sunt et hæretici, qui cùm magnam christianæ nostræ catholicæque doctrinæ partem ex multis libris, cùm vetus, tùm novum Fœdus spectantibus, haustam diffiteri non possint, malunt libris iis auctoritatem detrahere quàm ingenuè nobiscum sentire. Quamobrem triplex hominum genus, quorum alterum meritò dixeris stultissimum; pervicacissimum alterum; tertium superbissimum, cogit nos, priusquàm ad sacras Litteras explicandas animum applicemus, totius voluminis majestatem defendere.

Etsi verò nulla nos improborum hominum iniquitas compelleret de Scripturarum divinitate initio dicere, nos ipsos tamen id operis nobis ultrò sumere oporteret, ut et sacræ antiquitatis monumenta, et totam veræ Religionis historiam, et causas, modumque significationis voluntatis divinæ, et summam Dei providentiam, atque in homines charitatem justiùs admiraremur, simulque nobilissimis cognitionibus instrueremus animum, quibus carere sacras Litteras versantem esset turpissimum. Hujusmodi sunt, quæ sit Bibliorum antiquitas, quæ dignitas, quæ causæ, quibus adducimur ut divina esse credamus; quâ ratione Deum auctorem habeant; quâ ad nos pervenerint, quo tempore, quo loco, à quibus, quoad sciri potest; quâ linguâ conscripta sint, in quam traducta; quid summatim contineant; quomodò omnia secum ipsis consentiant, atque hujus generis alia, quæ ipsa per se nos moverent, ut, etiamsi nulla vis, nullus impetus esset refellendus, ante consisteremus in limine, quàm ad sacrorum Librorum interpretationem aggrederemur.

Quàm gravis igitur, quàm ampla, quàm digna adolescente sacris studiis dedito hæc tractatio est, si utrumque conjungas, et necessitatem obsistendi veræ fidei inimicis, et argumenti per se nobilitatem; quoniam potissimùm res agitur de ponendo totius Religionis fundamento, de cognitione assequendâ sacræ antiquitatis, de aditu ad Scripturarum intelligentiam patefaciendo, de demonstrandâ divinorum Scriptorum consensione; quâ re haud scio an ulla esse possit aut utilior aut præstantior. Sed cùm id faciliùs animi sensu dijudicari, quàm verbis demonstrari possit, agamus dùm pro munere nostro, harum rerum præceptiones vobis persolvamus, optimæ spei adolescentes, et, quàm maximè possumus, in hoc toto negotio vestris rationibus consulamus. Vos verò, pro vestro erga vos ipsos officio, quantâ potestis assiduitate, diligentiâque in hisce studiis exerceamini: ad quam rem vos pluribus hortari non est sententia, ne aut vos nostro, aut nos vestro studio diffidere videamur.

Itaque de canonicitate et divinitate sacrorum Librorum, et de variis Scripturarum versionibus atque editionibus dicturi, hæc ipsa, quæ sacræ Scripturæ Prolegomena rectè possumus appellare, in duas par-

tes dispertimur, quarum prima erit de divinis Libris in genere, ubi et de Bibliorum interpretationibus in varias linguas sermo incidet; secunda de Libris singulis particulatim. Jam sit.

PROLEGOMENA SACRÆ SCRIPTURÆ.

PARS PRIMA.

DE SACRORUM BIBLIORUM CANONICITATE, ET DIVINITATE IN GENERE.

A summo capite exordiendum est, nempe à Bibliorum præstantiâ, quæ codicum vetustate, veritate doctrinæ, divinâque auctoritate continetur; unde consequens sit nec debere nec posse non adhiberi fidem libris qui neque recens confecti, neque fabulosi sunt, neque ab hominibus solâ humanâ sapientiâ præditis, sed à Deo afflatis, conscripti. Deinde, quùm divinum quiddam multis modis dici soleat, explicandum erit quâ ratione, quæ à sacro scriptore sunt litteris consignata divina esse putemus. Quoniam verò dubitari rursùs posset, an Libri ipsi integri atque incorrupti ad nos pervenerint, quemadmodùm scripti ab initio sunt; id quoque erit demonstrandum, incolumes et sinceros pervenisse. Hæc omnia ex ordine persequemur. Sed priusquàm has disputationes ineamus, consentaneum duco exponere quid Biblia ipsa sint; quid canon, et canonici libri atque apocryphi; qui canonem instruxerint, ut totius Scripturarum voluminis, quale apud nos est, notio quædam primùm habeatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Scripturâ sacrâ; de canonicis et apocryphis libris et canonis auctoribus.

Scripturarum à Deo traditarum ad habendam Religionis scientiam excellentia non modò et majestas, verùm etiam natura, si licet dicere, clariùs explicari non potest, quàm ipsis usurpatis nominibus, quibus totum earum corpus majores nostri appellârunt: rem enim ipsam mirificè declarant. *Libros divinos et sacros, sacras Litteras, Scripturam sacram,* aut pressè *Scripturas Testamentum vetus et novum,* nudoque verbo *Biblia* S. Patres dixerunt; quo posteriore vocabulo commodiùs utimur. Nempe divinum est quod Deum auctorem habet. Non enim voluntate humanâ allata est doctrina his libris comprehensa, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Res etiam in toto volumine est de religione, de præceptis divinis, de divinâ voluntate et charitate, de summis beneficiis in homines collatis; quibus sanè rebus nihil esse divinius, nihil sanctius potest. Unum prætereа volumen est, quod sit dignum legi; unum quod salutis nostræ causâ Deus legendum proposuerit; unum quod scribi oportuerit; unum quod scripta cætera infinitè superat. Per excellentiam igitur nudo vocabulo *Biblia*, id est *Libros* et *Scripturas* nominari æquissimum fuit, quo modo et Christus sæpè nominavit. Matth., cap. 21, v. 42: *Nunquàm legistis in Scripturis;* ibidem, cap. 22, v. 29: *Erratis nescientes Scripturas;* Joan., cap. 5, v. 39: *Scrutamini Scripturas.* Testamentum autem, græcè Διαθήκη, hebraicè ברית *Berith*, ideò vocàrunt, non quòd voluntatem testatoris referat de iis quæ post mortem fieri velit; quo tamen sensu quidam Testamenti nomen acceperunt: sed quòd pacta, fœdus, promissiones à Deo hominibus factas contineat, et voluntatis divinæ testimonium in publica, et solemnia acta relatum, eamque voluntatis declarationem, quæ legem, mandata, pollicitationes atque ictum fœdus complectatur. Optimè namque Hieronymus in cap. 2 Malachiæ: *Testamentum non voluntatem defunctorum sonat, sed pactum viventium.* Et Augustinus, lib. 1 Locutionum Scripturæ sacræ: *Amat Scriptura Testamenti nomine pactum appellare.* Quoniam verò alia per Moysen et Prophetas hebraico et veteri populo Deus manifestavit; alia Christus Jesus, et Spiritu sancto afflante Apostoli novæ Ecclesiæ tradiderunt, ea ipsa quemadmodùm sunt consignata litteris vetus et novum Testamentum constituunt. Prætereo alia nomina quæ veteres adhibuerunt; vulgatiora enim hæc, quid sit sanctissimum Scripturarum volumen satis superque demonstrant.

Biblia isthæc à synagogâ primùm, tum ab Ecclesiâ Ecclesiæque Patribus probata, atque ad nos transmissa *Libri canonici* vocantur, quod in sacrorum Librorum ordinem in catalogum digesti sunt, qui Latinis græco vocabulo usis Κάνων dicitur. Canon enim non solùm mensura est, et regula, et norma quædam agendi, credendique præscripta, sed et *Catalogus,* ut veterum monumentis est proditum. Itaque etsi repugnare nolimus iis qui arbitrantur canonicos libros ideò esse appellatos, quòd fidei, et morum regulam exhibeant, tamen verius judicio nostro canonici nuncupantur, quia in sacrorum Librorum catalogum collati sunt, quem prisci *Canonem* dixerunt. Sic à concilii Laodiceni Patribus clericorum catalogus, ab ecclesiasticis scriptoribus catologus episcoporum et fidelium vitâ functorum *Canon* inscribitur. Ob id Hieronymus in generali prologo ait: *Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor non sunt in canone;* id est, primi libri quatuor in sacris tabulis Hebræorum, postremus in catalogo apostolicorum librorum non invenitur. Et

Augustinus, lib. 2 de Doct. christ. : *Omnis Scripturæ canon sequentes libros continet.* Quod igitur Prophetarum et Apostolorum libri, ex quibus fidei et vitæ benè instituendæ doctrinam haurimus, in indicem, in tabulas, inque ordinem seu canonem conjecti sint, ab iis probatum, quibus probari oportebat, *canonici* et ipsi vocari à Græcis, et nostris Latinis cœperunt.

Canonicarum Scripturarum et Librorum contrarii *apocryphi* sunt, qui, quùm eodem non sint relati, quo sacri Codices, eâ auctoritate carent, quâ alteri præstant. Ἀπόκρυφος sanè quid significet, nulla disputatio est ; sed cur libri in canonem non recepti apocryphorum nomen obtinuerint, non satis constat. D. Augustinus, lib. 15, de Civit. Dei, ideò putat apocryphos nuncupatos, quòd ipsorum origo ignota Patribus esset, per quorum manus verarum Scripturarum auctoritas ad nos devenit successione quâdam æquè notâ, ac certâ et constante. Quæ Augustini sententia, si de scriptoribus apocryphorum librorum accipiatur, non adeò vera in universum est; quorumdam enim apocryphorum librorum auctores cognoscuntur. Si verò de dignitate, auctoritate et fide quæ libris iis debetur dixisse Augustinus censeatur, verius sensit. Nam codicum apocryphorum auctoritas priscis Patribus comperta usquequaque non est ; quùm tamen ex antiquâ constanti traditione fides canonicorum constabiliretur. Addit S. doctor apertiùs, etsi vera quædam in apocryphis libris reperiantur, tamen propter multa falsa fidem non habere (quod et Drusius monet in epist. 105, ad Leonardum Casembrotium, non esse de ecclesiasticis libris intelligendum) ; et rursùs singillatim de libris in veterum Scripturarum canonem non inclusis ait ideò insertos non esse in Scripturarum canonem, qui sacerdotum diligentiâ sibi per vices succedentium in templo asservabatur, quòd de iis suspicio esset, quùm non producerentur à viris à quibus constaret esse ex officio servatos. Auctoritas igitur claro testimonio et fide digno nixa apocryphis libris deest, si Augustino assentimur.

Hieronymus verò, epist. 7 ad Lætam, apocryphos eos libros esse inquit, qui auctorum non sunt qui inscribuntur; et prætcrea multis falsis et perniciosis respersi sunt. Alibi autem apocryphorum nomine notat hæreticorum libros ; quemadmodùm et Gelasius Papa in suo decreto, quos apocryphos libros rejecit, eosdem ab hæreticis aut schismaticis conscriptos aut commendatos esse significavit. Origenes in epistolâ ad Africanum de Susannæ historiâ, propterea quòd nec publicè, nec plerùmque legerentur, sed occultarentur, apocryphos dictos putat. Quòd verò digni potiùs sint abscondi quàm legi, ejus nominis causam attulit auctor Synopseos, quæ D. Athanasio tribuitur. Hæc omnia quâdam ex parte, et de libris quibusdam vera sunt, sed totam rem non explicant. S. Epiphanius, lib. de Pond. et Mens., credidit causam cur apocryphi libri vocarentur, fuisse quia Hebræi in peculiare quoddam armarium eos conjecerant ab altero separatum, in quo canonici continebantur; nempe canonicos libros aut in arcam sacram, aut in sacratius saltem templi armarium conclusos putat. Verùm quis certò affirmet libros qui pro divinis non habebantur, in scrinio, etsi minùs sacro, esse collocatos? Canonicos quidem in templo repositos fuisse verisimillimum est ; at nullo argumento probabitur unquàm eos in sacram arcam immissos. Nam etsi cap. 31, Deuter., v. 26, Moses Levitis præceperit librum ponere in latere arcæ fœderis Domini, tamen non in arcâ, sed foris proximè arcam poni jussisse credendum est ; idque ex cap. 8, v. 9, lib. 3 Reg., et cap. 5, v. 10, lib. 2 Paralip. manifestiùs deducitur, ubi nihil fuisse in arcâ inclusum narratur præter duas tabulas lapideas, quas Moyses posuerat. Item in secundo templo post Babylonicam captivitatem arca non reperiebatur, ut scribit Josephus, quem plerùmque sequuntur Scripturæ interpretes ; Libros tamen sacros in secundo templo fuisse asservatos, nemo diffitebitur. Sanè Helcias Sacerdos magnus, lib. 4 Reg., cap. 22, v. 8, ait : *Librum legis reperi in domo Domini ;* non autem inquit *in arcâ Domini* se reperisse. Exemplar enim illud ipsum, ut creditur, Mosis manu descriptum, Deuteronomium scilicet juxta arcam olim positum, postea ædificato templo in templi gazophylacium cum vasis tabernaculi sacerdotes intulerant, atque in capsulam abdiderant, in quâ delituerat, quousque Helcias ibi vestigando reperit.

Quid ergo sunt libri apocryphi? Sunt certè nunc omnes, quantùmvis licèt speciosissima nomina et spectatissima in fronte gerant, quos Ecclesia non habet pro canonicis ; qui propter dubiam nullamve auctoritatem locum non habent in canone, sive olim quædam opinio fuerit esse divinos, sive ob interspersa mendacia fidem illicò amiserint, sive ignorentur auctores, sive cognoscantur. Posteriorum enim theologorum minimè dubia doctrina est, apocryphos esse libros omnes, qui in duplici ordine proto-canonicorum, et deutero-canonicorum non continentur. Nimirùm nunc duplex est librorum canon, non auctoritatis, quæ eadem est omnium : sed temporis habitâ ratione quo probati sunt. Libri relati in canonem toti antiquitati probatissimum, de quibus nulla unquàm, ne tenuissima quidem, suspicio venit, aut dubitatio an divini essent, usitato nomine proto-canonici appellantur : deutero-canonici, qui processu temporis, re penitiùs exploratâ, summam adepti sunt apud omnes Ecclesias dignitatem, et ad canonem adjecti, licèt olim neque adeò apertè, neque ab omnibus Ecclesiis existimarentur à Scriptoribus divino præsidio munitis conscripti, perinde ac primo et secundo loco in canonem collatos diceres. Cæteri verò de rebus divinis scripti, quocumque demùm Prophetæ aut Apostoli nomine inscribantur, vel si sanctissimâ doctrinâ abundent, inter apocryphos numerantur ; multò verò magis si veris falsa, et bonis mala mixta sint. Ex quo facilè intelligitur codices quosdam olim et dici et esse potuisse apocryphos, qui nunc et canonici et divini credi debent, ut quùm res feret, explicabitur.

Sed revertamur ad canonem, et de ejus auctori-

bus inquiramus. Canonem seu catalogum sacrorum Librorum ab Hebræis primò confectum esse, vel si nemo doceat, quisque intelligit; quando verò et qui confecerint, opus indiget explicationis. Et primò quidem, quod ad quinque Mosis libros attinet, eos in unum corpus compositos fuisse paulò post Mosis obitum, Scriptura satis indicat, quùm Moses ipse aut omnes Legis libros, aut Deuteronomium saltem, quod est legis repetitio, et compendium, jusserit Levitas in arcæ latere reponere. At Deuteronomium, id est, data iterùm lex et repetita, intelligi non potest, nisi quatuor aliis Legis libris exstantibus; tum igitur canon quinque Mosis libris constabat, quem Moses ipse, sive levitæ digesserant. Ei canoni nullam factam librorum accessionem, usque dùm decem tribus sub Roboamo Salomonis filio se à duabus distraxerunt, religio Samaritanorum argumento est, qui alios quoque, præter Pentateuchum, divinos libros retinuissent, si auctus fuisset canon, antequàm à Judæis se disjungerent.

Deinde verò ne usque ad tempora quidem Babylonicæ captivitatis ullus alter canon est editus. Nam etsi fuerunt prophetæ plures, aliique scriptores divino acti Spiritu, qui aut suorum temporum historias, aut propheticos, aut agiographos libros psalmosque scripserunt divinis efferendis laudibus; tamen antequàm captivi Babylonem abducerentur Hebræi, uno volumine ea omnia opera compegisse atque uno canone conclusisse non constat. Redeuntibus igitur à Babylonicâ captivitate certus librorum numerus fuit novo canone constitutus, quem tum Hebræi descripserunt, Nehemiæ quoque libro recepto, quo nullum alterum scriptorem recentiorem habent. Porrò ex Ecclesiastici libro argumentum suppetit, quùm auctor scriberet, sacrum canonem jam fuisse contextum. Auctor enim, capite 49, illustres viros et sacros Judæorum scriptores commemorans, quùm Isaiæ, Jeremiæ atque Ezechielis mentionem fecisset, duodecim minores Prophetas nominat, qui in Hebræorum canone tres illos consequuntur: quo ostenditur jam tum duodecim Prophetarum vaticinia eo ordine fuisse disposita, quo etiamnùm in hebraicis codicibus legimus. In canonis collectione tres distributæ sunt quasi partes, quarum alteram appellârunt, תורה, Legem; alteram, נביאים, Prophetas; tertiam, כתובים, agiographa, id est, libros, ut ait Josephus contra Appionem, qui hymnos in Dei laudem et præcepta vitæ hominum exhibent utilissima. Ad veterem hanc distributionem ea verba retulit Christus Dominus Lucæ, cap. 24, v. 44: *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis et Psalmis de me.* Psalmi enim inter agiographos libros primum locum tenent.

Ejus canonis auctor, summâ Hebræorum consensione ad quos et veteres Ecclesiæ Patres accesserunt, esse Esdras perhibetur, qui sacros Libros in ordinem redegit. Esdrâ è captivitate reduce, traditio Hebræorum est collectos in unum corpus sacros Libros, ipsâque ejus ætate Canonem Scripturæ esse clausum; sic enim loquuntur. Ille, ut et Patres plerùmque affirmant, annuente concilio totius nationis collegit, restituit, emendavit, novisque characteribus, quibus apud Chaldæos Judæi assueverant, scribi sanctos Libros jussit; quâ de re in postremo hujus primæ partis articulo quædam explicabimus. Negandum tamen non est Nehemiam aut operam suam contulisse in ejus canonis instructionem; aut Esdrino canoni librum suum adjunxisse, quo totus canon absolveretur; item et Malachiam ad id operis allaborâsse. Opere confecto aliter fieri non potuit, quàm ut totus canon magno synhedrio, sive synagogæ magnæ ratus probatusque esset, ejusque judicio editus, ad quam pertinebat librorum consecratio. Certè tum conclusum canonem, definitumque sacrorum Librorum numerum tota Judaica natio suscepit, nullumque unquàm librum sacrum esse tota putavit, qui non ei canoni esset adscriptus.

Viginti duos libros canon ille continebat, quemadmodùm et Josephus confirmat in primo suo contra Appionem libro, quos nos *proto-canonicos* veteris Testamenti dicimus. Sunt autem non ordine quidem ipso, quo reperiuntur nunc in hebraico canone descripti; sed quo exstant in nostro, quinque Mosis libri; videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; tum Josue, Judicum, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Esther, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, quatuor Prophetæ majores, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel; et duodecim minores Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias et Malachias, qui Hebraicâ linguâ scripti omnes sunt, si Danielis prophetiam atque Esdræ historiam excipias magnâ ex parte Chaldaicas. Hos eosdem libros modò viginti duos, modò viginti quatuor, modò viginti septem numerant alii pro variâ supputandi ratione; atverò quemcumque numerum quis dicat majorem minoremve, prout librum unum ab altero separaverit vel cum altero junxerit, nihil refert, modò nullum ex iis recensitis omittat, nullum præterea Esdræ canoni attribuat.

Qui arbitrantur coacto iterùm aut tertiùm magno synhedrio, canonem alterum instructum fuisse, in quem libri etiam Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum referrentur, nullo freti sunt scriptoris fide digni testimonio, quo novas synagogæ coitiones nova canoni additamenta confirment. Quomodò enim disputatum esset primis Ecclesiæ temporibus de Tobiæ, Judith et cæterorum librorum auctoritate, si magnæ synagogæ judicium præcessisset? Aut quomodò Josephus, cujus maximè intererat res suorum non ignorare, easque expromere, alterius post Esdram coacti concilii non meminerit, quo statutum esset ullos libros canoni Esdrino adjungendos? Imò verò affirmat ipse, commemorato nuperrimè loco, libros omnes ab Artaxerxis regno scriptos, propterea quòd certa non esset Prophetarum successio, nunquàm parem cum veteribus dignitatem habuisse, nunquàm divinos ha-

bitos à Judæis, qu libris tantùm viginti et duobus divinam tribuunt auctoritatem.

Quùm igitur lib. 2 Machab., cap. 2, v. 13 et 14, narratur : *Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem, et ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros, et Prophetarum, et David, et epistolas regum, et de donariis. Similiter autem, et Judas ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, et sunt apud nos :* non ea sententia est, aut Nehemiam aut Judam pluribus libris in unum volumen compositis novum canonem instituisse; sed diligenter curâsse, alterum antiqua gentis suæ monumenta in bibliothecam à se instructam inferre; alterum verò libros qui in bello contra Antiochum fermè perierant, colligere. Etenim ex græco textu lib. 2 Machab. sic facere latina commodè possumus : *Narrabantur in commentariis Nehemiæ hæc eadem ; et ut construens bibliothecam congregavit quæ de regibus et Prophetis, et quæ de Davide, et epistolas regum de donariis. Similiter verò et Judas*, etc. ; id est, narrabatur in commentariis Nehemiæ (quæ sanè injuriâ temporum et bellorum interciderunt) ipsum mirificam bibliothecam extruxisse, in quam congesserat scripta de rebus regum, prophetarum, et Davidis, atque epistolas regum Cyri, e. g., Darii, Artaxerxis, de oblationibus et donis ad templum Hierosolymam missis. Pari studio Judas, quæ dilapsa erant propter bellum, volumina recollegit omnia ; vel si quis malit, quoniam Judaicæ gentis consuetudo erat sacros Libros recensere, ut testimonium Josephus dicit, Judas Machabæus canonem Esdrinum antea dispersum collegit, atque ex veterum exemplarium fide recognovit, emendavit, confirmavit.

Hæc de Hebræorum canone, quem Ecclesia Christi semper probavit non singulari quodam facto judicio, sed et usu, et Patrum perpetuo testimonio, qui sacrorum veterum Librorum indicem texuerunt, si unum aut alterum Ecclesiæ Patrem excipias, à quo Estheris liber est præteritus silentio. Ei canoni deinde Ecclesia addendos alios censuit, quos propterea *deutero-canonicos* appellamus : nempe Tobiam, Judith, septem postrema capita Estheris, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, orationem Azariæ, Hymnum trium puerorum, historiam Susannæ et Beli, quæ in volumine Danielis descripta sunt duosque Machabæorum. Constituta præsertim res est Eugenii Papæ decreto, et concilii Tridentini Canone edito ad exemplum canonis alterius in concilio Carthaginensi, et decreti Pontificis Innocentii, quorum auctoritas apud multos Patres, atque Ecclesiam Romanam plurimùm valuerat; quanquàm non omnibus omnis esset exempta dubitatio. Deutero-canonicos hos libros olim *Ecclesiasticos* vocabant, eosque multùm conducere ad pietatem fovendam , atque imbuendos sanâ morum doctrinâ animos Ecclesia perpetuò tenuit : quamobrem legi primò à catechumenis, deinde à fidelibus omnibus in conventu ecclesiastico permisit ; demùm validis, certisque rationibus ducta in canonem retulit. Hactenùs de veteris Testamenti libris.

Librorum novi Testamenti canonem non aliquis Apostolorum, non sub eorum ætatem vir apostolicus, neque sequentibus seculis ulla Ecclesiæ synodus confecit ; sed uno omnes Ecclesiæ consensu ediderunt ab initio, quem Eusebius in suâ historiâ inseruit, lib. 3, cap. 25. Etenim ex certâ traditione ad Ecclesias omnes pervenerat, confirmatumque erat quosdam libros ab Evangelistis, ab Apostolis, et Apostolorum discipulis divino Spiritu plenis esse profectos, unusque ille consensus satis fuit, ut canonici libri à dubiis, aut falsò adscriptis apostolico viro discernerentur. Ii autem sunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis ; Acta Apostolorum ; Epistolæ Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses, ad Timotheum , ad Titum , ad Philemonem ; Epistola prima Petri, et Joannis prima. Ad hos et alii accesserunt deutero-canonici, quos, cùm primùm incertæ auctoritatis viderentur, et à quibusdam tantùm Ecclesiis essent recepti, postea totius Ecclesiæ judicium comprobavit. In eo ordine sunt Marci caput ultimum, Lucæ historia de Christo sanguinem exsudante, ac de apparente ei angelo, historia Joannis de muliere adulterâ , Epistola B. Pauli ad Hebræos, Epistola Jacobi, Epistola secunda Petri, secunda et tertia Joannis, Epistola Judæ, et Apocalypsis Joannis. Hæc summatim sint dicta.

Nemo autem miretur Ecclesiam posterioribus temporibus judicâsse alios divinos esse, quos Hebræi in canonem non retulerant ; alios verò esse apostolicos, qui primùm certâ fide Apostolici non habebantur ubique. Nam , ut primùm de novi Fœderis deutero-canonicis libris loquamur, potuit Ecclesia Dei diligentiore investigatione antiquitatis certò cognoscere Petrum, Joannem et Jacobum epistolas quasdam scripsisse, easque ipsas esse quæ præ fidelium manibus erant : quod cùm cognoverit reipsà , certè et potuit divinas declarare. Dissentire hàc in re hæretici non possunt, nisi fortè plus sibi auctoritatis arrogent, quàm Ecclesiæ tribuant. Ipsi enimmet, quas Lutherus, quas Calvinus epistolas repudiaverat, et turpiter atque inhonestè contempserat, sacras postmodùm, divinas, apostolicas agnoverunt, atque ut magistros excusarent (si ullam quidem habere eorum arrogantia excusationem poterat) condonandum esse dixerunt, quia neque Luthero , neque Calvino explorata tum erant antiquitatis monumenta, quæ deinde prolata rem certam fecerant : numquàm enim futurum fuisse ut sui illi religionis emendatores earum epistolarum auctoritatem imminuerent, si perspectam habuissent. Dicant jam hæretici, nisi quid in omne tempus perspicuè apud omnes constiterit, constare nunc non posse.

Quod verò attinet ad Codices quosdam veteris Testamenti ab Ecclesiâ canonicis adjunctos, de quibus gravius videtur esse negotium, hæc strictim, atque in genere momenta subjicimus, quæ suo loco dilatabimus ; hæc qui cognoverit, qui perpenderit mirari de-

sinet Ecclesiam Christi de talium Codicum dignitate judicium fecisse. Primò enim illud certum est, homines genere, et religione Hebræos, hellenistas dictos, qui extra Palestinæ fines inter Græcos domicilium habebant, græcamque linguam loquebantur, ad nos, ad Ecclesiam, de quibus est quæstio, libros detulisse scriptos à viris gentis suæ, quos divino munere sapientes putabant; libros illos in græcis synagogis maximi faciebant; legebant studiosè, ut Origenes ad Africanum, et Hieronymus ad Chromatium, et Heliodorum scribunt, ad Dei legem in animis defigendam, ad fovendam pietatem. Nihil ipsi, aut parùm admodùm interesse credebant eos inter libros, et cæteros canone comprehensos, quanquàm in canonem non referrent; ad quam rem opus fuisset aut totius nationis synodo ad studium legis promovendum coactâ, aut prophetâ, qui suam à supremo Numine legationem satis probâsset; qui tamen ipsorum judicio, tunc non exstabant. Cùmque præterea Judæi distinguerent (confidentiùs loquimur cum hæreticis qui se in Hebræorum scriptis versatos jactant), inter plures prophetiæ seu revelationis gradus, superiorem alterum, qui est ברוח הקדש *per Spiritum Sanctum*; alterum inferiorem, qui est בבת קול *per filiam vocis*; illum dicerent concessum fuisse veteribus prophetis; ad hunc verò tantùm pervenisse scriptores, et Dei quasi legatos post captivitatem Babylonicam, ausi profectò non sunt hos suos libros afflatu quidem divino, ut opinio erat, sed minore revelationis genere compositos in unum volumen cum Esdrinis compingere, et facere pares. Ex quo factum est ut et divino præsidio scriptos tenerent, et cum canonicis non conjungerent.

Itaque Hebræi hellenistæ, qui græca Biblia legebant, non modò veterem græcum canonem; sed et nostros, quos dicimus deutero-canonicos, libros ad Ecclesiam detulerunt, eosque commendârunt. Necesse autem omninò est id factum esse scientibus maximè, videntibus et probantibus Apostolis: unde certa persuasio nata est esse divinos. Quod etsi probare non possimus, productis testibus qui viderint, qui audierint ab Apostolis approbari; ex usu tamen et doctrinâ Patrum qui consecuti sunt Apostolos, certâ ratione colligimus. Tum enim à multis Græcis Ecclesiis in Esdrinum canonem et isti commissi sunt; tum Libri omnes divini à nobis habiti in idem volumen conclusi; tum totus canon ille ab episcopis, à Patribus, à synodis retentus est. Quis autem credat aut suspicetur sanctissimos episcopos, antistites ecclesiarum apostolicarum, vetustiores Patres voluisse in unum conjungere libros Mosis et Prophetarum cum Tobiâ, exempli gratiâ, et Sapientiâ, quasi verò doctrina à Deo tradita cum inventâ humano studio comparari et coæquari posset, nisi iisdem esset compertissimum parem esse librorum omnium dignitatem, idque ab Apostolis, ab apostolicis viris accepissent? Quis putet fidenter adeò locutos viros prudentissimos ut sacram Scripturam appellare vellent libros obscuros; ut dicerent se divinorum Librorum verbis uti, cùm inde testimonia eliciebant, nisi utique scirent se fretos Apostolorum auctoritate, quæ unà conciliare sibi fidem poterat? Notum enim est quàm prudenter, quàm cautè, quantâ diligentiâ processerint prisci ii Patres in suscipiendis libris tanquàm divinis; eamque cernere facillimè quisque potest ex eorum vel suspicione, vel diffidentiâ, quibus satis perspecta apostolica traditio non erat. Illi enim assensum cohibuerunt suum, usquedùm certis rationibus sibi persuasum est originem ab Apostolis habuisse, quæ in quibusdam Ecclesiis doctrina tenebatur.

Cùm ergo Tobiæ librum ut Scripturam divinam commendet sæpè Cyprianus, præsertim lib. 3 Testimon.; cùm testimoniis ex eo promptis utantur non secùs ac canonico Clemens Romanus, epist. 1 ad Corinth.; D. Polycarpus in suâ ad Philippenses epistolâ; Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromat. et 6; Origenes contra Celsum; auctor Constitutionum Apostolicarum, lib. 1, cap. 1, ut reliquos omittam; cùm liber Judith eximios laudatores habeat Clementem Romanum, cit. epist.; Alexandrinum, lib. 4 Stromat.; Origenem, homil. 19 in Jeremiam; Tertullianum, lib. de Monogam.; cùm divinum Sapientiæ librum dixerint Dionysius, lib. de Divin. Nominib., cap. 4; Justinus martyr, in dialogo cum Triphone; Origenes, homil. 27 in Numer.; Athanasius, Apolog. 2; Gregorius Nazianz., orat. 49.; Augustinus verò de Prædest. sanct., cap. 14, asseveret egregios tractatores, etiam temporibus Apostolorum proximis, qui textum Sapientiæ adhibuerant, nihil se adhibere nisi divinum, credidisse: cùm Ecclesiastici libro tantum deferant, quantum veteribus Scripturis, Origenes, homil. 9 in Ezechiel.; Clemens Alexandrinus, lib. 1 Pædag.; Athanasius et Gregorius Nazianzenus loco nuper notato; Epiphanius, lib. 1 advers. hæres., num. 6; cùm demùm, ne sim longior, Baruchiun scripta Gregorius Nazianzenus, ibid., Athanasius, epist. 2 contra Arianos; Epiphanius, ubi nuperrimè diximus, sacras Litteras nominent, idemque ferè omnes Patres, quando est opportunitas, tam de additamentis Estheris et Danielis, quàm de libris Machabaicis et sentiant, et loquentur; fieri non potest profectò tantos viros tam constanter rem affirmâsse, quin certam in suis Ecclesiis, nempe apostolicam traditionem eâ de re existere cognoverint. Quòd si iidem divinos libros dixêre, et locos quosdam ex iis sumpserunt tam ad institutionem morum, quàm ad dogmatum confirmationem, quid, quæso, causæ nostræ officit, etiamsi non esse canonicos, abesse à canone simul scripserint, quod et nos fatemur? Aberant scilicet ab eo hebraico canone, Ecclesia universa in canonem non contulerat: atverò ut divinos venerabatur.

Et Ecclesia quidem Africana inter cæteras publicum, atque illustrius dedit eorum Librorum divinitati testimonium à quarto et quinto jam inde seculo; concilium enim Hipponense, anno 393, à Carthaginensi 3, anno 397, confirmatum suscepit omnes: item Carthaginense 6, anno 419, in catalogum sacrorum inserens, perinde censuit cum veneratione excipiendos, ac de quibus nulla erat dubitatio, cùm hâc tamen adjunctione, ut transmarina Ecclesia de ca-

none confirmando consuleretur, ut fratri, et consacerdoti Bonifacio, et earum partium episcopis innotesceret. Non fuit autem difficile habere, et consentientem Romanam Ecclesiam, quoniam Innocentius Papa I, in epist. ad Exuperium, eamdem doctrinam tradiderat, quam postea Gelasius I, in Romanâ synodo comprobaverit, omnes deinceps Latinæ Ecclesiæ in eamdem sententiam concesserunt. Sed quanquàm de traditionis veritate nulla suboriri ampliùs suspicio deberet, nulla tamen usque tunc scripta erat patens, atque explicata lex, quæ fideles omnes obstringeret, ne aliter sentirent. Eam ob rem Tridentina synodus, occasione sibi à novis hæreticis oblatâ, venerandæ antiquitatis monumenta evolvit iterùm ac perpendit; tum divino consilio canonem edidit, quo libros eos omnes complexa sanxit, sess. 4, divinos omninò esse, pro sacris et canonicis suscipiendos, coercuitque repugnandi licentiam.

Neque verendum est ut nos reprehendant hæretici quod hoc argumento utamur ad constabiliendam deutero-canonicorum librorum auctoritatem. Etenim nonne et ipsi adhibent prorsùs idem, ubi de quibusdam novi Testamenti libris agitur? Exstant enim dissertationes ab Anglis scriptoribus non ante multos annos vulgatæ, et gallicè redditæ, quarum inscriptio est : *Defensio Religionis tam naturalis quàm revelatæ contra Infideles* : ibi res omnibus manifestissimè patet. In earum scilicet alterâ, tomo secundo editâ, quidam in Angliâ episcopus Blackbsall, quem in præfatione numerant inter splendidissima Anglicanæ Ecclesiæ lumina, constituit in novi Fœderis Codicibus haud dubia divinæ revelationis argumenta abundè suppetere, ac multa disputat, et confirmat historiâ vetustatis Tum verò objicit ipse sibi in novi Testamenti canone nunc locum habere et libros, qui primis Ecclesiæ seculis aberant, neque ab Ecclesiis omnibus approbabantur: nempe epistolam ad Hebræos, epistolam Jacobi, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis, epistolam Judæ, atque Apocalypsin. Respondet scitè disputator, nodum difficilem videri quidem; atverò non esse : aitque paucis, quæ et exscribo latinè translata. Certum esse ex firmis argumentis quæ suppeditat antiquitas, epistolas easdem prioribus seculis susceptas ab Ecclesiis fuisse, atque à viris ad quos Apostoli miserant; in universum autem à totâ Græcâ Ecclesiâ. Mirandum porrò non esse, si scripta quædam apostolica ad Christianos per orbem dispersos, aut ad privatos homines data fidem eam illicò apud omnes non habuerint, quam missa ad insignes et stabiles Ecclesias protinùs habuerunt. Addit indubitatum pariter esse Ecclesias ipsas quæ primùm de epistolarum dignitate dubitaverant tandem in canonem admisisse : quod planè non fecerunt, nisi fretæ et nixæ authenticis argumentis, ad quæ accuratè perpendenda et penitiùs vestiganda major tum facultas erat. Demùm concludit, si quis putaret primos Christianos sine ullâ discussione approbâsse, quasi divinitùs inspiratos, libros quoslibet, in quibus scriptæ essent miraculorum historiæ, modò præcepta morum inde haurirentur, fore eum primis fidelibus maximè injuriosum : quod vel ex hoc ipso argumento planum fit. Si enim primi Christi fideles plus æquo creduli fuissent et simplices, undenam factum esset ut Ecclesiæ quædam aliquos ex nostris sacris Libris nollent in canonem recipere? Aut quare eò usque distulissent sacros fateri, dum de eorum origine sibi constaret? Hæc habet vir Anglus non tam suo, quàm totius nationis nomine.

Jam verò et nos qui veteris Testamenti canonem conficimus, hâc ipsâ methodo utimur, quam et disputandi, et traditionis Apostolicæ assequendæ ratio commonstrat. Undenam petas antiquitatis monumenta, præterquàm à veteribus viris episcopis, Patribus, à synodis testibus fidei, quæ in Ecclesiis obtinebat? Patres, episcopos, synodos æquè testes producimus et nos, Græcarumque Ecclesiarum suffragationem. Mirandum ne est præterea, libris longinque vetustatis nullo prophetarum, nullo totius magnæ synagogæ judicio firmatis, quibus Apostoli, ut res tulit, usu aut verbis comparârunt auctoritatem, non ita citò Ecclesias omnes, nec sine quâdam difficultate, ut Dei verbo, fidem adhibuisse? Accidere non poterat secùs. Præstiterunt tamen deinceps omnes fidem, et cognitâ optimè causâ præstiterunt non modò ex antiquorum comprobatione, verùm etiam et quibusdam insitis notis, unde cognosci poterat libros à viris divinâ luce perfusis esse conscriptos; cujusmodi sunt futurarum rerum prædictiones in libris interdùm signatæ, et declaratio quædam mysteriorum interspersa divinitùs. Numquid prudentiores aut consideratiores fuerunt primi Christi fideles, et Patres in discernendâ veritate novarum quàm veterum Scripturarum? At par erat utrinque fidei negotium. Igitur idem omninò est probationis genus, seu quosdam Apostolorum libros à totâ Ecclesiâ olim non agnitos, qui essent, in novum canonem includi æquum esse velis; seu quosdam clarissimorum synagogæ virorum, quicumque demum ii fuerint, in veterem canonem conferri, in quo primùm desiderabantur. Hoc tantùm nos interest et hæreticos, quòd ipsi ingenio suo, suoque arbitratu canoni addunt, quos addere sibi visum est : nos verò Ecclesiæ vocem audiri priùs oportere sentimus, cujus judiciis Deus præsidio est : quod tamen tantum est discrimen, ut ex eo dijudicetur, quinam sint homines divinâ fide præditi.

Quis jam commoveatur levibus quibusdam ratiunculis, quæ obtrudi pro gravibus solent? Eæ sunt. Non potuit Ecclesia, consequente ætate, de ullius libri divinitate fieri certior quàm esset prior ætas : neque enim nova ignotarum rerum facta à Deo est posterioribus seculis declaratio : atqui olim non constabat; imò verò dubitabatur. Item quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, id divinum, atque ab Apostolis profectum teneatur, ut vulgari effato monemur : quomodò autem ad deutero-canonicos libros effatum hoc transferetur? Præterea prisci Patres et episcopi non solùm Tobiæ, Judithæ, etc., libris suffragati sunt; verùm etiam Esdræ saltem tertio; item et Machabæorum tertio, quos Ecclesia non

probavit. Non igitur testantium Patrum fides argumento Ecclesiæ esse potest, propter Apostolorum comprobationem, Libros deutero-canonicos à patribus appellatos esse divinos.

Hæ, inquam, atque harum similes ratiunculæ neminem jam commovent. Cùm enim adversùs hæreticos hoc loco disputetur, idemque telum in ipsos torqueatur, ubi quæstio est de Apostolorum epistolis, debent et ipsi pariter retundere : nam et tertium argumentum non minùs ab ipsis dissolvendum est. Patres siquidem vetustissimi et episcopi librum Pastoris, epistolam Barnabæ et Clementis divinis laudibus efferunt; quos tamen libros in canonem neque ipsi includunt. Itaque ad primum affirmamus, planè dispulsis nubibus, quæ impediebant, ne lux apostolicæ traditionis funderetur ad Ecclesias omnes, et micaret, Ecclesiam postmodùm quosdam divinos codices, antea pro divinis usquequaquè non habitos, discrevisse. In dubio non erant qui Apostolorum eâ de re doctrinam auribus acceperant, ii fidem habebant explicatè, ut aiunt, ac faciebant fidem : ad dissitas autem Ecclesias aut nuntius illicò non pervenerat vocis apostolicæ traditionis; aut licèt nuntiatum esset, cunctandum putârunt Patres, usquedùm de rei veritate planè sibi persuaderetur. Interim seu quòd aliis administrationis ecclesiasticæ curis distenti satis otii non haberent ad explorandum, utrùm ita se res haberet; seu quòd ad continendam in officio plebem, ac fidei hostes refellendos satis præsidii in canone indubitabili sibi esset; seu quòd audirent in Palæstinâ Esdrinum tantum canonem probari, et putarent post Malachiam scriptorum nemini Deum adstitisse; seu quòd legendo græca Hebræorum opera in locos quosdam inciderent difficiles ad intelligendum, quibus fortè hæretici abuti potuissent in suam ipsorum et fidelium perniciem, prudenter ab assensu abstinuerunt. Verùm sequens ætas discussit nubila, et lucem attulit, cùm propagatâ paulatim traditionis scientiâ ad viciniores Ecclesias, atque ex iis ad remotiores, persuasum est omnibus Apostolorum esse doctrinam : unde tandem universa Ecclesia canoni libros adjecit. Non ergo dicimus Deum Ecclesiæ revelâsse nova fidei dogmata, quæ Apostolorum temporibus ignorarentur; neque librum ullum processu ætatis divinum evasisse, qui antea divinus non esset, aut divinus à pluribus Patribus, atque Ecclesiis fide dignissimis non haberetur; sed potuisse Ecclesiam universam, labentibus temporibus, de alicujus operis divinitate certiorem fieri quàm esset olim : nempe discussione et ponderatione diligentiore factâ, legitimas causas invenisse affirmandi Libros esse sacros; exploratamque habuisse illustrium Ecclesiarum traditionem, quæ omninò sufficeret, ut opera authentica declararentur.

Turpe est deinde alterum nobis opponi, quasi verò non pateat insidiosam esse orationem, in quâ negatio ex affirmatione colligitur. Si autem velint nihil Apostolis acceptum referri posse, nisi quod perpetuò, quod constanter, quod universè apostolicum esse Ecclesiæ omnes crediderint; negandum est prorsùs. Opus enim interdùm est et tempore, et diligentiâ ad consequendam apostolici alicujus dogmatis scientiam. Quod si necesse fuit haud semel declarari ab Ecclesiâ res quasdam, oportuit à non paucis fuisse priùs ignoratas. Disputatum est, quis nescit, ne multa quæram? veteribus seculis de Baptismo quem hæretici ministrâssent, et Ecclesiis quibusdam opinio insederat, nihil prodesse; planum postea factum est esse fructuosum ex Apostolorum utique disciplinâ. Neque repugnat apostolicam traditionem de capite quodam doctrinæ, cujus cognitio ad fideles singulos necessariò non attinet, ab ætate Apostolorum in quibusdam Ecclesiis obscuratam fuisse; in quibusdam autem diligenter retentam, ex quo et ortum dissidium sit, manente tamen vinculo unitatis : tùm verò quis ereptam dicet Ecclesiæ facultatem dignoscendi rectam traditionis seriem, et judicandi quid teneri oporteat?

Tertium argumentum iis expediendum est et explicandum, qui judicio suo libros in canonem colligunt, quos existimant ipsi Apostolorum suffragiis commendatos. Nos verò verbo respondemus sacro magistratui, cui rerum sacrarum judicium commissum est, non apparere Apostolorum documentum. Non abnuimus tamen adversario hâc de re satisfacere. Patres, qui tertium Esdræ librum divinum dixerunt, arbitrati sunt cùm in canone Hebraico reperiri, tùm Esdræ esse, cujus nomine inscribebatur : qui verò Machabaico tertio divinum præconium tribuerunt, librum, qui in historiæ Judaicæ serie duobus prioribus anteponi debuisset, ad eosdem pertinere censuerunt : quod cùm falsò credidissent, cognovissetque Ecclesia neutros Apostolorum judicium secutos, non potuit divinis apponere; habuit tamen eorum rationem aliquam propter Patrum laudationem. Ostendatur jam utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ antistites idem testatos de Esdræ et Machabæorum tertio, quòd de reliquis deutero-canonicis; synodos Africanas, Romanam synodum, pontifices prioribus seculis canon attexuisse Esdræ et Machabæorum tertium; Patres atque Ecclesias, quæ certè se ab assensu sustinuerant, dubitatione depositâ, postea consensisse; tùm verò dabimus Ecclesiæ judicium infirmari. Ex libris ergo olim Patrum quorumdam opinione divinis, quos Ecclesia in canonem non intulit, colligatur potiùs, quos è contrario suscepit, summo jure suscepisse : quod fatendum est vel iis à quibus in fide dissentimus. Commendetur etiam Ecclesiæ Catholicæ consilium, prudentia et integritas, quæ tùm solùm libros canoni apposuit, cùm excussis jam dubitantium scrupulis, et sententiâ singularium Ecclesiarum omnium accessu firmatâ, id unum reliquum erat, ut publico et stabili decreto, qui decebat, tenerent locum dignitatis, quem eripere homines veteris disciplinæ pertæsi, novisque rebus in Ecclesiâ studentes moliebantur. Hæc in genere operæ pretium esse duximus præmittere, antequàm cujusque libri deutero-canonici divinitatem suis locis confirmaremus, ut harum rerum scientiam quamdam ab initio sumeretis, quam, ubi erit opus, faciemus ampliorem. De aliis libris, quos ut certè

apocryphos Ecclesia rejecit, hoc loco nihil dicimus, alibi, datâ opportunitate, dicturi. Nunc cum Religionis contemptoribus disputetur.

ARTICULUS II.

Ab ultimâ antiquitate apud Hebræos exstitisse sacros Libros, eosque esse ab omni falsitate remotissimos.

Duo hoc loco conjungimus, conjunctim quippe ab infidelibus oppugnata, qui ut ficta, et labentibus seculis supposita, et plena fabularum exagitant scripta summorum virorum, quos Dei voluntatis interpretes ac divinorum mandatorum nuntios dicimus suæ legationis monumenta nobis reliquisse. Accusant enim non exstitisse eos homines; si exstiterint, non scripsisse; si scripserint, vera non esse quæ scripserunt. At si efficimus libros vetustissimos esse eorummet auctorum qui legem Dei, mandata, historias feruntur tradidisse litteris, et nihil eorum quæ ibi scripta sunt à veritate aberrare, nihil abhorrere à fide, necesse est errorem extorqueri. Res est maximè de veteris Testamenti libris, qui in majorem suspicionem venerunt: nec de singulis quidem, ne infinita sit quæstio, sed quibusdam, et Mosaicis præsertim in exemplum productis, de quibus, si semel certâ ratione sit constitutum, ea poterit ad omnes Scripturarum libros accommodari, et transferri per cæteros, causamque totam dirimere: quoniam neque infideles, qui detrectant omnibus, uno ostenso exemplo, habent, quod reliquis repugnent. Tradetur primò cognitio de auctorum et librorum antiquitate.

Libri sacri veteris Testamenti à legislatore Judæorum Mose, atque illustribus ex eâ republicâ viris scripti sunt. Moses autem, insignesque ii scriptores scriptoribus profanarum rerum, quorum scripta et nomina ad nos pervenêre, vetustiores multò sunt, nedum sint cum iis ætate comparandi. Oportet igitur fateamur vetustissimas esse Hebræorum Scripturas. Exstitissene viros illos negemus, an scripto quædam reliquisse? Verùm quis unquàm crediderit totum Hebraicum genus, cujus etiamnùm reliquias per orbem dispersas quisque videt, testes antiquissimæ illius exstantis olim reipublicæ, quæ tot calamitates, vicissitudines, bonorum exspoliationem, direptionem, expulsionem à patriis finibus pertulit, quæque et propriis legibus regebatur, et florebat, deceptum, illusum, in errorem inductum falsis imaginibus, et personis Mosis, judicum, regum, prophetarum, qui leges dederint, bella gesserint, vitia et pravos mores summâ auctoritate objurgaverint? Annon cùm de Ægyptiorum, Phœnicum, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum rebus certiores fieri volumus, ejus gentis homines et scriptores adimus; ac tùm maximè adjungimus fidem, cùm ex publicis actis suæ nationis quidquam dicunt atque testantur? Cur ergo detrectemus adhibere fidem Hebræis hominibus, quando et ipsi res gestas majorum suorum, qui Hebraicam rempublicam capessiverunt, descriptas ex antiquis utique tabulis producunt, in quibus gradatim, atque ordine primus usque populi dux, auctorque legum cernitur? Ecqua autem esse unquàm causa potest, cur repudiemus omnia, nisi omnium præjudicium, una animi et sententiæ obstinatio, quâ persuasum nobis esse velimus, non modò nihil eorum usquàm accidisse; sed et nomina ad arbitrium tributa esse viris qui nunquàm exstiterunt?

Quod verò maximum hâc in re, nisi nos ratio fefellerit, momentum habet. Cur Mosen aut prophetas exstitisse, vel reliquisse scripta negemus hominibus, qui non intermissâ plurium seculorum serie legi suæ tenaciùs adhærent, quin ullum ex simulatione et mendacio commodum, atque utilitatem sentiant; imò verò sint eâ de causâ neglecti, humiles, odiosi, invisi, spreti, omni loco depulsi, quod contra seipsos perversitatis suæ testimonium proferant iisdem in libris quos se à Mose et prophetis accepisse fatentur? Si enim mentiendum est et fingendum, alicujus emolumenti utique gratiâ mentiendum est, non gratis, ne dicam damnosè. Itaque Moses primùm scriptam legem Judaico populo dedit, primamque historiam contexuit; tum cæteri illustres viri suis nominibus ab Hebræis appellati, quæ ad legis observationem, atque ad reipublicæ statum, ac vicissitudines pertinent, ea litteris mandârunt. Intuentes igitur in exstantes Hebraici populi reliquias, qui olim certè in unum reipublicæ corpus coaluit, non possumus quin ad ejus gentis originem ascendendo perveniamus, ad quem nisi ex ipsius historiâ et legibus non proceditur. Itaque cùm qui Moses ab omnibus dicitur legislatorem et ducem agnoscamus, neque de ejus legislatoris nomine ulla sit contentio, quemadmodùm neque de Dracone et Solone Atheniensium, neque de Lacedæmoniorum Lycurgo, neque de Romanorum legislatore Numâ contenditur.

Ne verò videamur ex hebraicis solùm traditionibus confirmare istud doctrinæ nostræ caput, ad quod disputationem revocamus; scilicet à Mose primo datam esse scriptam legem hebraico populo; afferantur jam prisci Græci scriptores Hebræis infestissimi, qui affirmant non modò legem à Mose scripto traditam, verùm etiam consignatam antequàm ulli homines scriptis legibus uterentur; atque historiam à Mose descriptam, quæ posterioribus historicis exemplo foret. Diodorus Siculus, quàm in primo suo historiarum libro testatus esset se in Ægypto à Sacerdotibus didicisse antiquissimum legislatorem fuisse Mosen, ita prosequitur, referente S. Justino: *Secundùm veterem quæ in Ægypto fuit vitæ institutionem, quæ fabulis sub diis et heroibus fuisse perhibetur, multitudini primùm, ut scriptis legibus uteretur et viveret, persuasisse ferunt Mosen virum animi magnitudine et vitæ commoditate commendatissimum.* A Mose deinde cultum fuisse dicit Deum *Jao*, qui est idem Hebræorum יה *Ja*, seu יהוה *Jehova.* Nicolaus Damascenus, Herodis et Augusti familiaritate clarus, neque ignarus rerum Judaicarum, quippe Tyrius, in 96 Historiæ suæ libro narrat, post diluvium arcam in Armenium montem delatam in montis vertice constitisse, et visas ibi multo post tempore ejus arcæ reliquias; in eâ hominem se inclusisse qui à naufragio

evaserat, ipsumque planè esse, de quo *Moses Hebræorum legislator* scripserat. Alexander Polyhistor in suis Commentariis habet, Cleodemum quemdam, qui et Malcus est appellatus, legislatoris Mosis exemplo Judæorum historiam descripsisse. Juvenalis, Satyr. 14 :

Judaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.

Qui horum similia testentur, plurimos leget scriptores qui volet apud Danielem Huetium, Demonst. evang., proposit. 4, cap. 1. Dubitari igitur non potest quin Moses legum conditor Hebræis fuerit, iisque cùm leges, tùm historiam scripto tradiderit.

Mosen autem antiquiorem esse profanis quibusque scriptoribus, quorum opera de rebus divinis, de republicâ, de philosophiâ aut exstent, aut ad notitiam nostram pervenerint, quo testimonio opportuniùs demonstretur quàm comparatione ætatis aliorum scriptorum cum Mosis ætate? Quo argumento Joseph Hebræorum scriptor, Justinus Martyr, Tatianus, Julius Africanus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Lactantius adversùs ethnicos se validiùs communierunt. Exordiamur à Græcis. Regnante apud Argivos Inacho, Moses præfuit Hebræis, suos Ægypto eduxit, legem tulit; omnes verò Græci scriptores ab Inachi temporibus procul absunt. Quis ergo istorum cum Mosis ætate conferatur? Nam Græcorum narratur historiis, quùm primùm Inachus Argivis imperaret, Mosen ducem et principem judaicæ gentis fuisse, ut Justinus in Parænesi gentilibus opponit : *Ita enim Polemon in Græcanicarum rerum primo scripsit libro, et Appion Posidonii in suo adversùs Græcos Commentario; atque is itidem in quarto Historiarum libro dicit : Regnante apud Argivos Inacho ab Ægypti Rege Amaside secessisse Judæos, quibus Moses præfuit. Suffragatur omnibus istis Ptolemæus Mendesius, qui res Ægyptias scripsit; tum etiam qui Atheniensium gesta memoriæ mandârunt Hellanicus, et Philocorus, cujus attici sunt libri; item Castor, et Thallus, et Alexander Polyhistor.*

Eadem fermè habet et Tatianus oratione adversùs gentes, qui prætereà ex Appione grammatico lib. 4 Historiarum Ægyptiacarum exscribit sub Amose rege, qui Argivi Inachi temporibus vixit, profectos fuisse Judæos, duce Mose, atque ob Inacho undeviginti reges numerat usque ad Agamemnona, cujus decimo octavo anno captum, eversumque est Ilium. Jam verò quanquàm daremus, qui vetustiores sunt ex græcis scriptoribus, paulò post eversam Trojam, aut sub Trojani excidii tempora scripsisse; si Moses Agamemnone Trojæ eversore, ter centis ad minus annis antiquior est, perspicuum fit, Mosis historiam scriptoribus græcis esse longè antiquiorem, ipsismet Græcis non diffitentibus. Quid igitur Hesiodum commemoremus, aut Homerum Græcorum vetustissimos, qui plus quàm ducentis annis distant à Trojanâ clade? Quid etiam Orpheum, qui æqualis eorum fuisse dicitur quos ferunt Trojanam expeditionem fecisse? De Solone autem et Thalete, Græciæ sapientum primo, non est opus dicere : sunt enim multò posteriores. Nempe Mosen ex Hebraicâ chronologiâ ostenditur anno mundi 2513, ex Ægypto excessisse cum universo populo; Trojam autem ex Diodoro Siculo, et Dionysio Halicarnassensi excisam esse colligitur anno mundi 2821; Hesiodum verò floruisse anno 3060; Homerum 3097, Thaletem 3368, Solonem Cyri temporibus 3458, ex certis antiquitatis monumentis constat, atque vel ex Arundellianis marmoribus præterito seculo ex Oriente allatis, si illa quidem faciunt fidem.

Novimus equidem ex aliorum scriptorum supputatione, cujusmodi est Eusebius, Mosen referri ad tempora Cecropis, primi Athenarum regis, regnante Argis Triopa, qui septimus ab Inacho, primo Argivorum rege, fuit; sed esto. Primò enim non id disputandum sumpsimus; ex ipso quippe Græcorum testimonio à Patribus adducto argumentabamur, non ex nostrâ sententiâ. Deinde sive Inacho Argis, sive Cecrope Athenis imperante, Moses vixerit, firmum illud manet tantùm temporis intercedere inter Mosis ætatem et Græcorum quos antiquiores putant, quantùm nuper notabamus. Demùm æqualis fuerit Cecropi Moses : antiquior nihilo tamen minùs est omnibus ethnicorum diis quibus humana forma tributa est, eorumque factis quæ primùm profani scriptores, poetæ et philosophi, id est, theologi gentium celebrârunt. Post Cecropem enim cœpit Jupiter appellari Deus; cœperunt alia coli ethnicorum numina; cœpit tota deorum genealogia texi, ut inde non ab re demonstrent eruditi rerum antiquissimarum scrutatores, totam Græcorum de religione doctrinam in Mosis historiâ pravè intellectâ, atque in perversos sensus traductâ exstitisse. Profectò neque à Jovis, neque à Martis, neque à Minervæ, et Veneris cultu deterruit populum Moses; sed à solis, lunæ, militiæ cœli, animantûm, quæ tùm sola habebantur pro diis. Jovis autem gesta ante Mosen nemo mandavit litteris. Mose posterius est quidquid Græci fabulantur de Phaetonis incendio, Deucalionis diluvio, Europæ è Phœniciâ deportatione in Cretam, Proserpinæ raptu, Bacchi gestis, Mercurii facundiâ, Gigantum bello contra deos, aliisque id genus fabulis. Sed quid plura? Paulò post Cecropem Cadmus è Phœniciâ adveniens Bœotiam (Cadmus autem creditur Phœniciâ pulsus à Josue) Græcos docuit litteras, quibus res suas commendare potuerunt. Unde Thebanus poeta anonymus cecinit : *Sic Palæstinâ à terrâ venit Archivis scientia : Phœnix verò hanc Græciæ Cadmus præbuit... educatus, eruditus in Palæstinæ finibus.* Nullus ergo Græcorum scriptorum est, qui ætate Mosen antecesserit.

Neque Græcis tantùm, ut argumentum, nostrum prosequamur, sed et aliarum nationum scriptoribus quos sciamus, vetustiora sunt Mosis scripta. Numquid enim Sanchuniatonem Berytium, vel Tyrium, ut aliis placet (si is quidem unquàm exstitit, de quo discrepantes sunt criticorum sententiæ), ei æquabimus, quem rerum Phœniciarum historiam scripsisse, et commentarios à Jerombalo, sacerdote Dei *Jevo*, accepisse tradidit Porphyrius, qui primùm sub finem tertii seculi Sanchuniatonis meminit? Sed tum Jerombalus est Gedeon hæbraicæ gentis judex, non parùm à Mosis ætate distans, quem Jud. 6, 32, appellatum

alio nomine *Jerobaal* legimus; tum Deus *Jevo* est Hebræorum יהוה *Jehova*; tum commentarii quos accepit, unde historiam Abelbalo Berytiorum regi nuncupatam contexuit, non nisi Mosis libri esse possunt. Et hæc quidem eorum sententia est qui plus Sanchuniatonis antiquitati favent : nam alii arbitrati inscriptum librum Abibali Tyriorum regi patri Hirami, qui multam operam præstitit Salomoni Templum Hierosolymitanum molito, scriptorem multò recentiorem faciunt. Numquid Berosum Babylonium Beli Babyloniorum numinis sacerdotem cum Mose comparabimus? Sed is et Alexandri Macedonis temporibus scripsit, et in Babyloniorum historiâ commemorans regum gesta meminit cujusdam Nabuchodonosoris, qui adversùs Phœnices et Judæos expeditionem suscepit, quam nostri quoque Prophetæ describunt mille ferè annis à Mose. Numquid Manethonem Ægyptium conferemus? Quomodò autem cum Mose coæquetur scriptor, qui duntaxat, Ptolomæo Philadelpho regnante, floruit, ad quem et scripsit epistolam? Hic præterea, lib. 2 rerum Ægyptiacarum, de Hebræis narrat eos ex orientalibus partibus in Ægyptum profectos, quùm ibi supra quingentos annos moram duxissent, abiisse cum universis familiis, et possessione per Arabiæ solitudines, migrâsse in Syriam, atque in eâ regione quæ Judæa appellatur urbem amplissimam ædificâsse, Hierosolymam dictam; quæ omnia, quùm non ex monumentis Ægyptiorum acceperit, ut ipsemet fatetur, ab Hebræorum libris accepta quis neget?

Quòd si veterum poetarum, philosophorumque doctrinam consideremus magnâ ex parte à Mosaicis, à sacris Libris excerptam, quanquàm discors ea sit originis suæ puritati, adeò constabit poetis et philosophis antiquiorem esse Mosen, ut nihil esse possit illustrius. Quosdam et apertiores et faciliores locos seligamus. Hesiodus ponit Chaos ex quo orta sunt omnia, quod et Aristoteles disertè pronuntiat esse *nihil;* docet hominem luto formatum; primorum hominum vitam fuisse nostrâ longè diuturniorem; septimam diem sacram esse. Homerus in Odysseâ scribit deos peregrinorum habitu urbes circumire hominum, benè vel malè facta exploratum; scribit et aquilas in Procorum capita involantes mortem iis portendere; scribit in Iliade, lib. 19, v. 91, per mulierem Jovis filiam omnes esse in humanum genus calamitates propagatas :

Filia prima Jovis, quæque omnes perdidit, Ate
Perniciosa.....

(Est autem Ate uxor Adæ ex costâ, quam ipse Hebraicè אשה *Ischa* vocandam dixit; Chaldaicè verò אתה *Itta.*) Et Odyss., lib. 11, v. 314, homines ausos esse tentare ascensum in cœlum :

Qui bello conferre pedem cœlestibus oris
Ipsis cum divis ausu voluêre minaci,
Suntque adeò conati Ossam superaddere Olympo,
Pelion atque Ossæ, ascensum sibi ad astra parantes.

Thales Deum mentem esse aiebat, quæ cuncta ex aquis effecerat; Deo hominum cogitata perspecta esse; lucem tenebris posteriorem. Pythagoras vetuit Dei imaginem annulo inscribi; hominem ad Dei imaginem conditum esse affirmavit; morticinorum esu interdixit; nudis pedibus sacra fieri jussit : et quanquàm esu animantium ferè abstineret, quasdam tamen victimarum partes comedisse, quasdam verò constanter respuisse Porphyrius refert in ipsius vitâ. Anaxagoras, Plutarcho teste, de Plac. Philos., lib., 1, cap. 31, et Eusebio Præparat. Evang., lib. 9, cap. 14, scripto suo hoc initium fecerat : *Omnia simul erant; deinde mens superveniens ea in ordinem digessit.*

Hæc verò, atque alias multa que afferri hùc possent à Mosis libris esse deprompta, ille solus non cernit, qui nunquàm sacras Litteras legit. Sumpta enim sunt à terræ inanitate et vacuitate, de quâ Moses initio Geneseos; ab historiâ formationis hominis, et longevæ patriarcharum vitæ, de quibus ipse dicit primis Geneseos capitibus; ab historiâ trium angelorum visorum Abrahamo, *Gen.* 18, et duorum qui cæcârunt Sodomitas, atque urbes funditùs everterunt, *Gen.* 19; à somnio Ægyptii magistri pistorum, quod interpretatus est Josephus, extremum illius supplicium significante *Gen.* 40; à lapsu Evæ; à turris Babelicæ ædificatione; à Decalogi legibus vetantibus ullam Dei imaginem fieri, *Exod.* 20; à mandato Mosi facto ex rubo ardente, ad quem, vocante Deo, nonnisi nudis pedibus permissus est accedere, *Exod.* 3; à ritibus et cæremoniis in Levitico præscriptis, et concessu sacerdotibus dato comedendarum quarumdam victimæ partium. Nempe istiusmodi præcepta, et sententias ex sacris Libris haustas poetæ et philosophi in sua scripta transtulerunt, quæ nunquàm in ethnicorum mentem venissent, nisi penes Judaicum populum tum exstitissent illæ Scripturæ, in quarum antiquitate ostendendâ operam ponimus.

Quæ de Mosis libris dicta sunt, pari fermè ratione per cæteros veterum Scripturarum libros transferantur, Josue, Judicum, Regum, Psalmorum, Prophetarum. Etenim Socrate Plato, Platone Aristoteles magistro usus est, quorum nomina temporibus Philippi et Alexandri Macedonum propter philosophicam doctrinam sunt commendata, quando Esdras et synagoga magna canonem sacrorum librorum jam ediderant. Et quanquàm ante Socratem physici aliqui exstiterint, quùm tamen omnes Thaletem consecuti sint, palam est Cyro Persarum rege esse posteriores. Atqui Cyrum multis annis post abductos Babylonem Judæos imperâsse, non est qui ignoret, quando Prophetæ apud Hebræos fermè desierant, et Hierosolyma, regum Judaicorum sedes, conciderat. Imò verò quùm nihil accuratè à Græcis, quin potiùs ab ethnicis ante olympiadum originem scriptum sit, ut testatur Varro; olympiadum autem initium ducendum sit paulò ante quàm Isaias vaticinia ediderit, anno scilicet mundi 3228, qui multo ante Babylonicam captivitatem vaticinatus est, sequitur maximam jam Scripturæ partem vulgatam fuisse, quùm ethnici litteris doctrinam suam prodiderunt. Sed, ne diutiùs hanc rem persequamur, omnes prophetarum libri, atque agiographi solutâ Babylonicâ captivitate, imperante Persis Artaxerxe Longimano, uno volumine compacti sunt : Ptolomæo verò Philadelpho Ægyptium regnum obtinente versi

sunt in græcum sermonem. Maximum sanè istud est antiquitati sacrorum Librorum argumentum.

De antiquitate hactenùs : nunc de veritate rerum quas sacræ Scripturæ continent dicamus. Non potest equidem testis ullus Mosi æqualis produci, qui eadem retulerit; parem verò prophetis invenire, est difficillimum propter eorum antiquitatem. At quod unum esse potest argumentum ad hanc rem accommodatum, illorum testimonia satis esse debent, qui licèt dissitis et temporibus, et locis scripserint, eadem tamen ac Moses et prophetæ scripserunt. Et quandoquidem quæstio singillatim efferbuit de Mosis historiâ quam si veram esse semel probemus, omnis etiam de reliquis libris sublata falsitatis suspicio est, qui necessariam quamdam cum Mosis historiâ conjunctionem habent; idcircò ad Mosis historiam revertamur. Diximus supra Phœnicios, Ægyptios, Chaldæos, Græcos scriptores de diluvio, de arcâ Noe, de profectione Hebræorum in Ægyptum, de migratione in Arabiæ solitudines, atque in Judæam, de legislatione esse eadem ac Mosen locutos, quanquàm narrationes suas fabulis resperserint. Iis nunc addamus unum testimonium quod multorum testificationes complectatur.

Alexander Polyhistor, quo supra usi sumus, ita appellatus, quòd multarum gentium historias scripserit, multa adeò collegit cum Mosis narratione consentanea, ut ne minimùm quidem ei discrepare videatur. Quæ à vetustioribus auctoribus acceperat, diligenter est prosecutus et commentariis suis complexus. Ex Beroso diluvium describit; arcæ Noe in Armenios montes delationem, atque aves ad explorandam aquæ altitudinem ex arcâ emissas; quam rem et Abydenus in Assyriacis et Medis narraverat. Ex Eupolemo, Artabano, Cleodemo, Demetrio et Theodoto turris Babelicæ ædificationem ; Abrahami profectionem ex Ur Chaldæorum in Phœniciam, è Phœniciâ in Ægyptum, quò fames compulit : Pharaonis amorem adversùs Saram : Abrahami victoriam de Lothi hostibus reportatam ; oblata ei à Melchisedecho dona ; filios ex ancillâ, atque ex liberâ susceptos ; ex liberâ Isaacum, quem risum nominat, ut vox hebraica *Itzchak* sonat ; incœptum Isaaci, non perfectum sacrificium ; alios ex Ceturâ genitos liberos ; tùm accuratam Jacobi et nepotum ejus historiam ad Mosen usque atque Aaronem producit. De Jacobo verò præcipuè scribit migrationem et Mesopotamiam ad Labanem ; duplex ibi cum Rachele et Liâ conjugium ; undecim marium liberorum et feminæ unius procreationem ; reditum ad suos ; Dinæ stuprum ; Sichemi et Sichemitarum cladem à Simeone, et Levi illatam. Si Mosen igitur mendacii reprehendimus, Alexander quoque Polyhistor, et cæteri, à quibus ille sumpsit, quæ scriberet, accusandi pariter sunt ; jamque nihil erit in veteribus historiis dignum fide, nihil quod non dici possit delirium hominum comminiscentium , quæ profectò sine intolerabili arrogantiâ et veterum injuriâ nemo dixerit.

De reliquorum librorum veritate, præter Mosaicos, si quæstio oriretur, ea definiri optimè posset Aristææ commentario de Judæis (cujuscumque demùm scriptoris commentarius sit), qui et de Jobo non pauca memorat : Eupolemi testimonio, qui judaicæ gentis antiquitatem commendans de Davide, Salomone et Jeremiâ multa memoriæ tradidit ; Apollodori scriptis eadem de Antiocho Epiphane quæ in Machabæorum libris narrantis. Nec quæ missa dicitur ad Eleazarum magnum Judæorum sacerdotem legatio Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum regis viros hebraicis, et græcis litteris instructos accersentis, qui Libros sacros sibi interpretarentur, inepto argumento est insignia quædam quæ communem fidem haberent de Judæis, evulgata jam pridem ad exteras nationes fuisse. His verò omnibus externis testibus, atque Hebraici populi inimicis, Judaicas res affirmantibus fidem non adjungere aut dementis est, aut datâ operâ et mentis perversitate repugnantis. Si enim de ullâ aliâ historiâ, aut de natione alterâ, non modò paria, sed vel minora etiam et pauciora testimonia proferrentur, nemo prudens fictionis aut erroris accusaret, nisi gravissimis rationibus fretus quæ contrarium persuaderent. Cur igitur in re tantùm nostrâ hæc non valebunt, quæ in simili causâ multùm valerent? Equidem ethnici scriptores neque de Judaicæ religionis veritate, neque de divinâ revelatione testantur : verùm stultum est ab ethnicis postulare ut religionem probent, quam oderunt. De historiâ res est, quùm aliena testimonia petuntur, de quâ scitè Josephus contra Appionem disputans scripserat, *veracis historiæ signum esse, quùm eadem et dicunt et scribunt.*

Externa deinde hæc testimonia si cum domesticis et causæ insitis argumentis conjungantur, evidentius erit res ita accidisse quemadmodùm in sacris Libris describuntur. Verax utique ea historia est quam veram crediderunt tum qui eâ ætate vivebant quâ narratur quidpiam contigisse, tum qui eam ætatem sunt consecuti ; sed de rebus quæ sacris Litteris continentur, ea semper fuit Hebræorum persuasio. Quis enim crederet populum à durâ quidem servitute ereptum, sed in magnas difficultates, angustias, pericula sæpè conjectum, errantem, devium, ab omnibus finitimis populis capitali odio habitum, omni aliorum societate tam in sacris quàm profanis rebus interdictum, unius hominis verba fuisse excepturum, subjecturum se gravissimæ legi, quæ in suammet utilitatem lata certè non videbatur, tantâ animi constantiâ instituta sibi tradita secuturum, nisi ea omnia quæ de divinis legibus, de auctoritate à Deo Mosi factâ, de miraculis naturæ vires excedentibus scripta sunt, vera esse censuisset, nisi planè sub oculos cecidissent? Mosis namque temporibus Hebræos legem suscepisse, certam fidem facit ipsa narratio plana, et undequaque sibi consentiens, ut nemini dubium oriri possit eam esse ad arbitrium consarcinatam.

Quis autem arbitrio atque ingenio Mosis confictam esse historiam, et totam Hebræorum legem suspicetur, aut in animum inducat suum? Vetustissimus siquidem auctor, doli et fraudis artifex, vel Hebraicæ nationis amicitiam coluisset, vel fuisset ejus generis

hominibus infensus; si primum cur nationem sibi conjunctam amicitiâ dedecorâsset adeò atque opprobrâsset narratione incredulitatis, inconstantiæ, defectionis à legis observantiâ, idololatriæ et nefandorum scelerum vel de insignibus viris quos velut heroas exhibebat? Cur falsos quosdam Prophetas ad populum decipiendum induxisset veluti in scenam, qui populo eorum voces audienti et prosequenti honore æternam infamiam peperissent? Cur sanctos Prophetas quos à Deo missos esse scribebat, rejectos, affectos injuriis, enecatos ab eodem duro et crudeli populo affirmâsset? Si alterum, cur inimicum sibi populum summis adeò laudibus extulit, ut honores ei tribuerit amplissimos, eumque à vero Deo electum, omnibus aliis nationibus præpositum apertè demonstraverit? Nihil dico de Ægyptiis, Chananæis et reliquis promissam terram antea incolentibus populis, de Assyriis, Tyriis, Sidoniis, Chaldæis, aliisque qui omnes infamiâ in sacris Libris notantur, Itane audacem atque imprudentem quemdam scriptorem cogitatione fingemus, qui invidiam atque odium omnium ferè nationum gratis in se, atque in Hebraicum populum concitare voluerit, à quibus falsitatis et mendacii convinci facilè potuisset? Fieri igitur nequit libros Mosis et Prophetarum esse fabulosos.

Huic argumento et alterum accedit : historicum sapientem, acutum, præstantis animi prudentiâ et consilio cumulatum, cujusmodi à profanis etiam scriptoribus Moses prædicatur, nihil tum scribere nisi certum, constans et ab omni falsitatis notâ alienum, quùm propter eos scribit rerum præsentium testes, quorum etiam maximè interesset omnium actorum memoriam aboleri atque extingui. Moses autem libros suos composuit, uti et Prophetæ cæteri, pro hebraico populo rerum litteris traditarum teste, cujus admodùm intererat multa silentio premi. Vera igitur scripserunt et notissima populo, æquè ac certissima. Quùm enim Moses Israelitas ab Ægypti captivitate solutos in libertatem asseruisset, et dedisset leges componendis moribus, eorum historiam contexere aggressus est iis coram testibus qui adfuerant, sexcentis videlicet hominum millibus, qui ipsius non solùm verba audierant, sed omnes animi motus inspexerant; metuere igitur meritò debuisset, ne si quid fortè minùs verum scriberet, reprehenderent se Israelitæ, quorum famæ et nomini multùm historia sua detrahebat, ingenio autem et propensioni contraria multa inseruerat.

Item populus duræ cervicis, ingratus, inconstans, sensuum illecebris irretitus spontè ac voluntariò, se legi non subjicit gravi atque intolerabili, nisi veritate et summâ quâdam potestate adductus, cui repugnari nequeat. At hebraicum populum corporeis sensibus abduci atque abripi solitum plusquàm ratione regi, facillimùm in transversum agi, ingrati animi vitio affectum novimus; legem tamen amplexus est gravissimam et vix ulli ferendam; veritatem igitur illam in præceptis atque in legislatore potestatem agnovit, cui resisti non poterat. Verùm quomodò hæc cohæreant sine totius historiæ ac miraculorum quæ narrantur veritate? Neque sanè Judæorum leges legum aliarum quas quisque sanxerit, similes sunt; neque populum valdè recreant iis adstrictum, sed jugum immane imponunt, servis duntaxat, et mancipiis perferendum. Nec verò ausus unquàm fuisset Moses tam fidenti constantique animo aut infidelitatem et turpissima facinora objicere, quæ objiciebat; aut ea populo mala denuntiare et portendere quæ denuntiavit, nisi omnia essent verissima, atque omnes persuasum exploratumque reipsâ habuissent divinam voluntatem Mosi esse declaratam. Hæc non solùm Mosis historiam, sed Prophetarum etiam scripta vera esse demonstrant.

Neque intelligi posse puto, quâ tandem ratione vel astutus, fallax, malitiosus, callidus veterator, vafer toti nationi et multis hominum millibus persuadeat, se librum composuisse atque edidisse legum in monte à Domino acceptarum, atque administrandæ reipublicæ, nisi reipsà testem populum haberet. Difficiliùs etiam fieri posse mecum ipse cogito ut populus in audax adeò facinus atque impudens mendacium consentiat sibi grave et damnosum, quod esset potiùs indignatione repellendum. Difficillimum denique post tot seculorum lapsum à nemine detectum dolum et fraudem fuisse. Verùm tria hæc, et multò etiam plura intelligi facilè debent et probari, si incredulos audiamus. Porrò quùm regni Israelitici initium fecit Jeroboamus, avocatis à domo et familiâ David decem tribubus atque adeò divulsis, ejus regis intererat omni ope contendere ut aliqua detegendæ fraudis via inveniretur. Sacerdotes pariter quos elegerat, quùm ex tribu Levi non essent, ut Mosis lege præcipiebatur, et ipsi rem suam egissent, si suspicionem aliquam falsitatis sacrorum Librorum aut corruptionis injicere in animos perduellis populi potuissent; atqui neque Jeroboam, neque inepti ii sacerdotes aggressi sunt unquàm Mosis legem atque historiam insimulare : persuasum nempe adeò omnibus erat vera esse, quæ in quinque Mosis libris continebantur. Postquàm verò decem illæ tribus abductæ sunt ad Assyrios, misit Assyrius rex novum populum, qui regionem illam incoleret, Samaritanum appellatum. Hebræis verò ista eò deducta recens colonia mox interitum atque excidium machinata principio est, populumque Judaicum eo semper odio est detestata, quo nullum unquàm gravius inter inimicissimos exarsit : attamen vel tùm Mosis libros novus iste populus ut sinceros, ut sacros recepit. Jam diutissimè ergo Mosis libris vindicatum est jus, quo plena sibi fides debeatur. Quamobrem arrogantiùs, quæ verissimâ propagata fuerunt memoriâ, fabularum similia existimantur.

Mitto plura dicere de styli simplicitate, de doctrinæ consensione, de summâ animi sinceritate, quâ neque Hebræos fallere, neque Ægyptiis detrahere Moses potuisset. De se enim atque Hebræis sincerè loquitur, neque iis assentatur neque blanditur, ut bona, ita et mala sincerâ fide commemorat; quam certè fidem ejus scripta præ se ferunt, et summam produnt integritatem. Quapropter in Mose eas animi dotes

deprehendimus, quæ omnem ab eo falsitatis et mendacii suspicionem removent, ejusque historiæ certam fidem conciliant. Profectò si de quo dubitari jure quodam posse videretur, in quo et in suspicionem veniret Moses plus sibi arrogâsse quàm perficere valeret, esset planè Geneseos liber, in quo mundi exordium et primorum hominum facta narranda suscepit. Atverò neque istum carere eâ laude veritatis, cœteris libris justè tributâ, quàm multa sunt quæ persuadeant. Veritas compulit Mosen narrare deceptos serpentis blanditiis protoparentes; quæ sanè res neque ad historiæ suæ, neque ad Israelitarum dignitatem quidquam conferebat. Una veritas in causâ fuit, cur initium mundi, suaque tempora angusto bis mille quingentorum circiter annorum spatio concluderet, paucas hominum generationes ad Noe usque numeraret, patriarcharum vitam ad longos adeò annos produceret, universale diluvium, ejusque causas diligenter describeret.

Profuisset potiùs acuto et callido historico ad arbitrium scribenti, mundum à centum annorum millibus conditum exaggerare, ut inextricabili generationum serie, et ignoratione rerum quæ primùm accidissent, se suamque doctrinam tueretur. Cavisset porrò omne periculum, ne quis se erroris ac mendacii argueret; de quo tamen argui nullo negotio potuisset, dum mundi originem altiùs ac remotiùs non repetebat, quàm quæ paucis generationibus contineretur. Neque enim memoriam patriarcharum, aut primæ rerum creatarum originis diluvium omninò aboleverat. Noe trecentos quinquaginta annos post diluvium vixit, Genes., cap. 9, v. 28. Ante diluvium atque ingressum in arcam vixerat sexcentos, Genes., cap. 7, v. 6. Usus autem erat longâ consuetudine avi sui, Mathusalâ annos agente nongentos sexaginta novem, cùm vitâ excessit, qui primum hominem noverat. Rursùs Sem filius Noe nonaginta et octo annorum erat tempore diluvii, atque annos sexcentos vixit, Genes., cap. 11, v. 10 et 11. Heber tertius à Semo propè quingentos ver. 17, quorum uterque non Abrahamo solùm, sed et Isaaco cognitus fuit: atqui Levi Jacobi filius, à quo parùm aberat Moses cùm scripsit, Isaacum viderat. Quamobrem Moses rem traditione constantem in scripta retulit, quam fieri non potest, quin Israelitæ commoti curiositate quâdam et cupiditate sciendi priora tempora, à Jacobi filiis et nepotibus didicissent. Quis enim Israelitarum neglexisset percunctari patres suos, ad quos à Semo, Camo et Japheto, filiis Noe, rerum antidiluvianarum scientia transmitti facilè potuit, à quibus paucorum hominum erant ætate disjuncti? Fallaciam ergo, fraudemque, si quam admisisset scribendo Moses, Israelitæ cognovissent; neque fuissent passi se ab eo illudi, et gravissimis legibus opprimi.

Unum addo in Geneseos historiâ gravissimum, quod ad alteram proximè sequentem quæstionem viam parat; præsentem autem etiam atque etiam confirmat. Geneseos, cap. 49, tres Jacobi filii natu majores Ruben, Simeon, et Levi primogenitorum jure privantur, qui et in probro videntur esse; dum et sibi et filiis à se progenitis jus quoddam suum amittunt: illud verò in Judam collatum est, cui vers. 8, dicitur: *Juda, laudabunt te fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.* Quæro jam: quis credat à deceptoris cujusdam scriptiunculâ non tres duntaxat filios, sed tribus tres tantâ injuriâ affectas, cujusmodi ea est depulsionis ab jure primogenitis acquisito? At nulla orta perturbatio est, nulla seditio excitata, nullum succensum civile bellum: quâ in re divinam auctoritatem agnosci fas est toti nationi imperantem. Tribus Juda promissionis sibi factæ exspectationem patienter sustinet, usque dum tempus à Deo præfinitum advenerit. Jubet eam Moses præire populo, totumque agmen in deserto ducere: obsequitur. Ingrediendum est in terram Chanaan, subjicit se imperio Josue ex tribu Ephraim; neque se generis dignitate cæteris antecellere arrogantiùs jactat: pugnandum est; Dei judicio definitur primam tribum Juda ante omnes ascendere, Judic., cap. 1, v. 2. Inter Judices deinde vix unus aut alter ex Judâ originem traxerat. Samuel, qui multos annos Judaicam rempublicam administravit, erat ex Ephraimitis. Saül, regum primus, ex filiis Benjamin, adeò ut ad Saülis usque tempora non intelligeretur, in quo Judas cæteris fratribus emineret: cùm autem David thronum conscendit, cœpit Judæ dignitas elucescere.

Quo igitur tempore, incredulos urgeo, Geneseos librum scriptum dicent? aut à quo fabuloso homine, qui Jacobum futura filiis suis prædicentem induxerit? An paulò antequàm regnum David obtineret? An Davide, aut ejus posteris regnantibus? Verùm ante Davidis tempora à morte Mosis non dicam Saül, cu sceptrum non erat à Jacobo promissum; sed neque Judices, neque reipublicæ administratores, neque populus ipse passus fuisset ea scribi, quæ seditionum bellorumque civilium semina excitare potuissent. Regnante Davide, tribus reliquæ vaticinii novitatem refutâssent: posteà verò multò magis reges Israël, qui à Juda defecerant. Samaritani autem decem Israelis tribubus succedentes, à quibus Mosis libros acceperant, constanter Jacobi vaticinium in Pentateucho retinuerunt. Hæc igitur, atque horum similia cùm animo cernimus, possumusne dubitare quin antiquissimi Scripturarum libri sint, eosque auctor testis veritatis conscripserit?

Prolixiùs hæc à me disputata sunt: sed cùm rei gravitas et magnitudo hùc protraxit, tum id commodi ex longiore hâc tractatione refertur, quòd non solùm huic quam habemus præ manibus, verùm et aliis expediendis causis hinc peti argumenta poterunt.

ARTICULUS III.

Appendicula de novi Testamenti libris.

Jam de novi Testamenti libris, priusquàm finis quæstioni imponatur, dicenda quædam sunt; sed res paucis absolvitur. Antiquos esse libros istos, ab Apostolis scilicet, vel saltem Apostolorum temporibus editos quis neget? Quæ enim docuerunt Evangelii

prædicatione, eadem, et si non omnia, scripto reliquêre. Vera autem esse quæ in novi Fœderis libris reperiuntur, faciliùs efficitur scriptorum testimoniis, qui eâ ætate vixerunt, aut propiùs abfuerunt. Pauca commemoro. Joannem cognomento Baptistam adhortatum fuisse Judæos ad virtutem et pietatem; lavacrum ad peccatorum expiationem adhibuisse; multos ad se traxisse testatur Josephus uterque, cùm Matthiæ, tum Gerionis filius. Iisdem temporibus virum quemdam nomine *Jesum* vixisse, ne hostes quidem christiani nominis infensissimi negant : oppidulo terræ Judææ, scilicet Bethlehemi natum, tabulæ censuales Romanorum probant, in quibus descripta erat professio quam in Augusti censu Josephus et Maria Jesu mater ediderunt : ad eas enim Justinus martyr, apologiâ secundâ, Tertullianus contra Marcionem provocabant, non provocaturi procul dubio fidenter adeò, nisi probè exploratum haberent in tabulis ita contineri, easque asservari. Edicti autem Cæsaris de censu totius Imperii Romani Tacitus, Suetonius et Dio meminerunt. Pauperculâ matre natum esse fabri uxore, in Ægyptum deductum Celsus fatetur; unde et impiè et inscitissimè calumniatus est legislatorem Christianorum in Ægypto magiam didicisse. Jesu nato sidus novum apparuisse, et venisse ad Jesum magos, Julianus assentitur, quamlibet in naturales causas stellæ ortum conferat. Infantum cædem Herodis jussu factam, memorabile Augusti dictum confirmat à Macrobio in Saturnalib., lib. 2, cap. 4, relatum : *Cùm audisset* (Augustus uti rumor pertulerat) *inter pueros quos in Syria Herodes rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait : Melius est Herodis porcum esse quàm filium.*

Prophetam fuisse Jesum, et futura ab ipso cognita atque prædicta, tradidit in Chronicis Phlegon, Adriani Augusti libertus. Insignia edita prodigia Hebræi in Thalmude, Celsus et Julianus apud Origenem et Cyrillum agnoverunt. Verùm incantamentis atque præstigiis, et nominis tetragrammati pronuntiandi ratione malis artibus perceptâ fieri ea potuisse prodigia, insulsè tradunt. Profligatos et coercitos Jesu potestate dæmonas Porphyrius queritur. Jesum cruci fuisse suffixum et Hebræi, qui per ludibrium Christianos בני תלוי *filios suspensi* dicunt, et Græci scriptores, et Latini testantur; ac Tacitus præsertim, qui sub Tiberii imperio à Pontio Pilato procuratore supplicio affectum dixit. Solis defectionem et terræ motum, quæ contigerunt Christo moriente, Phlegon describit in libro Olympicorum Chronicorum 13; refert et Thallus, libro historiarum 3, ut notat Africanus, ipsamque esse defectionem solis quam Evangelistæ commemorant, et annus, et dies, et hora, et ingens terræ motus à Phlegonte notata demonstrant : *Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis*, inquit, *magna et excellens inter omnes quæ ante eam acciderunt defectio solis facta; dies, horâ sextâ, ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bythiniâ Nicææ urbis multa subverterit.* Denique Jacobi fratris domini interitum Hegesyppus in litteras retulit : Josephus verò eumdem Jacobi casum, atque Anani pontificis crudelitatem ita insignibus verbis est prosecutus, ut irreparabile Hierosolymæ excidium à Tito et Vespasiano illatum ei peccato assignârit. His, si generalia principia atque insita evangelicis historiis argumenta quæ ad veteris Testamenti veritatem confirmandam allata sunt, adjungamus, nihil erit amplius quod desideretur ad pleniorem demonstrationem veritatis, quæ in novi Testamenti libris emicat.

§ 1. *Refelluntur argumenta, quibus increduli superiora oppugnant.*

Contra primum ex duobus quæ proposuimus, opponitur. Scriptorum omnium consensione, et testimoniis comprobatum est sapientiam omnem ab Ægyptiis profluxisse : Ægyptiorum igitur de politicis, de divinis rebus, de vivendi ratione primùm scripta ad reliquos populos transmissa sunt, quod cum nostrâ doctrinâ non convenit. Etiamsi verò Hebræorum libri vetustissimis temporibus exstitissent, ineptum ei antiquitati probandæ argumentum esse à Phœnicum, Babyloniorum, Græcorum, poetarum, philosophorum sententiis petitum, quas arbitramur à Mosaicis, à Propheticis libris esse depromptas. Quis ignorat Hebræos omni aliarum gentium societate interdictos, si quos libros habuissent, summo studio celâsse, neque cum gente falsorum deorum cultrice communicâsse quidpiam? Non potuerunt ergo veteres poetæ, philosophi, quæ scripserunt, ab Hebræorum libris desumere.

R. Ægyptiorum sapientiam quam scriptores prædicant ad nationes reliquas derivatam, à nobis etiam commendari. Nam et Moses à sancto Stephano, Actor. cap. 7, v. 22, eruditus dicitur omni sapientiâ Ægyptiorum, apud quos educatus est diligenter. Verùm ea Ægyptiorum sapientia arithmeticæ, astronomiæ, geometriæ, musicæ, arcanæ philosophiæ cognitio erat, atque ea hieroglyphicis præsertim litteris continebatur. Quid autem hæ naturales scientiæ, quas et loci natura, et necessitas Ægyptios adipisci compulerat (nam geometriâ, exempli gratiâ, carere non poterant ad inveniendos figendosque agrorum terminos annuâ Nili exundatione, atque eluvione turbatos, ac submotos) commune habent cum legibus atque historiâ Mosis? Ergone primi omnium scriptarum legum auctores Ægyptii sunt, qui Mosen præcesserunt? Ægyptiine primi, quid suis aut prioribus temporibus acciderit, scripto consignârunt? Quòd si fuerunt, proferantur antiquiores illi sapientiæ studiosi, qui de religione, de moribus, de rebus publicis administrandis scripserunt. Nam de libris agitur, quorum memoria exstet, qui Mosis ætatem antecesserint. At primùm fuisse Mosen, qui persuaserit, ut scriptis legibus populi uterentur, non scriptor ex Hebraico, multòque minùs ex christiano populo, sed Diodorus Siculus affirmavit.

Præterea : ergone quia Græci in Ægyptum studiorum causâ commigrantes, inde scientiis instructi revertebantur, Ægyptios et naturalium et divinarum quoque scientiarum parentes esse putandum est? Orpheus utique, ut sacris et deorum mysteriis initia-

retur, reconditasque Ægyptiorum disciplinas hauriret, se Ægyptum adiisse prædicat in *Argonautis*. Thaletem Milesium pariter condiscendæ philosophiæ causâ eò profectum, veteres memoriæ prodiderunt. Plato quoque fatetur quæcumque à Græcis de rebus divinis disputata sunt ex scholis Ægyptiorum sumpsisse. Musæum, Homerum, Solonem, Pherecydem, Pythagoram, Lycurgum, Anaxagoram, Democritum, Eudoxum, Achimedem, aliosque in Ægyptum philosophandi causâ se contulisse, narrant Diodorus, Proclus, Jamblicus et Plutarchus. Verùm seriùs isti omnes se traduxerunt in Ægyptum magnâ doctrinæ et sapientiæ laude florentem, quando jamdudùm Ægyptii totam hebraicam doctrinam expresserant, et divinam patriarcharum philosophiam deturpârant.

Ægyptios rudes antea, atque incultos Abraham religionis doctor et artium præclarissimarum magister erudivit, eosque astrologiam edocuit, quam ex oriente detulerat. Illum cum Phœniciis non solùm, sed et cum Ægyptiis astrologiam, aliasque doctrinas liberaliter communicàsse, testatur, non dicam Josephus, lib. 1, Antiq., cap. 7 et 8; sed et Eupolemus apud Alexandrum Polyhistorem, et Artabanus, quos profert Eusebius, Præparat. Evang., lib. 9, cap. 17 et 18: *Hunc repertorem fuisse et scientiæ sideralis, et disciplinæ insuper Chaldaicæ*. Ita Eusebius. Joseph verò Jacobi filius, qui longos annos Ægypto præfuit, quàm utilia præcepta et ipse toti genti dedit! Maximis illum honoribus auxit Pharao, ut suos proceres edoceret, et senatoribus regni sapientiam monstraret: *Constituit eum dominum domûs suæ, et principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret*, inquit David, Psal. 104, v. 21 et 22, cujus præstans ingenium Justinus historicus romanus commendat in Trogi Pompei epitome, quam dedit. Jacobum prætereo silentio, cujus sermone vel Pharao delectabatur. Erat autem et divinarum rerum, et naturalis philosophiæ peritissimus: ingentem namque pecudum copiam, et divitias maximas naturali artificio excitandæ ovium phantasiæ brevi tempore apud Labanum socerum acquisierat: quare Ægyptios ad humanam sapientiam et varias scientias illâ jam ætate confirmatas et ipse expoliverit.

Quid verò dicemus de Mose, viro divinâ sapientiâ multò ornatissimo, qui inter Ægyptios diù versatus non potuit, quin in familiari sermone et colloquiis sapientiam quâ plenus erat, effunderet? Cùm autem is Ægypto tantâ omnium admiratione tantisque miraculis se eripuerit, atque in deserto legem tulerit populo, quomodò præ cæteris se non adhibuerint Ægyptii, ut aut librum legis haberent, aut saltem perspectas Hebraici populi leges? Nam et priùs, cùm in Ægypto degeret, *fuit Moses vir magnus valdè in terrâ Ægypti coram servis Pharaonis et omni populo:* Exod., cap. 11, v. 3, et propter illustriora ejus facinora *factum est ut quasi Deus ab Ægyptiis coleretur*, ut scribit Eupolemus apud Eusebium memorato loco. Itaque scientiarum omnium auctores non fuerunt Egyptii, sed naturalium gloriam, et copiam Hebræis debent: divinam autem philosophiam partim ex Hebræorum sermonibus, partim ex libris Mosaicis exceperunt: sed cùm idololatria hæreret ossibus, totam hanc fœdârunt, detorserunt, et resperserunt fabulis, atque ita Ægyptiaco ornatu vestitam Græcis fabularum desiderio pariter flagrantibus tradiderunt, qui cùm in Ægyptum tanquàm ad mercaturam bonarum artium proficiscerentur, Ægyptum earum parentem et altricem non immeritò prædicabant.

Argumentum deinde quod à poetarum et philosophorum doctrinâ Mosaicam referente petivimus, magnam certè vim habet ad id efficiendum quod sumpsimus. Etsi enim Hebraicus populus ex instituto celaret mysteria legis suæ gentes, quæ diversâ religione utebantur; ad eas tamen pervenire facilè potuit sacrorum Librorum cognitio. Non disputo de Alexandri magni temporibus, Persico imperio deleto: nam res clarior est quam ut demonstrationis egeat. Alexander enim magnus splendidissimo apparatu est in Hierosolymitanum templum admissus, ibique de lege et cæremoniis edoctus: tum inter Græcos et Hebræos magnus usus intercessit, facientibus etiam Hebræis in Alexandri exercitu stipendia. Post Alexandri mortem Ptolomæus Lagi filius, cui Ægyptus obtigerat, magnum Judæorum numerum Hierosolymâ in Ægyptum traduxit. Deinde sub Ptolomæo Philadelpho in Græcam linguam sacri libri translati sunt à septuaginta Interpretibus: quamobrem nullo negotio intelligitur ex usu, commercio, convictu Hebræorum cum Græcis et legem et historiam mosaicam Græcis patuisse.

Ante Alexandri magni tempora igitur videri posset ignotos ethnicis fuisse Hebræorum libros; sed et tum abducti jam fuerant in captivitatem à Babyloniis Judæi; Israeliticæ verò tribus ab Assyriis; unde et missus est in Samariam sacerdos, qui Cuthæos novos incolas in locum deportatorum eò deductos legem Mosis doceret ad compescendam cædem, ultionem scilicet divinam in Samaritas sævientem propter spretam veri Dei religionem, lib. 4 Reg., cap. 17, v. 25. Unà etiam cùm Judaicis reliquiis quæ Hierosolymis remanserant, se quoque in Ægyptum abreptum Jeremias propheta narrat. Quidni igitur sacri Libri, quantùmcumque celare eos voluissent Judæi, in aliarum gentium notitiam et potestatem venerint? Quò verò magis superiora tempora repetimus, difficilius non fuisse intelligimus Tyriis, Sydoniis, Ægyptiis, Phœnicibus, Chananæis, Palæstinis aut propter vicinitatem, aut propter initas sæpè cum Hebraico populo amicitias, vel lege vetante, sacros Hebræorum libros aut doctrinam saltem hebraicam assequi. Salomon reginam Saba, sapientiæ suæ famâ, ad se traxerat, ex variis nationibus uxores sibi conjunxerat, quæ mores Judæorum et religionem corruperunt. Numeravit et proselytos, qui erant in terrâ Israel, centum quinquaginta tria millia, et sexcentos, Paralip. 1 lib. 2, cap. 2, v. 17: quibus certè quoddam Mosaicæ legis lumen affulserat, antequàm ad Hebræorum religionem se adjungerent. Priùs verò quàm respublica judaica à regibus administraretur, sæpè à Chananæis, ab Amalecitis, à Moabitis, à Palæstinis profligati sunt, et in

servitutem redacti. In primo ingressu denique in terram promissam incolumes servârunt Gabaonitas, Jebusæos, aliosque Palæstinæ populos, qui de ritibus, cæremoniis, religione Mosaicâ instrui potuerunt. Cùmque præterea tenerentur Judæi singuli exemplar legis describere, vel alienâ manu habere descriptum, quid dubitemus in tanto exemplarium numero asserere quædam in Phœnicum, Chaldæorum, Ægyptiorum manus incidisse, qui dederint Græcis, atque hos aut hebraicum exemplar legisse, aut ex aliorum interpretatione esse doctrinam hebraicam assecutos?

Præ cæteris autem illud teneatur quod veteres Patres gentilibus fidentiùs objiciebant, scilicet philosophorum principes in Ægyptum profectos scientiarum hauriendarum causâ, cum Hebræorum prophetis esse versatos à quibus doctrinam accceperunt; quod præsertim de Solone et Pythagorâ Euseb., l. 5 et 10, Præparat. Ev., notat, usus etiam Platone ad eam rem teste: inquit enim vir egregius tum magnam Hebræorum partem in Ægyptum rursùs habitatum venisse. Etenim Diodorus Siculus, lib. 1, scribit Psammethicum primum omnium Ægyptiorum regum, navigationibus exterorum securitatem præstitisse: *Nam rerum ante ipsum potiti inaccessam peregrinis Ægyptum faciebant, apulsos vel servitute, vel morte mulctantes.* Psammethicus autem in Ægypto regnavit, Manasse filio Ezechiæ Judaicum imperium tenente, sexaginta ferè annis antequàm Nabuchodonosor Hierosolymas subverteret. Cùm verò res Judæorum lapsuræ jam viderentur, multi in Ægyptum cœperunt secedere, ubi se tutos fore sperabant, quò se frequentiùs contulerunt post acceptam Hierosolymis cladem: ibi cum prophetis apud Ægyptios consuetudinem habuisse tum Græcos Philosophos scribit Eusebius: *Quo quidem tempore partim in Ægyptum, partim Babylonem Hebræos migrâsse liquet;* unde multa Judæorum instituta in suam transtulisse philosophiam probat: quod et olim Josephus, lib. 2 contra Appionem, Græcorum scriptorum testimonio confirmabat.

Opponitur iterùm veram non esse Mosis historiam; quod secundo loco ponebamus. Secutus est Moses Ægyptiorum consuetudinem, qui, ut fidem et auctoritatem doctrinis suis conciliarent, eas fingebant se à diis accepisse, quam rem et Diodorus Siculus notavit. Ita qui fabulas docent ad religionem accommodatas, Deum è cœlo delapsum cum hominibus, cum Heroe quodam colloquentem, tanquàm in scenam, inducunt. Quomodò ergo credamus vera esse quæ Mosis historiâ continentur? Quòd si ei habemus fidem, quid opponemus Cretensi Minoi, quid Numæ Romanorum legislatori, affirmantibus se à Jove, à deâ Ægeriâ leges habuisse, quas Cretensibus, quas Romanis darent? Cur ethnicis scriptoribus non assentiamur, dum referunt miracula quædam, supra naturæ vim, Jovis aut Veneris potestate accidisse? Accedit, conjungi hæc simul non posse, Deum singulari amore prosecutum Judæos, tot dilectionis suæ testimonia iis dedisse: Judæos verò contra Deo tam potenti, tam benevolo, tam patri, tam suo adeò fuisse injuriosos, ut ejus iram non semel duntaxat in se concitaverint, sed experti divinam ultionem, post pœnas iterùm et tertiùm datas, novis Deum injuriis provocârint, à se omninò depulerint, eidem deos alienos anteposuerint.

Resp. Gravissimo iterùm errore labi infideles, arbitratos ab Ægyptiis exemplum omne sumptum esse deorum heroas alloquentium. Contra est: cùm enim Abrahamo, Jacobo, Josepho, Mosi, eorumque majoribus voluntatem Dei exploratam esse intelligerent; ipsi deinde mentiendo finxerunt Deum cum suis quoque sermonem habuisse, ne accessum non habere ad deos viderentur, suæque stultitiæ patrocinium deesset: ex quo sequitur fabularum ipsos esse inventores, non Mosen, cui Deus, ut amico, consilia sua manifestavit. Sed rectà respondeatur. Diodorus Siculus equidem scripta Mosis retulit in fabulas; sed quid nos testimonium hominis commoveat, qui veri Dei religionem omnem abjecit? Non ignoramus pariter insignes ethnicorum legislatores persuadere conatos se ex familiari deorum consuetudine utilia quædam ab iis retulisse. Verùm quàm dispar est ratio Mosis et gentilium legislatorum! Quàm discrepat Mosis historia poetarum commentis! Mosis doctrina ad injiciendam in animos veri Dei cognitionem collineat, instillat pietatem, ad morum sanctimoniam, atque integritatem vitæ adducit, divinam quamdam majestatem et dignitatem spirat: nihil in eâ fœdum, nihil æquitatis, nihil justitiæ, nihil naturæ legibus contrarium deprehenditur: Ethnici verò legislatores quàm indigna Deo docuerunt, quàm indigna hominibus, atque perversa?

Ille miraculis confirmavit divinam esse legem; futura prædixit, quæ eventura provideri humano ingenio non poterant: contigerunt verò ut prænuntiaverat. Isti nec miraculorum vi quidquam persuaserunt; neque prospexerunt quæ venturis temporibus accidissent. Moses sexcenta hominum millia Ægypto eduxit, eosque testes habuit divisi maris, undarum muri instar constantium; tonitruum et fulgurum è monte erumpentium, quo ascenderat legem accepturus; columnæ nubis, atque ignis tuentis, et præmonstrantis iter; manna è cœlo labentis, et mirabilium cæterorum, quæ se audîsse atque vidisse, tam frequens populus nunquàm testatus fuisset, nisi percepisset oculis, atque auribus. Indoli præterea atque ingenio Judæorum non est assentatus; magicas omnes artes et dæmonum præstigia prohibuit; et vel pravam rerum turpium agendarum voluntatem lege suâ coercuit: contra qui leges dederunt ethnicis, clam et semotis arbitris se cum Deo collocutos, deorum familiaritate usos jactârunt; commoda populi arbitrio, ac libidini indulgentia scripserunt. Itaque impudenter omninò, et non nisi ab homine qui omnem religionis sensum amiserit, Mosis lex, et historia cum profani alterius scripto comparatur.

Alterum verò quod supra omnem fidem esse dicitur et repugnare de Dei erga populum benevolentiâ, beneficiis, charitate perpetuâ; populi verò repetitis sceleribus divinam iram multoties provocantibus, facillimè intelligitur et componitur, præsertim si Hebraici populi

perversam indolem consideremus. Cùm Ægypto egressi Judæi sunt, impuros jam Ægyptiorum mores animo imbiberant, depositâque verâ Dei religione, falsis diis cultum adhibuerant, Josue, cap. 24, v. 14; quâ de causâ et ipsos permiserat Deus ibi vehementer affligi. Inde visi quidem sunt ad Deum reverti; pœnitentiam tamen, luctum, clamorem ad Dominum non sanctitatis amor, aut honestatis vitæ expresserat; sed timor, et pœnæ gravitas extorserat. Vix soluti jugo promissionem Abrahæ repetentes animo persuasêre sibi Deum verba sua præstiturum, quidquid etiam mali egissent, nec passurum pollicitationes suas, propter populi peccata irritas abire, et perverti. Signa, portenta, miracula, quæ sæpè versabantur ob oculos, confirmabant potiùs in eâ animi perversitate, quàm removerent, vel si quâdam ratione parumper commovissent animum, minima tamen tentatio, minimum periculum omnem beneficii memoriam delebat. Adeò verum est, si altas radices vitium egerit, quanquàm exstirpatum esse videatur, non ad ultimas usque fibras evelli, sed facillime repullulare, ac rursùs erumpere! Miracula deinde in consuetudinem veluti abierant, vimque omnem concutiendi cordis amiserant: hinc factum est ut corruptos mores non exueret Hebraicus populus; imò verò scelera sceleribus cumularet, usque dum impatiens scelerum Deus populum flagellis non coercitum in ultimum excidium, atque interitum tradidit. Si vel paululùm religione afficiatur animus, et humani cordis propensiones intelligamus, quibus et fallimur sæpè, et rapimur, credibilia fient hæc omnia, quæ in sacris Scripturis narrantur.

Hanc Hebraicæ indolis imaginem nobis prophetæ referunt; populum exhibent blandientem sibi, et falsâ spe ductum, propter Abrahæ merita, Deum æquo animo sustenturum nepotes, et propter templum quod in medio populi collocaverat, ut Ezechiel cap. 33, v. 24, et Jeremias cap. 7, v. 4, exprobrant. Soli erant veri Dei cultores, sola natio, quæ Dei jussu sacrificia offerret; falsò propterea sperabant fore ut Deus, etsi temporariâ pœnâ plecteret, operam tamen suam ab Abrahæ filiis omnino non removeret. Commune id omnibus impiis est putare sacrificiis, lustrationibus, religionis exercitiis promereri sibi Deum et peccata exstinguere, manente adhuc cordis perversitate. Quamobrem prophetarum hæc vox erat neque sacrificiis, neque thure placatum iri Deum, nisi et à malo recederent, et bonum puro corde prosequerentur. Est demùm et hæc alia iniquitatis, et pertinacioris à Deo defectionis ratio, quæ ad Deum potiùs adducere debuisset: videbant scilicet se ab hostibus sæpè victos et profligatos, idque, quod à Deo datum erat, remedium in perniciem convertebant, et victoris idolis malebant litare quàm ad Deum reverti. Hæc de Achazo apertis verbis Scripturæ significant: *Dii regum Syriæ auxiliantur eis*, inquiebat scelestus ille, lib. 2 Paralip., cap. 28, v. 23, *quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi; cùm è contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel*. Similia fermè leguntur, Jeremiæ cap. 44, v. 16, 17, 18, ab omni populo dicta, qui, invito Deo, se in Ægyptum receperat. Hinc verò clariùs intelligitur sacros scriptores nil animo intendisse, nisi sinceram veritatis declarationem, quæ ab omni falsi suspicione abesset.

Urgent. Hâc argumentandi ratione tanquàm verum certò ponitur quod in Scripturis narratur; atque inde veras esse Scripturas efficitur. Atverò quod unquàm disputandi genus est id ipsum quod in disputatione est positum, firmum putare, ac si daretur ab eo quicum disputas?

Resp Et hanc incredulorum partem nos præoccupâsse cùm libros Mosis præ cæteris in disputatione positos probavimus frequentissimo populo tradi oportuisse; productis etiam profanorum scriptorum testationibus, qui de Mose legislatore, et Mosaicâ lege meminerunt. Scripta enim Mosis legem, ritus religionis, cæremonias, et publicæ administrationis formam complectuntur, unde antiquissimæ reipublicæ initium, atque originem ducimus: atverò libri id genus non eduntur fortuito, neque leguntur otii consumendi gratiâ, perinde ac si parùm referret, probenturne, an rejiciantur; sed summo studio ac diligentiâ perpenduntur. Postulant namque adhiberi in eorum lectione præparationem diligentem quies, tranquillitas populi, decus, et bonum publicum, quod inde proficiscitur: igitur diligenti omnium, ad quos pertinebat, (pertinebat autem ad universos.) consideratione perlegi debuerunt; cùmque omnium approbatio accesserit, etsi nulla utilis atque opportuna ratio videretur cur probarentur, fieri non potest quin niterentur veritate apertâ adeò et manifestâ ut nulla quæri negationi latebra posset.

Postremo loco aliâ aggrediuntur viâ increduli qui se physicæ et naturalis philosophiæ scientiâ instructiores esse quàm Moses putant. Vera sint, inquiunt, in Mosaicis libris, quæ de priscorum temporum historiâ, deque publicis rebus scripta sunt; certe Moses abutens stoliditate et stupore Israelitarum, quos rudes omnino, atque insulsos fecerat longa et sævissima captivitas, persuasit nimis credulos, et traxit quòcumque voluit. Multa porro effudit in rerum conditarum descriptione, ut visum est sibi historiæ naturalis imperito; sed à naturæ motibus certisque physicæ legibus totus aberravit. Quid enim esse potest totâ eâ narratione inscitius? Primò res omnes creatas in cœlum et terram divisit, quod perinde esset ac mare in oceanum, et guttam divideret. Nam si cum cœlorum immensitate terram compares, punctum est, quod vix habet magnitudinem. Deinde ex cœco indigestoque acervo lucem, firmamentum, aquas, aridam, solem, lunam, animantia, aliaque corpora exempta dixit, cùm terræ primas dedisset sine ordine et ratione, repugnantibus naturæ legibus. Tum de corporibus cœlestibus, quæ præstantissima longè sunt et mirabiliora opera, de stellis cùm errantibus, tum stantibus, quæ sunt totidem quasi soles, atque in maximam admirationem rapiunt, obiter tantùm scripsit, quantùm huic terræ globulo famulantur: idcircò formationi terræ quatuor totos dies assignat; conformationi verò lu-

minarium et stellarum, quasi telluris appendicum, unum diem tribuit. Nominat præterea ab initio operis *vespere et mane, et dies* vicissitudine tenebrarum et lucis dimensos, priusquàm solem exsistentem faciat, qui, ut luminis fons est, ita accessu suo et recessu, diem noctemque efficit. Hæc sunt, unde libros suos exorditur, quæ nemo probaverit, qui non sit hebetissimus, quales erant Hebræi.

Mundi verò interitu, de quo sermo est cap. 8 Geneseos nihil dici potest ineptius. Ait Moses totam terram quadraginta dierum spatio aquis coopertam esse altissimorum montium culmina quindecim cubitos superantibus. Verùm rationibus geometricis concluditur, si vel nubes omnes in imbrem solvantur, nunquàm fore ut aquæ plus quàm sesquipedem totius terræ superficiem tegant. Imò verò ex physicis præceptis habetur, si spissaretur totus aer terræ circumfusus, ac transiret in aquas, triginta et uno tantum pedibus aquas terræ planitiei innataturas : nam aeris columna cum totidem aquæ pedibus libratur. Si demum maria, flumina, fontes, lacus in terram refluant, nunquàm ad celsorum montium vertices pervenient. Quî igitur fieri potuit, ut Mosaico diluvio terra deleretur? Quò deinde confluxisse, seque recepisse putabimus tantam aquarum vim, quantâ mundus totus esset exstinctus? Addatur nullos esse imbres qui in montem sexcentis passibus altiorem delabantur; quoniam ex superiore aeris regione nullæ pluviæ decidunt, sed vapores concrescunt in glaciem. Unde ergo aquas deduxeris, quæ montes altissimos ad quatuor millia passuum contegant? Quamobrem, cùm naturæ et rationi contrarium sit diluvium, perperàm Mosaicorum librorum veritas assensione gentis Hebraicæ defenditur.

Antequàm argumento respondeo, in quod multa congesta sunt, illud breviter attingo quod de Hebræorum insulsitate docti isti exaggerant. Nam quòd Mosis imperitiam accusant, ineptissimi sunt, et stultitiam suam ipsi produnt. Moses ne imperitiæ reprehendatur, quem Plato νομοθέτον per excellentiam, Eupolemus τόν πρῶτον σόφον, Numenius σοφότατον, appellant? Qui apud Ægyptios in omnibus scientiis institutus ejus gentis doctioribus admirationi fuit? Qui, diviniore spiritu excitatus, aggressus est de mundi origine ejusque opifice ad populum scribere? Sed et impiè loquuntur, dum stolidum Hebraicum populum faciunt, ut Deum contemnant, qui abjectos et insipidos solummodò cultores habuerit. Dicerent contumacem, seditiosum, inconstantem, novarum rerum molitorem, voluptati deditum, asperum, rudem quoque divinarum rerum, ut corporeis imaginibus adumbrari divina opus esset, non repugnaremus; sed insulsum quis dicat? Homines ingeniosis, et scientiâ prœditis majoribus progenitos, puro ac salubri cœlo natos, optimis præceptis imbutos, qui crassos atque hebetes pepererit, nescio an uspiam acutos et solertes repererit.

Neque ingenium labefactavit, aut mentis vim restinxit Ægyptiaca captivitas, quæ corpus frangere quidem potuit, non animum obtundere; ob id etiam quòd et se brevi ereptum iri scirent, et non longos adeò annos tractati sint duriter. Etenim quo tempore Josephus Ægypto imperavit, (vixit autem totos annos septuaginta cum summâ potestate, postquàm patrem et fratres in Ægyptum ad se accivit) bonis omnibus affluentes summâ tranquillitate fruebantur. Mortuo autem Josepho, non protinùs deleta est tanti viri memoria, neque ipsi sub jugum missi; sed tum solùm cùm crescente nimis populo, novus Ægypti rex metuit ne res novas molirentur, in duram servitutem conjecti sunt, laboribus oppressi, et masculis infantibus privati, quos vixdùm natos occidi tyrannus jusserat, quod paulò ante Mosis nativitatem contigit. Sed et ex iis quæ in deserto acciderunt, argumentum capiatur, an inertes essent Israelitæ. Cùm egressi essent ex Ægypto variis artibus instructi ad ea quæ divinum cultum spectabant egregiam et mirificam operam contulerunt. Nempe in populo insignes erant cælatores in auro, argento, ære, lapidibus, lignis, vascularii gemmas in auro, argentoque scitè illigantes, suffitores, unguentarii, infectores, textilis picturæ scientes, fusoriæ, sutoriæ, coriariæ, phrygionicæ, fabrilis cujusque artis periti, omnis demùm generis artifices summi, qui in arcæ, tabernaculi, vasorum, vestium sacerdotalium, aulæorum confectione ingenium, peritiamque probârunt, Exod. cap. 36 et seq. Quis ergo audeat Israelitas contemnere tanquàm aut naturâ plumbeos, aut captivitate hebetes factos, qui Mosis mendacia detegere non valuerint?

Nunc ad argumenta è naturali philosophiâ deprompta veniens, primùm statuo intolerandæ esse arrogantiæ homines atheos ex humanæ scientiæ præceptis de divino opere, de narrationis Mosaicæ veritate dijudicare. Præsertim verò si, quâ subvertere nituntur divinas doctrinas, in ejus scientiæ præceptis ponendis perpetua constantia, et consensio non sit omnium, qui animum applicuerunt ad naturam rerum cognoscendam, ineptum est exaggerare cum naturæ, ordinis et motûs à naturâ effecti legibus historiam de mundi origine, aut interitu non esse consentientem. Notum est autem naturalis philosophiæ magistrorum diversas esse discrepantesque sententias; alios aliud apprehendere, et labente seculo deseri, qui ineunte magnum sibi nomen fecerant : ex quo fieri non potest ut ullis humani ingenii inventis, quæ solent esse varia, Mosaici libri de possessione suâ dejiciantur, amittant scilicet et dignitatem, et auctoritatem quam annis plùs quàm ter mille usque retinuerunt.

Quòd si dicant perpetuas esse geometriæ, et physicæ leges, neque mutatis temporibus, alias posse præscribi, quàm quas necesse est ponere naturæ congruentes : dicemus et nos, Mosi quoque leges illas fuisse perspectissimas; universi tamen structuram ad eas redigere non debuisse, quòd mundus neque philosophiæ arte conditus sit, neque à naturalibus causis et materiæ motibus exstiterit, quos mechanicos vocant; sed omnipotente Dei verbo, ac virtute, neglectis naturæ legibus, omnia coierint : atque id præcipuè Mosem sibi sumpsisse explicandum. Si verò urgeant,

mundum etiam ab initio secundùm usitatas naturæ leges esse effectum : respondemus sic esse effectum fortassè. Nam ob id et philosophi egregii operam adhibuerunt cum magnâ laude, ut Mosaicam descriptionem ad certas leges componerent : at cùm philosophiæ naturalis præcepta ad tantam evidentiam perducta non sint, ut ad eam omnia Dei et naturæ opera metiri debeamus, rationem, prudentiamque postulare, ut dicatur leges quidem fortassè in rerum compositione, ut Moses retulit, servatas, etiamsi quo modo viguerint explicare nesciamus. Turpiter enim labimur, si intelligentiâ nostrâ, quæ tenuissima est, divinæ Sapientiæ modum pervestigare et definire velimus. Nam si sunt in reliquâ philosophiâ capita quædam certis rationibus demonstrata, quæ verissima esse non desinunt, quantumcumque in consecutiones quasdam inexplicabiles deducamur; mirandum equidem non est, historiæ Mosaicæ veritatem, auctoritatem, fidem tot argumentis confirmatam totam consistere, licèt tanta intelligentiæ vis in nobis non sit, ut ex materiæ motibus, quemadmodùm singula suo ordine effecta sint, declarare valeamus.

Sed quid offendamur eâ divisione Mosaicâ totius universi in cœlum et terram, quanquàm minima terra sit, cœlum amplissimum? Non peccaret dividendo qui distingueret aliud quod supra nos est, aliud quod infra; aliud quod oculis solùm percipimus, aliud quod et tangimus et pede calcamus. Quid igitur Mosen reprehendamus, qui duobus verbis complecti omnia voluit, Deumque omnium effectorem ostendere? Punctum velut esse terram non diffitemur; at magnum quiddam est, imò verò et maximum, si de re loquamur, ut est subjecta sensibus, qui soli de corporibus renuntiant. Moses autem de creatis rebus quatenùs afficiunt sensus, non quatenùs reipsà sunt, dicere maluit : quoniam et Scriptura sacra, et creationis historia non philosophorum vel oblectandis, vel instruendis ingeniis, sed animis hominum instituendis, et simplicium plerùmque, et indoctorum traditæ sunt, nimirùm accommodatæ ad eas cognitiones, quas sensus pariunt, non philosophia gignit. Neque dicat quis in hoc ipso errorem esse, dùm rerum specie capimur, quæ à rebus admodùm distat : nam si *opticum*, ut aiunt, pro *physico* probemus, peccatum est; non verò si rem tractemus, ut sensu comprehenditur. Etenim an non et astronomi lunam ad varias referunt eclipticæ partes, in quibus non est, sed apparet? Nonne et in describendis astronomicis tabulis loco optico utuntur? Neque errant tamen, neque in errorem inducunt. Brevibus Moses eo exordio usus est : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, ut nos doceret totam hanc, quæ sub sensus cadit, mundi molem non à se, neque ab æterno, eo quo stat ordine, stetisse, neque ea eo quodam casu, atque impetu factam, nec fato, atque immutabili necessitate, sed infinitâ summi Dei sapientiâ, potentiâ et bonitate totam constitutam, formatamque esse.

Eòdem spectant quæ consequuntur de terræ ortu. Nam cùm Moses, inspirante Deo, describeret quæ sensibus, atque usui nostro magis sunt obvia, terræ inprimis formationem commemoravit, tum maximorum cœlestium corporum opus breviter perstrinxit, quantùm telluri nostræ inserviunt, suntque veluti telluris appendices; ita enim sensibus, ita usu percipitur. Plus verò temporis telluri quàm soli et cæteris astris condendis Deus impendit, ut ostenderet se bonitatis suæ significandæ causâ res terrestres ad utilitatem nostram et commodum finxisse, multâque curâ, ac temporis morâ habitationem nostram exornâsse, ut nos vicissim singulari amori amorem rependeremus. Quamobrem et rectè ad hominum commodum cætera à Deo condita referuntur sol, luna, stellæ, et illud quidem commodum, quod omnes ab iis cœlestibus corporibus sentiunt; etiamsi et alias utilitates præstent vulgo incompertas. Nemo autem miretur vespertini et matutini temporis, ac dierum mentionem ante fieri quàm sol dierum auctor conditus dicatur. Nam dierum nomine tantum temporis spatium indicatur, quantum sol accessu suo, et recessu postea metitus est. Quanquàm, cùm cœlum et terra ante lucem facta sint, deinde nocte obscurissimâ lux à tenebris divisa (quæcumque tandem lux illa fuerit per cœlum diffusa, aut nubecula lucida, quæ motu suo circulari ab oriente in occidentem ferretur, ex quâ postea in unum pluresve separatos locos conjectâ sol et stellæ exstiterunt), dici potest lucis ejus absentiâ noctem, præsentiâ diem fuisse, ab eâque ipsâ luce motu orbiculari cum cœlo rotatâ primos tres dies distinctos, quomodò postea sol ex ipsâ concretus diem, noctemque distinxit.

Post hæc omnia non est opus multis ad compescendam atheorum arrogantiam, quâ diluvium deridetur. Etenim primò, naturâ quasi repugnante ad perdendum impiorum genus, ut potens est, Deus diluvium immisit, Deique verbum aquas, cessante diluvio, fugavit, Gen., cap. 8, v. 21, ne solliciti essemus quò se tanta aquarum copia subduxerit, aut ubi nunc reperiatur. Sed et multi philosophorum, totum terrarum orbem aquis submergi potuisse, atque accidere diluvium, ut Moses descripsit, ratione demonstrârunt. Nos equidem mensuras nubium non collegimus, ut constituere valeamus quantus acervus foret, si omnes nubes aqua fierent. Aerem totum in aquam versum non plùs suffecturum, quàm operiendæ terræ quinque ferè hexapedas, ridiculus est, qui ex aeris pondere se assequi putat. Nam si pondus aeris, secundùm physicos paucis abhinc annis exauctoratos, non sit nisi nisus recedendi à centro sui motûs, quo circà terram torquetur, certè cognosci nequit ex pondere quantam aquarum copiam aer suppeditet, si totus in aquas densetur. Quid verò dicemus, si ne apud physicos quidem nunc constat, ponderene aeris an elaterio suspendantur aquæ ad pedes triginta unum? Quapropter ex vulgato experimento nihil conficitur. Affirmare autem possumus clarissimum virum D. Le Pelletier Rothomagensem in suâ dissertatione de Arcâ Noe physicis rationibus et ipsum demonstrâsse, si totus aer in imbres converteretur, aquas fore plus cen-

tum sexaginta quinque vicibus altiores, quàm Moses scripsit.

Præterea sine dubio illud quoque scimus ab initio rerum obductam fuisse terram immenso chao, totam aquis submersam, totam aquarum abysso comprehensam, super quas Spiritus Domini ferebatur : postea verò divisisse Deum aquas ab aquis, alias supra, sub firmamento alias posuisse; inferioribus istis oppleta esse maria, flumina, lacus, fontes, subterraneos locos; ab illis superioribus attenuatis teneri atmosphæram : neque enim illæ abierunt in nihilum. Quòd si Deus iterùm velit, quas in auram et vapores attenuârat, cogere et firmamenti cataractis revulsis, superiores atque inferiores coacervare, aggeres et repagula mare continentia disrumpere, nemo dubitare potest, quin foret universale diluvium, quale fuit, priusquàm res ab indigestâ massâ extraherentur. Quare si magna illa aquarum moles, seu tenuiores vapores in aere suspensi densentur, concretique decidant, et nubes quadraginta dierum spatio imbres effundant, ut non è cœlo pluere, sed torrentes præcipites ruere videatur; si dehiscente in magnas scaturigines et fontes ubique terrâ, apertisque ostiis abyssi, ac subterraneis cavitatibus, venis, meatibus, vasta atque immanis aquarum vis erumpat; si mare non coercitum littore quaquaversum exundet, necesse est totam terram obrui, altissimos montium vertices aquis tegi, homines, terrestria animantia, volucres perire.

Alterum est facilius intellectu. Nunc fortassè quidem montes altissimi non consperguntur pluviis, quia cùm ad mediam, ut aiunt, aeris regionem ventum est, bruma est, vigente tenuissimo aere, et cœlo algidissimo; ad mediam autem illam regionem fortassis ante pervenitur, quam sit conscensum in montem. Sed quoniam certo spatio regio illa non continetur, eam quippe intervallo quodam à terræ, et aquarum superficie dimetimur; idcircò aquis supra tellurem crescentibus, illam quoque regionem sursum tolli, atque altiùs recedere oportet. Quare, qui nunc sunt in supremâ, quasi dixero, aeris regione, vertices montium, cùm eò immensum æquor attigit, illo eodem crassiore atque inferiore aere circumfusos fuisse putandum est, in quo nunc jacet terra nullis aquis obtecta. Quid igitur impedimento esse potuit, quin aqua in glaciem utique non concreta celsissimos montes excederet? Sed vereor ne et ego plus æquo excedam, si longiùs disputationem protraxero.

ARTICULUS IV.

Libros sacros quos habemus, afflante Deo esse conscriptos

Veritas causæ quam versabamus, ad præsentem quæstionem illustrandam et confirmandam apprimè conducit. Nam si vera sunt Mosis, prophetarum, Apostolorum scripta; si omnis falsitatis expertia, planè auctore quoque Deo, atque afflante ii scripserunt, cùm se Dei nomine tanquàm Dei ministros et legatos scribere, docere, divinam voluntatem declarare dixerint, factis probaverint, populo frequentissimo persuaserint, fallere non potuerint. Sed quia cum pertinacissimis agitur, qui omni argumentorum genere sunt confutandi; et suæ sunt præterea singulares rationes contra atheos, deistas, Manichæos, Judæos, quorum alii totum, alii verò partem negant, alii religionem prorsùs contemnunt; propterea contra omnes in universum singulari disputatione nostrorum bibliorum divinitas confirmanda est.

Huic rei efficiendæ viam maximè parant **externa** quædam, et generaliora alibi tradita argumenta, quæ suadent Scripturam aliquam Dei jussu tradi hominibus oportuisse, eamque eximio ejus beneficio esse ipsissimam quam defendimus. Reverà homini naturæ lumine et ductu perspectum non est quâ ratione coli Deus velit; voluntatem ergo suam quibusdam hominibus declarare Deus debuit, ut intelligerent qui ei cultus placeret. Quis enim credat conditum hominem à Deo præstantissimi alicujus finis gratiâ, simulque relictum sibi incertum, cœcum, ignorantem, quomodò ei placeat, qui se fecit? Quis verò putet divinam voluntatem sibi declaratam neglexisse sanctos viros eo beneficio donatos significare posteris, et scripto mandare, cùm esset opus? Fatendum igitur est scripta exstare, quibus de vero Dei cultu homines doceantur. Verùm quæ unquàm esse potest ejusmodi Scriptura, nisi una isthæc, quam veneramur præcepta continentem, et leges humanâ philosophiâ superiores? Hæc à vitiis avocat, excitat ad virtutem, dignam Deo, dignam hominibus, dignam religione doctrinam præfert. Hæc una ostendit, describit, exhibet originis nostræ præstantiam, humanæ depravationis, et miseriarum omnium causas, divina consilia, et colendi Dei rationem, remedium, quo à malis, à morte eripiamur, et revocemur ad felicitatem et vitam. Hanc igitur cum divino afflatu nobis tradiderunt ii quos prophetas et Apostolos nominamus.

Nam qui comminiscuntur absque scriptis in cujusque animum eas illustrationes Deum immittere, quæ in salutis viam provehant, et quid persequendum, quid fugiendum sit, commonstrent, ii incertam atque inconstantem religionem faciunt, quæ profectò diversa erit pro ingeniorum diversitate et tenacitate opinionis, quâ se privatim à Deo edoctum esse quisque affirmârit, ut propterea spiritum ejusmodi privatum *spiritum Ecclesiæ divisorem* meritò Grotius appellet. Atque etiamsi Deus veteres patriarchas singulari inspiratione instruxerit; ineptum tamen est nunc privatos Dei afflatus quærere ad singularem eruditionem. Deus primos homines non singulos docuit, sed familiarum capita per quæ ad familiares cæteros præceptio dimanaret, quam si Patres ii scripto tradidissent, cùm eodem spiritu agerentur, quo postea Prophetæ acti sunt, fuisset scriptum sanè divinum, quemadmodùm nunc divina esse prophetarum scripta defendimus. Tunc verò hominibus historiæ creationis doctis sufficiebat illa patriarcharum institutio, et disciplina vivâ voce atque exemplis tradita : tota enim naturæ legibus corde inscriptis continebatur, et fide in mulieris semen, quod erat serpentis caput contri-

turum, ac spe in divinâ misericordiâ collocatâ, quam sacrificia Deo auctore facta fovebant et declarabant. Tunc conscientia, et quasi domestica traditio vim omnem legis præstabat, ad quam accedere non oportebat adjutrices litteras (si eas quidem invenisset antiquitas), quousque spes erat, ut pœnarum etiam vi conscientiæ et traditionis vox audiri posset, ac retineri.

Sed cùm ne profuisset quidem, perdito iniquo vetere, humanum genus instaurari, et Pentapolin incendio absumi, lex illa à naturâ in animis insculpta processu temporis oblitterata est, oblivione deleta avita traditio, exstincta omnis doctrinæ memoria, late dominata idololatria, quæ sensum omnem et religionis, et rationis obruerat. Tunc igitur necesse fuit divinæ voluntatis declarationem renovari, humanæ originis historiam retexi, credenda, atque agenda iterùm proponi, pœnas sanciri ad compescendos malos, præmia constitui, quibus boni allicerentur, repagula vitiis opponi, legis uno verbo orationem perspicuè dilatari Dei nomine et auctoritate, atque ut omne periculum removeretur, ne divinæ voluntatis manifestationem aut animi iniquitas, aut oblivio deleret, in oblivionis subsidium, atque iniquitatis exprobrationem divinas leges scripto mandari. Non equidem dico Deum hoc eguisse quasi instrumento, ut homines institueret, perinde ac alia ei ratio instituendorum non suppeteret; sed homines eguisse dico, ne pravis cordis cogitationibus abrepti deciperent ipsi se, atque alios in perniciem traherent; ne officii, et divinorum præceptorum obliviscerentur. Habere igitur homines debuerunt in his corruptæ vitæ tenebris, quibus erant circumfusi, illucescentem sibi divinam lucem, quam illustriores philosophi Socrates et Plato, ignorantes jam illuxisse, expetebant tantoperè, et sperabant, qui neque cultum Deo gratum adhibere quempiam posse, neque recti, et honesti viam tenere dixerunt, nisi Deus ipse mitteret, qui doceret divini consilii, atque humanorum morum rationem. Habere igitur et debuerunt consignatam litteris doctrinam, quæ neque temporum injuriâ, neque hominum vitio elaberetur, afflatu utique divino scriptam, ut homo, cujus gratiâ tradebatur, totam veram, et divinam esse dubitare non posset.

Iterùm externum latiùsque patens argumentum illud est, non posse nisi Deo auctore libros esse conscriptos, quorum doctrina admirabili modo, ac planè divino per universum orbem propagata est hominum operâ humilium, ineloquentum, omni humanâ ope destitutorum; nec posse nisi Dei libros esse, quos innumerabilium martyrum effusus sanguis, tot populorum, et nationum consensus, patrata ubique gentium à Deo miracula divinos esse prædicant atque confirmant. Nam quæ causæ Christianam religionem et fidem, præ religionibus cæteris, veram, divinam esse persuadent, eædem et pro sacris Libris faciunt: nititur hæc fides Dei testimonio, quod in sacros Libros relatum est; neque vera esse fides ullo modo posset, si sacram Scripturam hominis opus esse putaremus seipsum acuentis, non verò Dei inspirantis. Si ergo veram esse Christianam fidem externis iis argumentis efficitur, iisdem quoque efficitur divinitùs inspiratam esse Scripturam utilem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut Apostolus 2 ad Timoth. cap. 3, loquitur.

Sed his obiter, et festinanter dictis propiùs ad causam accedimus, assumpto argumento à rerum futurarum prædictione, quæ est certissimum divinitatis indicium. Etenim prophetia, et futura contingentium rerum cognitio ita in solius Dei sunt potestate, ut nulla vel corpore vacans, atque acutissima, præter Deum, substantia futura fortuita prospiciat. Solus æternus ille, cui omnia sunt præsentia, solus, cujus voluntati obsequuntur omnia, solus qui omnium est artifex, et mundum nutu suo regit, novit quæ sunt hominibus eventura: quod *et magi, et arioli, et omnis scientia secularis litteraturæ confitentur*, ut inquiebat Hieronymus, lib. 1 Comment. in Danielem. In Libris autem sacris, quos habemus, quot unquàm inveniuntur vaticinia futurarum, ac remotissimarum rerum, quæ constituto tempore ita evenerunt, ac fuerant prænuntiata! De benedictione à Jacobo datâ Judæ præ cæteris fratribus cumulatissimè articulo superiore diximus; quæ pariter eâdem facultate propheticâ senex ille pater multos ante annos providerat, reliquis filiis acciderunt omnia. Zabulonem dixit Jacob in maris littore habitaturum: habitâsse porrò dices, si terræ sanctæ situm teneas, et locos Zabuloni tributos. Terram optimam promisit Issacari, in quâ colendâ se exerceret: possedit Issacar. Pinguem panem pollicitus est tributi Aser: Aser fertiles valles incoluit, unde exquisito pane vescebatur, Gen., 49. Quis autem cernere fortuitas res ita distantes poterat, eventuras post acquisitionem terræ Chanaan prophetico pariter spiritu provisam, nisi cum illo fuisset Deus? Igitur divinitatis indicia sunt in libro Geneseos; ergo et liber ipse divinitùs inspiratus.

Neque verò dicat quis hinc probari quidem sententiam in Jacobi vaticinantis animum immissam divinitùs: at non effici propterea Scriptori affuisse Deum, cùm verba à Jacobo dicta describeret. Nam primò verba in Codicem relata verba Dei sunt in ore Jacobi posita: sunt ergo divinitùs inspirata. Quid autem difficilius est, credere ne divinum Spiritum in Jacobi animum invasisse, an verò Mosis mentem à Deo actam, et ductam manum? Ergo impiè nos derident Deistæ qui liberos se appellant, cùm dicimus, inspirante Deo, libros quosdam esse scriptos, si fateri coguntur homines quosdam Dei afflatu esse locutos. Deinde, qui primus ea verba scripsit, Moses regebatur eodem spiritu qui patriarchæ Jacobi mentem oppleverat. Nam idem Dei spiritus Mose scriptore usus est ad suam voluntatem populo declarandam, ad describendam legem; non poterat verò aut de divinâ voluntate populus esse certior, aut Dei verbum, et lex ipsa esse indubitabilis, et consistere, nisi Deus scriptori adesset, cùm ea exprometet ex quibus quid tandem juberet Deus cognosci oportuisset; cæteroquin

frustra lumine suo Jacobum Deus illustrâsset, si Moses ingenio suo scripsisset sub errorem subjectus, ut esse homines absque adjutore Deo solent.

Si autem à nobis præterea quærant ut Mosem prophetasse demonstremus, nihil est quod faciliùs expediatur. Prophetavit cap. 17, v. 16 Exodi, quùm bellum à Domino motum iri contra Amalech à generatione in generationem prædixit, quod partim Saulis et Samuelis operâ post annos quadringentos perfectum est, occiso etiam rege Agag, cui Saul pepercerat lib. 1 Reg., cap. 15, v. 33, partim operâ quingentorum hominum ex tribu Simeon, qui in monte Seir *percusserunt reliquas quæ evadere potuerant Amalecitarum*, lib. 1 Paralip., cap. 4, v. 43. Prophetavit Numerorum cap. 14, cùm territi Israelitæ narratione exploratorum terræ, murmurando sibi mortem optabant potiùs in vastâ solitudine, quàm gladio in terrâ promissâ occumberent. Denuntiavit enim tum Moses, excepto Iosuâ et Caleb, omnes in deserto perituros, qui in egressu ex Ægypto vigesimum ætatis annum excessissent. Omnes porrò interierunt, antequàm terram Chanaan attingerent. Prophetavit cap. 18 Deuteronomii, cùm Prophetam sicut se à Domino suscitandum testatus est populo; quod in Christo Jesu impletum esse planè ostenderemus, si esset hìc locus. Prophetavit Deuteronomii cap. 28, cùm mala omnia prædixit quæ in pœnam desertæ legis postea populus pertulit; inter quæ et regis captivitatem providit v. 36, cùm tamen ne in specie quidem verisimile tum videretur in Hebræorum republicâ reges olim fore. Imò verò totum illud caput plenum est beneficiorum, et maleficiorum vocibus, quæ obventura suis Moses dixit, quatenùs divinæ legis observantiæ studuissent, aut dereliquissent Deum. Quis autem ignorat qualis fuit populi aut observatio præceptorum aut contemptio, talem prorsùs fuisse bonorum aut malorum vicissitudinem? Quis ignorat contumaces vel illud omnium miserrimum expertos, quod meminisse horret animus, tantâ scilicet ciborum egestate et victûs penuriâ in urbium obsidione esse oppressos, ut filiorum et filiarum carnibus vescerentur? Admissum est autem infandum scelus, quando Benadad, rex Syriæ, Samariam lib. 4 Reg., cap. 6, v. 26; iterùm quando Nabuchodonosor Hierosolymam, Lament. Jerem. cap. 4, v. 10, et Baruch., cap. 2, v. 3; tertium quando Titus Hierosolymam eamdem obsidione cinxit, Josephus de Bello Jud.; igitur Moses Deum afflantem habuit. Equidem non omnia quæ scripsit sunt vaticinia, sed magnâ ex parte in historicâ narratione versantur. At insulsus omninò esset qui contenderet debere singulas libri cujusdam paginas abundare prophetiis, ut divinus liber diceretur. Necesse enim est historiam prophetiis esse intextam, ut via ad vaticinia paretur: atque historiam ipsam pari auctoritate, nempe divinâ munitam esse, ut vaticinium, quale est, Dei dictum excipiatur; cæteroquin modò adesset, modò abesset in eâdem oratione Dei afflatus, quod est stultum putare atque imminueretur imò tota nutaret prophetiæ veritas, quæ tota ab historiæ veritate pendet, si historiæ posset falsitas subesse.

In aliis quoque veteris Testamenti libris qui Mosaicis adjuncti sunt, sæpissimè prophetiæ reperiuntur eventu postea comprobatæ. Ahias, cùm regnum decem tribuum Jeroboamo prædixisset, lib. 3 Reg., cap. 11, v. 29 et seq., illudque esset Jeroboam consecutus, regni ejusdem excidium vaticinio altero significavit propter cùm regis peccata, tùm populi à Dei cultu recedentis, cap. 14, v. 15 et 16, quod post ducentos atque ampliùs annos totum deletum est. Isaias, Amos, Michæas Israelitas in Assyriorum, Judæos verò in Chaldæorum potestatem venturos, et captivos in Babylonem abductum iri tum prophetârunt, cùm Chaldæi sub Assyriorum imperio erant, neque ulla spes suberat fore, ut à potentissimorum regum dominio se liberarent; utrumque planè evenit. Reducem futurum in patriam Judaicum populum omnes promiserunt; redux fuit à captivitate. Dixeritne incredulus hæc post eventum scripta? Hùc enim se recipere solent, qui negant divinos esse horum Prophetarum libros. Verùm credamusne post solutam captivitatem eos libros prodiisse, qui et res, et mores, et sententias, et locutionis genus, et adjuncta cættera referunt exhibentia ævum captivitati antecedens? Præterea totine populo persuaderi post captivitatem potuisset, ea olim edita esse vaticinia, si solutâ captivitate tum primùm, et recens evulgata fuissent? Adde Isaiam prædixisse liberationem populi indulgentiâ Cyri, qui Medis adjutus, deleto Babylonico, ad Persas imperium erat translaturus: *Qui dico Cyro: Pastor meus es et omnem voluntatem meam complebis; qui dico Hierusalem: Ædificaberis, et templo: Fundaberis*, cap. 44, v. 28. Si solutâ captivitate scripsisset, prætermisissetne et Darium, et Artaxerxem potiùs celebrare, qui Cyri consilium perfecerunt?

De Jeremiâ, de Daniele eadem dicimus, quorum alter duraturam septuaginta annis captivitatem, et Babylonici imperii tunc temporis florentissimi excidium prædixit; alter vaticinatus est de Græcorum principatu, de Ægypti atque Asiæ regibus, qui ditionum Alexandri partitione factâ regnum tenuissent, usque dùm Romani iis devictis omnia occuparent. Quòd si Isaias, Amos, Michæas, Jeremias, Daniel divino Spiritu illustrati ob id fuerunt, cur non et cæteri Scriptores sacri, qui ex legis præscripto hortantur, Dei verbum annuntiant, futura prospiciunt? Cæterorum enim libros perinde vetus Synagoga maximo semper in pretio habuit, ut Dei verbum haberi deret. Quod sanè à Synagogæ perpetuâ consensione petitum argumentum magnam fidem facit, ut articulo superiore explicabamus. Prætereo prophetias spectantes novæ legis propagationem, vocationem ethnicorum ad fidem, Judæorum et gentium coitionem in unam Ecclesiam, quod est alterius loci argumentum.

His de vetere Testamento præcipuè, et brevi quidem pro materiæ amplitudine dictis, quædam et de Apostolorum libris singillatim subjiciamus. Ponemus autem exemplum in Evangelio Matthæi, quod

si divinum esse pariter docuerimus, cæterorum quoque librorum causam defendisse videbimur, quæ par omninò est. Huic parti, ut puto, multò minùs repugnare Judæi poterunt, quàm infideles reliqui vetus Testamentum abnegantes, quoniam causæ quæ declarant Deum librorum Mosis auctorem, eædem et Evangelii Matthæi credi compellunt. Et primò, si licet paulisper digredi, æquè exploratum est omnium nationum Christianis a Matthæo scriptum Jesu Christi Evangelium omnis falsitatis expers, ac persuasum Hebræis omnibus sit Mosen scripsisse quæ scripsit, eaque esse verissima. Ubi enim gentium vel inter barbaras nationes indole, ingenio, institutione, moribus, vivendi ratione diversas ignoratum est à fidelibus Matthæi Evangelium, aut summâ veneratione non susceptum? Vel quis institutus est in Ecclesiis canon, in quo non concluderetur? Vel qui unquàm Ecclesiæ Patres res divinas tractârunt, quin scriptam à Matthæo dictorum Christi, et factorum historiam commemoraverint? Quin etiam et Porphyrius, et Julianus apostata ultrò fatentur editum à Matthæo Evangelium. Si ergo traditione certatur non magis de Matthæi evangelio quàm de Mosis Pentateucho dubitandum est.

Sinceram autem esse Matthæi narrationem, quàm longissimè à falso abesse, refelli non posse par causa probat, quæ veram esse Mosis historiam : nec vereor ut arguar si apertiorem dixero. Non suscepit Matthæus consilium, neque suscipere potuit fallendi quempiam; negotium ipsum salutis per Magistrum allatæ hominibus, quod tractabat, et rationis quâ salus obtineretur, ipsummet removet omnem falsi suspicionem. Nullâ laudis, nullâ gloriæ, nullâ quæstûs, nullâ commodorum cupiditate ad dicendum ductus est aut scribendum; videbat è contrario se sibi propter religionem atque officium cui serviebat, invidiam, odium, calumnias, contumelias concitaturum, seque in verbera, tenebras, vincula, carcerem, supplicium, crucem abreptum iri; quæ omnia planè in se attraxit, et maximâ animi hilaritate subiit. Christi sermones, miracula, documenta dùm narrat, locum, tempus, homines beneficio affectos testes nominat. Nihil dissimulat, si quid est Magistro minùs honorificum, ut esse solet hominum opinio, neque si quid ipsemet aut socii deliquerunt; ruditatem enim, ignorantiam, ambitionem, incredulitatem Apostolorum notat. Non fucum in scribendo, non artis colorem ullum, non ullas orationis insidias adhibet. His autem sinceritatis notis ullæne unquàm esse possunt in quâpiam historiâ clariores?

Sed comparemus propiùs cum Matthæo Mosen. Moses vulgari linguâ Pentateuchum scripsit eorum causâ quos ex Ægyptiacâ servitute in libertatem asseruerat, testes mirabilium quæ Deus effecerat; Matthæus verò Evangelium idiomate Judæis, qui Judæam incolebant, usitato propter eosdem fratres suos nuper conversos ad fidem, quibus ignota esse non poterant, quæ paucos ante annos Hierosolymis, in Judæâ, in Galilæâ Christus gesserat : recentior quippe erat memoria. Samaritani ab Hebræis religione disjuncti Pentateuchum retinuêre, iique testimonium reddiderunt Mosi. Nazarei pariter testes non suspecti Evangelicæ veritatis, separati scilicet à catholicæ Ecclesiæ gremio propter veteris et novæ legis in unum conjunctos, retentos atque observatos ritus, Syriacum Matthæi Evangelium religiosè asservârunt, quanquàm temporis lapsu multis in locis depravârint. De veritate igitur Evangelicæ historiæ et doctrinæ eadem propè testimonia sunt, quæ Mosaicæ. Sed quid dico eadem? Matthæus legem evangelicam persuasit externis, inimicis, Judæis, ethnicis legem carni et sanguini incommodam, quæ præmium omne post mortalem vitam rejiciebat : Moses scriptum suum probavit popularibus, domesticis, familiaribus, fructu etiam proposito subjecto sub sensus, quem, simul ac se subdidissent legi, statim referrent, quo et molestiam, si quæ erat in ferendo jugo, protinùs compensarent. Utrum autem horum præstantius est; utrum divinius? Item Moses in aulâ regiâ educatus, omni sapientiâ Ægyptiorum eruditus, eloquentiâ præditus, auctoritate gravis, Abrahæ filios avitâ religione institutos ad divinorum præceptorum susceptionem adduxit : Matthæus nullo institutionis, nullo scientiæ, nullo dignitatis ornamento clarus animos à paternâ religione abstraxit, et flexit; qui verò assensi non sunt, nunquàm potuerunt quidquam ejus dictis scriptisve opponere, quo fidem detraherent, etiamsi neque auctoritas neque voluntas deesset, neque livor, neque conatus, et recentissima esset rerum memoria. Non equidem hæc dico, quasi de Mosis fide et auctoritate quidpiam derogatum velim : absit; sed ab Hebræis quæro, cur Matthæi Evangelium rejiciant, qui Pentateuchum minùs testatum suscipiunt?

Quòd si res comparemus iterùm, de quibus uterque scripsit, quantò erunt Matthæi sublimiores! Moses de mundi exordio retulit : Matthæus de divino consilio pro hominum salute ante mundi constitutionem. Moses de Deo rerum omnium opifice atque administratore disseruit, de religione quâ coli Deus debet, de summo honore ei uni præstando : Matthæus excellentiora adjecit apertiùs de divinâ adversùs omnes homines charitate, de veniâ culpis omnibus dandâ, de æternâ felicitate à nemine non adipiscendâ, de Deo homine facto, nato ex virgine, qui naturæ imperavit, homines ipsemet docuit, sanguine suo redemit, Spiritûs sancti donis cumulavit, resurrectione suâ fidem fecit nos resurrecturos, ascensu in cœlum (quod certè Matthæus docuit, licèt non scripserit) aditum nobis aperuit ad Sancta sanctorum, ubi gloriam omnem suam Deus manifestat, quæ facit beatos. Mosaicam verò informationem, quasi dixero, atque adumbrationem virtutum Matthæus ex Christi disciplinâ ad perfectum adduxit, instruxitque sectatores virtutis ad honorum, divitiarum, gloriæ, nominis, celebritatis, voluptatum contemptum; ad amorem paupertatis, humilitatis, abjectionis, angustiarum; ad mutuam benevolentiam, ad dilectionem inimicorum, ad injuriarum remissionem, ad cætera vera animi bona, quæ

longum est persequi. Jam verò si à veritate rerum scriptarum in Pentateucho, à dignitate doctrinæ legis ad divinam in Mose inspirationem probandam Judæi progrediuntur, cur nobis non liceat ex evangelicæ historiæ sinceritate, ex micantis divinæ sublimitate sapientiæ concludere Matthæum scriptorem divino Spiritu afflatum?

Nec desunt in Matthæi Evangelio vaticinia, quæ ut Christum Jesum maximum Prophetarum fuisse conficiunt; sic et argumento sunt Evangelistam ipsum fuisse Spiritu divino perfusum. Non enim potest ulla clarior, aut comprobatior reperiri prædictio, quàm ea Christi in concione ad Apostolos, ad turbas dicentis se à scribis et sacerdotibus morte damnandum, tradendum gentibus quæ illusissent, flagris cæcidissent, cruci affixissent; atverò à morte, et tertiâ quidem die resurrecturum, postquàm supplicium subiisset: Judam Iscariotem futurum immanem Magistri proditorem, conspiratione factâ cum iis qui suam necem moliebantur; discipulos omnes se à custodiis captum deserturos. Nihil etiam dici significantius potuit ipsis discipulis, quàm, se mortuo, fore ut virtutem ex alto induerent, Spiritum veritatis è cœlo delapsum secum manentem haberent, potestate efficiendorum miraculorum præditi essent; attamen invisi omnibus ad reges, ac præsides magistri causâ raperentur, ac tandem sævam necem obirent. Et hæc quidem, cùm scripsit Matthæus, omnia evenerant, et sola restabat mors quibusdam perferenda. Sunt verò quæ multò postea acciderunt, quàm Matthæus Evangelium mandaverit litteris, eaque videntur vulgatiora, quippe ad Judaicum populum, atque ad novam Ecclesiam etiam num attinentia. Prædixit Christus Ecclesiæ suæ propagationem et sempiternam stabilitatem, quocumque tandem animi impetu homines obsisterent, et vim contra facerent; prædixit Judaici regni interitum; prædixit urbis Hierosolymæ excidium: prædixit Judæorum duritiem, pertinaciam, obcæcationem; quæ omnia nemo est qui non evenisse fateatur, ut Matthæus descripserat.

Raptim, ut videtis, attingo quædam ex multis Christi vaticinia; non possum tamen, quin singillatim notem mirabile illud Matthæi cap. 24, de templi Hierosolymitani eversione. Prænuntiavit Jesus templum funditùs deletum iri, vix manentibus vestigiis. Scimus autem ex Josepho, de Bello Jud., lib. 6, Titum Romani exercitûs imperatorem summo studio jussisse, omnemque operam adhibuisse, ne templum subverteretur; non potuisse tamen ullâ imperatoris curâ aut auctoritate eversionem prohiberi, ut inde intelligatur Prophetam et Prophetarum Deum fuisse, qui vastitatem prædixerat, quæ humano consilio debuisset averti. Imò verò Julianus apostata non modò christianæ religionis, sed et Christi ipsius capitalior hostis, et contemptor, quasi indicto ei bello suscepit datâ operâ, ut irritum faceret ejus oraculum, urbem, templumque in eo ipso loco iterùm construere, ubi perpetuas ruinas fore Jesus dixerat. Quare cùm adversùs Persas arma tulisset, jamque expeditionem illam vehementer urgeret, dedit ad Hebræos epistolam eos hortatus, ut Deum sibi exorarent et precarentur felicem belli exitum; quod si victor perfecisset, pollicebatur se sanctam urbem Hierosolymam omninò restituturum, se quoque unà cum ipsis habitatum eò migraturum, ibique cultum, et honorem omnipotenti Deo præstiturum. Reipsà uni ex suis nomine Alypio negotium postea dedit restaurandæ urbis et templi, uti promiserat. Verùm Deus, cùm imperatoris, tùm ministri impios conatus irridens, manifestis prodigiis opus omne disturbavit. Audiatur Ammianus Marcellinus scriptor ethnicus, ejusdemque principis effusissimus laudator, qui rem libro 23, cap. 1, describit, ne eam nos exaggerare videamur: *Cùm itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecère locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo, elemento obstinatiùs repellente, cessavit incœptum.* Igitur si etiamnum Hierosolyma nationum pedibus proculcatur (nam, quæ nunc appellatur Hierusalem, Ælia est non in eodem ipso solo exædificata), non humanæ desidiæ, sed divinæ ultioni tribuendum est, ut Christi Jesu vaticinium comprobatum esse sub omnium oculos perpetuò cadat.

Cùm igitur Christus Jesus maximus Propheta fuerit, et tantus, qui præstare ipse valebat quæcumque futura dixisset, quique posset omnia, ut ex totâ evangelicâ historiâ perspicuum est; cùm discipulis atque Apostolis, quibus Ecclesiam instruendam regendamque commisit, Spiritum sanctum, ac potestatem patrandi miracula se daturum promiserit, quem Pentecostis die summâ cum largitate reipsà effudit; cùm eosdem dimiserit in mundum universum ad annuntiandam gentibus salutem, et variarum linguarum dono instruxerit, quas et locuti sunt, non est cur vereamur sentire Apostolo Matthæo divinum Spiritum adfuisse, sive Evangelium voce evulgaret, sive scriberet, sive administraret Ecclesiam, quibus muneribus fungi non poterat, nisi quatenùs erat Christi discipulus, et novæ legis doctor. Sæpè enim discipulos Christus alloquens affirmaverat: *Spiritus Sanctus docebit vos omnia, et inducet in omnem veritatem; suggeret omnia quæcumque dixero vobis.* Matthæus ergo nihil docuit, scripsit nihil, nisi instinctu Spiritûs sancti animum et manum illustrantis et ducentis, ne in errorem docendo et scribendo laberetur. Quæ de Matthæo disputata sunt, ad cæteros novæ legis scriptores traducantur.

Nunc incredulorum argumenta dissolvamus. Verùm quia multa adeò sunt capita, ex quibus contra nos pugnatur, ut verear ne incomposita atque indigesta videatur oratio, si omnia in unum colligam sine ullâ distinctione, idcircò alia ab aliis esse separatim proferenda censeo, pro vario incredulorum atque infidelium genere, qui defensioni nostræ resistunt: sic enim puto planiorem futuram eorum refutationem. Exordium sit ab iis qui fundamenta doctrinæ à nobis posita prorsùs convellere suscipiunt.

§ 1. *Atheorum et Spinosæ potissimùm argumentis respondetur*

Qui omnem omninò religionem abjiciunt, opponunt primo loco rem omnibus compertam esse, paganos quoque vaticiniis et miraculis religionem suam tueri et communire; ergo ineptè ex miraculis et vaticiniis hebraicam legem Deo auctori, Mosi verò divinæ voluntatis interpreti tribui. Pergit Spinosa Dei spretor, mentisque ferox, et doctrinæ impietate famosus, pluribus exaggerare propheticam facultatem naturalem esse facultatem hominis pro ingenii et temperamenti ratione. Si quis, ait, corporis habitu et temperamento robusto præditus, humoribus ex atrâ præsertim bile abundans, vi imaginandi vivaciore et vehementiore instructus paret se ad vaticinandum, is prophetiæ dono præstabit, quoniam phantasmata, sua, et mentis ludibria effundet. Effundet autem facilè diversas quoque prophetias : nam et earum diversitas ab affectuum diversitate gignitur. Quia enim intensus dolor hominem opprimit, nulla ejus esse vaticinia possunt; sed læti, atque animo hilares fausta, victoriam, pacem; irati verò et tristes infausta, bellum, cædem, supplicium prædicunt. Quod adeò verum est, ut Prophetæ sæpè jusserint lyrâ et fidibus cani, priusquàm bona vaticinia ederent, ut musicâ excitati, et facti hilariores vividiorem spiritum sumerent, lib. 4 Reg., cap. 3, v. 15. Quare apud Hebræos suæ erant academiæ, ubi certis præceptis prophetia discebatur, quomodò vacari cæteris scientiis solet. Grex enim prophetarum occurrit Saüli, lib. 1 Reg., cap. 10, v. 10, id est, collegium adolescentum et virorum, qui ad prophetiam erudiebantur, in eâque se exercebant. Quòd si prophetiæ, id est, vaticiniorum disciplina traditur atque ediscitur, non subest ratio, cur ex oraculis divinam auctoritatem colligamus. Hujusmodi autem præceptis imbutus erat et Balaamus à naturâ jam comparatus ad vaticinandum, de quo dixit Balac, rex Moab, quibus ipse benè aut malè dixisset, iri benè aut malè dictum, Numer., cap. 22, v. 6, quanquàm is esset vates idolorum cultui, et magicis artibus deditus. Eamdem artem profitebantur ii à quibus cavendum monuit Deus initio capitis 13 Deuteronomii : *Si surrexerit in medio tuî prophetes... et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos.... non audies verba prophetæ.*

Pudet equidem me in his refellendis immorari, quæ nihil præter impietatem atque ignorantiam sapiunt; sed necesse est, ne quid à nobis præteriri videatur. Ad primum autem, quod de sacerdotum ethnicorum prædictionibus dicitur, respondebo Ciceronis verbis sub finem libri 2 de Divinatione, in quo multis contra Chrysippum hanc causam disputans inquiebat : *Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant, quantùm voles : verbis, sententiis, numeris, cantibus adjuventur; auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commentitiis rebus adjungere; eodemque modo nec ego Publicio nescio cui, nec Marciis vatibus, neque Apollinis opertis* (oraculis) *credendum existimo; quorum partim ficta apertè, partim effutita temerè, nunquàm ne mediocri quidem cuipiam, non modò prudenti probata sunt.* Deinde ad Apollinem conversus subjicit : *Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissimè; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit; partim ambiguis, et quæ ad dialecticum deferenda sint...* Nisi fortè quis pro divinis habere velit duo illa tritissima ab Apolline pronuntiata :

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.
(Herodoti.)

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.
(Ennii.)

in quibus sive Cræsus suam, sive hostium vim pervertisset; seu victor Romanorum evasisset Pyrrhus, seu vicissent Romani, verum oraculum fuisset. Abeant increduli cum istis ineptiis, et videant num vaticinia dici isthæc possint, qualia sunt nostrorum prophetarum. Si enim aliquando sacerdotes deorum vera viderunt, usi sunt fortunâ et casu.

Signa et prodigia à falsis diis edita esse multi narrant, nemo est qui certò affirmare possit; vel si affirmet, mira quædam erunt quæ apud ignaros rerum naturalium admirationem habent. Carent enim primò omni auctoritate : quædam in recessu et noctu dicuntur contigisse; quædam, lapsis jam aliquot ab eventu seculis, scripta sunt, atque ab iis accepta testibus, qui vitâ jam excesserant, quos percunctari nemo poterat. Quocirca vel illi qui ea referunt, certam fidem non adhibent. Valerius Maximus, cùm multa narrare institueret, cap. 8, lib. 1, sic facit initium : *Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem auctores vindicent :* et Livius in historiæ suæ limine de prodigiis quæ ante conditam, aut condendam mox urbem visa traduntur, ait, *ea poeticis magis decora fabulis quàm incorruptis rerum gestarum monumentis,* se neque affirmare velle neque refellere, et veniam antiquitati dandam, quæ miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciebat. Quid plura? Ne miraculum illud quidem Apollonii Thyanæi philosophi de matronâ à mortuis revocatâ, quod tamen tantâ celebritate vulgatum est, ab ipsius Apollonii vitæ scriptore Philostrato affirmatur. Ait enim Græcus scriptor lib. 4, cap. 45 : *Utrùm matrona aliquam etiam tum retinuerit quasi vitæ scintillam, quam medici non advertetint, an reipsâ excesserit, non mihi modò, sed et omnibus adstantibus incerta res fuit, cùm visum est ab Apollonio vitam ei esse restitutam.* Etsi verò concedatur ethnicos portentis quibusdam expertos deorum suorum patrocinium, facile est demùm sagacitati atque præstigiis portenta illa tribuere, quæ malorum spirituum vim non superabant. Ipsorum enim intererat cultores suos continere in obsequio; ita permittente Deo, ut qui omne rationis lumen exstinxerant, et dæmoni divinos honores adhibebant, à dæmone deciperentur. Verùm stultissimus esset, qui eos dæmonum conatus cum mirabilibus Dei operibus in suæ legis confirmationem editis compararet, quæ ut cer-

tissima sunt, totique orbi notissima, sic dignitate, nobilitate, admiratione ita præstant, ut nisi à Deo ipso comprobatore doctrinæ suæ fieri non potuerint. Sed hæc fusiùs ex alterâ theologiæ parte petantur, in quâ de Religionis christianæ veritate tractatio est. Nos enim quam cum principio ibi constituto conjunctionem haberet nostra hæc de sacrorum Librorum divinitate sententia ostendebamus.

Spinosæ argumentum ad hanc causam justiùs pertinet : nam commoda ad interpretandos quosdam Scripturarum locos occasio offertur ; sed insanit homo spurcissimus, atque insaniendo aliud vestigat quàm sit in quæstione, ut elabatur. Non enim id quæritur, quo animo esse deberent qui edebant vaticinia, quos spiritus sumere, quibus humoribus abundare, tenuibusne, an crassis; sed quâ virtute futurum contingens prospicerent, ut sæpissimè Prophetæ providerunt. Naturâne, an arte, an divino afflatu summi viri, quos supra nominavimus, prænuntiârunt quæ erant eventura, cum necessariis causis non conjuncta, ignorata cæteris? Si natura et vis imaginationis et melancholia prophetas effecit, cur ipsimet phantasiâ feracissimâ instructus, neque atræ bilis inops non prophetavit? Cur sæpè in prophetias non incidit? Si arte prophetia comparatur et præceptis acquiritur, quomodò periit tanta disciplina, cultioresque nationes scientiarum omnium atque artium altrices eam facultatem non sunt assecutæ, neque aliis tradiderunt? Si verò divinitùs prophetia dimanat, et tota donum Dei est, fateatur eosdem qui Deo pleni dicebant, Deo plenos pariter scripsisse, qui non permiserit orationem in eorum os infusam aliter describi quàm ipse suggesserit; unde consequitur libros prophetiis respersos non posse non esse divinos.

Itaque stultitia est temperamento studiis expolito, atque ad perfectum adducto vim propheticam assignare, quæ circa futura libera versatur, nullis animi motibus, nullis artium scientiarumque legibus attingenda. Quamobrem et insulsè dicitur ab affectibus vatum vaticinia pependisse. Nam Daniel in summo luctu lætissimum nuntium de Messiæ adventu post statas hebdomadas à Gabriele accepit, Daniel, cap. 9, v. 20. Jeremias in tristitiâ et squalore propter collapsas Hierosolymas felicem suorum reditum è captivitate prædixit. Isaias læta æquè ac tristia prænuntiavit, non erecto priùs lætis, neque depresso tristibus animo. Equidem Elisæus rogatus à tribus regibus Juda, Israel atque Edom psalten petiit; verùm cùm ille caneret : *Facta est super eum manus Domini.* Non enim acciri psalten jussit, ut sonitu et cantu propheticum spiritum indueret, quasi pulsatio ipsa ad naturale ingenium accedens vim prophetandi inderet ; sed ut Deum ad opem ferendam in gravissimo trium regum periculo oraturus, pacato animo esset, divinamque voluntatem securiùs exploraret. Nam spiritus prophetiæ non semper adstat Prophetis ad nutum ; interdùm enim irruit in hominem non quæsitus ; interdùm erigendus est ad Deum animus quâdam invocationis præparatione ut illabatur. Porrò tunc Elisæus commotus præsentiâ regis Israel impiissimi, omnique divino beneficio indigni, volens gratiâ et merito Josaphat regis Judæ Deo preces adhibere, psalten, id est citharædum adduci mandavit, cujus concentus suavitate animum in indignationem raptum priùs componeret, se colligeret, et tranquillior priùs fieret quàm divinam voluntatem exquireret. Mira enim est vis musicæ medendis animi affectionibus et mitigandis, sedandæ perturbationi, menti elevandæ ad cœlestia, si divinæ potissimùm res carmine celebrentur ; hoc veluti adminiculo tunc Elisæus eguit, aut utendum saltem censuit, ut se compararet ad excipiendam illustrationem propheticam, quam reapsè accepit à Deo ipso se invadente, non ab harmonico sono, qui instrumentum tantùm fuit animi motibus componendis, mentique ad Deum convertendæ aptissimum.

Prophetis tradi adolescentes instituendos decebat maximè, etiamsi nemo esse valeat prophetiæ magister. Cùm enim prophetæ summo studio legem curarent, et divinâ fungi ad homines legatione esset honorificentissimum, in eorum disciplinam se dabant cùm adolescentes, tum qui religionem impensiùs colere studebant ; unde et prophetarum choros et filios prophetarum in Scripturis legimus. Exercebantur ii in divinis laudibus canendis, carmina componebant quæ et canebant saltando ; ac fiebat sæpè, ut spiritu Dei repentè correpti sacros hymnos effunderent. Verùm studio evasisse prophetas, et prophetiam quoddam scientiæ genus fuisse præceptionibus acquisitum, impium est conjicere, cùm solâ divinâ vocatione prophetæ fiant, non humanis institutis. Nam ante Samuelem nulli leguntur prophetarum conventus, quorum auctor ipse fuisse creditur ; fuerunt autem multi ante Samuelis ætatem rerum futurarum cognitores. Deinde etsi Deus ex illo hominum choro divinis laudibus celebrandis addicto quosdam sumeret quos afflaret ; sæpè tamen homines in eum conventum nunquàm ingressos delegit voluntatis suæ præcones. Elisæus litteras non didicerat, eique in agro aranti divinum Spiritum participavit Elias, lib. 3 Reg., cap. 19, v. 19. Amosum indoctum fuisse, et bubulcum ejus scripta declarant : vidit autem divinâ imbutus scientiâ multorum regnorum casum .Igitur neque ingenium neque exercitatio in studiis quempiam perducebat ad propheticum officium.

De Balaami religione, et ratione cognoscendi futura non est hìc disputandi locus. Veri Dei cultorem fuisse puto, quales erant extra Israeliticum populum, qui naturæ, ut aiunt, præcepta sequebantur, sive legem à patriarchis acceptam, eamque falsi cultûs puram servabant. Nam de vero Deo dignè adeò sentiebat, et loquebatur, ut meliùs neque sentire, neque loqui vir, Deo uni obsequentissimus posset. Jussit primò apud se manere noctem regis Moabitæ nuntios, si fortè noctè accepisset à Deo, quam ipsis responsionem daret. Venit Deus ad Balaamum noctu, qui et jussit ne se illis adjungeret, neve populo Israelitico malediceret; reipsà Propheta legatos dimisit, inquiens se eorum comitatu à Deo prohiberi. Rursùs cùm Balac

novâ nobiliorum legatione cum promissis largioribus ipsum accerseret, respondit : *Si dederit mihi Balac domum suam plenam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plùs vel minùs loquar*, Numer., cap. 22, v. 18, qui sanè sermo non est neque mendacis vatis, neque magi, neque idololatræ. Quanquàm verò nec magicis artibus uteretur, nec falsos deos coleret, avarum se muneribus corruptum, flagitiosum postea præstitit, qui, permittente quidem Deo, cum legatis profectus iter suscepit; sed animo, si quo modo posset, maledicendi populo, cui à Deo benedictum sciebat; quapropter et in divinam gravissimam reprehensionem incurrit. Itaque veri Dei inspiratione cognoscebat Balaamus quibus esset benè vel malè dicendum; non studio, non arte vim fatidicam acquisierat. Sed si quis contentiùs velit magum potiùs, atque incantatorem hominem credere, quod mihi persuadere nequeo, is argumento respondeat regem Moabitarum, qui magnificè dixit oracula Balaami nunquàm vana, nec preces irritas esse, seu bona, seu mala ille adprecaretur, dixisse ductum vanâ de Balaamo opinione, quæ apud vicinos populos percrebuerat. Certè totum negotium, cap. 22, ad 24, Numer., à Balaamo gestum probat, quamcumque tandem profiteretur artem, ex veri Dei afflatu felicitatem Israeli prænuntiâsse.

Deuteronomii cap. 13 locum explicare duplici modo possumus. Vel enim prophetæ nomen ei tribuit Moses, qui se prophetam faciebat, qui conjectando, qui fortuito casu, qui ope dæmonis signa quædam prædicens ob id nomen atque auctoritatem prophetæ immeritò sibi comparaverit; vel ibi prophetam appellat, qui verè divino actus Spiritu ventura quædam contingentia certò providerit. Quocumque modo accipiatur Prophetæ nomen, nihil causæ nostræ officit. A primo quidem semper cavendum est, qui propheticam cognitionem nunquàm habuit, et nomine prophetæ abutitur ad decipiendum; quare in eo poni exemplum nequit hominis absque Dei illustratione prophetantis ex aliquo artis adjumento. Alter divinitùs quidem assumptus erat ad prophetandum; sed quoniam accepto illo Dei dono peccare adhuc quis potest, et labi, atque in deterius ruere, non modò audiendus non est, si ad colendos falsos deos postea sollicitet, sed etiam spoliandus vitâ. Inquit ergo Moses : si surrexerit inter vos seu qui opinionem habeat prophetæ propter somniorum suorum prædicationem, cùm propheta non sit, seu qui olim verè divinam legationem obierit, tentet verò insinuare in animos vestros falsorum deorum religionem, cavete ab homine, et lapidibus obruite. Quo monito, seu potiùs præcepto, significavit Moses, non ex præcedente vaticinio, etsi divino, dijudicandum esse de hominis fide et dignitate, sed ex præsenti doctrinâ de nequitiâ faciendum judicium, et pœnam sumendam; adeò ut manifesto argumento sit prophetam ampliùs non esse, sed filium Belial morte dignum, statim atque consilium dat recedendi à Deo, quanquàm olim, se verum prophetam esse, signis atque prodigiis comprobâsset. Sed contra Spinosam de propheticâ virtute admodùm satis.

§ 2. *Manichæorum argumenta dissolvuntur.*

Secundo loco à Manichæis aliâ ratione opponitur. Si Deus legem ullam dictâsset homini, ipsum de æternâ quam dicunt felicitate, de æternis pœnis, deque animi immortalitate præ cæteris docuisset, quæ capita sunt religionis divinæ, quibus sublatis nihil est nisi humanum; atqui in toto Pentateucho de æterno præmio non agitur, quod sit consecuturus animus corpore solutus, cùm legi servierit, neque de pœnâ ullâ subeundâ post animi à corpore migrationem, qui vitiis se dediderit, sed legis custodibus totum præmium propositum est in propagatione generis, in vitæ longævitate, inimicorum cæde, copiâ annonæ, frugum, lactis, mellis, rerum omnium affluentiâ, celebritate nominis, et imperii amplificatione; tota autem legis desertoribus indicta pœna est gladii, ignis, laquei, lapidum, brevitatis vitæ, servitutis, amissionis bonorum, cladis ab hostibus accipiendæ : lex igitur Mosaica à Deo non est.

Præterea nequit Deus bellulno sanguine delectari, aut odore suffituum :

Seu bilis ustæ, seu crudorum ossium,
Projecta quæ vix tangit esuriens canis
Gaudere donis, idque honori ducere,
Facientibusque gratiam reponere,

irridebat Porphyrius : non potest rata habere tot genera sacrificiorum, lustrationum, cæremoniarum, mysteriorum, rituum animi puritatem non efficientium, quibus Mosaica religio continetur, nec quæ ipse creavit, potest eorum quidquam immundum reputare; atqui vetus Testamentum hujus generis præceptis, legibus totum fartum est tanquàm rebus à Deo probatis; ergo divino afflatu non est conscriptum. Quibus si addas nunquàm futurum fuisse, ut lex antiquaretur, quæ Deum haberet auctorem, quippe cùm Deus ipse sibi repugnare nequeat, neque rejicere nunc, quod olim gratum habuit; abrogatam autem à Christo esse legem Mosaicam : confectum erit Deum nullas partes in scriptione veterum Bibliorum habuisse.

Resp. gravissima argumenta esse, et quæ longâ tractatione egerent : nos verò sine multâ prolixitate dicturos plus etiam quàm opus sit ad confutandos Manichæos. Doctrinæ de immortalitate animorum, et felicitate, quam ex vetere Patrum traditione Israelitæ plenè didicerant, aut in eorum dictis, et factis memoriam Moses replicavit, aut insignia monumenta in historiâ suâ reliquit. Primo enim initio Geneseos scripsit hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum; ejus corpus è limo formatum; ex divinâ verò in nares inspiratione animam infusam in corpus exstitisse; quo satis ostendit quid multò nobilius et præstantius materiâ hominem esse, atque ut diversa erat corporis, et animi natura, sic non eumdem utriusque finem esse. Capitibus verò 2 et 3, dicitur homo conditus ad agendam perpetuò quietam et beatam vitam, si paruisset Deo; mors enim et ærumnæ peccati sunt

stipendia; lapso autem homine in vitium, ei spem attulisse Deum, imò verò promisisse gratiam iterùm à se initurum operâ seminis mulieris; moriturum quidem; nam pœnæ decretum erat irrevocabile; sed revicturum, atque ad eam perennitatem beatitatis perventurum, unde excidere ampliùs non posset, et neque peccare, neque vitam æternam amittere; quam promissionem de spiritali equidem beneficio, non temporario, protoparentes primùm, tum Hebæi omnes intellexerunt, ex quâ consequebatur et in perpetuis miseriis, in quas fuissent nati, mansuros qui fidem suam et spem in eo semine non posuissent. Item dixit Deus Abrahæ Genes., cap. 15, se futurum ejus mercedem : *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis;* cap. verò 17, v. 7, se cum ipso fœdus sancire, atque esse ipsius Deum et nepotum : *Ut sim Deus tuus, et seminis tui post te.* Hæc autem dicta ampliora multò sunt, quàm ut potuerint præstari largitione terrestrium bonorum, quæ Abrahæ, ejusque posteris largitus est Deus.

Præterea Jacobus Geneseos cap. 37, v. 35, satis declaravit filium suum vivere, etiamsi à feris discerptum putaret, et se quoque victurum, cùm eum in inferis convenisset : *Descendam ad filium meum lugens in infernum;* idemque ipse propemodùm moriturus, abrupto sermone, quem habebat de futurâ sorte filiorum, exclamavit : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Quid verò post mortem exspectaret, si totus erat interiturus, si nihil ad se mortuum attinebat? Denique ne plura colligam, Deus ipse Exodi cap. 3, v. 6, Mosi dixit : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob;* Deus utique viventium, non mortuorum : quod de resurrectione disputans Christus Dominus Matth. cap. 22, v. 32, Sadducæis opposuit. Nec prætereundum est vel Balaamum Numer. cap. 23. v. 10, viso Israele, clamâsse : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia;* quibus verbis inquit R. Becchai ad hunc locum, *manifestari nobis de seculo animarum, et de seculo futuro, quod est per resurrectionem mortuorum.* Ex hisce aliisque hujus generis, quæ in libris legis tacta sunt (in libris enim Psalmorum et Prophetarum res est apertior, de quâ disputari non potest), intelligebant profectò Hebræi, exspectanda sibi esse post hanc mortalem vitam cœlestia bona, si pietate coluissent Deum, ejusque mandata perfecissent, et certè exspectabant. Suggerebatur ea spes ex vivendi ratione, et toto vitæ cursu, quem tenuerant Abraham, Isaac et Jacob defuncti non acceptis promissionibus; ex fœdere eodem secum ipsis iterùm pacto, quod Deus olim cum Abrahâ pepigerat; ex ipsâmet lege, quæ utpote Dei, non hominis, hominem ad finem dignum Dei largitate necessariò instituit, æternam videlicet beatitatem. Igitur et ex Mosaicis libris colligebant Israelitæ bonis benè futurum in alterâ vitâ. Quin etiam sacrificia, cæremoniæ, ritus, terrena merces observantibus legis constituta, ut erant typica omnia, erigebant animum exspectatione cœlestium, ac referebant filium illum primum Adæ, rursùs Abrahæ promissum, qui hominum peccata expiâsset, qui sanctos fecisset, qui spiritalibus bonis, et cœlestibus suos cumulâsset; unde et in lege ipsâ promissionem quamdam habebant æternæ felicitatis. Nihil singillatim dico de æternis pœnis; seu quòd æternæ mortis cognitio oriretur ex primo hominis peccato, quo universum genus humanum subversum est, ut egeret reparatore; seu quòd contrariâ ratione consequatur, si mercedem æternam boni exspectarent, æterna supplicia malis fuisse metuenda.

Atque hæc ipsa est basis doctrinæ Apostoli Pauli, qui sæpe inculcat Christum Jesum salutis nostræ auctorem Patribus esse promissum; sæpè etiam confirmat legem ad Christum deducere; quidni ergo et veris legis cultoribus salus in Christo eâdem ratione promitteretur? Actorum cap. 13, v. 32, inquit : *Et nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est.* Ad Romanos cap. 7, v. 13 : *Scimus enim quia lex spiritualis est.* Et cap. 10, v. 4 : *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti.* Ad Galatas cap. 3, v. 16 : *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus... qui est Christus.* Et vers. 23 : *Priusquàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Quòd si patres quibus Christus est promissus, et quorum Deum se esse Deus dixit, cœlestem patriam inquirebant, ut ait idem Apostolus, planè fatendum est et Judæos patrum vestigia sectantes cœlestem patriam inquisivisse; atqui Apostolus perspicuè dixit ad Hebræos, cap. 11, v. 10, ad 16, patriarchas esse *fide probatos Deo*, defunctos, *non acceptis repromissionibus,* confitentes *se peregrinos esse super terram;* propterea exspectâsse *fundamenta habentem civitatem, cujus artifex*, et conditor Deus, atque appetivisse *meliorem, id est, cœlestem; ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum : paravit enim illis civitatem.*

Nec sanè poterat, quin Hebræis ex ipsâ legis meditatione constaret eos qui fidem promissis Abrahæ factis adhibuissent (quòcumque tandem promissa illa referrentur) quique legem integro animo servâssent, plus multò habituros præmii et mercedis, quàm temporaria isthæc bona quæ explicatè sibi promittebantur. Cùm enim lex eximias virtutes præciperet; non exteriorem tantùm actionem, sed internas quoque affectiones moderaretur; juberet in Deo solo quæri hominis felicitatem; toto corde, totâ mente, totis viribus Deum diligi; pro Dei gloriâ, et cultu fortunas omnes perdi, et vitam ipsam profundi; fieri profectò non poterat, quin et quodam pacto lex eadem polliceretur eos beatam vitam cum Deo post mortem acturos, qui omnia servâssent, et è contrario miseram, qui à viis Domini recessissent, etiamsi de hâc ipsâ mercede, vel supplicio apertè non meminerit. Et quidem quem fructum paritura esset legis observatio, et Tobias, et Machabæi fratres cognoverunt; quemadmodùm et Eleazarus quid legis violatio allatura esset detrimenti. Tobias cap. 2, v. 18, inquiebat cognatis : *Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquàm*

mutant ab eo. Et lib. 2 Machab., cap. 7, v. 9, alter fratrum Machabaicorum inter gravissimos cruciatus exprobrans Antiochi immanitatem : *Tu quidem, scelestissime, in præsenti vitâ nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Atque è contrario in eodem libro cap. 6, Eleazarus venerabilis senex ad Antiochum raptus, cùm aperto ore hians compelleretur porcinas carnes manducare, sponte ibat ad supplicium, atque amicis iniquâ miseratione commotis, qui suadebant, ut licitos reapsè sumeret; simularet autem vetitos cibos edere, atque ita à præsenti periculo se eriperet, respondit, malle se præmitti in infernum, quàm vitæ suæ turpi simulatione consulere : *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.* Igitur ex Mosaicâ lege satis intelligebant Hebræi se ad præceptorum actionem spe æterni præmii invitari, et contra metu æternorum suppliciorum deterreri à legis violatione, neque solùm temporariis commodis, ærumnisve se adduci aut retrahi.

Cur autem in totâ lege apertior æternorum bonorum post hanc mortalem vitam mentio ac promissio facta non sit, quædam afferri solent causæ. Prima, ad quam et aliæ facilè revocantur, hæc est, legem typicam fuisse in umbris, et figuris rerum spiritalium sancitam; typum verò non potuisse poni nisi in terrestribus et corporeis. Altera est, populo, qui sensuum illecebris rapiebatur, bonis terrenis inhiabat, quæ sunt carnis sapiebat, spiritalia gustare non poterat, nisi melle oblita, præmium ostendi debuisse congruens indoli, ad eamque Deum indulgentius se accommodâsse. Tertia accedit, Deum veterem legem tradendo, non tam se Hebraici populi Deum exhibuisse, quàm gessisse imperatorem et principem, ut propterea reipublicæ hebraicæ administratio Θεοκρατεία, *Dei principatus* vocaretur; eas verò imperatorias et regias partes sibi sumpsisse, quod est officium oculis subjectius, ut se naturâ, et totâ æternitate Deum veræ et perpetuæ felicitatis auctorem esse in eâ Hebraicæ gentis œconomiâ homines intelligerent; divini propterea consilii fuisse præmia in hâc vitâ polliceri subditis, qualia nemo principum dare suis potuisset, et perfectam animæ beatitatem in altero seculo obtinendam præsentis vitæ commodis quasi delineare.

Sed Hebræi, qui ferre non possunt quempiam dicere, se pro legis edicto temporariis tantùm bonis fruituros, aliam non inopportunam rationem ex fœdere ipso depromunt. Aiunt primò iniquos esse, qui sibi legis præcepta facientibus æterna præmia proposita non existimant; se resurrectionem carnis, et vitam æternam inter articulos habere, quæ *fundamenta* vocant, à Mose et prophetis acceptos : et Sadducæos postremis Judaicæ reipublicæ temporibus natos pro hæreticis atque atheis semper habitos ob id quòd adversùs legem pravè sentirent. Deinde adnotant in verbis fœderis non potuisse corporeis et terrestribus promissis spiritalia adjungi, quia fœdus totam nationem adstringit, ac bona ipsa, quemadmodùm et mala multitudinem afficiunt, cui sunt posita ob oculos. Etenim quæ in totam gentem cadunt, debent esse omnibus communia, sive inter multos bonos pauci mali reperiantur, sive inter multos malos boni pauci; atqui communia esse non possunt seu præmia, seu supplicia, nisi corporea. Potuissetne Israelitis omnibus æterna vita promitti, si malus quispiam esset; aut contra indici æternum supplicium, si quispiam bonus? Necesse ergo erat, ut præmia et pœnæ in lege sancitæ, quæ rempublicam atque universos attingunt, terrestribus bonis aut malis definirentur, ut si major numerus esset obtemperantium legi, bonis afficerentur omnes; si contra improborum, in omnes animadverteretur. Brevi, temporaria merces genti universæ pro numero parentium mandatis datur; spiritalis verò singulis pro operum ratione penditur; singuli enim in justitiâ suâ vivunt, et singuli in iniquitate suâ moriuntur. Hæc scribunt R. Moses Nachmanides, et R. Joseph Albo in libris *Etz scadul, arbor plantata*, et *Ikkarim, de fundamentis*, quæ in caput 26 Levitici R. Abravanel probat.

Nos verò ad allatas primo loco causas hanc addimus, quæ rem conficit, nempe quia congruebat tempori sublimia Dei consilia velis quibusdam tegi, divinâ providentiâ ita postulante, ut Christo Jesu, qui omnium bonorum spiritalium auctor est, manifestatio clarior divinæ voluntatis reservaretur, consentaneum fuit, æquissimumque obscuram cœlestium bonorum imaginem delineari symbolis terrenæ felicitatis, quæ sola priscis hominibus promitti videbatur. Nec decuisset, ut quod non lex donabat æternum præmium, sed unde habendum esset, eminùs ostendebat, ab ipsâmet promulgaretur distribuendum, perinde ac ejus distributio ad se pertineret. Enimverò cæremonialia præcepta, multò autem magis forensia, neque sanctum hominem, neque beatâ vitâ dignum per se ipsa efficiebant; moralia verò, quæ decalogi sunt, non ex legis promulgatione vim obligandi sumebant, neque fructus æternos gignebant ex promulgatione, sed ex æternâ Dei lege in hominum animis insculptâ; præstita autem cœlesti præmio digna erant ex fide per dilectionem operante. At fides sub vetere lege, nempe fides seminis mulieris, quod olim serpentis caput obtrivisset, fides seminis Abrahæ, in quo foret, ut gentibus omnibus benediceretur, nondùm erat explicatior; neque ergo explicatiorem esse decebat æternæ mercedis commemorationem. Atqui fides incarnationis, passionis, mortis, virtutis gloriæ Christi sub typis sacrificiorum, arcæ, cæremoniarum concludebatur; igitur et æquum erat spem præmii ex toto cultu legis referendi in præsentis vitæ bonis adumbrari.

Nunc totum colligamus, quod posset hùc revocari, ne fortè quis veteri legi plus tribuat, quàm sit tribuendum. Lex vetus, quantùm necesse erat prioribus seculi temporibus, significabat fore in æternum beatos, id est si rem benè intelligo, in loco quietis et tranquillitatis in omnis doloris vacuitate, in perpetuo gaudio vitam acturos, qui divinis præceptis obtemperâssent, etiamsi qualis futura esset ea beatitas, re nondùm clariùs manifestatâ, non satis assequerentur. Quoniam verò patriarchis, et quibus Christus explicatè promittebatur

compertum erat quali felicitate essent fruituri, in ipsorum fidem atque spem vulgares homines fidem suam suamque spem concludebant. Concludebant autem animo repetentes generatim promissiones Abrahæ factas, quas copiosissimas et magnificentissimas esse non dubitabant, credentes, et sperantes completum iri absolutissimâ divinâ clementiâ. Ad eam tamen felicitatem lex Mosaica non perducebat : nam fœdus carnale, quod erat in circumcisione carnis pro Abrahæ genere sancitum, cujus jura vitulis, bobus, agnis, hircis et corporis actionibus ferè omnia erant servanda, non valebat hominem à cupiditatibus, à vitiis, à peccati servitute eripere; itaque nec valebat in æternæ beatitudinis possessionem mittere, quod erat novi fœderis dignitati reservatum. Justitia enim omnis et sanctitas, cui æternum præmium debetur, ex fide in Christum, ex applicatione meritorum Christi manant; atqui ejusmodi fides atque applicatio dona sunt novi fœderis ; iis igitur qui totam legem credendo servâssent, præmium non ex veteris legis operibus, sed ex novæ beneficio obtigisset, quoniam et justitiam ex futurâ Christi morte novoque fœdere fuissent consecuti. Cùmque res ita esset, lex Mosis per se nisi temporariam mercedem reapsè non dabat; spiritalem autem figuratè in suis cæremoniis prænuntiabat in novâ esse persolvendam. Si igitur lex Mosis propriâ virtute neque hominem sanctificare, neque vim bonis æternis olim assequendis parem indere, neque vitam beatam efficere poterat, mirandum non est Judæos ad præceptorum actionem spe æternæ vitæ propositâ apertius non excitari.

Hoc primo argumento explicato, ineptè obtruditur alterum, quod alibi planissimè dissolvemus, cùm veteris legis externos apparatus divinæ auctoritatis esse contra Marshamum et Spencerum, non ab ethnicis ad populum Israeliticum traductos ostendemus. Non delectatur, haud dubiè Deus hircorum et vitulorum sanguine, non odore ullo recreatur, non cultu corporis, aut aliquo vestium genere mulcetur; optimis tamen de causis plurium sacrificiorum genera instituit, pecudum mactationes, libamina, thymiamata præcepit, munda ab immundis discrevit, et multiplices ritus ac cæremonias in actionibus humanis atque indumentis præscripsit. Duas potissimùm ejus rei causas externas ex sanctis Patribus habemus. Altera est, ut legitimis occupationibus distentus populus retraheretur à falsorum deorum cultu, nec facilè rapi se ad idololatriam sineret, quippe gravibus religionis officiis coercitus, et pressus ac vinctus compedibus. Ne igitur fortè Hebræis libido esset externas cæremonias quærere, unde ad alienos deos colendos declinaret, sapientissimus Deus suâ lege cæremoniis addictos voluit, et multis, adeò obstrictos, ut si toti officio satisfacerent, ne otium quidem eis esset cogitandi de sacris alterius falsæ religionis institutis. Atverò ne putarent cultum Deo debitum externis iis actionibus contineri, significatum præterea est esse vacuas, neque acceptas Deo, nisi cum animi puritate, verâque pietate conjungerentur. Quamobrem et objiciebant populo prophetæ nolle Deum vitulorum, agnorum, hircorum sanguinem neque adipem pinguium. Altera causa est, ut electus à Deo populus ex legis observatione distingueretur à cæteris, ac dignosceretur, ut quicumque ex finitimis populis Israelitam vidisset, ex cibi, et potûs genere, capillis, barbâ, vestibus, facilè Israelitam esse judicaret; ex eâ scilicet gente, quæ singulari religione colebat Deum cæterorum deorum dissimillimum; aut saltem curaret investigare, et percontari, unde is et quis esset, ut tandem intelligeret hominem esse Abrahamo per Isaacum secundùm promissa divina ei facta prognatum, atque ex eo populo in divinam tutelam recepto, quem nulla temporum vetustas, nulla humanarum rerum inconstantia deleret. Multò autem faciliùs meminisse debuisset ipse Israelita ex quotidianis, et cultum corporis spectantibus institutis, se in Abrahâ à gentibus reliquis post falsos deos abeuntibus divinâ benignitate secretum, seque teneri divino ei beneficio gratum præstare.

Singulorum autem institutorum rationem æquam esse quisque planè cognoscet, si animo religionis studioso attentiùs singula consideraverit. Multa enim à Mose divino instinctu præcepta sunt ad commemoranda mirabilia prodigia, quibus populo Deus adfuerat sive in egressu ab Ægypto, sive in toto itinere ad terram usque lacte et melle fluentem. Nam monumenta in cæremoniis et ritibus relicta, perpetuòque mansura, majorem fidem posteritati factura erant mirabilium Domini, quàm si nudè postea narratum fuisset populum olim miraculis à Deo acquisitum sibi. Multa pariter ad significationem sublimium mysteriorum venturi Messiæ, ac propitiationis in ejus sanguine propositæ sancita sunt. Sic animantûm mactatio significabat morte dignos esse peccatores, et supremo supplicio eluendum scelus. Insita enim hominum animis notio erat in sacrificiis morte addici animal innocens pro animâ quæ ob reatum erat digna supplicio. *Hoc ipsum lex de victimis lata*, ait Eusebius, lib. 1 Demonst. evang., cap. 10, *cuique hoc advertenti indicat; nam capiti victimæ unumquemque dùm sacrificat, manus habere injectas imperat, et ad Sacerdotem animal ipsum adducere capite comprehensum, atque detentum, quasi qui pro ipsius capite hostiam exhibeat.* Significabat et præcipuè humani generis peccata innocentissimæ, Deoque acceptissimæ victimæ sanguine olim expianda. Purgationum, lustrationum, lotionum ratio hæc erat, ut animæ immunditiem caverent Hebræi, neque in sordibus obsolescerent : circumcisionis verò, ut prava et perversa omnia cordis amputarent. Multarum aliarum legum, quæ futiles videntur et vanæ, explicatio ex alio planè quàm litterali sensu, atque obvio promenda est, quòd abditam quamdam, atque allegoricam significationem sub verborum involucro legislator occultaverit ad vitia quædam cautiùs reprehendenda ac vitanda, nisi quis dicere malit ostendendo saltem summo Dei in res omnes imperio leges quoque illas conduxisse. Ad religionem igitur, ad veram Dei cognitionem, ad veteres de naturâ divinâ, ejusque cultu evellendos errores, ad morum institutionem, ad significationem novi Fœderis

leges omnes in vetere Testamento latas pertinere intelligunt, qui divina mysteria non ignorant.

Quæ cùm ita sint, tantùm abest ut concludi possit, si divina fuisset lex Mosis, nunquàm mutari debuisse, ut potiùs contrarium sit concludendum. Nam quod Deus accommodatum tempori esse voluit deducendis ad Christum Judæis, et futurorum adumbrationi ac rudimento, totum illud lapso tempore excidere, atque apparente veritate compleri, ac dissolvi necesse est cùm ex Dei consilio, tùm ex rei ipsius naturâ. Lex autem vetus erat hujusmodi; novæ ergo legis promulgatione abrogari debuit. Sic quæ parvulum decent, adulto sunt inepta : quæ imperitis necessaria, doctis inutilia; mutatisque temporibus ipsa quoque, quam ex adjunctis metimur, honesti ratio mutatur. Sic (ut suo loco Apostolum interpretabimur scribentem vetus Testamentum propter inutilitatem esse reprobatum) typi, et signa apta sunt, cùm futurum est aliquid; inepta prorsùs, quando, quod futurum erat, existit : quemadmodùm perfecto absolutoque ædificio disturbatur quidquid tabularum, trabium, machinarum colligatum est ad construendum; quoniam ut hoc fieret, ita quidem usus erat : opere autem confecto, tota instrumentorum utilitas abiit. Neque magis indignum est Deo, suum ipsius opus, quod est mundi opificium, flammis tradere, absumere, perdere, aut omninò renovare, quando ad cœlestem patriam justos omnes perduxerit, et malos æterno carceri tradiderit, quàm fuerit veterem legem abolere propagato Christi in terris imperio. Quanquàm dissoluta lex non est, sed impleta, et perfecta, ut Christus inquit : *Non veni solvere legem, sed adimplere*, Matth. cap. 5, v. 17. Nam cùm veteris legis quasi medulla et substantia esset donum spiritale, et virtus donum illud producens, nempe Christus; lex autem Evangelica absolutissimè hæc omnia præstet, ad eamque dignitatem adducta sit, quam habere religio potest, quisque facilè intelligit Mosaicam ex evangelicâ lege ad summam absolutionem pervenisse. Hæc præsertim contra Manichæos.

§ 3. *Deistarum objecta diluuntur.*

Tertio loco aggrediuntur in hunc modum, qui scriptum Dei verbum contemnunt, etsi Deum existere, nostrûmque curam habere fateantur. Si quæ scribi voluisset Deus, quæ utique docendi hominis causâ, et suæ declarandæ voluntatis voluisset, ea primum aperta essent, omnibus obvia, intellectu facilia, non obscura, non arcana, non intricata, non in diversos sensus versatilia : præterea undequaque constarent sibi omni sententiarum contrarietate sublatâ : nullis essent maledictis, nullis imprecationibus inspersa : neque redundarent quibusdam in locis, in quibusdam deficerent : neque demùm ineptias quasdam, et insulsitates indignas Deo complecterentur, aut fragmenta ab ethnicis scriptoribus excerpta. Atqui Scripturæ quas habemus, sæpè implexæ adeò sunt atque intricatæ ut quantumcumque diligentiæ adhibueris, intelligi non queat quid sibi auctor voluerit, et vel inter doctiores de veri sensûs intelligentiâ disputetur. Multa etiam sunt in Scripturis inter se repugnantia : multa in Jobo præsertim, et Psalmis contra divinam providentiam pronuntiata, imprecationes, execrationes, blasphemiæ non paucæ : multa repetita in Mosaicâ præcipuè historiâ, quæ suffecisset semel dixisse; alia è contrario paucioribus dicta, quàm oportuisset : insulsa denique et inepta non pauca, cujusmodi est serpentem locutum Genes. cap. 3; arbores concilium iniisse, Judic. cap. 9; canem movisse caudam, Tob. cap. 11; Cretentes semper mendaces, malas bestias, et ventres pigros, Paul. ad Tit. cap. 1, ex Epimenide exscriptum; atque horum similia ex poetis Arato et Menandro sumpta divinæ ergo Scripturæ non sunt.

Ad singula ex ordine respondeo. Et primo quidem procul dubio institutionis nostræ causâ Deum voluisse mandare litteris, quæ mandata dicimus divino instinctu: neque tamen omnia omni ex parte plana, et aperta esse oportere, ut sine studio, diligentiâ et labore pateant. Divina sunt, adeòque excelsa, sublimia, diligenter investiganda, ut SS. Patres inquiunt, ne, si illicò sensum assequamur, vilescant, aut pluris quàm hominum verba non æstimentur. Ut in nobis pariter discendi amor excitaretur; ut semel percepta tenaciùs memoriæ inhærerent; ut quò magis introspiceremus, eò majores etiam fructus consideratio afferret, voluit Deus quædam esse tenebris quasi involuta, quæ non extraherentur in lucem, nisi magno labore et diligentiâ adhibitis. Quædam, inquam : nam sententiæ, quibus fides, et morum ratio continetur significantiores sunt, quàm ut tantam animi contentionem postulent. Mysteria verò, et quæ ad res abditas, à sensibus remotas, summâ majestate præditas, in futurum eventuras referuntur, quid mirum si difficilia sint, nec sine maximo studio penetrabilia, vel etiam omninò inaccessa, aut per caliginem duntaxat mente imbecillâ cernamus? Hæc superbiam nostram deprimunt, docilem animum inspirant, ingenio nostro diffidendum, exercendam fidem, precibus vacandum admonent, et Deum, resque divinas multò esse humanâ mente superiores convincunt. Non dedecent autem Deum sermones quidam obscuri, etiamsi ad institutionem nostram loquatur : imò verò decent magis vel ethnicorum judicio. Nam etsi fieri nulla debeat, aut possit inter sacras scripturas, et ficta falsorum deorum responsa comparatio; tamen cum ethnici fingerent, sæpè in fabulis locutum Deum induxerunt arcana dicentem, quæ multâ egerent explicatione. Reliqua verò obscura in quæ interdùm in historiis incurrimus, nobis obscura sunt, qui mores, ritus, consuetudines, instrumenta, loca, causas, dicendi genus, aliaque ejusmodi ignoramus; non autem iis ad quos ab initio sacri scriptores verba fecerunt.

Repugnantia in scripturis nulla reipsà reperiuntur : si verò quædam specie tenùs dissentire videantur, optimè tamen inter se consentire intelliges, si verum sacri scriptoris sensum mente complectaris. Animum divino verbo in corde excipiendo præpara; res diversas distingue, aut diversum rei ejusdem significandæ modum; ab uno scriptore fusiore stylo, ab altero contractiore narratum quidpiam considera; varias unius

verbi eâ linguâ, quâ primò scriptus liber est, significationes investiga; ibi quæ conjuncta videntur separa; alibi quæ disjuncta conjunge; rem partim in uno loco, partim altero descriptam puta, ut ex utroque initium, prosecutionem et finem colligas; quæ desunt, quod olim intelligerentur supple; stylum et dicendi genus cognosce, alterum plenum figurarum, sublime, poeticum, alterum planum atque humile; sensum litteralem alterum, alterum allegoricum tene; aliaque adhibe argumenta quæ à veteribus Scripturarum interpretibus præmonstrata sunt intelligendis Scripturis; jam nullus erit in sacris Libris, qui verè alteri opponatur, locus. Non possumus certè hìc opportuniùs iis respondere, qui exaggerant multas esse in sacris auctoribus discrepantias, quàm si in genere reponatur id immeritò nobis objici, multisque modis consentiens effici posse, quod videtur repugnans.

Quod tertio loco opponitur, maledicta atque execrationes in Jobi, in Psalmorum libris reperiri, hominum est ex litteræ cortice judicantium. Ignorant ii poeticas figuras, vivas ærumnarum et dolorum descriptiones, orientalium dicendi modos, et vehementiores motus animi summoperè à peccato abhorrentis, divinamque justitiam exorantis, ut peccati radices evellantur. Jobus nulla in Deum maledicta, nullas blasphemias protulit, quem nihil peccâsse, nihil perversè locutum Deus ipse testimonium reddidit. Gemuit quidem, doluit, questus est, naturæ afflictæ imbecillitati indulsit, ac doloris magnitudinem hyperbolicâ exaggeratione expressit, ut si fieri potuisset, vellet neque se natum esse, neque diem, in quo natus est, mundo illuxisse, atque etiamnùm caliginosum esse, tenebricosum, ab hominum memoriâ deletum. Adeò miserrimus homo conjectus erat in equuleum, et opprimebatur doloribus, et conficiebatur! Sed hæc animi miseriis perculsi, easque sentientis querimonia est, cujus acerbitatem, si quæ sit, Hebraicæ linguæ proprietas lenit, et poeticus stylus hyperboles, atque exaggerationes postulans. Quare et vehementiùs contra amicos causam divinæ justitiæ tuitus est, quam susceperat defendendam.

David verò vehementer optat peccatum, et peccati regnum eversum, atque iniquitatem omni loco depulsam; idcircò et cupit mala ea à Deo immitti in homines prava agentes, quæ ad Deum redire compellant, atque à vitiis avocent, vel saltem aliis exemplo sint ultionis divinæ. Sanctorum enim Patrum sententia est Davidicas imprecationes, uti et aliorum sanctissimorum virorum, qui visi sunt imprecari, vel prædictiones esse impendentium malorum ad modum imprecationis effusas; vel mali temporarii iniquis obventuri desideria concepta ex eorum salutis charitate, ut eo perculsi peccare desinant, et aliquando sapiant; vel imprecationes contra peccati regnum, ut destruatur, et nemo sit qui peccet; vel denique vota hominis divinam justitiam exercere cupientis, amore justitiæ, et obsequio divinæ voluntatis, dùm pœnas ab improbis Deus repetit.

Ad quartum non intelligo quomodò Deum dedeceat nonnulla bis, aut tertium dicere; nonnulla verò paucis perstringere, ut ne absoluta quidem videantur. Accommodat se Deus hominis indoli, quem inspirat, atque ut is vel verbis abundârit, vel fuerit verborum parcior, fit etiam orationem divinam partim copiosiorem esse, partim pressiorem. Nihil tamen plura dicenti inutile omninò, aut ineptum, aut ridiculum excidit: imò verò quæ graviora sunt, quæ frequentiùs animo repetenda, quæ basis et fundamentum legis ac religionis, ea, ut altiùs memoriâ defigerentur, satis non fuisset semel dici. Hebraicè etiam loquentium proprium est, minutiora quædam persequi, et eamdem rem eloqui verbis mutatis. Ergo ne Deus linguæ naturam, et proprietatem immutare debuit, cùm Hebræos inspiravit, ne delicatis istis non saperet? Quod si è contrario alicubi pluribus opus fuisse judicemus, ut res omninò perciperetur, sententiam nostram audaciùs divini Spiritûs voluntati anteponimus, qui noluit fusiorem ibi sermonem adhiberi. Non enim suscepit sacer scriptor sigillatim omnia persequi ad historiam, ad mores, ad reipublicæ administrationem quoquomodo pertinentia, cæteroquin vix ullus fuisset scribendi finis; sed ea duntaxat memoriæ commendare voluit, quæ Judæis prodesse possent ad finem à Deo præstitutum, ad ostensionem videlicet vel providentiæ, vel justitiæ, vel charitatis divinæ, ad informationem morum, ad rerum in novo Testamento futurarum significationem. Si verò quædam prætereà involuta reperiantur, aut extra ordinem et locum suum posita, facile est judicare scriptorem brevitati studuisse, et res potiùs quàm scribendi ordinem prosecutum: aut, ut est quorumdam judicium, pergamenas chartas, seu veriùs arborum cortices, quibus olim inscribebatur, temporum injuriâ fuisse præversos.

Quod ultimo loco objectum est insulsas, et fabulosas historias in Scripturarum libris reperiri, atque indignas Dei sapientiâ, negamus constantissimè. Non enim qui serpentem verè locutum putant, naturali loquendi facultate præditum fuisse arbitrantur, aut nudum animans in cujus viscera, atque os non se abdiderit dæmon humanæ felicitatis invidiâ tumescens. Serpens igitur instrumentum fuit, quo usus dæmon est ad protoparentes perdendos. Et quidem auctor libri Sapientiæ, cap. 2, v. 24, ait: *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* A Joanne verò in Apocalypsi, cap. 12, v. 9, dicitur *projectus in terram;* et cap. 20, v. 2: *Apprehensus et ligatus draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas.* Et Moses ipse serpentem Evæ deceptorem fuisse dæmona satis ostendit, cùm inter ipsum ac mulierem, seu mulieris semen futuras inimicitias Deum prædixisse, scripsit; non utique inimicitias mulieris cum reptilis genere, sed cum maligno spiritu vi divinâ proterendo. Quid verò mireris dæmonem animante abutentem, et edentem voces? Eadem est oppositæ difficultatis solutio, si dixeris dæmonem serpentis formam et speciem induisse, et motu in aere excitato cum Evâ collocutum. Similiter res expeditur, si sentias arbitratam Evam voces è serpentis gutture erumpere,

dæmonem tamen in aere, vel in ipsius mulieris organo vocem finxisse.

Neque pariter mirandum est Evam aut subdubitantem, an et serpentibus esset loquendi facultas, aures præbuisse; aut credidisse spiritum quempiam in serpentis corpus infusum loqui, nihil tamen sibi esse metuendum in eâ vitæ securitate; aut defixis mente, atque oculis in fructu, ejusque pulchritudine, auscultâsse voces ex incogitantiâ, neque advertisse utrùm animans esset sermonis particeps, unde et in laqueum tandem se induerit. Quod verò serpenti Deus inter omnia animantia maledicens dixit: *Supra pectus tuum gradieris, et terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, utrique dixit cum diabolo, tum serpenti: diabolo sermone figurato, quo reptatus, et comestio pulveris humiliorem, probrosioremque statum notat, tristioremque dejectionem: ob id enim quod homini insidias struxit dæmon, abjectior, odiosior, detestabilior rebus omnibus creatis in probro est omnium: ipse autem et mordet humum, et sibi ipsi irascitur, et distorquetur magis, quòd hominem à se prostratum videat divinâ charitate sublimiùs erectum: multò verò magis humanam naturam quam perdere omninò conatus est, in Dei dexterâ collocatam ibi assidere. Serpenti verò (propterea quòd instrumentum fuit ad nudandum hominem: instrumenta autem maleficii, et ipsa detestari solemus) dixit eum fore execrabiliorem, atque aut ipsum reptatum, et comestionem pulveris antea neque fœdam, neque sordidam, fœditati, spurcitiæ, turpitudini fore; aut demptum iri gressum illum, et cibum, quicumque tandem is esset, quo antea gradiebatur et vescebatur, ac detrusum ad reptandum et mandendum pulverem.

Aliter Hebræorum magistri quidam factum interpretantur, ex quibus est *Abarbanel:* scilicet putat Rabbinus iste cùm serpens, vidente atque inspectante Evâ, in arborem scientiæ boni et mali, semel atque iterùm ascendisset, fructus decerpsisset, edisset, seque ob id non haberet pejus, cœpisse Evam secum ipsâ cogitare non esse noxium, nedùm mortiferum ejus arboris fructum, quo impunè serpens vesceretur: quod perinde fuit ac si dixisset serpens, *non moriemini:* prosopopeiæ quodam genere in sacris Litteris non insuetato. Addit scriptum esse: *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum;* non autem, *audivit vocem serpentis, vel fidem habuit ejus verbis:* idcircò impulsam Evam fuisse intelligendum est serpentis facto, agitâsse animo quæ narrantur, quasi fuissent dicta. Pœnam autem serpens subiit, quòd herbis et oleribus reliquo animantum generi concessis, non contentus fructus appetiverit: quamobrem et erepto ei cibo quem antea carpebat, pulvere vesci in pœnam ei datum est, ex quo in ventrem, et pectus gradi debuit, cibum in pulvere quæsiturus. Nolui hanc rabbini sententiam præterire silentio, etsi usquequaque rabbinicam esse putem. Incredulis enim interdùm eâ re satisfacimus, quæ nobis videtur minùs valere. Parùm abest, sin eadem omninò est, eorum opinio, qui arbitrantur nullum in eo mulieris lapsu sermonem intercessisse; sed figurata esse omnia, ut peccatum protoparentum describeretur: Mosen verò figuratâ eâdem locutione rem explicuisse, quia Hebræi delictum Evæ ex traditione narrantes assueverant dicere serpentis blandis verbis, malitiâ et dolo admissum.

Initum ab arboribus concilium causâ eligendi sibi regis, similitudo, et ænigmatis species est multùm erudiens, quâ usus est Johatan, ut fatuum Sichemitarum consilium, atque errorem scitè reprehenderet, eorumque excidium ex incautâ regis electione impendens prædiceret. Maximus est apologorum et similitudinum usus apud Orientales ad instituendos faciliùs homines, trahendos, atque adducendos ad officia; Hebræis autem acceptissimus: neque ab eo cujusque nationis sapientes viri abhorrent, dum est opportunitas. Notissimum est illud Mænenii Agrippæ, quo Romanam plebem, quæ in sacrum montem secesserat, in urbem revocavit. Quare si magna est vis in apologis, in parabolis, in figurato dicendi genere, neque ab usu communi alienum est ita loqui, cur sit indecorum moveri à Deo sapientem hominem, qui gravissimam veritatem similitudine involvat?

Quòd autem dicunt rem ineptam esse describere canem motâ caudâ Tobiæ patri blandientem, adventante hero minore, nos ineptiam non dicimus. In luctu et mœrore erat tota Tobiæ domus, fatigatis jam exspectatione genitoribus, et penè reditum desperantibus, cùm filius subito affuit. Canis, qui comes in viâ fuerat, se vicinum jam domui sentiens non defuit officio, exiliit, gestiit, et præcurrens motu caudæ afflictis senibus, quâ ratione poterat, reducem significavit. Cùm ita verè acciderit, idipsum sacer scriptor adnotavit, quomodò ii facere solent, qui rem quampiam narrando nulla ex adjunctis prætermittunt vividiùs animum percellentibus, atque orationem ornantibus. Indignum id Spiritu sancto qui objiciunt, neque oratores, neque poetas se legisse probant, qui sæpè instar pictorum minima quæque ponunt ob oculos. Sed credendumne est, dicet quis, canem movisse caudam? Credendum est profectò scriptorem sacrum in eâ descriptione non errâsse, quem errare Deus non permiserit.

Cætera, quæ ex poetis Arato, Menandro, Epimenide Paulus excerpsit, atque in suas epistolas transtulit, poetis quidem primò non fuerunt inspirata; Paulo autem venerunt in mentem Spiritu sancto adstante. Nam sicut Christus Dominus cùm pharisæorum et scribarum sententias retulit, atque in eosdem vehementer retorsit, ipsâ suâ locutione profanos sermones ad altissimum dignitatis gradum evehens fecit esse Spiritûs sancti instrumenta ad Judæos suismet armis confodiendos, ita Paulus ethnicorum dicta multò illustriora reddidit, cùmque ea sumpsit, probante Deo sumpsit, ut gentiles à suismet probatis scriptoribus se jam convictos esse intelligerent. Ea verò, atque alia hujus generis, etsi parva videantur, suum tamen momentum habent, et Spiritûs sancti instinctu debuerunt scribi, ut ad Dei verbum pertinerent. Itaque nemo ea parvi faciat, nemo judicet minùs digna, quæ,

Deo inspirante, conscriberentur : quemadmodùm nemo dixerit minùs decere, Deum esse creatorem, et conservatorem vilissimarum rerum : ad ornatum enim mundi, et elegantiam res etiam minimæ multùm conferunt, divinamque providentiam commendant.

§ 4. *Hebræorum et Spinosæ in novum Testamentum calumniæ refelluntur.*

Contradicunt quarto loco Hebræi, atque ita novum Testamentum oppugnant : Christi discipuli locos veterum scriptorum in rem suam transferentes ab Hebraicâ veritate recedunt; quomodò ergo ostendi poterit Spiritum sanctum scribentibus adstitisse? Nam si testimonia quæ se à Mose, à Prophetis assumpsisse dicunt, cum legis verbis, et prophetarum in Hebraico codice adhuc exstantibus conferantur, manifesta erit plerùmque sensûs, et significationis diversitas; ergo nec accuratè, nec diligenter, nec fideliter usi sunt Dei verbo, ut doctrinam suam efficerent credibiliorem. Huc etiam facit Apostolos sententias plures à Mose, à prophetis acceptas in lævam partem detorsisse, atque ad causam suam accommodâsse, ne viderentur omninò tutelâ ac patrocinio prophetarum carere : sed potuitne Deus tam prava, contorta et à mente sacrorum veterum scriptorum aliena novis scriptoribus suggerere?

Si per otium liceret, non responderem modò Hebræis, sed etiam copiâ verborum et sententiarum contumaces homines obruerem. Verum efficiam, ut brevibus refellantur. Evangelistas atque Apostolos, cùm locis quibusdam veteris Testamenti utuntur in rem suam, à prophetarum mente recedere, falsum præjudicium est. Etsi enim demus nunc (quoniam eam ingredi disputationem nolumus, ab Hebraicisne fontibus, an verò à Græcâ septuaginta Interpretum traductione Apostoli testimonia hauserint) Apostolos in sententiis ex vetere Testamento ponendis versionem septuaginta Seniorum secutos; id tamen optimo consilio factum esse dicendum est, atque ita fieri debuisse à viris Spiritûs sancti præsidio munitis. Enim vero non erat opus in prædicatione Evangelii ab Hebraicis Bibliis verba depromere : imò verò consentaneum fuit magis eo modo exscribere, quo in Græcis exemplaribus legebatur multò usitatioribus. Paucissimi siquidem Hebræorum tum Hebraicæ linguæ usum retinuerant; contra græcæ locutionis consuetudo fines totius Romani Imperii obtinuerat, ut et in Synagogis Judæorum Hellenistarum, lecto primùm hebraico textu, interpretatio instar paraphraseos, seu potiùs explicationis ex septuaginta Interpretibus peteretur; atque in scholis Hebræorum græcâ septuaginta Seniorum doctrinâ pueri instituerentur. Cùm igitur Christus Jesus discipulos suos non miserit ad minimam Judæorum partem hebraicè peritorum, sed ad omnes terræ populos græcum idioma loquentes, non solùm oportuit græco sermone Evangelia atque Epistolas scribi; verùm etiam prophetarum scripturas multis ante seculis græcè traductas, atque ab Hebræis in honore habitas assumi.

Quamobrem non nisi injuriâ Evangelistæ atque Apostoli falsitatis insimulantur, quòd aliis verbis ab exemplari hebraico Scripturas proferant, Scripturas, inquam, ab Hebræorum sapientissimis olim versas, et longo usu Judæis omnibus probatas. Dissonum verò fuisset, et fortassè, si fas est dicere, imprudens, Apostolos gentibus potissimùm Evangelii facem præferentes aliis uti quàm græcis veteris Testamenti scripturis, quæ non ita pridem in gentes evulgatæ magnam sibi auctoritatem ubique comparaverant. Neque urgeat quis se nolle credere viros à Spiritu sancto illustratos spiritui Græci interpretis se subjecisse. Nam veriùs se Græco interpreti non subjecerunt Apostoli, sed piâ quâdam indulgentiâ, et sanctâ, plenâque charitatis christianâ prudentiâ interpretationem tum receptissimam secuti sunt iis in locis in quibus parùm aut nihil omninò ad rem ipsam interest, utrum textum Hebraicum an Græcam septuaginta Seniorum editionem sequare. Hanc scribendi rationem sanctum Matthæum non tenuisse crediderim, qui cùm Evangelium pro Judæis Palestinæ incolis Hebraica Biblia legentibus scriberet, ab Hebraico codice hausit testimonia confirmandæ doctrinæ suæ opportuna; etiamsi postea interpres Syriacum Matthæi Evangelium in Græcum transferens sermonem loca pariter verterit, quæ cum septuaginta Interpretibus convenirent.

Quòd si velimus ab omni nos invidiâ liberare, dicamus jam cum veteribus scriptoribus ecclesiasticis Apostolos, nullâ habitâ Hebraicæ, vel Græcæ litteræ ratione, non verba, sed vim prophetarum et legis expressisse. *In multis testimoniis*, inquit Hieronymus, commentar. in Isaiam, lib. 3, cap. 7, *quæ Evangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosiùs attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum.* Ita planè consuetudo erat Christi Domini temporibus Scripturas accommodandi ad orationem, ut non verba, sed sensus in rei cujuspiam confirmationem adhiberentur; uti etiamnum theologi et jurisperiti probantes quidpiam auctoritate sacrarum Litterarum vel legum non insistunt verbis, sed orationi : at quousque sensus idem manet, atque ex usu recepto aliquid agitur, immeritò obtenditur aut exemplaria corrumpi, aut falsarios esse scriptores.

Hinc ad alterum argumentum expedita responsio est, non pro arbitrio locos veteris Testamenti ad institutum suum Apostolos transtulisse, sed morem et traditionem Judæorum secutos, de Christi vitâ, de prædicatione, de miraculis, de novâ Ecclesiâ, de gratiæ divinæ abundantiâ non tam allegorico quàm litterali sensu vaticinia in veteribus Scripturis edita exposuisse. Antiquiores enim Judæi eâ ratione Scripturas sacras interpretabantur traditionis auctoritate freti, ut ad Messiam atque ad novam legem multa transferrent, quæ ad litteram de Synagogâ, de populo Hebraico, de Davide, aliove Messiæ typo dicta videbantur. Cujus rei evidenti argumento sunt veteres ipsorum libri, præ cæteris vero Chaldaicæ Paraphrases, liber inscriptus זואר מדרשים *Zoar, et Medrascim*, sive allegorica commentaria, in quibus planè de Mes-

sià exponuntur plures loci qui in speciem aliud spectant. Rabbini prætereà multò posteriores ætate Apostolorum duplici sensu Scripturas sæpè intelligunt, historico altero, patente, litterali; altero sublimiore, arcano, mystico; quanquàm si non usitatè, sed diligentiùs loquerentur, sensum quoque hunc alterum sublimiorem non minùs litteralem et historicum vocare deberent, quòd propheta non minùs ad rem sublimiorem adjunxerit animum, eamque prospexerit, quàm litteræ involucro veluti texerit; quâ de causâ perinde uno Scripturæ loco populum Israeliticum, Davidem, Zorobabelem et Messiam ipsum significatum fatentur et probant. Qui harum interpretationum exempla volet, habebit in memoratâ dissertatione nostrâ. Et quidem nisi hâc methodo Scripturarum interpretandarum usi veteres Synagogæ doctores fuissent, intelligi non posset, quomodò fides in Messiam non tam apertis Scripturæ testimoniis, quàm Patrum traditione et explanationibus allegoricis nixa inter cæteros Judaicæ, et quod magis est, Samaritanæ religionis articulos principem locum haberet. Quamobrem ab eâ interpretandi ratione tum recedere cœperunt pertinaces Synagogæ doctores, et novâ methodo in unius pressæ litteræ studium acriùs incumbere, cùm ab Ecclesiæ Patribus compulsi omne perfugium sibi videbant interclusum declinandi ictus, nisi unam litteram sequerentur.

Quæ cùm ita sint, et probarentur adhuc magis, si esset necessarium, cur accusant Judæi Apostolos corrupti sensûs et contorsionis Scripturarum? Ex Synagogâ ipsâ Apostoli in Christi discipulos electi sunt; principia eadem, quæ à Synagogâ hauserant, adhibent ad veritatem corroborandam, et confundendos contumaces; viam à Patribus demonstratam explicandæ Scripturæ tenent; cur in Apostolis reprehendunt quod in suis legunt, in suis amant? Nos sanè induci non possumus, ut credamus Apostolos fidenter adeò fuisse totam Synagogam provocaturos, et coram infinitâ Judæorum multitudine testimonia illa veterum prophetarum producturos ad Christi Evangelium annuntiandum, nisi illud suum argumentandi genus pro præjudicio apud eosdem valere credidissent. Etenim nonne Judæi odio perciti in Apostolos, atque exesi invidiâ, falsas à novi Evangelii præconibus Scripturarum interpretationes afferri opposuissent, si perversis legis et prophetarum testimoniis contra se agi judicâssent? Potiùs ergo inde colligamus, divinam inspirationem Apostolis affulsisse, cùm, ut rudes erant atque idiotæ, se scientiâ instructos esse probaverint dignâ docto locorum veteris Testamenti interprete, perinde ac studiis se totos semper dedissent, eâque suâ veterum vaticiniorum declaratione maximum Judæorum et gentilium numerum ad fidem Evangelio Christi præstandam impulerint.

Iterùm ac postremò impius Spinosa, Grotii sententiæ comprobator, est refutandus, qui aliis de causis, et potissimùm contentione factâ Apostolorum cum prophetis negat divino Spiritu illustratos Apostolos. Doctores, inquit ille, non oportere à Deo afflari, sed prophetas solos; Apostoli autem doctores, non prophetæ fuerunt. Addunt, nullum exstitisse Dei mandatum, quo juberentur Apostoli scribere, quale veteribus prophetis Deus dedit. Apostoli prætereà ne significant quidem se Deo auctore scribere, cùm è contrario prophetæ sæpè in ore habeant: *Hæc dicit Dominus.* Apostoli denique in scriptis suis ratiocinantur, ut non prophetare videantur, sed disputare; quisquis autem vult ratione dogmata sua confirmare, eo ipso judicium legentium relinquit integrum ac liberum.

Inania hæc sunt, et nullo negotio convelluntur. Undenam ostendet Spinosa, non egere inspiratione doctores primùm à Deo Ecclesiæ datos, ut doctrinam à se ore tenùs iis traditam promulgarent? Non eguerunt quidem novæ revelationis, quasi nihil anteà scientibus eorum quæ scriberent, recèns indita omnium cognitio à Deo sit; verùm necesse fuit Spiritum sanctum adesse scribenti, curantem ut omnia à Christo accepta sine ullo falsitatis periculo ex scriberentur. Iterùm si prophetæ nomine prædicentem futura appellare velit Spinosa Evangelistas, qui vitæ, doctrinæ et passionis Christi historiam texuêre, prophetis non annumeramus: at si prophetam eum dicat, cujus mens à Deo dirigitur, ne labatur in divinis rebus scribendis, injuriâ dignitatem prophetarum Evangelistis atque Apostolis detrahit. Et Mosis, et Josue, et Esdræ libros Judæorum Synagoga, et Christi Ecclesia propheticos semper judicavit; non efferuntur tamen eo styli genere in conscribendis suorum temporum historiis, quo cæteros prophetas locutos legimus. Alia est igitur inspiratio, sive, ut clariùs dicamus, revelatio futuræ atque arcanæ cujusdam veritatis à Deo facta; alia verò inspiratio, seu præsentia Spiritûs sancti, ne falsitas ulla subrepat. Primo modo Isaiam, Jeremiam et cæteros, qui sublimia quædam prospexerunt, inspiravit Deus; altero verò Josuam, Esdram, Matthæum, Lucam. Utraque autem divina inspiratio est, diversâ duntaxat inspirandi ratione, et prophetiam suo modo utramque appellari licet.

Damus equidem mandatum nullum neque à Deo, neque à Christo Jesu accepisse Apostolos consignandi quidquam litteris; damus etiam rogatu, votis, precibus fidelium adductos fuisse ea scribere quæ annuntiabant. Verùm Christus Dominus in universum mundum discipulos dimittens prædicare Evangelium jussit, seque iis affuturum promisit. Si igitur Spiritu sancto armati orationes habuêre ad populum, quæ per aures demissæ prætervolant, quomodò suspicemur Spiritu illo caruisse, cùm orationes easdem ad summam redactas scripto tradiderunt in æternum permansuro?

Neque necesse fuit Apostolos in Evangeliis atque in Epistolis suis denuntiare verba Domini esse, quæ loquerentur et scriberent. Satis utique compertum id habemus, cùm generatim significaverint à Christo Jesu se missos ad Evangelicæ veritatis promulgationem; ipsumque, qui Patris sui nomine se miserat, apertis verbis dixisse: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, Matth., cap. 10, v. 20. Cæterùm negamus Apostolos

non docuisse divinas sententias se loqui. Apostolus Paulus, Epist. 1 ad Corinth., cap. 7, v. ult., ait : *Puto enim quòd et ego Spiritum Dei habeam.* Et Petrus, Jacobus, cæterique in concilio Hierosolymis coacti initio Epistolæ ad Antiochiæ fratres missæ notârunt : *Visum est Spiritui sancto et nobis*, ut fratribus notum fieret, quæ præscripserant, à Deo profecta, seque non nisi Dei interpretes esse.

Perversius est quod ultimo loco opponitur, Spiritu Dei actos ideò non esse Apostolos, quòd rationali suâ facultate uterentur, et disputarent potiùs hominum more, quàm Dei placita proferrent. Credamusne Apostolos divino Spiritu ductos in negotii divini gestione eâ de causâ et naturali ratiocinandi facultate, et memoriâ rerum quas oculis hauserant, quas didicerant, omninò spoliatos? Etiamsi enim instrumenta Dei essent à Deo mota et excitata, homines tamen erant, atque hominum more seipsos movebant; quare et ratiocinabantur, et industriam propriam atque operam ponebant in rebus accuratè describendis, et simul adstantem habebant Spiritum sanctum, qui regeret, ne in errorem laberentur. Anticipata, quâ jam imbutus erat uterque, Spinosam et Grotium fefellit opinio, Spiritu sancto inspiratos homines furore veluti atque œstro percitos esse debere abreptos, ex se agentes nihil, nihilque argumentis efficientes, et pulsos vehementer, quò Spiritus sanctus vellet. Apostoli tamen Spiritui sancto et sibi visum esse tum scribunt, cùm in concilio adhibitâ diligentiâ, collatisque studiis et sententiis, quid scribendum esset deliberaverant; quo ostenderunt, cum inspiratione et usum naturalium facultatum in rerum graviorum discussione consistere. Moses pariter, quem prophetam esse neque Spinosa, neque Grotius diffitebitur, argumento usus est, cùm dixit : *Adhuc vivente me, atque ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum; quantò magis cùm mortuus fuero!* Deuteron., cap. 31, v. 27. Argumentari ergo ex inspiratione et revelatione divinâ possunt prophetæ et sancti Dei homines. Qui verò argumentantur, et puro ratiocinio utuntur, ut quidpiam vel sequantur, vel persuadeant, ii quidem aliorum judicio, quo probentur, vel rejiciantur, dogmata sua subjiciunt; sed qui præterea Spiritum Dei habent, et lumine divinitùs accepto miniuntur, eam aliis dijudicandi facultatem argumentando non faciunt.

ARTICULUS V.

Quâ ratione Spiritus sanctus sacros scriptores afflaverit.

Cùm superioris articuli disputatione satis esse videamur parati atque instructi contra eorum impetum qui in genere Scripturas non Dei, sed hominum verbum esse arbitrantur, progrediamur nunc longiùs in quæstione ipsâ : omniane, an singula in divinis Scripturis contenta, perinde à Deo sint revelante, inspirante, dictante ut nihil omninò in iis exstet, quod non sit usquequàque divinum. Quâ in re illud quæri posse video, num verba ipsa et voces suggesserit Spiritus sanctus, an sententias duntaxat. Rursùs ex sententiis, an eas quoque quæ ad Religionis articulos non pertinent, ut sunt res philosophicæ; vel quibus facta et moralia præcepta jam cognita describuntur. Præterea an dictaverit singula tanquàm discipulis magistri dicta scripto excipientibus; an verò facultati scriptorum reliquerit ex rebus jam perceptis adhibere quidpiam, ipso tamen adstante, ne quid falsi excideret.

Antiqua enim Anomæorum hæresis fuit, prophetas et Apostolos in multis, ut homines erant, locutos humanâ tantùm industriâ, ut S. Epiphanius refert hæres. 76, ad quos et ecclesiastici quidam viri accesserunt, testante Hieronymo in Procemio Commentarii in Epistolâ ad Philemonem : *Qui nolunt inter Epistolas Pauli eam recipere, quæ ad Philemonem scribitur, aiunt, non semper Apostolum, nec omnia, Christo in se loquente, dixisse, quia nec humana imbecillitas unum tenorem sancti Spiritûs ferre potuisset.* Quo errore et notatus Erasmus fuit, peccata quædam in Apostolorum scriptis reprehendens, quæ ipsis memoriæ lapsui assignabat. Ab eâ sententiâ, etsi paululùm emandatâ, et alii Catholici viri non multùm abesse videntur. Siunt è diametro oppositi alii, qui ex verbis Apostoli 2, ad Timoth., cap. 3, v. 16, affirmant, rectissimè et verissimè statui omnem Scripturam sanctam et canonicam, Spiritu sancto dictante esse conscriptam; ita nimirùm ut non solùm sententiæ, sed et verba singula et verborum ordo, ac tota dispositio sit à Deo tanquàm per semetipsum loquente; ita Estius in indicatum Apostoli locum. Sunt denique qui Scripturam omnem, ac totam inspiratam divinitùs agnoscunt; ita tamen ut non eodem modo sacras Litteras omnes Spiritus dictaverit : nam legem et prophetias ad verbum revelavit et dictavit Moysi et prophetis; historias verò et morales exhortationes, quas antea vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi scriptores agiographi, non fuit necesse inspirari aut dictari à Spiritu sancto, cùm eas scirent jam et callerent. Quanquàm verè dicatur Spiritus sanctus ea quoque inspirâsse iis et dictâsse; seu quòd scribentibus adstitit, ne vel in puncto à veritate aberrarent, aut ineptum verbum adhiberent; seu quia eos excitavit ac movit, ut hæc potiùs quàm illa scriberent; notionem ergo et memoriam eorum quæ sciebant, non iis ingessit Spiritus sanctus, sed inspiravit, ut hoc potiùs animi cogitatum, quàm illud in scripta referrent; ita Cornelius à Lapide, commentariis in eumdem Apostoli locum.

Posterior hæc verisimilior nobis videtur sententia, quam et eximii theologi suffragio suo probaverunt et probant, nosque ipsi supra jam indicavimus. Ut autem à facilioribus exordiamur, prima veniat in medium quæstio : verbane singula Spiritus sanctus in sacri scriptoris mente atque ore posuerit. Verùm illud primum rem considerantibus occurrit, inutile omninò esse, ac supervacaneum sacri scriptoris naturali facultati verborum inventionem atque elocutionem non relinquere, ut veritatem, dignitatem atque infallibilitatem Scripturarum tueamur, cujus defensioni satis consultum est, si quæ scripta sunt, ea in scriptoris animum Deus indiderit, aut excitaverit, atque ei ad-

stiterit, ut apta verba sumeret, incongrua linqueret. Ad quid igitur verba singula Spiritus sanctus inspiraverit, qui ut in necessariis nunquàm deest, ita in superfluis non redundat? Præterea styli atque orationis varietas, quâ scriptores usi sunt, ostendit, ni fallimur, Deum verborum auctorem non esse. Nam quemadmodùm in rebus quas scripserunt nihil diversum est, quoniam idem Spiritus sanctus in omnibus loquebatur, sic neque in oratione et dicendi modo ulla deberet esse dissimilitudo, si verba Spiritus sanctus indidisset, quibus res scriberetur. Orationis autem diversitatem insignem esse pro vario scriptoris ingenio et dicendi usu, etiamsi sancti Patres non monuissent, ex ipsâ lectione quisque deprehenderet. Amosum prophetam imperitum esse sermone, non scientiâ Hieronymus animadvertit, quòd, cùm pastor esset, humili stylo atque inelegante uteretur; è contrario Isaiam nobilem virum et litteris excultum, illustriùs atque elegantiùs scripsisse; utriusque tamen scientiam parem facit in locutione dissimili, quoniam idem in Amos, qui per omnes prophetas, Spiritus loquebatur; propterea in cap. 3 Amos prophetæ, inquit: *Diximus illum artis suæ usum sermonibus, ut quia pastor gregum nihil terribilius leone cognoverat, iram domini leonibus compararet.*

Scimus quidem Spiritum sanctum se cujusque scriptoris ingenio attemperâsse, atque usum instrumento, cujusmodi illud esset, agresti interdùm et inculto. Id verò maximo argumento est, permisisse Spiritum sanctum unicuique, quem vellet, in dicendo ordinem sequi, et verba seligere. Quid? Ineruditane, atque inelegantia verba Spiritus sanctus in animo scriptoris insereret, quæ ex inculto atque agresti fundo sponte nascebantur? Cur eamdem rem tractans alia aliis verba dictavit, quanquàm alter non esset altero doctior, atque eidem Mosi interdùm diversa? Nam Dei præcepta eadem cùm sint, aliis verbis in Exodo, aliis in Deuteronomio promulgantur. Similiter Evangelistæ eamdem Christi Domini doctrinam afferunt, licèt non iisdem planè vocibus narrationem suam conficiant, neque Christi Domini sermones iisdem planè verbis renuntient; imò verò et iste prætereat, quæ ille apponit; alter prævertat, quæ alter subjicit. Hæc demonstrant voces et scribendi tenorem à Spiritu sancto dictante sacros viros non accepisse.

Reverà Scriptura ipsa et Traditio id unum nos credere de sacrorum Librorum inspiratione jubent, nempe scriptorem à Spiritu sancto directum, atque afflatum ea scripsisse, quæ Deus voluit scribi, scribendo falli non potuisse, res omnes ad argumentum pertinentes singulari ope divinâ animo occurrisse, nihil omninò falsitatis habentes, gubernante Deo, mandatas litteris; ob id divinam auctoritatem in sacros Libros dimanâsse. At verò verba quoque singula instillari debuisse ad rei dignitatem tuendam, necesse non est ut credamus, cùm res non iisdem vocabulis explicata ipsa eadem esse possit, et sit. Non enim minùs Dei verbum est Scriptura sacra in exemplari exscripto, quàm in autographis litteris, etiamsi librarii manum Spiritus sanctus non duxerit; neque minùs in Latino sermone, in quem versi Hebraici, et Græci codices sunt, quos prophetæ et Apostoli descripserant, verbum Dei invenitur, quàm in Hebraicâ ipsâ vel Græcâ oratione. Apostoli pariter instituebant gentes Christi Domini doctrinâ, nec tamen ipsissima Christi verba loquebantur. Cùm igitur nulla necessitas sit ad defendendam auctoritatem Scripturarum evocandi quoque è cœlo vocabula, non inficiemur ea pro cujusque scriptoris facultate exprompta. Erunt autem et illa divina prorsùs, si mentem scriptoris Spiritus sanctus regens nullum passus sit ineptum verbum excidere, quemadmodùm hâc de causâ Dei Spiritus, ejus mentem totam suo lumine opplens, tuendam et regendam sumpsit.

Hinc ad alteram quæstiunculam progredientibus nobis videtur et in sacri scriptoris facultate relictum notionibus antea à se perceptis uti; quibus tamen et ipse pariter Spiritus uteretur dirigens, atque ab omni labe opiniones præconceptas purgans, si fortè quam contraxissent. Hæc sententia superiorem consequitur. Nam neque divinus Spiritus scriptores inspirans extorquet ab animis cognitiones rerum quibus jam imbuti erant, neque necesse est nunc rursùs in eorum animos ingeri, quod illi visu, quod auditu, quod collatione rationis cognoverant. Cur ergo Dei Spiritus jam ingestum ingerat? Sanè Lucas, cap. 1, v. 2, dicit se Evangelium scribere quod audivit et traditione accepit ab Apostolis, qui viderant. Et Joannes, cap. 19, v. 35, de iis quæ vidit ipse, testimonium perhibet. Nihil autem est in hâc re tam perspicuum, quàm cum auctorem, qui ex veterum monumentis, annalibus tabulis libros Regum et Paralipomenon confecit, non à divinâ manifestatione, sed ab exemplaribus ob oculos positis sententias sumpsisse. Quidni et prophetæ, et prophetarum maximus Moses multa scripserint, quin ea dictaret Deus? Prophetæ enim historias narrant, et documenta tradunt vitæ benè instituendæ, quæ omnia jam habebant comperta, priusquàm manum ad scribendum admoverent. Moses Ægyptum multis malis affecerat, populum illinc eduxerat, mare trajecerat sicco pede, legem in monte Sina à Deo acceperat, deserto oberraverat. Eguitne Dei revelatione ullâ vir et ingenio, et prudentiâ, et constantiâ clarissimus, ut, quorum ipsemet pars magna et auctor fuerat, litteris mandaret? Jussit equidem Deus Mosen ea libris complecti, adfuit scribenti, memoriâ effluere non est passus, nihil permisit inopportuni calamo elabi. Nempe hæc sunt quæ Deus agit in scriptore, cùm ille suscipit quidpiam scribere antea exploratum.

Itaque quærenti ac disputanti de sacrorum Librorum et rerum scriptarum inspiratione, respondemus nitidè inspiratos quidem, sed primùm oportere ut inter nos conveniat, et accuratè declaretur quid sonet verbum *inspiratio*, et quæ vis subjecta ei voci sit. Nam si inspirationis nomine intelligit novam quamdam patefactionem rei priùs non perceptæ, neque animo insitæ, certum est historias et moralia præcepta plerùmque sine hujusmodi inspiratione fuisse scriptis tradita. Imò etiam futura atque occultiora, quæ olim Deus

prophetas docuerat, priusquàm calamum sumerent, non fuerunt sic inspirata scribenti; sed tantummodò quæ tùm manifestabantur, cùm scribebat. Quanquàm affirmandum sit arcana eadem et remotiora primùm vel diurnis sermonibus, vel visione nocturnâ, vel voce, vel interiore instinctu, vel in somnis, vel in extasi, vel signo quodam proposito sive per seipsum, sive angelorum ministerio Deum revelâsse. Sed cùm hæc pauciora sint, si cum totâ Scripturâ sacrâ comparentur, non videtur in eâ significatione accipi inspirationis vocabulum aut oportere plerùmque, aut posse.

Inspiratio igitur in re nostrâ dicenda est *singularis ea Spiritûs sancti moventis ad scribendum impulsio*, *directio*, *ac præsentia mentem*, *animumque scriptoris gubernans*, *quæ errare non sinit*, *efficitque ut scribat quæ velit Deus.* Duo autem, ne cui ullâ in re errare uspiam contingat, necessaria sunt : alterum ita rectâ esse voluntate, ut cùm firmiter constituerit verum sequi, nequeat velle miscere veris, quæ falsa cognoverit; alterum ejus mentem adeò illustrari, ut ne cui falso assentiri possit, neve unquam captiosâ probabilitate falli, ratus verum esse quod abesset à vero. Horum utrumque in Scriptoribus sacris Spiritus Dei præstitit, nimirùm effecit ut voluntate firmâ, constante, perpetuâ essent dicendi veri, nec unquàm verum desererent; simulque in animum lumen intulit, ac diffudit plenissimum, quo perceptam antea doctrinam veram esse certò cognoscerent, neque inter scribendum labi, errare, decipi inconsideratè, ne verbo quidem possent. Ipsemet etiam induxit, excitavit, movit, ut de quo argumento scripserunt, scriberent, adstitit scribentibus, nunquàm recessit, nec permisit aliter scribi quàm vellet ipse, præsentiâque suâ totum scriptum omni errore et fallaciâ purissimum sibi vindicavit. Hæc, nisi suscepti negotii amor nos fallit, patens est et manifesta divinæ inspirationis notio, aptissima intelligendæ, explicandæ, confirmandæ summæ atque omnium certissimæ divinarum Scripturarum auctoritati. Non enim inspiratio ea pius duntaxat est animi motus cum prudentiâ, gravitate, constantiâ, cæterisque moralibus dotibus conjunctus, quem Deus ipse excitavit; nam et in probis viris animum ad scribendum adjungentibus motus iste esse potest; sed singularis Spiritûs sancti præsentia, singulare præsidium scriptorem ab errore quolibet immunem reddens, efficiensque ut homines, dubitatione omni depositâ, tutò in veritatem scriptarum rerum adhæreant.

Hæc tamen Spiritûs sancti præsentia non efficit, quin sacrorum Librorum auctores operam multam interdùm ac diligentiam conferant sive ad sententias inveniendas, sive ad conquirenda verba quæ sint rei describendæ aptiora. Posuit hujusmodi diligentiam auctor libri 2 Machabæorum, et difficultatem operis sensit, quamlibèt dispositum paratumque jam argumentum haberet in pauciora contrahendum cum quâdam partium distributione et verborum delectu. Susceperat ille quinque Jasonis Cyrenæi libros uno volumine complecti : quâ in re oblectationi animi legere volentium, atque utilitati studebat. De eo autem proposito suo inquit cap. 2, v. 27 : *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causâ suscepimus*, *non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum*, *et sudoris assumpsimus.* Quinam verò esset ille labor, quod negotium adeò grave sibi, v. 30 et seq., explicat : *Sicut enim novæ domûs architecto de universâ structurâ curandum est; ei verò, qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt; ita æstimandum est et in nobis. Etenim intellectum colligere, et ordinare sermonem, et curiosiùs partes singulas quasque disquirere*, *historiæ congruit auctori : brevitatem verò dictionis sectari, et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est.* Sacris igitur auctoribus, quantumlibet Spiritûs sancti divinum lumen affulserit, datum est negotium conquirendi quæ ad susceptum inspiratumque à Deo institutum pertinerent, quoties aggressi sunt mandare litteris historias, morales sententias, et quidquid jam erat olim animo comprehensum, vel percipere tum naturali facultate poterant.

Nunquàm tamen in eorum errorem labemur, quod erat tertio loco dicendum, qui injuriam sacris litteris faciunt, arbitrati nonnulla ex parvis saltem, ut ipsi inquiunt, et ad salutem nostram non spectantibus, humano tantùm spiritu, humanâque industriâ aut prophetas aut apostolos scripsisse destitutos eâ singulari Dei præsentiâ, sine quâ intelligi nequit librum esse divinum. Lapsus enim in apostolos Spiritus sanctus est, non qui relinqueret Scripturam, sed qui tueretur; at ille, ut istis placet, partem quidem tuetur, reliquam deserit; quo nihil potest esse perversius. Itaque non discessit Spiritus sanctus ab ullius partis curatione, qui scriptionem omnem gubernavit. De toto porrò vetere Testamento et veteribus sacris Litteris, quas Timotheus ab infantiâ didicerat, Paulus, 2 ad Timoth., cap. 3, v. 15, inquit : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum*; quibus verbis Apostolus, sacram scripturam omnem, totam, nullâ ejus parte exceptâ, Dei afflantis esse docuit. Ita enim accipienda est Latina hæc Pauli sententia, ac Græca illa, unde Latinus interpres sumpsit : Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος δὲ ὠφέλιμος : *Omnis Scriptura est divinitùs inspirata atque utilis;* quemadmodùm et in antiquâ vulgatâ editione legebatur : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, et utilis.* Eodem modo Petrus, Epist. 2, cap. 1, v. 21, ait, Spiritu sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines; quem locum de omnibus veteris Instrumenti scriptoribus meritò intelligimus. Apostolicis hisce locupletissimis de Scripturarum dignitate testimoniis freti sancti Patres nihil falsi, nihil inepti, nihil imprudentis aut inconsiderati, nihil alteri repugnantis sacros scriptores consignâsse litteris constanter tenent, quòd Spiritus sanctus adesset, inspiraret, loqueretur, dictaret. Clemens, in Epist. ad Corinth., Justinus in Dial., atque in 2 Apolog. contra Tryphonem; Irenæus, lib. 1, contra hæres., cap. 46 et 47; Athanasius, Basilius, Ambrosius, multòque magis Epiphanius Anomæos blasphemiæ arguens, quòd Paulum quædam ex se ut homo erat, locutum dicerent, et Hieronymus Epistolam ad Philemonem tanquàm divinam vindi-

cans, licèt commendatitia Epistola sit, nullumque religionis præceptum contineat.

Enim verò si semel dubitemus an aliquid absurdi in Scripturâ inveniatur, aut scriptor sacer memoriæ lapsu unam rem pro alterâ scripserit, *tota labefactabitur Scripturæ auctoritas*, ut optimè Augustinus inquiebat contra Faustum, lib. 2, et lib. 2 de Consens. Evang. Quod enim quâdam suî parte vitiosum est, totius dignitati derogat. Admonebat autem doctor egregius, si quid absurdi nobis videretur, ne unquàm diceremus libri auctorem à vero abductum, sed potiùs vel corruptum exemplar, vel interpretem lapsum, vel nos ingenio imbecillo esse, non valentes illius loci intelligentiam assequi; quoniam nemini de summâ cujuslibet rei in Scripturis positæ veritate licet dubitare, nemini infirmitatis memoriæ atque oblivionis sacrum scriptorem incusare. Neque erroris gravitatem elevat illa distinctio gravium, et levium rerum, perinde ac in gravibus labi scriptores non potuerint; potuerint autem in levibus hallucinari; atque esse propterea ex rerum naturâ discernendum quid ex Deo, quid ex homine sit. Nam primò qui hæc dicunt, videant ne ex minimo etiam errore totam narrationem incertam sæpè efficiente latebrâ quæratur labefactandæ toti Scripturarum auctoritati. Deinde gravissimæ disputationi pateret locus, quas graves, quas leves causas appellaremus; quocirca fluctuaremus incerti, an ex divino afflatu et procuratione, an verò ex humano ingenio quidpiam sacri scriptores protulissent: quod ferre nullâ ratione fidelis animus potest, cùm in manifestum discrimen eâ inani distinctione causa Scripturarum adducatur. Ex quibus efficitur profectò, res etiam ad salutem non necessarias in Scripturis dirigente, præsente, inspirante, illuminante, auctore Spiritu sancto esse exaratas.

Satis cognitis quæ hactenùs explicata sunt, habebit quisque in promptu quid respondeat primam atque alteram propositæ à nobis sententiæ partem impugnantibus. Afferunt enim illi, quæ nuperrimè postremo loco dicebamus, ut priora subvertant, utrumque scilicet et Pauli et Petri testimonium, affirmantium *Scripturam totam inspiratam esse*, et sanctos homines non humanâ voluntate, sed *inspirante Deo* locutos; quæ sanè vera non essent, si scriptorum quilibet proprio marte aut verba invenisset, aut sententias excogitâsset ad orationem suam instruendam, absolvendam, ornandam. Afferunt et productam à nobis Epiphanii ac Hieronymi auctoritatem, quorum alter Anomæos, alter Ecclesiasticos viros errore notat, eousque ausos, ut non omnia, Spiritu sancto et Christo loquente, prophetas, atque Apostolos dixisse putarent. Cum Epiphanio autem et Hieronymo concors est theologorum omnium judicium, qui Erasmum castigant: atqui nos etiam non omnia, loquente Spiritu sancto, dixisse, et scripsisse Apostolos arbitramur; et nos ergo gravi reprehensione digni sumus. Afferunt et Chrysostomum, homiliâ 22, in Genesim, et Gregorium Magnum, præfatione in librum Job: Ille scribit *neque apiculum, neque syllabam esse in sacris Libris, in quâ grandis thesaurus non lateat;* iste verò *supervacaneè quæri, an Job ipse librum scripserit, cùm auctor libri Spiritus sanctus credatur, et ipse scripserit qui scribenda dictavit.* Omnes, brevibus, sanctos Patres afferunt in medium, qui prophetarum linguam et manum crediderunt Spiritûs sancti calamum esse, ut ad eos omnes Davidicum illud æquè pertineat: *Lingua mea calamus scribæ.* Rationem auctoritati adjungunt. Verbum Dei est, inquiunt, quidquid in Libris sacris descriptum est; illud ergo locutus est Deus. Præterea de divinarum Scripturarum dignitate multùm detrahitur, nisi verba, et sententias omnes Spiritus sanctus dictaverit. Nam Spiritûs sancti præsentiâ, ne errent, adjuvantur etiam Patres in conciliis coacti ad causas fidei, vel morum dirimendas, quid ergo interesset et Scripturas sacras, et definitiones Ecclesiæ, si unâ Spiritûs sancti directione atque illustratione Scripturarum divinitatem metiamur? Ut ergo major sit, quæ esse omninò debet Scripturarum dignitas conciliorum decretis, non possumus, quin non modò sententias, verùm etiam voces singulas, et minimos Scripturarum apices Deo auctori tribuamus.

Proferuntur ista cum magno apparatu; sed ex positis principiis sine magno negotio diluuntur. Fatemur et nos totam Scripturam esse inspiratam: fatemur et sanctos Dei homines non humanâ voluntate, sed divino afflatu scripsisse; verùm inspirationis vocabulo rerum priùs ignoratarum dictatum et revelationem; antea verò perceptarum solam approbationem intelligimus; approbationem, inquam, sitam in actione Dei permoventis hominem ad scribendum, simulque adstantis, præsentis, moderantis, dirigentis mentem ac manum, ut scripta ab omni errore vacarent, et suâ auctoritate munirentur. Enim verò dici nequit à Spiritu sancto ademptum fuisse Apostolis aut prophetis rationis, memoriæ, judicii usum; hæc omnia igitur scribendo adhibuerunt. Ergo si ipsi ratione et memoriâ quidquam complectebantur, quod esset Spiritûs sancti voluntati atque instituto opportunissimum, non indigebant novis præceptionibus. In historiis res faciliùs cernitur, quarum scribendi ratio diversa non est à moralium præceptorum scriptione. In historiis, inquam, vel quod jam sciebant Evangelistæ, dictabat Deus; vel ignotum alterum: si hoc posterius; ergo dicta et facta non retulerunt quæ olim aut viderant aut audierant: si illud prius, ergo supervacaneè infusa iterùm sunt in animum, quæ animo comprehendebant. Erant autem sine ullâ dubitatione divinitùs afflati scriptores historiarum; divinus ergo afflatus atque inspiratio potest consistere, etiamsi Deus nec verba nec sententias novâ virtute suppeditet.

Papiam Apostolorum discipulum habemus nostræ sententiæ comprobatorem, qui divinitùs inspiratos omnes sacros Libros utique credidit. Is autem apud Eusebium, lib. 3., Hist. eccl., cap. 39, ait, Marcum Petri interpretem, non servato neque dictorum neque factorum Christi ordine, quæ meminerat, scripsisse diligenter. Non enim ipse Christum audiit, neque Christum est prosecutus; sed comitem se adjunxit

Petro, qui, ut populorum salutis intererat, verbum Dei nuntiabat, nec tamen Christi Domini sermones et facta ordinatè disponebat. Hàc de causâ nihil peccâsse Marcum facta referentem, ut recordabatur, unicè sollicitum nihil prætermittere eorum quæ audierat, et nihil falsi scribere. Quo testimonio nihil esse potest illustrius, ut nobis quidem videtur, ad inspirationem divinam cum humanis verbis, atque humanâ orationis structurâ et partium distributione conjungendam. Nempe si adsit Spiritus sanctus scribenti, quem primum excitavit, ut scriberet, opportunè suggerat, quæ scribi velit, si fortè eum memoria deficeret, illustret mentem eo lumine quod omnem vitiosam ignorantiam depellat, atque inconsiderantiam tollat, eà vi confirmet, quâ fidelia, simplicia, constantia scribantur, arcana, sublimia, ignota objiciat animo, nullam Scripturæ partem vacuam tutelâ suâ relinquat, erunt profectò libri Deo inspirante conscripti, quanquàm sermo et sententiæ plerùmque ab hominis ingenio, memoriâ, studio, consideratione, diligentiâ proficiscantur.

Jure autem ac merito Epiphanius Anomæorum sententiam damnat. Blasphemabant ii, ut sanctus doctor scripsit, prophetarum et Apostolorum nomina. Nam cùm premerentur Scripturæ auctoritate, ut se extricarent, eos veritum non est respondere, *Apostolum humanitùs locutum.* Jure etiam Hieronymus vehementer exagitat eos ecclesiasticos viros, qui ex Pauli epistolis eam quæ ad Philemonem scribitur non recipiebant, utpote sancti Spiritûs præsidio destitutam. Jure pariter theologi Erasmum acriter reprehendunt, visum dicere errâsse Apostolos oblivione saltem et lapsu memoriæ, etsi non animi vitio : sed absit, ut quidquam horum dicamus. Neque enim minorem auctoritatem propheticis atque apostolicis verbis tribuimus in quâcumque vel minimâ libri parte prætendentes Spiritûs sancti absentiam, ut illi faciebant. Eamdem planè Scripturarum omnium dignitatem tuemur, quidquid prophetæ, quidquid Apostoli scripserint. Absumus ergo longissimo intervallo ab eorum errore quos theologi et sancti Patres reprehendunt; quos equidem putamus in crimen nunquàm fuisse venturos, si tenuissent Scripturas, ne in puncto quidem, propter adstantem assiduè scriptoribus Dei Spiritum à veritate aberrare.

Sanctorum Patrum paucis explicatur sententia. Sint, ut ait Chrysostomus, singulæ in sacris Litteris syllabæ pretiosis thesauris plenissimæ (quanquàm de græcis syllabis sanctus Pater dixerit, quas sanè Spiritus sanctus non compegerat). Sit quoque liber Jobi, ut Gregorius Magnus affirmavit, Spiritûs sancti dictatum (quod tamen de latino codice qualem ipse legebat, affirmare non potuisset : nunquàm enim Spiritus latina verba dictavit). Sint sacri scriptores omnes velut Dei calami; his atque horum similibus Patrum judiciis assentimur, quia scilicet nihil est in Scripturis inutile. Liber Jobi susceptus est scribi, auctore Deo, eo dirigente absolutus, et pluribus sententiis refertus ex divinâ revelatione cognitis. Deus usus est scriptoribus sacris ut instrumentis; quibus præcepta, consiliaque sua ignorata homini commendaret litteris, eosque ita et ora et calamos suos fecit. Hanc enim tantummodò sanctorum Patrum dicta interpretationem habent : nam si aliam haberent, plus dixissent quàm dictum vellet, qui ista nobis opponit. Quid autem ex his pro adversariorum causâ? Ergone infudit Deus nativa verba et sententias antea perceptas animo prophetarum atque Apostolorum, cùm scriberent, nunquàm verò illi memoriæ crediderunt suæ, nunquàm suum judicium adhibuerunt in iis describendis quæ viderant, quæ contrectaverant? Quæ si ita sunt cur inquit Hieronymus lib. 1 Comment. in Epist. ad Galatas : *Hoc autem in omnibus penè testimoniis, quæ de veteribus libris in novo sumpta sunt Testamento, observare debemus, quod memoriæ crediderint Evangelistæ et Apostoli, et tantùm sensu explicato sæpè ordinem commutaverint, nonnunquàm vel detraxerint verba vel addiderint.*

A ratione theologicâ depromptum argumentum non est efficacius. Non desinit esse Dei verbum et illud proprio ingenio à sacris scriptoribus inventum. Nam etsi à mente humanâ profectum sit; auctoritatem tamen ab humanâ mente non habet, sed à Spiritu sancto motore atque auctore, qui solus impulit sanctos viros, ut susciperent scribere, adjuvit ut pergerent, curavit ut ad rem à seipso deliberatam accommodata verba, eamque planè declarantia adhiberent. Ipse verba probavit, ipsius jussu consignata sunt litteris, ipsius nomine, ipsius auctoritate sunt edita. Sunt ergo divina, et tota usquequaque divina, quoniam in Scripturarum verbis voluntas ac dignitas auctoris et jubentis spectatur, non sonus aut scriptio. Certè si regias litteras, quibus duntaxat regium nomen adscribitur, quanquàm neque scripserit ipse, neque scribenda dictaverit, verba regis reputamus; si oratores in exteras provincias ablegatos cum summâ potestate tractandi publica negotia verbum regis perferre dicimus, quanto magis Canonicos libros Dei verbum haberi oportebit, in quorum conscriptione Deus ipse tantam operam præstitit, et ministros, atque oratores suos instituendorum hominum causâ mittens se ita adstiturum promisit, ut quidquid suo nomine, suâque auctoritate dixissent, ipsemet loqueretur?

Nihil etiam decedit Scripturarum dignitati, si ubi opus revelatione fuit, revelavit Deus auriculam scribentis; ubi verò nulla fuit novæ revelationis necessitas, adstitit duntaxat, eumque lumine perfudit nitidè monstrante verum, et prodente falsitatem, ne sub ementitâ veritatis imagine subreperet. Multùm quoque adhuc intererit Scripturas sanctas et conciliorum decreta. Nemo dixit hactenùs Patribus in concilium convocatis eo præsidii genere Deum adesse, quo omnium mentem et moveat et regat, omnes clarissimâ luce collustret vel minimam falsitatis nubeculam discutiente, impediat ne ullo verbi errore labantur, suggerat, si uspiam eos memoria fortè effugerit, totam eorum orationem fide suâ tueatur, ac sibi ipsi tributam velit et dicat. Concilia enim in rebus quæ nec fidei nec morum sunt, falli possunt Scriptores verò sacri

nusquam labi possunt errore. Item Patribus in concilium coactis nihil novi revelat Dei Spiritus, sed cùm sacræ doctrinæ depositum à Christo, atque Apostolis habuerit Ecclesia, inde sumunt, quæ fidelibus proponant : prophetis autem et Apostolis novas doctrinas Spiritus sanctus, ut sibi visum est, manifestavit. Prætcrea Scripturas divinas ab initio tradiderunt prophetæ, et Apostoli ex divini Spiritûs instinctu ut fundamenta et regulas tam religionis totius quàm veritatis cujuslibet certissimas : nam id potissimùm canonicorum Librorum ratio postulat; definitiones verò suas Ecclesia ut explicationes et declarationes edit veritatis illius à canonicorum Librorum auctoribus, ab Apostolis promulgatæ, ad quam illustrius manifestandam interdùm mutari verba quædam, interdùm adjici justa causa poposcit; sive ut dicamus paucioribus : lumen, quod Scriptoribus sacris affulsit, lumen erat novæ inspirationis in rebus fidei, morum, facti antea incognitis; in reliquis verò omnibus, sive necessaria ea essent ad docendum, sive ad exornandam orationem, sive ad magis persuadendum, sive etiam ad delectandum assumpta, lumen erat directionis à fallaciâ omni atque errore, et verbi impropríetate immunem faciens, quod nulla fraus, nullus dolus, nulla vis externa obscurare potuisset; lumen è contrario Ecclesiæ præsens non attingit res non revelatas; ad ea autem quæ fidei sunt explicanda ita affulget, ut certò cognoscat Ecclesia se doctrinam divinam tradere, cùm vocatis Ecclesiarum pastoribus ad rem cognoscendam, et convenientibus, iisque nullo dolo, nullâ fraude deceptis, nullâ vi coactis post maximam adhibitam diligentiam in ponderandis causæ momentis inter eos convenit novam quamdam doctrinæ declarationem in revelatis doctrinis esse conclusam; ex quo fit majorem dignitatem esse Scripturarum quàm conciliorum. Quanquàm cum D. Gregorio tutò affirmandum sit, perinde quatuor Evangelia, ac quatuor Ecclesiæ concilia, de quibus sermonem habebat, Nicænum, Ephesinum, Constantinopolitanum, et Chalcedonense recipi oportere.

Expeditis iis quæ ad primam et secundam doctrinæ nostræ partem explodendam afferebantur, tertia vindicanda est à nonnullorum contumeliis temerè de Scripturâ sacrâ loquentium. Volunt isti res fidei et morum tantummodo Spiritûs sancti præsidio tutas ab errore et fallaciâ; cæteras verò suo ingenio à piis quidem, et prudentibus viris, sed errori obnoxiis admixtas. Quare aiunt finem Scripturarum esse institutionem nostram de religionis rebus, non autem de philosophicis, neque de humanis, quæ sine detrimento ignorantur; hæc igitur fulta non sunt Spiritûs sancti patrocinio. Non enim omnes Apostolorum aut Prophetarum sermones ore prolatos fecit esse divinos auctoritate suâ Deus, nec vitii omnis atque erroris expertes, sed solùm susceptos et institutos de fidei et morum doctrinâ. Igitur et Scripturas religionis magistras suo lumine respersit, non historicas, non philosophicas. Quocirca sacri scriptores incerti sæpè sunt de numero et tempore, quoniam certum tempus et numerum memoriâ non complectebantur, quam unicè adhibebant; debuissent autem et tempus, et numerum definire, si Deum afflantem habuissent, in quem nulla cadit ambiguitas. Lucæ, cap. 1, v. 56 : *Mansit autem Maria cum illâ* (Elisabeth) *quasi mensibus tribus.* Joannis cap. 6, v. 10 : *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia* : et vers. 19 : *Cùm remigrâssent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta*, cap. 19, v. 14 : *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta.* Actorum, cap. 1, v. 15 : *Erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti.* Accedit multa falsa reperiri in Scripturis contra philosophiæ præcepta, cujusmodi sunt moveri solem, terram stare, solidos esse cœlos, lunam majus luminare.

Lapsos etiam memoriâ Apostolos pluribus in locis quis ignorat, qui Scripturas legerit? Matthæus scribit, cap. 2, v. ult., prophetas dixisse Jesum appellatum iri *Nazarenum*, quod nemo prophetarum scripsit; et, cap. 27, v. 9, verba Zachariæ prophetæ tribuit Jeremiæ. Marcus, cap. 1, v. 2, Isaiam pro Malachiâ nominat. Lucas Arphaxadis filium Cainanem facit; hunc verò patrem Sale, cùm tamen Cainan iste nunquàm exstiterit, atque Arphaxadum et Sale nullus patriarcharum intersit. Actorum, cap. 7, v. 14, Stephanus ait Jacobum cum familiâ universâ accersitum in Ægyptum *in animabus septuaginta quinque;* cùm Genes., cap. 46, v. 27, et Exod., cap. 1, v. 5, numerantur tantùm septuaginta; versu autem 15, inquit Jacobum et patriarchas translatos *in Sichem* fuisse, atque in sepulcro positos, *quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem*, quod cum vetere historiâ non convenit. Siquidem Abraham in Hebron ab Ephrone filio Seor agrum emit sepulcri locum, Genes., cap. 23. Jacob verò partem agri emit à filiis Hemor, qui pater erat Sichemi, non filius, Genes., 33, v. 19; memoria igitur quandoque defecit sacros scriptores. Hæc verò omnia muneri Apostolorum et dignitati nihil detrahunt, neque officiunt quidquam veritati Evangelii, aut fidei Scripturarum, quæ constantissima est et immota, etiamsi oblivio in rebus parvi momenti scriptores ceperit.

Atque uni ac soli quidem Christo Domino, qui ipsa veritas erat, peculiare esse debuit, se Spiritu sancto in omnibus semper agi, nec unquàm in minimâ re falli; Apostolos verò aut prophetas eodem non labendi privilegio donatos, satis persuaderi non potest. Sed quid diutiùs hâc de re sermonem producimus? Apostolus Paulus fatetur se quædam auctoritate propriâ consilioque suo præscribere, non divino. Epist. 1 Corinth., cap. 7, v. 10 et 12 : *Iis autem qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere... Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Mosen verò, Domino non approbante, permisisse Judæis repudii libellum, videtur Christus innuere, Matth., cap. 19, v. 8, ubi ait : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Apostolus iterùm, 2 ad Corinth., cap. 11, v. 17, ait : *Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientiâ;* et vers. 21 : *In insipientiâ dico.*


Numquid insipiens est Spiritus sanctus, aut quid inspirare potuit, quod naturæ et perpetuis matrimonii legibus esset contrarium? Itaque humano tantùm ingenio atque humanâ auctoritate interdùm locuti sunt, ... præcepta dederunt sancti Dei homines, licèt cætera ... gravioribus Spiritu sancto essent inspirati.

Non parùm negotii nobis datum est in horum argumentorum refutatione, quæ insignes Scripturarum difficultates complectuntur; sed quoquo modo absolvemus. Finis utique Scripturarum sanctarum est nostra de præceptis religionis institutio. Quid igitur? Erroresne propterea in Scripturam sanctam veritati interspersi irrepserunt; aut sacros scriptores, dùm humana, historica, philosophica tractabant, divinus Spiritus illicò deseruit, cùm paulò ante in moralibus, in occultioribus fidei rebus affulserit, et postmodùm in eâdem oratione continuâ illucere perrexerit? Cur non potiùs è contrario ita disserimus? Scriptura sacra Religionem nos edocet; igitur congruenter ab omni falsitate omninò vacat, quoniam ex falso quodam interposito Scriptura omnis in suspicionem et dubitationem veniret. Increduli enim in historicis rebus manifestum errorem deprehendentes, eum quoque ad fidei et morum doctrinam manâsse arbitrarentur, vel saltem de illarum rerum gestarum veritate dubitarent, quibus tanquàm basi doctrina nititur, atque ita, divinarum omnium et admirabilium rerum fundamentis subductis, illæ etiam nutarent. Quis verò definiet utrùm res quæpiam necessariam cum Religione conjunctionem habeat, vel nihil ad Religionem conferat? Quis dijudicabit, de fidene oratio sit, an de philosophiâ; de christianis moribus, an de œconomicis politicisve negotiis? Fidem omnem videremus perturbari errore atque inscitiâ sacri scriptoris, nihilque esset quod nos à fallaciâ vindicaret, si in errorem rapi potuisset. Perniciosissimè ergo errat, et firmam Dei verbo assensionem tollit, qui vel minimo cujuscumque generis peccato lapsos esse scribendo auctores sacros suspicetur. Quod si ita est, nullam ergo Scripturæ partem præsidio suo immunitam Spiritus sanctus reliquit. Nec putemus alienum ejus esse dignitatis, quam in Spiritu sancto omnes agnoscimus, quod vel minimam Scripturarum particulam ejus instinctu descriptam ponimus; confirmatorem enim adesse minimæ etiam veritatis et comprobatorem, non est à Spiritûs sancti dignitate alienum.

Maximè autem scripta Apostolorum et prophetarum distant atque sermones, si de familiari quidem sermone quæstio sit. Ut ne laberentur unquàm in familiaribus colloquiis, et quotidiano convictu debuisset Spiritus sanctus perpetuò iis adesse moderator et rector, sive cogitarent, sive loquerentur, sive quid agerent: quare et peccare nullum peccatum potuissent, cùm tamen ipsi se peccatis obnoxios faterentur, nec semper divino Spiritu agerentur. Neque enim quia prophetæ erant et Apostoli, ideò omnem labendi facultatem iis ablatam fuisse oportuit, si facultas quidem dici potest, quæ verè est infirmitas; neque ex leviore quodam peccato quod iis in communi vitâ excidisset, magnum allatum fuisset Ecclesiæ detrimentum; quia non in omni eorum sermone, atque actione erat proposita Ecclesiæ loquendi agendique norma, sed in concionibus Dei nomine habitis, quas à familiari sermocinatione et consuetudine non erat difficile discernere. Quapropter lapsus atque errores quos in vitæ ratione admisissent in doctrinam non redundâssent, atque ipsis in re quâpiam errantibus, cavere sibi quilibet ab errore potuisset. Alia autem ratio est scriptionis: ad instruendam muniendamque Ecclesiam editæ sunt à prophetis, ab Apostolis Scripturæ quæ omnia benè vivendi rectèque faciendi consilia traderent, ad omnes hominum usus essent utilissimæ, vitam omnem continerent, erroribus liberarent hominum animos; breviùs dicam, quæ ut divinæ omninò susciperentur; quantò ergo magis necesse fuit scriptis ex Dei munimine nullum errorem, falsitatem nullam admisceri reliquis veritatibus exitiosam; nihil enim potest dici inconsideratius quàm Spiritum sanctum ab ullius partis curatione discessisse, qui in scriptores illapsus erat, ut totum opus tueretur, non ut partem inspiraret, partem relinqueret. Quamobrem si alter scriptorum sacrorum adversùs alterum in rei cujusdam narratione repugnare videatur, et nullâ posse ratione conciliari, alterutrum falsum esse, et obliviscendo lapsum, absit dicere; sed imbecillitatem potiùs humanæ mentis accusemus verum conciliandi modum non assequentis; vel in alterutrius scripturâ amanuensium incuriâ aut inscitiâ mendum irrepsisse credamus.

Consequens argumentum faciliùs expeditur. Etiamsi Spiritu sancto non desererentur scribendo evangelistæ, potuerunt tamen aut tempus, aut numerum rei cujuspiam certo non definire. Familiari enim atque usitato sermone cùm quidpiam narramus, nec certi aliquid constituimus, formulas adhibere solemus plus minùsve temporis aut numeri explicantes. Atverò Deus reliquit in scriptoris potestate familiarem adhibere loquendi modum, quasi ex se ipso scriptor loqueretur; opportunum ergo non duxit certum numerum aut statum tempus suggerere. Pari ratione explicatur quomodò in Scripturis sine ullo veritatis detrimento dicatur, modò lunam esse luminare majus, modò terram stare, solem moveri, aliaque hujus generis, quæ aut à philosophis negantur omninò, aut in disputatione sunt posita. Nam spiritus sanctus revelatione singulari de his rebus scriptorem non docuit, sed permisit usitatè loqui, ut homines solent, qui sanè à communi loquendi ratione non recedunt; neque tamen mentiuntur, quidquid de lunæ magnitudine, et solis vel terræ constitutione, aut motu sentiant. Huic responsioni addatur et alia quam supra ad tuendam Mosaicæ historiæ veritatem de mundi ortu attulimus.

De testimoniis veteris testamenti in novo exscriptis aliquid jam in superiore articulo responsum est eo loco, quo contra Hebræos est novi Testamenti suscepta defensio. Apostolos videlicet non de verbis, sed sensu prophetarum fuisse sollicitos; errâsse autem vel unius prophetæ pro alterius nomine dicto, vel producto te-



stimonio, quod non reperiatur in veteribus Scripturis, quis unquàm ostendat, si prophetarum sententias consideret, qui nihil, quod Apostoli scripserint, de Christo et novâ Ecclesiâ non prædixerunt? Persequemur tamen hoc loco non modò ea quæ nobis probantur, sed et quæ plerumque à Scripturarum interpretibus dici solent. Nazarenum vocatum iri Christum Chrysostomus prænuntiatum dixit à quodam prophetâ, cujus prophetiæ omninò interciderunt. Huetius verò conjicit à capite 13, v. 5 libri Judicum depromptum, in quo de Samsone typo Christi Domini dicitur : *Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantiâ suâ.* Alii animadvertentes Evangelistam usum esse non ullius certi prophetæ auctoritate, sed prophetarum, *ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas,* arbitrantur Matthæum sensum prophetarum omnium collegisse, qui utique Christum Dominum Sanctum futurum, et Sanctum sanctorum Deo consecratum, cujusmodi Nazaræi erant, sæpissimè commemorant. Hieronymus à capite 11, v. 1, Isaiæ, Matthæum verba deprompsisse non ineptè colligit, in quo Propheta Spiritu divino plenus vaticinatur : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Inquit enim S. doctor lib. 1 Commentar. in Matth., cap. 2 : *Possumus et aliter dicere, quòd etiam iisdem verbis juxta hebraicam veritatem in Isaiâ scriptum sit : Exiet virga de radice Jesse, et Nazaræus* (Nazarenus) *de radice ejus ascendet.* Flos enim, et surculus hebraicè est *netzer* (quemadmodùm et *natzar* vocatur urbs Nazareth ab Hebræo Medico, et philosopho David de Pomis in libro *Tzemach David,* seu *Germen Davidis*). Homo autem Nazarenus est *natzar,* vel *notzar,* vel *notzeri* quasi *floridus* ab urbe Nazareth, urbe floridâ. Cùm ergo Isaias Christum appellaverit *netzer, surculum, florem;* Matthæus *notzeri, Nazarenum* quoque prædictum scripsit allegoricâ et mysticâ quâdam interpretatione à Judæis tunc probatâ, qui certè Isaiæ locum de Messiâ intelligebant. Ab eo autem Isaiæ loco Hebræorum eruditos putare assumptum Matthæi testimonium, Hieronymus idem observat lib. 4 Commentar. in Isaiam, cap. 11. Eruditi verò Hebræorum sunt ii ipsi de Nazaræorum sectâ, quorum gratiâ Matthæus Evangelium scripsit : ipsi namque Hebraicum Isaiæ textum legentes, et cum Syriaco Matthæi exemplari conferentes multo faciliùs cognoscere potuerunt, unde Matthæus testimonium sumpserit.

Faciliùs respondetur ad alterum Matthæi locum, in quo ex oblivione vel inconsiderantiâ opponitur pro Zachariâ Jeremiam nominâsse. Si enim reponamus errore librarii Jeremiam nunc legi, cùm Matthæus Zachariam scripserit, quomodò progredietur, qui objecit? Quid reprehendet, si cum S. Hieronymo dixerimus, cùm Matthæus tantùm scripserit : *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam,* nullius prophetæ nomine compellato, lapsu temporis irrepsisse Jeremiam? non enim solet Matthæus prophetas nominare quos testes adhibet. Cujus rei demùm oblivionem accusabit, si responderimus prophetiam illam de Christi venditione triginta argenteis, et emptione agri figuli verbis Jeremiæ, Zachariæ verò sententiâ compositam sine ullo errore totam attributam fuisse Jeremiæ? Ita fermè et Marci testimonium accipiendum est, quod cùm constet partim Malachiæ, partim Isaiæ vaticiniis, totum prophetæ Isaiæ est adscriptum, cujus erant posteriora verba. Verùm credibilius est non dixisse Marcum : *Sicut scriptum est in Isaiâ Prophetâ,* ut habet Vulgata nostra, sed *in prophetis,* ἐν τοῖς προφήταις, ut græcè legitur, quoniam prophetarum duorum auctoritate narrationem suam confirmabat.

Certum deinde non est Cainanem in Lucæ descriptum fuisse inter Arphaxadum et Sale. Multi enim sunt, qui ex versione septuaginta Interpretum Cainanis nomen primùm adjectum à librario quodam putant, qui in græcâ translatione quâ utebatur Cainanem legerat, ut, cùm corrigere genealogiam Lucæ vellet, depravaverit. Sunt qui sentiant Lucam non suo, sed septuaginta Interpretum nomine genealogiam veterum patriarcharum textuisse, quòd gentibus Evangelium scriberet lectioni græcæ septuaginta Seniorum assuetis, ipsumque propterea non errâsse; sed si quis error sit, totum esse Seniorum inemendatum relictum. Nec desunt, qui in Hebraicis codicibus, quos Septuaginta in Græcum sermonem verterunt, Cainanem fuisse judicant; fato autem quodam nunc in Hebraicis exemplaribus non inveniri, cùm facillimum sit in exscribendis genealogiis, errante oculo, aut manu, generationem unam præteriri. Sunt qui justâ quâdam de causâ nobis incompertâ arbitrentur prætermissum à Mose nomen Cainanis, quemadmodùm consultò Matthæus in Christi genealogiâ generationes quasdam omisit, à Septuaginta autem ex traditione suppletum : unde Lucas ejus pariter traditionis ductu ad Noe, atque Adamum generationes numerando pervenerit. Vides quæ et quanta sint, quæ ab omni errore vindicare Evangelistas possunt; quæ omnia summo studio, et contentione à Scripturarum commentatoribus inventa sunt, ut Christianâ humilitate ac pietate Bibliorum veritatem in rebus etiam ad Religionem non pertinentibus tuerentur; cùm tamen uno verbo possent se ab omni invidiâ liberare, et leve in re nihili Evangelistæ erratum fateri. Cur ergo non istos potiùs imitemur, quàm falsos esse uspiam sacros scriptores temerè judicemus?

De Stephani sermone quibusdam videtur instituti nostri rationem non postulare, ut eumdem in magno populi tumultu et clamore, in temporis angustiâ atque animi impetu, in oratione subitâ et celere effusum ab omni errore vindicare debeamus. Non enim, inquiunt, sacer scriptor est Stephanus, sed Lucas, qui orationem, ut pronuntiata erat à Stephano, summâ fide exposuit, neque emendare errores debuit ad rem parùm attinentes, in quos præ nimiâ festinatione et memoriæ infirmitate erat lapsus. Nota sunt quæ scripsit hâc de re Melchior Canus, lib. 2, de Loc. Theol., cap. ult. Verùm non placet horum consilium; rationem autem probare nullo modo possumus. Itaque dicam et ad hanc veteris et novi Testamenti discrepantiam, quæ sanè non est rejicienda in oblivionem Stephani, quem non sine causâ Lucas plenum Spiritu sancto fuisse notavit.

Jam olim septuaginta Interpretes animas septuaginta quinque in Ægyptum ingressas scripserant in cap. Genes. 46, v. 27, quanquàm in cap. 10, Deuter., v. ult., ponant et ipsi animas tantùm septuaginta, quod adnotavit et Hieronymus; sed quinque Josephi nepotes filios Manassis et Ephraim ibi vers. 20, suis nominibus appellatos in numerum concludunt, quos Hebraica et Latina exemplaria veteris Testamenti in sobole Jacobi non numerârunt. Eos interpretes secutus Stephanus (quos et S. Lucas Actorum scriptor sequi debuit, quorum scripturæ magnam apud gentes habebant auctoritatem, inquit Hieronymus in quæstionibus hebraicis) plures, et ipse animas dixit, quàm sint in Hebraicis voluminibus descriptæ; neque tamen à veritate discessit: siquidem et sacri scriptores quædam per *prolepsin*, id est, *anticipationem* interdùm scribunt, neque accusantur falsitatis. Nam et Moses, Genes. 46, v. 27, ait : *Omnes animæ domûs Jacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuêre septuaginta;* attamen Joseph et duo ipsius filii Ephraim et Manasse ex Ægyptiacâ conjuge suscepti, et Hesron, et Hamul filii Pharez in Ægypto postea nati, cum cæteris in Ægyptum ingredi non potuerunt. Si ergo Moses septuaginta ingressos veraciter numeravit, additis quinque per *prolepsin*, cùm essent tantùm sexaginta quinque, cur et Stephanus, supputatis prætereà quinque aliis Manassis atque Ephraim filiis, numerum septuaginta quinque non perfecerit? Paucis, numero capitum, sive septuaginta quinque propriè non complectimur animas, quæ cum Jacobo descenderunt in Ægyptum, sed Jacobi progeniem, quæ ibi sedem posuit, quæque aut cum ipsomet, aut extans in Patrum lumbis, ut Scripturæ phrasis est, in Ægyptum descendit.

Hæc quidem dicta sunt in eorum sententiâ, qui de eâdem Jacobi genealogiâ, Mosen, cap. 46, Genes., et Stephanum in Actis locutos putant, ut Hieronymus, lib. de Quæst. hebr. in Genesim, et Augustinus, lib. 16, de Civit. Dei, cap. 40, interpretati sunt. Nam si de re diversa Moses et Stephanus dixerint, quod fit verisimile, malè Stephani numerus putatur non consentire Mosaico. Ait S. Protomartyr accersitas à Josepho animas in Ægyptum septuaginta quinque unà cum Jacobo; de iis ergo loquitur qui, à terrâ Chanaan in Ægyptum se contulerunt, non complexus eo numero neque Jacobum seorsum nominatum, nec Josephum, duosque ejus filios, neque Jacobi nepotes Hesron et Hamul à Pharez in Ægypto procreatos, qui non potuerunt accersiri. Porrò sex detractis à numero septuagesimo, supersunt sexaginta quatuor, quibus si undecim uxores undecim fratrum filiorum Jacobi adjunxeris cum maritis à terrâ Chanaan evocatas, fiet planè numerus animarum septuaginta quinque, qualem Stephanus dixit.

Quod ad alterum locum attinet Stephani dicentis patriarchas sepultos in Sichem in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem, quæ cum Geneseos libro non consentiunt, fateor intricatam orationem esse, et nodum expeditu difficilem. Verùm in primis noto, multam operam positam esse ab interpretibus non modò catholicis, sed et hæreticis ad rem componendam ne errorem Stephano, assignarent. Tollunt scilicet à textu eas voces *filii Sichem*, quæ absunt ab editionibus Syriacâ et Arabicâ; vel si eas linquunt, græcum dicendi genus τοῦ Συχέμ, quod nos *Sichemi* diceremus, interpetrantur *patris Sichemi :* quoniam etsi articulo τοῦ sæpè filium Græci significent, eodem tamen et patrem interdùm, et maritum denotant; vel etiam non suppletâ voce *patris* commodè vertunt *Hemor Sichemitæ*, *Hemor Principis Sichemi.* Tum nomen *Abraham* in genitivo casu dictum ponunt, ac si esset ὁ υἱὸς τοῦ Ἀβραάμ ἔγγονος τοῦ Ἀβραάμ *Abrahamides, semen Abrahæ, filius, seu nepos Abrahami*, id est, Jacobus. Atque in hunc modum ex græco textu latinum faciunt: *Positi sunt in sepulcro quod filius, sive nepos Abrahami Jacobus argento emerat à filiis Hemor Sichemitæ.* Neque id contrarium est loco Geneseos, cap. 33, v. 19, ubi narratur Jacob emisse partem agri *centum agnis :* nam vox hebraica קשיטה *Kesita* tam agnum quàm genus nummi significat, fortassè nummum figurâ agni signatum, quod Thalmudistis et Hebræis recentioribus plerùmque probatur.

Sed ea omninò sit Stephani oratio, qualem in nostris codicibus habemus, sic explicari involuta et conglobata verba non incommodè possunt : *Defunctus est Jacob, et patres nostri in Sichem translati sunt* (id est, Josephus, et quidam ejus fratres in Sichem conditi, ut erat Hebraicæ gentis opinio, et Hieronymus habet in epitaphio Paulæ) *et positi sunt in sepulcro* (Jacobus scilicet, et quidam pariter ejus filii, ut scribit Josephus, lib. 2, Antiq. Jud., cap. 4), *quod emerat Abraham à filiis Hemor filii Sichem.* Equidem emit Abraham ab Ephrone filio Seor; sed cùm nihil impediat quin Ephroni pater fuerit binomis, et tam Seor quàm Hemor vocatus, nihil pariter obstet ne Ephron fuerit natu major, isque cum suo, tum fratrum nomine speluncam Abrahamo vendiderit, utique ab Ephrone filio Seor sepulcrum emit, qui emit à filiis Hæmor, alterius quidem ab eo, à quo partem agri emit Jacobus. Consuevisse autem Hebræos diversis nominibus appellari, facilè intelliget, qui patrum nomina in Genesi, et initio libri Paralipomenon descripta legerit, ubi iidem planè homines non eodem nomine nuncupantur. Hoc pacto explicatâ Stephani oratione, totius sententiæ significatio est : Patres, de quibus loquebatur, partim cum Josepho in Sichem, partim cum Jacobo in agro Ephronis fuisse conditos. Mitto eorum opiniones proferre, qui mendam in textum irrepsisse arbitrantur.

Itaque si interpretationem hanc susceperimus, quam de re notâ audientibus tum Hebræis perspectam fuisse non dubito, concisus quidem sermo erit, et involutus sanctissimi Levitæ impetu abrepti, quem distribui oportet, non tamen falsus. Consentit enim cum veteribus Scripturis, in quibus Josephi Patriarchæ corpus traductum in Sichem ; Jacobi verò corpus in Abrahami sepulcro scriptum est fuisse depositum, Josue, cap. 24, v. 32, et Genes., cap. 50, v. 13. Has, atque harum similes verborum Stephani interpretationes, quas lubens prætereo, si quis ex conjecturâ pendere adhuc

opponeret, ei primùm responderemus, satiùs multò esse conjectando defendere nusquàm lapsum Stephanum, quàm errorem ullum ejus memoriæ infirmitati assignare. Tum id repeteremus quod sæpè diximus, judicii nostri imbecillitatem, et rei obscuritatem obesse non debere veritati, etiamsi invenire non possimus veram rationem explicandi loci obstructi difficultatibus.

Quæ sequuntur in adversariorum argumento de solo Christo Domino sub nullam omninò falsitatem subjecto, nihil efficiunt. Christus Dominus propriâ virtute, et per se errare non poterat; scriptores sacri aliena, et à Deo accepta : idque est quod de sacris scriptoribus in Spiritûs sancti tutelam susceptis perpetuò Ecclesia docuit. Pauli autem consilium Corinthiis datum, Deo auctore datum est, ut nonnisi verè divinum habendum sit. Verùm licèt Spiritus sanctus Apostolos virtute suâ communierit quidquid ipsi scriberent, erant tamen alia præcepta quæ à Deo acceperant perferenda hominibus; alia vel præcepta, vel consilia à se ipsismet data non sine divino præsidio. Primi generis appellare possumus juris divini; alia humani, quæ sunt et ipsa rectissima. Itaque Paulus in epistolâ ad Corinthios mandatum Dei prohibentis disjungi conjunctos matrimonio distinguit à virginitatis consilio à se proposito innuptis, quod tamen et ipsum veritati consentaneum esse, sibique à Spiritu sancto suggestum statim iis verbis ostendit : *Puto enim quòd et ego Spiritum Dei habeam.*

Iterùm distingui oportet in Scripturis leges Dei æternas à divinis positivis atque humanis legibus : illæ perpetuæ sunt, necessariæ, immutabiles, sine ullo conditionis adjuncto amplissimæ; istæ verò temporariæ esse possunt, contrahi, mutari, abrogari, hujusmodi est divortii lex ad tempus duntaxat permissa Judæis propter cordis duritiam : utræque autem suâ veritate nituntur, utræque Spiritum sanctum habere possunt auctorem infirmitati hominum indulgentem. Cùmque rursùs ait Apostolus, *quasi in insipientiâ dico*, stultè non loquitur, sed agere id ipsum se declarat, quod facere insipientes solent, qui stultâ vanitate efferunt se et gloriantur. Ostendit hunc suum agendi modum alio loco et tempore insipientiam aut fore, aut visum iri, nisi suæ ipsius defensionis gratiâ ita de se dicere compelleretur. Quamobrem et addit : *Factus sum insipiens, vos me coegistis :* perinde ac dixisset, quod egi, insipientiæ verti posset, nisi me compulissetis. Sæpè jam dictum est Deum Apostolis adstantem ex eorum animis naturales affectiones et motus non detraxisse; cùm igitur humani sensus sint et rectæ naturæ consentientes, quos Apostolus exprimit, cur ad eosdem promendos excitare non potuit Deus, aut saltem præsentiâ suâ confirmare quos Apostolus protulit?

Articulus VI.

Libros sacros et canonicos non esse vitiatos, sed sinceros et integros ad nos pervenisse.

Multam quidem operam contulimus hactenùs in sacrorum Librorum defensionem ab iniquorum calumniis, et prolixis etiam disputationibus plures illustravimus locos, unde verbi divini dignitatem atque auctoritatem elevare Religionis vituperatores enitebantur. Verùm parùm profecissemus hujus nostri operis prosecutione, nisi ostenderetur quod olim divino beneficio datum est, Scripturarum volumen integrum, sincerum, incorruptum ad nos devenisse. Quod acturi dùm sumus, non à parvis quibusdam mendis, quæ excidere amanuensium oscitantiâ aut inscitiâ interdùm solent, Scripturas sacras vindicandas sumimus, sed ab eâ corruptione quâ quidpiam dicitur vitiatum. Nulla autem manifestior nobis videtur aut commodior hujus rei perficiendæ ratio, quàm si mansisse sinceros ostenderimus, ex quo sacros Libros conscribi cœptum est, ad finem usque Babylonicæ captivitatis; tum à Babylonicâ liberatione ad Christum usque; demùm à Christi ætate ad hæc nostra tempora à pristinâ integritate non defecisse : adeò ut constanter concludi possit, cujusmodi à Spiritu sancto sacri Codices effluxerunt, à totâ posteritate esse servatos. Videmus quidem hoc argumentum et contra hæreticos, et contra Catholicos quosdam disputari : nos tamen tractabimus, ut eos divini verbi scrutatores decet, qui non tam pravos ab impiorum animis errores evellere student, quàm omnem præripere hæreticis occasionem exprobrandæ Catholicorum ignorantiæ in codicibus à communi Latinorum, à scholæ usu alienis.

Initio autem vos monitos volo, nihil omninò præsenti causæ nocere, sive tempore captivitatis Babylonicæ Libri omnes sacri perierint, eosque omnes Esdras divino Spiritu instructus, captivitate solutâ, ut erant ab initio, recens effuderit, quod quibusdam sanctis Patribus probatum est; sive unum duntaxat volumen fuerit per Esdram à communi vastitate servatum, à quo exemplaria cætera populus in libertatem assertus descripserit; sive multos codices captiva Judæorum natio secum Babylonem detulerit, quos et rediens in Palestinam reportaverit. Quamlibet enim ex his sententiis amplectamur, satis superque sacrorum Librorum fidei, auctoritati, atque incolumitati consultum est. Si prophetico spiritu plenus Esdras deperditos libros restituit, et memoriter dictavit uti Moses, Josue, Samuel, David, Isaias, et Prophetæ cæteri scripserant; ergo divini Libri post captivitatem sine ullâ depravatione exstiterunt, quales primùm à sacris scriptoribus Synagoga acceperat. Si autem Esdrinum volumen divino consilio ab eo universali naufragio ereptum est, unde populus nova exemplaria sibi paraverit : ut illud integrum fuisse dubitandum non est, ita et reliqua inde sumpta quomodò corrupta suspicemur? Si denique multis codicibus populus instructus erat in captivitate, eosque fortassè in aliquibus locis non satis diligenter scriptos cum correctioribus contulit Esdræ hortatu et præsidio, atque accuratè emendavit, jam dubium superesse non potest quin divinas Scripturas sanas atque incolumes receperit, quâcumque labe depulsâ.

Verùmtamen non possumus iis assentiri qui aut

exemplaria omnia in Hierosolymitano excidio interiisse, aut unum tantùm evasisse ab incendio arbitrantur. Affirmemusne Esdram divino Spiritu occupatum omnia volumina eructâsse miraculo, cujus neque ulla est necessitas, neque ullius fide digni scriptoris testimonio confirmatio, neque facti constantia? Cur incertâ planè historiâ, seu potiùs fabulâ contineri velimus totam divinarum Scripturarum auctoritatem futuram, multò magis suspectam incredulo, si detur primùm intercidisse exemplaria, quanquàm ponamus postea restituta divini Spiritûs afflatu, cujus rei neminem convincere ratione valeamus? Fieri enim verò non potuit codices omnes templi incendio absumi, aut captivitate deperdi. Nam, ut prætercam multos ex decem tribubus Hebræos religiosos viros, Deum timentes, patriis legibus addictos, in servitute Assyriacâ legis exemplaria servâsse, et Tobiam captivum non legis solùm, verùm etiam Amosi librum habuisse, ex quo illud deprompserat, quod cap. 2, v. 6, refert : *Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum :* et Pentateuchum Samaritanum ab Israelitis asservatum, unde Cuthæis urbes Samariæ incolentibus lex est tradita : ut hæc, inquam, atque horum similia prætercam, novimus Ezechielem, Danielem cum rege Joachim aliisque illustribus viris legis studiosissimis undecim annis, anteaquàm Hierosolyma subverteretur, Babylonem abductos. Nemone sacros Libros secum attulit? nemo in captivitate diligenter custodivit? At Daniel, cap. 9, librum legis commemorat ut ab omnibus suæ nationis hominibus cognitum, et manu tritum, ac prophetias Jeremiæ se nuperrimè legisse scribit, vers. 2, 11 et 13.

Item Jeremias fratres suos in captivitatem deportandos conveniens legem tradidit, quam secum deferrent, atque asservarent, lib. 2 Machab., cap. 2, v. 2; ipse verò, cùm post excisam Hierosolymam et templum incensum domi adhuc, nec solus manserit, multam opportunitatem habuit exemplarium colligendorum : neglexeritne, qui multa alia ad divinum cultum spectantia condidit? In captivitate Cyro Persarum regi ostensum fuisse Isaiæ vaticinium regem ipsum nomine compellantis, eoque permotum principem Judæis in patriam redire permisisse, auctor est Josephus, lib. 11 Antiq. Jud., cap. 1. Post Cyrum anno Darii regis sexto absolutum templi ædificium, et constitutos sacerdotes, ac levitas in officiis suis, *sicut scriptum est in libro Mosis,* narratur cap. 6, lib. 1 Esdræ, priusquàm Esdras Hierosolymam reverteretur, qui in capite sequenti dicitur septimo Artaxersis regis anno reversus : igitur antequàm Esdras sacros Libros Hierosolymis, quod aiunt, deprompsisset, lex Mosis à Judæis captivitate primùm solutis legebatur. Quare populus, lib. 2 Esdr., cap. 8, v. 1, Esdram rogat, non ut amissos libros sibi divinitùs restituat, sed in medium proferat : *Et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Moysi quam præceperat Deus Israeli.* Et congruenter id quidem : nam Judæi non modo in synagogis et templo, sed domi etiam exemplaria habebant ad se acuendos ad familiam in lege instituendam : sacerdotes verò et levitæ sacros Libros ex officio curabant, eorumque maximè intererat libros non perire. Quapropter cùm in conflagratione templi flammis absumi omnes non potuerint, putandum non est adeò negligentes, incuriosos, oblitos officii, religionis desertores fuisse Judæos omnes, et sacerdotes, ut jacere atque intercidere exemplaria omnia non sine gravi scelere permiserint, cùm facilè asservare possent in eâ populi clade, quæ sacros Libros non affecerat : quod curâ multò impensiore efficere debuerunt, ut quam possent in tot malis consolationem divini verbi lectione caperent et afferrent.

Quid ergo reponemus ad eorum Patrum testimonia, qui sacros Libros ab Esdrâ novè dictatos censuerunt? Sunt enim ii nec parvo numero, nec minoris auctoritatis. Irenæus, lib. 3 advers. hæres., cap. 25, inquit : *Deus inspiravit Esdræ sacerdoti tribûs Levi præteritorum prophetarum omnes rememorare sermones, et restituere populo eam legem quæ data esset per Moysen.* Eusebius, Comment. in psalm. 62, Judæos sub impiis regibus tam altè Scripturarum oblitos putat, ut ne legis Mosaicæ quidem apud illos exemplaria restarent; et in chronico ad annum 740, de Esdrâ eruditissimo legis divinæ, et claro omnium Judæorum magistro scribit : *Affirmaturque divinas Scripturas memoriter condidisse.* Theodoretus in Cantica Canticorum consentiens captivitatis infortunio sacros Libros omninò intercidisse, pro certo tenet Esdram omnes instaurâsse : *Si ergo Esdras nullâ exemplarium ope, sed solâ Spiritûs sancti gratiâ adjutus potuit omnium mortalium commodis libros Scripturæ mandare...* Basilius in Epist. ad Chilon. : *In planitiem abiens Esdras omnes Scripturas divinitùs inspiratas Dei jussu eructavit.* Accedunt Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, qui eadem ferè sunt de Esdrâ locuti.

Respondebimus porrò ex commemoratis Patribus alios ab apocrypho libro 4, cap. 14, v. 21, Esdræ, et fabularum pleno (quanquàm bonâ fide, et pietatis impulsu, non dolo malo et fraude scripto concedamus) ea sumpsisse quæ opponuntur; alios verò dicere duntaxat Esdram divinos Libros incuriâ Judæorum corruptos recognovisse, emendâsse, expurgâsse. Multa enim circa Scripturarum libros, judicio sanctorum Patrum et plurium Rabbinorum, Esdras susceperat. Collegit ipse sacros Libros, aptè disposuit, in canonem retulit, tum recensuit diligenter, et perpurgavit à mendis quas temporum lapsu, ignorantiâ vel incuriâ amanuensium, situ etiam fortassè et squalore contraxerant. Prætcrea descripsisse dicitur novis characteribus, cujusmodi Babylonii utebantur, rejectis Samaritanis. Denique vinculo quodam fortassis sententias aliquas, quæ videbantur dissutæ, colligavit, et clarioris explicationis gratiâ nomina quædam vel mutavit, vel adjecit. His de causis dignus erat, qui à Patribus sacrorum Librorum instaurator, renovator, conditor appellaretur, juxta quem sensum plures quoquo modo sanctorum Patrum sententias explicare possumus.

Irenæus græcè loquens apud Eusebium, lib. 5 Hist. Eccl., cap. 8, ait Deum inspirâsse Esdræ ἀνατάξασθαι καὶ ἀποκαταστῆσαι, id est, *iterùm in ordinem redigere, denuò componere et restituere* prophetarum sermones : quod intelligi commodè potest de eâ recensione quam Esdræ adscribimus. Eusebius rem, quæ vulgò dicebatur, retulit. Theodoretus utrumque asseruit : nam Præfatione in Psalmos dicit : *Virum illum Dei gratiâ plenum sacros Libros partim incuriâ Judæorum, partim Babyloniorum impietate dudùm depravatos descripsisse, atque ita factum, ut Dei Spiritu vir ille afflatus sacrarum Scripturarum memoriam innovaret.* Eadem est Clementis Alexandrini sententia, qui, antequàm renovatas prophetando sacras Scripturas ab Esdrâ in lib. 1 Stromat. scriberet, de eo clarissimo viro præmiserat : *Per quem facta divinitùs inspiratorum eloquiorum recensio, et renovatio.* Tertullianus verò restauratum per Esdram instrumentum scripsit de Cult. femin., cap. 3. Hieronymus, libro contra Helvidium, Esdram non recusat *Pentateuchi instauratorem* appellari. Chrysostomus, homil. 8 ad Hæbreos, ait : *Inspiratum à Deo admirabilem virum Esdram, ut sacri Libri componerentur ex reliquiis :* atque hos Patres faciliùs in sententiam nostram adducimus, quàm abuti eorum auctoritate possint adversarii. Sed hæc celeriter; imò verò et festinanter.

Post captivitatem igitur Babylonicam integri erant et sinceri sacri Codices seu legis, sive prophetici et agiographi operâ Esdræ ad primam integritatem restituti, convenientibus quoque ad operis absolutionem, ne de uno Esdrâ contendere videamur, Aggæo, Zachariâ, Nehemiâ, Malachiâ. Restitutos verò ad correctiorum codicum fidem libros vulgarium Hebræorum credidero, non verò illustriorum virorum, qui et in captivitate studio legis erant addicti, et nihil habebant antiquiùs quàm ut factum pignus illibatum custodirent; et quoniam pluribus aliis legis negotiis vacui erant, in hanc maximè librorum curam incumbebant. Etenim præter libros legis à Mose scriptos, qui ab omnibus legi et præ manibus semper esse debebant, habuisse populum et multa exemplaria librorum Josue, Judicum, Psalmorum, operum Salomonis, perpetuâque successione diligenter asservâsse, planè adducimur ut credamus. Nam omnis ætas tulit in Hebraico populo viros scientiâ, pietate et religione commendatissimos non legis tantùm servandæ, sed et propheticorum oraculorum, et sacræ historiæ studiosissimos, quos credibilius est omnem posuisse operam, ut prophetarum et sanctorum Dei rerum scripta ardenti studio conquirerent, exscriberent, evulgarent. Multæ enim ad id causæ impellebant : prima, ut semetipsos instruerent divinâque charitate inflammarent; tum ut singularia ac probatissima argumenta divinæ tutelæ haberint in promptu, unde universum populum à Deo in fidem receptum esse probarent. Si enim lex Mosis tanto in honore ab iis habebatur, fieri non potuit quin prophetarum et sacræ historiæ libri illius divinitatem manifestissimè comprobantes, atque ad ipsam conformati diligentissimè conquirerentur, et essent in pretio.

Quæcumque verò fuerit deinde regum ac populi à lege defectio, dubitandum non est in legis obsequio Deique cultu plurimos permansisse, qui divina scripta collegerint, et chariora habuerint. Rariora quidem ea evasisse non repugno propter grassantem publicè impietatem; sed captivitatis diuturnitas homines à vero aberrantes, et divinarum rerum penè oblitos ad ad officium revocavit. Tunc cœperunt diligentiùs cogitare se in duram servitutem traditos à Deo contemptum legis ulciscente. Tunc meminit populus spei in Deo à patribus collocatæ nunquàm falsæ; meminit summæ divinæ charitatis, quam patres iidem in angustiis experti posteris commendaverant. Tunc afflictio et calamitas excitavit in animis jam terrore concussis, mitigatis, atque mollitis desiderium legendi libros politiæ simul et religionis complexu admirabiles à prophetis, à sacerdotibus descriptos, vividiorem affuturi divini auxilii spem facientes, compulitque necessitas comparari antea neglectos, ut inde solatium malorum caperent, quod aliunde capi in tanto miseriarum concursu et perpessione non poterat. Tunc igitur crebriores esse divini Libri debuerunt quàm ante servitutem, quando pravi mores cogitationem Dei ab animis depulerant. Iidem verò libri sunt quos in angustiis perturbato animo et festinanter scriptos perpurgari à prophetis Babylone regressis oportuit.

Hoc semel constituto, nihil minùs consentaneum rationi est quàm suspicari Hebræorum libros ab Esdræ temporibus ad Apostolorum usque ætatem aut temporum injuriâ, aut hominum perversitate depravatos : quippe septuaginta Seniorum versione, Judæ curâ in reparandis sacris Libris, ut articulo primo dicebamus, pontificum et sacerdotum officio definiendi, si ad eos quæstio de lege, de genealogiis alia fuisset, populi tametsi à divinis legibus deflectentis superstitione in retinendis vel minimis sacrorum Librorum litterulis, effectum est ut incolumes Scripturarum codices servarentur. Quanta enim cùmque fuerit Antiochi impietas, qui et bello sacris Libris indicto omnia legis exemplaria comburi, et capitis pœnâ plecti jussit sacrorum librorum Mosis detentores, lib. 1 Machab., cap. 1, v. 60 : irrito tamen conatu in libros sævit. Nam Machabæi indicto in Maspha cœtu coram Domino eosdem ab hostium furore subtractos expanderunt, cap. 3, v. 48, et datis postea ad Lacedæmonios litteris, magno sibi esse solatio in tribulatione sacros Libros scripserunt. Sed neque ullo Hebræorum diligentiæ testimonio indigemus, ut incolume libros ad apostolica tempora pervenisse ostendamus. Christus Dominus, Joan. Evan., cap. 5, v. 39, auditores suos scrutari Scripturas sacras jubet, non jussurus profectò, nisi priùs de corruptione monitos, si quopiam in loco corrumpi contigisset. Nec putandum est Hebræos erroris tenaces tum primùm cœpisse sacris Litteris temerarias manus inferre, aut uspiam depravare, ne à Christo Jesu ejusque Apostolis revince-

rentur. Quis enim credat Christum Dominum, qui cætera Scribarum et Pharisæorum crimina gravissimè objurgavit, non exprobraturum tantum scelus reliquis deterius, si vel de eo admittendo cogitâssent? Quì fieri potest, ut cùm sæpè commoneret cavendum à Pharisæis, à Scribis, ipsos tamen super Mosis cathedram sedentes audiri præciperet : *Quæcumque ergo dixerint vobis, servate, et facite*, cùm essent Scripturarum corruptores?

Equidem post Christi Jesu et Apostolorum prædicationem, si quæpiam esset in sacros Codices inducta depravatio, tota in Hebræorum malitiam et iniquitatem rejiceretur. Atque tantum scelus admissum est, neque admitti potuit, neque divina providentia, quæ sacros Libros antea tuebatur, postea deseruit. Hebræosne voluisse legem et sacros Libros corrumpere putabimus, qui, teste Josepho, lib. 1 contra Appion., et Philone apud Eusebium, lib. 8, cap. 6 et 8, omnia tormenta, mortemque potiùs oppeterent, quàm vel unum legis apicem mutarent aut tollerent? Imò etiamnùm tantâ constantiâ, ne dicam superstitione, sacros Libros ad se delatos curant, ut si in libro legis vel unicum erratum deprehendant, exemplar non modò in synagogas non inferant, verùm etiam ut spurium abjiciant, aut humo defossâ obligant.

Sed demus voluisse, corrupissene præterea dandum est? Loci omnes, qui in novo Testamento à Christo Jesu atque Apostolis assumuntur, iidem planè in Hebraicis codicibus exstant; quo igitur loco corruperunt? nam illud omnium gravissimum est, si ullibi sacras Litteras depravâssent, ibi maximè, ubi de Christo, de præcipuis Religionis nostræ mysteriis, de Ecclesiâ agitur, ut arma nobis eriperent, et sperare inde possent se emolumentum quoddam excusandæ perfidiæ capturos; at in capitalioribus causis, in quibus Hebræos inter et Christi fideles dissensio est, non in legendo, sed interpretando dissentimus; nulla igitur Scripturarum malitiosa corruptio est. In quibus autem Hebraica à Græcis aut Latinis differunt, parùm interest quamcumque lectionem quis teneat, ut hinc evidentiùs constet, neque corruptum, neque abrasum, neque intrusum esse quid fraude et dolo. Grave enim vehementer illud est quod in simili ferè causâ de tabularum corruptione agens inquiebat Cicero, eos datâ operâ non corrupisse, qui in periculo non fuerunt. Quid verò unquàm periculi Judæis exstabat, ut ex iis Scripturæ locis damnarentur, unde nihil proferri potest, quod eorum religioni adversatur? Sed nec voluisse, nec potuisse Hebræos sacra volumina depravare, optimè S. Augustinus, lib. 15 de Civit. Dei, cap. 13, argumentatur : anne credibile est ipsos codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem ; vel per totum orbem dispersos potuisse in hoc conspirare nullo contradicente? A diffuso enim per Apostolos in omnem terram Evangelio plures Hebræorum et Hierosolymis, et in Palestinâ, et in reliquis Romani imperii provinciis, per quas dispersæ synagogæ erant, Christi fidem amplexi suos secum libros in novæ Ecclesiæ sinum detulerunt tam suæ quàm alienæ utilitatis studio. Crediderant jam in scripturis veteris Instrumenti prænuntiatum Messiam, etiam antequàm Christo nomen darent; postquàm verò à Synagogâ discesserant, dispulsâ omni Hebraicâ caligine, clariùs intelligebant ibi præsignificatum Jesum, eumque esse Christum affirmabant. Inde in Christianorum manus Hebraici codices venerunt, in Christianorum bibliothecas illati sunt : Christi Ecclesia pretiosissima illa divinæ dispensationis monumenta hæreditario jure acquisivit. Quomodò igitur fontem ipsum, divinum scilicet sermonem, inficere potuerint, quin illicò perfidia et flagitium deprehenderetur, atque accusarentur falsitatis? Vel quomodò corrupti et contaminati libri fuerint, qui translati ad Ecclesiam extra Judæorum potestatem erant? Profectò tantam perversitatem neque unus se solo Judæus molitus esset, neque uno temporis momento perfecisset, sed et conspiratione multorum opus erat ad struendam fraudem, et lapsu temporis, quo in omnes terræ partes novi libri propagarentur, veteribus suppressis. Verùm à nemine scelus detectum, omnes siluisse, ne unum quidem restitisse adversùs teterrimum malum, et exundans quis credat? Quod tamen credendum et fatendum est iis qui depravationem Bibliorum Hebraicorum exaggerant.

De hâc sacrorum Librorum integritate adeò Hieronymo et Augustino persuasum fuit, ut alter ex Hebraico fonte novam versionem adornârit, atque eos irriserit, qui falsatum volumen ignoranter putabant; alter ad Hebraica exemplaria infideles negantes vaticinia provocaverit. Ille quidem, cap. 6, Comment. in Isaiam, ait : *Si aliquis dixerit Hebræos libros postea à Judæis esse falsatos, audiat Origenem, quid in 8 volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculæ : quòd nunquàm Dominus et Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis et Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint post adventum Domini Salvatoris, et prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, et Evangelistæ, et Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant.* Hic, lib. 18 de Civit. Dei, cap. 46, et in Psalm. 66, divinâ providentiâ effectum esse scribit, *ut Judæi tanquàm capsarii nostri libros nostros circumferrent, ut, cùm pagani non credunt quæ nos de Christo prædicata fuisse dicimus, quasi à nobis essent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros nostros circumferunt, in quibus eadem habentur quæ nos prædicamus.*

Et quidem sapienter S. doctor ad divinam providentiam, quâ sacros Libros atque Ecclesiam suam tuetur Deus, pertinere notat Librorum divinorum conservationem et incolumitatem. Injuriosum enim videretur Deo nunquàm se defuturum Ecclesiæ suæ sæpè pollicito, librorum tutelam derelinquere, quibus primùm homini voluntatem suam declaravit, eumque ad salutis viam instituit; ut cùm Ecclesia vellet fidei inimicos arguere capitaliora religionis mysteria in dubium revocantes, et blasphemantes otiosum esse

Deum, nihilque de nobis sollicitum, careret antiquissimis et incorruptis tabulis, quas in argumentum veritatis produceret. Undenam haberemus nos divinas Scripturas, si Hebræi sua exemplaria corrupissent? Cùm enim alia non exstent in Dei Ecclesiâ divina volumina, quàm quæ ex Hebraicis codicibus translata sunt, iis fœdatis, sequitur et cæterorum corruptio. Nam post susceptas in latinum sermonem traductiones dilaceratos, et fœdatos codices primigenios non fuisse, illud argumento est Latinum apographum cum hodierno Hebraico exemplari consentire, ut propterea Melchior Canus, Serarius, atque alii injuriâ dicant corruptionem esse S. Hieronymi temporibus posteriorem. At ubi vera esset Dei Ecclesia, si incorrupto Dei verbo careret? Alienum est ergo à rectâ ratione pugnaciter defendere Scripturas ab Hebræis esse uspiam mutatas. Quare ut nunc Scripturæ se habent, easdem à sacris Scriptoribus traditas agnoscamus.

Duo tamen dissimulare non possumus ad hanc eamdem causam pertinentia : alterum librarios atque amanuenses in exscribendis Hebraicis exemplaribus vel inscitiâ, vel incuriâ, vel litterarum similitudine fallente etiam attentos, vel oculi lapsu potuisse alicubi unum pro altero verbum ponere, aut quædam verba præterire : alterum, si ullibi propter exemplarium varietatem duplex occurrerit lectio, quarum alterutrius potior veritas, diligentiâ adhibitâ, satis discerni non posset, eam lectionem adscivisse Hebræorum genus, quæ sibi non noceret aut prodesset magis. Verùm his etiam datis, malitiosè perversos esse ab Hebræis codices sacros, aut eâ excidisse auctoritate, quam olim obtinuerant, non efficitur. Cùm enim errare possent scriptores, quid mirum, si lapsi fuerint? nam qui dicunt, Hebræorum scribas, perinde ac Spiritum sanctum adstantem habuissent, nusquàm peccâsse scribendo, ii miraculum prædicant non necessarium, et in re evidentissimâ graviter labuntur, nullâ sententiæ suæ ratione productâ. Masorethæ enim, ut alias causas omittam, viri diligentissimi, qui perpurgandis Scripturis incubuerunt, non potuère, quin pluribus in locis קרי *scriptum*, et כתיב *lectum* apponerent; nempe aliam in margine, aliam in textu locutionem, propter veterum exemplarium varietatem. Orientales autem, atque occidentales Hebræi, illi quidem בן אשר *Ben Aser* academiæ Tiberiadis rectoris, isti בן נפתלי *Ben Nephthali* Babylonii vestigia prosequentes non eodem modo legunt, quod satis de verâ lectione alicubi inter eos non constet. Præterquamquòd antiquissimi Bibliorum interpretes non eamdem ubique sententiam in Græcum, in Syriacum, in Latinum sermonem transferentes satis declarant, non eodem modo descriptos Hebraicos codices habuisse. Itaque non diffitemur in Hebræorum exemplaribus errores aliquos reperiri; at istud contendimus, qui sunt errores, neque de moribus, neque de doctrinâ esse : omnem magnam discrepantiam, autographum inter et apographa in varios sermones traducta, in diverso dicendi modo esse positam, perfectiore altero atque absolutiore, altero minùs perfecto : demùm nihil esse in Hebraicis codicibus manifestè falsum et periculosum.

Quamobrem ex mendis quibusdam levioribus occurrentibus etiam in profano quovis volumine, conficere apud nos divinum verbum ampliùs non exstare, neque Scripturas divinitùs inspiratas, aut hebraica exemplaria amisisse fidem, hominis est intemperanter abutentis otio et litteris. Cur enim ea opera esse desinant Mosis et prophetarum ex inscitiâ vel inconsiderantiâ scriptoris? aut, cur adhibitâ diligentiâ, et collatione factâ correctiorum librorum et interpretationum, verum Scripturæ sensum non assequemur? Demens profectò esset, qui Platonis, Demosthenis, Ciceronis, Livii carere nos libris vellet, quòd in illorum operibus mendas quasdam deprehendat, aut lacunis non nunquàm dissutum quid esse videatur. Itaque immeritò propter leviora, nec multa errata de Hebraici codicis veritate dubitaretur. Quòd si duas lectiones præsetulerint, alteram cum totâ oratione consentaneam magis et faventem nobis, alteram cum priore et posteriore sermone minùs congruam, atque hanc sequi voluerint Masorethæ ad eripienda nobis, si etiam id volueris, arma, ne inde eos confoderemus, nullo negotio ad vetera exemplaria provocare possumus, ac sinceriorum lectionem restituere. Non dicemus tamen eâ de causâ vitiatos esse improbè Judæorum libros, sed ex duabus lectionibus præpositam ab iis esse minùs opportunam ex fortuito antiquo errore, qui in magnum veterum exemplarium numerum irrepsit.

Sed audiamus jam adversariorum argumenta, eaque primùm à sanctis Patribus petita. Justinus, inquiunt, in Dialogo contra Triphonem Hebræos accusat, quòd multa è sacris Libris sustulerint in Esdrâ, Psalmis, Isaiâ, Jeremiâ. Irenæus quoque, lib. 3, cap. 24, corruptum locum ab iis dicit Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Origenes, Homil. 12 in Jeremiam, scribit : *Judæos, qui exemplaria nonnulla falsârunt, ea verba* peccatum Juda *in hæc alia mutâsse* peccatum eorum, *ne se ipsos peccati arguerint.* Chrysostomus, Homil. 5 in Matthæum Judæos meritò suspectos probans hanc affert causam : *Quippe inimicè et subdolè multa corruperint, et datâ operâ mysteria à prophetis prædicata celârint.* Hieronymus tandem, cap. 3 Comment. in epist. ad Galatas, ea Pauli verba explicans ex capite 27 Deuteronomii deprompta : *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus sermonibus legis hujus,* inquit, frustra Judæos ab exemplaribus suis tulisse *omnis* et *omnibus*, ne viderentur esse sub maledicto. Si ergo Patres audimus, in dubium vocari non licet quin malitiosè Hebræi Scripturas sacras corruperint.

Resp. plures antiquiorum Patrum non de Hebraico textu corrupto conqueri, sed de translationum et interpretationum perversitate, quas in Græcum sermonem ab Hebraicis exemplaribus Judæi fecerant. Cùm enim Ecclesia ab initio nonnisi græcam septuaginta Seniorum editionem comprobare videretur; cognoscerent verò Patres novas interpretationes suscipi ab eâ Seniorum aliquomodo diversas, novosque interpretes se Bibliorum hebraicorum veritate tueri, capti præju-

dicio, quanquam Hebraica exemplaria non consuluissent, opponebant, falsatas esse Scripturas, unde non eadem redderetur sententia, quam septuaginta Interpretes expresserant. Ita Justinus Tryphonem arguit à septuaginta Seniorum interpretatione recedentem : *Vos autem in his quoque adulterare translationes Seniorum vestrorum, qui apud Regem Ægypti fuêre, audetis, allegantes non habere Scripturam, sicut illi verterunt.* Tryphon Hebraicum textum Isaiæ, cap. 7, הנה העלמה *hinè ahalmà*, quem nos optimè, *Ecce Virgo*, Græci ἰδοὺ παρθένος eâdem significatione habent, vertebat νεᾶνις, id est, *adolescentula*, ne fateri parientem virginem cogeretur. Premebat Tryphonem Justinus, cui Tryphon novis verborum immutationibus conatus rebus clarissimis tenebras obducere, Dei verbum evertere videbatur, cùmque eum vellet refellere, clamabat cùm injuriosos esse Judæos septuaginta Interpretibus, qui in exactissimâ versione Παρθένος multò significantiùs reddiderant, tum Scripturarum corruptores esse; siquidem hebraica exemplaria non virginem, sed adolescentulam haberent.

In hâc autem totâ controversiâ nihil est quod probet sacrum Scripturæ textum esse vitiatum, præcipuè cùm etiamnùm legamus העלמה *ahalmà*, ut ab initio lectum est, et tota disputatio nos inter et Hebræos de hujus vocis verâ significatione versatur, non loci depravatione. Non est autem mirum, disputantem Hebræum, si possit interpretationem afferre sibi commodam, ipsâ uti, alteramque adversam sibi accusare erroris, quod disputatores omnes facere solent; tum verò maximè qui pugnaciùs iniquam causam defendunt : mirum autem esset si in Hebraicum codicem induxisset se perversitas. Quare Tryphon ferre nullo modo poterat vel se, vel antiquiores Judæos tanti criminis accusari, cujusmodi fuisset sacrorum Librorum corruptio.

Si autem quis contentiosiùs velit exemplar esse falsatum, non significationes novas Scripturæ verbis affixas, idque probet ex iisdem locis, quos S. Pater opponit Tryphoni à sacris Libris esse subductos, respondebimus, ut illicò nos liberemus, si de falsitate codicum sanctus Justinus loquatur, ad summum aliquos codices septuaginta Seniorum fœdatos dicere, non Hebraicum fontem. Nam cùm Hebræi tunc in Synagogis græcâ septuaginta Interpretum editione etiam uterentur, pressi verò à Patribus ad hebraicæ linguæ studium penè intermissum se contulissent, ut Græca exemplaria cum Hebraicis compararent, essetne utrorumque consensio, vidissentque in Hebraicis exemplaribus quædam desiderari, quæ exstabant in Græcis, illa ipsa scilicet, in quibus Patres vim maximam faciebant, à Græcis codicibus ea fortassis sustulerunt. Ita videri posset Justinus dicere Dialogo contra Tryphonem de Judæorum magistris loquens : *Ipsi secùs interpretari conantur* (quam Septuaginta verterint) : *multas quoque Scripturas in totum sustulerunt ex editione septuaginta Seniorum, qui manifestè hunc ipsum crucifixum et Deum, et hominem, et in cruce mortuum prædicabant.*

Veriùs tamen in responsione superiùs allatâ insistendum est. Nam S. Justinus Aquilæ Pontici explanationem legebat, ideò plurimi à Judæis æstimatam, quod in eâ hebraicum verbum Græco verbo exactissimè redderetur, vidensque Hebræos, vetere dimissâ, novam istam explanationem in multis ab illâ discrepantem assumpsisse, corruptos codices querebatur, et obtrectabat Judæis antiquam non emendantibus, sed vitiantibus immutatione verborum, atque obtruncatione. Quod et alii Patres conquesti sunt, qui, cùm disputarent adversùm Judæos, interpretationes Aquilæ, Symmachi, Theodotionis ab ipsismet probatas adhibendas censuerunt; sed deprehensâ illarum discrepantiâ à vetere Græcâ editione, corruptas Scripturas conclamârunt. Quibus ita constitutis non modo et Irenæi querimoniæ responsum est, verùm etiam Origenis, qui affirmare non potuit corrupta exemplaria Hebraica, ubi etiamnùm non חטאתם *peccatum illorum* sed חטאת יהודה *peccatum Juda* legitur, Jerem., cap. 17, v. 1. Vel, si quis nollet huic responsioni acquiescere de Hebraico fonte locutum Origenem pertinaciùs contendens, is saltem facilè sibi persuadebit doctissimum virum paucissimos codices depravatos judicâsse, quòd dixerit : *Judæi, qui exemplaria nonnulla falsârunt*, à quibus certè exemplaribus nulla reliquos Scripturarum codices, eosque præsertim ab Ecclesiâ asservatos, depravatio dimanavit.

Chrysostomus de Hebraico textu non loquitur, sed de recentioribus traductionibus cæteris, quas Judæi post Christi adventum instituerant, easque, dùm comparat cum celeberrimâ septuaginta Interpretum, jure meritoque suspectas, et datâ operâ corruptas, antiquiorem verò fide dignam, omnique suspicione liberam judicat. Quocirca post allata in objectione verba, prosequitur : *Septuaginta verò ante centum et aliquot ampliùs annos ante dominicum adventum ad interpretandum tot ac pariter accedentes ab omni suspicione ejusmodi vindicantur.* Homiliâ quidem 9 in Matthæum quærens unde sumpta prophetia esset, *quoniam Nazaræus vocabitur*, nec uspiàm reperiens, sensit negligentiâ aut perversitate Judæorum lacerata quædam prophetica opera, atque incensa. Verùm primò aliud est dicere libros quosdam prophetarum vel negligenter amissos, vel insolentissimâ temeritate suppressos, de quo in præsens non est disputatio; aliud, quos habemus libros datâ operâ vitiatos, quod nos negamus. Deinde si Chrysostomus credidit à superstitibus libris abrasum, decurtatum, corrosum quidpiam malitiâ Judæorum, cur non potiùs affirmavit Hebraicum textum prophetarum depravatum esse à Judæis, quàm divinando jacturam nescio quam propheticorum librorum animo finxit ob id quòd verba à Matthæo descripta nusquàm in veteribus Scripturis invenerat ?

De Hieronymo verò, quin nobis totus sit patrocinio, non dubitamus : exploratissimum est, quo animi ardore defensionem textûs Hebraici susceperit, quem *veritatem Hebraicam* sæpissimè appellat. Falluntur autem adversarii non satis assecuti disputandi rationem à Hieronymo usurpatam. Sæpè aliorum opinio-

nibus ipse utitur, dùm fert opportunitas, nec auctores nominat, unde sumpsit, et continuâ oratione pergit suam exponere, ne monens quidem esse suam: sæpè etiam communes aliorum scriptorum sententias persequitur, easque videtur approbare, cùm tamen aliud omninò teneat: at cùm liberè potest sine ullo offensionis periculo suos sensus aperire, tum manifestè, et absque ullâ ambiguitate eloquitur. Hanc quasi sancti doctoris inconstantiam objiciebat Rufinus, quam et Origeni objecerat Eustatius: purgat tamen se S. doctor in Apologiâ adversùs eumdem Rufinum exemplo plurium ecclesiasticorum scriptorum, atque Origenis præcipuè, qui in homiliis ad populum à communi Græcâ editione ne verbo quidem discedebat; in disputationibus verò cum eruditis viris absumebat quoque Hebraicum textum ad res explicandas. Addit usitatam eam esse Patrum rationem: *Quia interdùm coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est dicunt*, ne scilicet plures contra se acres adversarios concitent, quos tum non esset refellendi locus, aliorumque judicium adhibent. At se constanter sensisse, neque juniorem aliter judicâsse, ac judicaret senex, quanquàm junior visus esset non adeò hebraico textui addictus, asseverat Rufino id ipsum accusanti: *Tam stultus eram, ut quod in pueritiâ didici, senex oblivisci vellem?* Eam, quasi dixero, variam dicendi consuetudinem in S. doctore notavit Ribera diligentissimus operum sancti Hieronymi investigator commentariis in Joelem, de ipso inquiens: *Solet sæpè vulgares opiniones, et interpretationes sequi, ne unus multis repugnare velle videatur, contentus ibi, aut alibi, quod verum erat, docuisse.*

In loco igitur quem nobis opponunt adversarii, atque in aliis etiam, quos referre in eumdem numerum possent, aliorum opiniones secutus Hieronymus ait, frustra omninò Judæos vocem *omnis* et *omnibus* abrasisse, quoniam in codice Samaritano antiquioribus hebraicis litteris scripto easdem legerat. Non enim affirmavit ipse corrupta esse Hebræorum exemplaria, qui præmiserat: *Incertum habemus, utrùm septuaginta Seniores addiderint*, omnis homo, *an in veteri Hebraico ita fuerit, et postea à Judæis deletum sit:* quæ cùm dubitando dixerit, non in suâ, sed in aliorum sententiâ dixisse meritò credimus; neque Hebræis fraudi et dolo eorum locorum discrepantiam ipsum tribuisse, quemadmodùm solemus disputando eorum etiam quos non probamus, responsiones afferre, cùm ostendimus quot modis refelli argumentum possit. Reverà si S. doctor credidit Hebræos consultò duas eas voculas prætermisisse, ne viderentur incurrisse in maledictum, quare illas easdem non supplevit in suâ interpretatione quam Latinis tradidit? Cur aggressus est Hebraicum textum latinè reddere, ut exstabat, si Judæorum malitiâ detractum quidpiam vel additum judicavit? Quâ de causâ Hebraicos libros interpretationi Septuaginta prætulit, aut illustri nomine Hebraicæ veritatis vocavit? Nam locupletissimum est Hieronymi testimonium in epistolâ ad Suniam et Fretelam: *Sicut in novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exorta est, et inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum: ita in vetere Testamento, quando inter Græcos Latinosque varietas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ne quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* Et rursùs aliud in epistolâ ad Licinium à Gratiano relatum, dist. 9, cap. 6, ibi: *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.*

Urgent: Sancti Patres jure accusant Hebræos doli mali admissi in adulterandis Scripturis non modò Græcis, sed et Hebraicis, cùm quid ab Hebraico exemplari abest, quod in editione Septuaginta sit descriptum. Nam sapientissimos atque integerrimos Septuaginta viros Bibliorum Hebraicorum veteres interpretes ullam Scripturæ partem interpretando mutâsse temerarium est suspicari; ergo cùm primùm Græcè editi sunt sacri Libri, id totum exhibebant quod Græcè redditum est: igitur si quid in Græcis codicibus reperiatur, quod in Hebraicis desit, justa est Patrum accusatio, Hebraicos codices esse vitiatos. Id objiciebat Justinus contra Tryphonem clamans quòd in psalmo 95 (Hebraicè 96), exstaret: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno*, abrasa esse atque expuncta à Judæis ea verba *à ligno*, ne Deum et hominem Christum Jesum in crucem actum esse, ibique regium thronum posuisse ex vetere oraculo ostenderetur. Et eam quidem psalmi particulam *à ligno*, quæ verè non legebatur in Hebraicis voluminibus, Tertullianus contra Judæos disputans protulit, eamque ad psalmum pertinere confirmârunt Augustinus, Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis, Isidorus Hispalensis, Cassiodorus, Theodulphus, sive Venantius Fortunatus in nobili illo carmine, quod Ecclesia probavit:

Impleta sunt quæ cecinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit à ligno Deus.

Neque mirum esse debet, si crimini objiciatur Hebræis quosdam Scripturarum locos corrupisse. Rabbini enim sæpè meminerunt de correctione quâdam, atque emendatione textûs Bibliorum sacrorum, quam תקון סופרים, *correctionem scribarum* nominant. Quid ne eos correxisse putandum est, an non potiùs depravâsse?

Resp. hîc non esse locum dicendi de græcâ Septuaginta translatione, accuratissimane fuerit, atque hebraicis verbis omninò respondens, an uspiam similis paraphraseos, et paulò latior: judicium nostrum de hâc re, in appendice ad hos articulos, subjiciemus. Non est autem dubium quin Apostoli interdùm paulò aliter, ac esset in Hebraicis Bibliis, testimonia veteris legis ex græcâ editione decerpserint; neque tamen objecerunt unquàm tantum scelus Judæis, quale illud est, cujus visi sunt Patres quidam Hebræos insimulare. Varietas profectò inter Hebræorum et Græcorum exemplaria oriri potest quòd Græci interpretes vel exempla Hebraica habuerint in quibusdam

locis aliter scripta, quàm scriptum esset in vulgaribus synagogæ libris post Apostolorum ætatem (nam processu temporis vix fieri potuit quin in perpetuis descriptionibus mendum aliquod fortuitum in hebraicos codices intruderetur); vel aliter legerint verba quædam, aut variam et ambiguam significationem habentia aliter explicuerint; vel majoris declarationis gratiâ quidpiam addiderint; vel ad mysteria quædam occultanda mutârint; vel duas voces in unam conjunxerint; aut è contrario ex unâ duas fecerint; vel interpretando ex mediocri linguæ Græcæ scientiâ lapsi sint ullis in locis; vel judicium suum ullibi secuti fuerint; vel denique quod librarii aut ignoranter, aut scienter in exscribendis Græcis unum pro altero verbum affinxerint. Ex omnibus hisce causis discrepantia Græcæ lectionis ab Hebraicâ injuria est ex diversâ lectione Bibliorum Græcorum Hebræos criminari Scripturarum depravatores.

Nam anteaquàm Apostoli Evangelium promulgarent, suspicio esse non potest Hebræos datâ operâ ullum verbum à Scripturis sustulisse : cùm verò propagari Evangelium cœpit, hebraica volumina ad Ecclesiam detulerunt, qui à Synagogâ discesserant. Quomodò igitur in omnes Hebraicos codices errorem contumax natio diffuderit, in eos quoque qui ad Ecclesiam devenerant? Atqui etiam à codicibus qui ab origine catholicæ Ecclesiæ in potestate erant Christianorum, aberat id quod Patres querebantur ab Hebræis subtractum. Nisi enim abfuisset, Patres ipsi, prolatis Hebraicis tabulis apud Ecclesiam exstantibus, ora obstruxissent Judæis : quod cùm non fecerint, immeritò in Judæos culpa corruptionis Scripturarum rejicitur, propterea quòd in Hebraico desit quod in Græcis invenitur. Stultum autem est dicere Patres plerùmque Hebraicæ linguæ ignaros non potuisse Hebraica exemplaria ad Ecclesiam delata conferre cum Græcis; idcircò judicium fecisse ex Græcâ editione quid esset in Hebraicis codicibus depravatum. Etenim temerè fingitur Patres omnes, qui primo et secundo Ecclesiæ seculo vixerunt, idioma Hebraicum ignorâsse, aut Hebraica Biblia non legisse. Nam qui in Palestinâ fidem Christi susceperant, erant in Hebraicorum librorum lectione exercitati. Deinde, etsi fuissent Patres ipsi sermonis Hebraici imperiti, nulline erant in Ecclesiâ fideles, quorum judicium exquireretur utrùm in antiquis Hebraicis exemplaribus in Ecclesiâ relictis plus legeretur quàm in vulgaribus synagogarum? Eorum ergo operâ uti et potuissent et debuissent Patres, atque ex illorum judicio certiores fieri de Judæorum dolo, eumque corruptoribus objectare : nisi putemus eos officio suo in re tam gravi defuisse. Quòd si nihil tale unquàm ulli Judæo objecerunt, perperam blateratur aliquid fuisse in vetustis Hebraicis Bibliis, quod est in recentioribus amputatum. Dandum tamen est Patribus, si Judæos accusârunt : cùm enim præjudicata eorum esset opinio septuaginta Interpretes, Spiritu sancto afflante, Scripturam Græcè retulisse, statim, vel uno mutato Græcè interpretationis verbo, totas sacras litteras perverti conclamabant.

Nihil autem est quod Judæos magis ab invidiâ liberet, quàm productus locus ex Psalmo 95, à Justino primùm Judæis objectus. Nam eæ voces *à ligno* non modo in Hebraicis Bibliis nunquàm fuerunt, sed et in Chaldaicis, et in Syriacis, et in Græcis, quæ ad nos pervenerunt, et in Arabicis, et in Æthiopicis ex Græcâ interpretatione traductis, et in vetere Latinâ editione ante Hieronymianam, et in Hexaplis Origenis desiderantur. Quis autem credat tantùm potuisse Hebræos, ut in omnibus Psalmorum editionibus quâlibet linguâ factis eas voculas delerent? aut si in bonis codicibus Græcis illud *à ligno* olim exstitisset, passuros fore Christianos ut à Græcis omnibus Psalteriis deinde expungeretur, atque illustre adeò oraculum omninò à sacris Libris excideret? Exstat et totus Psalmus 95 insertus in capite 16, lib. 1 Paralip., neque tamen ulla ibi mentio ligni est. Cur etiam apud neminem Græcorum Patrum (præter unum Justinum martyrem) ea lectio invenitur, si in antiquis Græcis codicibus *à ligno* regnâsse Christum legebatur? Psalmi enim versiculum absque ullâ ligni mentione in medium profert Eusebius, Demonst. Evang., lib. 1, cap. 2, et in Commentario in Psalmos à Montfauconio edito, tom. 1 Collectionis novæ Patrum Græcorum, Gregorius Nyssenus, lib. 2, de Titul. Psalm., cap. 9, Cyrillus Alexandrinus, sive, ut placet Combefisio, Eulogius Alexandrinus, homil. de Ramis Palmarum, Apollinarius Laodiceæ episcopus in Paraphrasi versibus scriptâ :

Εἴιπατε δημοισὶν γε Θεὸς μετὰ πᾶσ ιν ἀνάσσει·

Dicite populis quidem Deus in omnibus regnat ; auctor Commentarii in Psalmos, qui exstat tom. 1 Operum Theodoreti; tota demùm Catena Græcorum Patrum in Psalmos additamentum illud *à ligno* omisit. At nemo ex Græcis aut paraphrastes Psalmorum, aut interpres ex Psalmo 95 argumentum deprompsit, quo probaret præsignificatum à Davide mortis Jesu Christi genus. Omnesne silentio tantum oraculum præteriissent, si in Græcis codicibus exstitisset?

Quid ergo? Falsusne Justinus est contra Tryphonem disputans; aut Judæis crimen affinxit, quo vacabant? Equidem et falsus ipse est, et Judæis non suum crimen objecit, quanquàm excusare sanctum virum boni omnes debeant. Exemplar ipse habebat (et plura fortassè tum circumferebantur talia) in quo adjunctum illud *à ligno* legebatur; eas voces à novis Hebræorum traductionibus sublatas videbat : negabat pariter Tryphon Hebraicos codices id habere : quare zelo defendendæ Christianæ religionis abreptus abrasas à Judæis Tryphoni exprobravit, non adhibitâ accuratiore investigatione num ita res esset. Quomodò autem quædam Græca exemplaria illud additamentum *à ligno* occupaverit, facilè explicatur. Cùm in epistolâ tributâ Barnabæ sermonem esse *de regno Jesu à ligno* vidisset pius quidam Psalmorum lector, incidens postea in illa verba Psalmi 95 : *Dominus regnavit*, memor eorum quæ legerat in Barnabâ, in mar-

ginem retulit particulam *à ligno*, velut loci illius explanationem : nam consuesse veteres Christianos in librorum margine scribere quasi adnotationes quasdam, et Scripturarum explicationes, vetera monumenta comprobant. Porrò cùm ea adnotatiuncula margini adscripta vehementer librario placeret, putans variantem lectionem esse, textui adscripsit : ea verò deinceps à piis viris suscepta atque exscripta fidem auctoritatemque habuit, majorem sanè habitura, nisi Hexapla Origenis obstitissent. Mox enim, ut cognitum est ex Origenis Hexaplis neque in Hebraicis libris, neque in editione septuaginta Interpretum eam adjunctionem legi, improbata est à Græcis Patribus, atque à Bibliis explosa. Hinc factum est ut, cùm Patres plurimi post Origenis ætatem de psalmo illo meminerint, nemo cum Justino regnantem à ligno Dominum dixerit. Quia verò Origenis opera, quæ falsæ lectionis admonebant, non erant admodùm apud Latinos vulgata, Latini Patres diutiùs retinuerunt quod Justinus legerat, adeò ut et in hymnos ecclesiasticos conjiceretur.

Hæc eruditorum virorum Jacobi Fabri Stapulensis in suis ad quintuplex Psalterium scholiis, Augustini Justiniani Episcopi Nebiensis in suo Psalterio quinque linguarum, Simeonis De-Muis professoris linguæ Hebraicæ Parisiensis, in Assertione Hebraicæ veritatis, sententia est, aliorumque, qui sanè Litterarum sacrarum patrocinium non deserunt. Egregiè Nebiensis episcopus ad psalm. 95 : *Quod legitur in Romanâ psalmodiâ* regnavit à ligno Deus, *non est de Hebraicâ veritate, sed christianâ devotione, ut arbitror, additum. Secutus est verò hanc paraphrasticam editionem Theodulphus, qui nobile passionis carmen ac devotum composuit, ubi dixit :* Impleta sunt quæ concinit, etc. Nemo ergo facilè credat Guillelmo Lindano de optimo genere interpretandi scribenti, se in psalterio Anglicano Hebraico voculam *à ligno*, etsi à Judæis abrasam, apparentibus tamen vestigiis, legisse. Etenim Benedictus Arias Montanus in animadversione suâ de Anglicano illo psalterio, quæ inter opuscula ad apparatum Bibliorum regiorum pertinentia exstat, contrarium affirmat, et verba *à ligno* planè omissa esse asseverat.

De תקון סופרים *Thikkun sopherim* duplex est linguæ hebraicæ peritorum judicium. Alii non solùm in dubium vocant, an quid correctum sit uspiam ; verùm etiam correctionem scribarum somnium esse, et delirium ignorantûm Judæorum putant. Neminem enim vidimus hactenùs neque ex Hebræis, neque ex Protestantibus, neque ex Romano-Catholicis, qui explicârit, quinam fuerint scribæ, quas notas emendaverint, quo tempore opus perfecerint. In neutro præterea Thalmude Hierosolymitano, et Babylonico ullum תקון סופרים commemoratur, quod non fuisset præteritum, si Thalmudis auctoribus tanta res innotuisset. Alii fatentur scribas correxisse quidem, seu potiùs ordinâsse atque instaurâsse Scripturarum lectionem ; verùm neque post Christum natum codices Hebraicos fuisse emendatos, neque malitiosè mutatum quidpiam, scribas enim appellant Hebræi viros synagogæ magnæ, quorum caput erat Esdras dictus סופר מהיר *scriba velox*, qui post reditum Babylone volumina sacra recensuerunt, atque ex variis codicum lectionibus eas probârunt, quæ nunc sunt in usu. Porrò quæ ab Hebræis atque à Masorâ vocantur *correctiones scribarum*, eadem prorsùs in antiquis translationibus reperiuntur Græca Septuaginta, Chaldaica, Syriaca, Vulgata Latina, eademque cum Hebraicis codicibus consentiunt. Igitur non sunt Scripturarum depravatio, sed vera lectio in omnibus editionibus exstans. Tales mutationes Masora ipsa ad Esdram refert in caput Numer. 12, v. 12, notans locum illum esse unum ex 18 correctionibus Esdræ. Quocirca Genebrardus lib. 2 Chronologiæ suæ, inquiens Esdræ consilio et operâ præsertim Libros sacros collatos esse et emendatos, ita rem confirmat : *Unde* תקון סופרים, id est, *correctio Scribarum, appellatur Thikkùn Esdræ, ut in Masorâ, Numer.* 12, *v.* 12, *quasi Esdra scribarum fuerit princeps.* Sed ne interest quidem pro alterutrius harum responsionum veritate admodùm contendere. Ponatur Scribas correxisse, et locos octodecim mutâsse, in nullo sanè locorum res est de quopiam Religionis christianæ mysterio, sed de duabus lectionibus, quarum neutra ulli parti favet magis quàm alteri, neutra nocet : adeò verum est de veriore retinendâ lectione eos cogitâsse, non divino verbo falsando.

Instant magis et premunt, qui arbitrantur hodiernis Hebraicis codicibus omnem esse imminutam fidem. Quanquàm primis Ecclesiæ seculis, et ad Hieronymum usque incorruptos credamus fuisse Hebraicos libros, tamen ex quo à Masorethis inventa sunt, atque apposita puncta vocalia, quæ olim deerant, non modò suspicio est, sed affirmari certò potest mutatas esse Scripturas : ex variis enim significationibus uni voci subjectis, quas diversarum vocalium litterarum varietas efficit, eam dolo malo probârunt, quæ favet sibi, eamque attribuerunt verbis, prout constitutum inter ipsos est in posterum esse pronuntiandum. Quod si vocalia puncta detraxeris, quomodò ex septem aut octo modis, quibus unum verbum legi sæpè potest, et reddi variis sensibus, lectionis veritas dijudicabitur, cùm Hebraica lingua omninò interciderit, neque revocari possit, aut restitui, nisi susceptâ interpunctione Masorethicâ, quæ in vehementem suspicionem venit? Sed et manifestum est exemplis locos quosdam esse à Masorethis corruptos. Geneseos, cap. 8, v. 7, Hebræi habent : *Corvus egrediebatur et revertebatur ;* cùm tamen Septuaginta, Vulgata Latina, atque omnes Patres legant : *Non revertebatur.* Item, cap. 49, v. 10, pro שלוח *missus*, seu ut vertit Hieronymus, *qui mittendus est*, Hebræi legunt שילה *schilò*, quod nullam habet significationem. Psalmo 18 (hebr. 19), v. 5, pro יצא קולם *exivit sonus, vox eorum,* in Bibliis Hebraicis est קום *linea eorum.* Psalmo 21 (hebr. 22), v. 17 non כארו *foderunt,* sed כארי *sicut leo* scripsêre Masorethæ, ne Messiæ manus et pedes transfixum iri inde probaretur. Isaiæ, cap. 9, v. 6, pro יקרא *ikkarè, vocabitur,*

Hebræi, variatis punctis, legunt *ikrà, vocabit*, id est, *admirabilis, Deus, fortis.... vocabit nomen ejus* (Messiæ) *Principem pacis*. Quo fit ut Messiæ divinitas ex illo Isaiæ vaticinio demonstrari ampliùs non possit. Igitur malitiosè Hebræi vocalia puncta appinxerunt, et litteras, ubi opportunum erat, mutârunt, ut suos errores tegerent.

Resp. : Si concedatur semel sancti Hieronymi temporibus integros fuisse Hebraicos codices, confecta res erit, etiamnùm in eâdem integritate esse. Non equidem ii sumus qui ut Scripturas Hebraicas tueamur, ponamus vocalia puncta eamdem ac litteras consonas habere originem, ut Buxtorfius, lib. de Punctorum antiquitate conatus est demonstrare; aut à Mose, vel Esdrâ, et viris synagogæ magnæ inventa, ut Judæorum quibusdam placuit. Multæ adeò, eæque graves causæ nos movent (quæ potissimùm ab Eliâ Levite Judæo, et Ludovico Capello in libro de Punctationis arcano revelato nobilibus hâc de re scriptoribus productæ sunt), cur credamus à Judæis academiæ Tiberiadis rectoribus, Masorethis appellatis (scilicet traditione doctis), post annum Christi sexcentesimum vocalium et accentuum notas primùm excogitatas, atque appositas fuisse, cùm antea sine vocalibus punctis Hebraici libri legerentur. Verùm etiamsi puncta ejusmodi Masorethæ adjecerint, non vitiârunt Scripturas; sed ne dissona usquàm esset sacrorum Codicum lectio, ne verus legendi modus in posterum ignoraretur ab hominibus gentis suæ in omnes terras diffusis, ne audaciores aliqui ab avitâ legendi ratione discederent, figuris quibusdam, et variis apicum, litterularum, punctorum formis expresserunt sonum verborum, et distinctionem sententiarum à Patribus longo temporum decursu traditam præscripsêre. Quapropter si apices, si lineolas spectemus, Masoretharum opus sunt; si autem lectionem, significationem, et sonum, non Masorethis, sed sacris scriptoribus, sed Deo auctori tribuenda sunt puncta vocalia.

Odio autem Christianorum ad eripienda nobis argumenta Hebraicos errores convellentia alias appictas esse consonis vocales notas, quàm quas litteræ requirebant, omni verisimilitudine caret. Etenim litteræ illæ Masorethicis punctis ornatæ aliud planè nunc significarent, ac antiquitùs Origenes, Eusebius Cæsariensis, Hieronymus explicuerint, si ex punctorum adjunctione tenebras offundere Masorethæ voluissent Scripturis, easque pervertere. Atqui eam sensûs diversitatem hebraica exemplaria non objiciunt, præsertim ubi graviora Religionis nostræ mysteria tractantur : patet ergo convenienter ad linguæ Hebraicæ naturam, et convenienter cum fide nostrâ punctorum notas esse institutas. Interpretatio quidem Hebræorum perversa est, et à veritate recedens; significationem pariter malitiosè subjiciunt quibusdam nominibus alienam à sacri scriptoris instituto, et mente, quippe contortam sæpè per vim ad aliud explicandum, quàm oratio requirat. Ita, exempli gratiâ, illud Isaiæ, cap. 7, עלמה *halmà* mulierem junioris ætatis esse dicunt, adolescentulam cognitam à viro, non virginem : שבט *schevet* virgam tribulationis, non imperii, non auctoritatis insigne in vaticinio Jacobi, Genes., cap. 49. Verùm voces et vocum sonos Masorethæ non immutârunt. Sicut enim hæretici, adhibitis nobiscum vel Græcis vel Latinis novi Testamenti litteris, in alienam significationem verba transferunt, in quorum lectione consentimus : sic et Hebræi nobiscum in vocum pronuntiatione concordes iisdem, quam olim habebant, suam significationem detrahunt, atque intelligi volunt rem planè diversam. Nemo tamen dixerit Lutheranos aut Calvinianos odio Romanorum esse sacræ Scripturæ corruptores, quanquàm sensum depravent. Non erunt ergo Hebræi vitiatores veterum Scripturarum, propterea quòd perperàm veteres Scripturas interpretentur.

Quod præterea dicunt, detractis punctis vocalibus fore maximam linguæ perturbationem, et veræ lectionis ignorantiam, si quid valeret, probaret hebraica volumina nunquàm divinas fuisse Litteras, aut saltem Hebraicam linguam omninò periisse; non verò Scripturas esse falsatas. Sed negotium facessere ea res potest linguarum orientalium ignaris, non item peritis. Detrahat quis, quantùm velit, vocalium notas, manebit adhuc et sensus, et significatio, et pronuntiatio verborum, et quidquid est sine quo nullum linguarum genus potest consistere. Ante Masorethicum inventum legebantur libri non Hebraici solùm, sed etiam Syriaci, Chaldaici, Arabici sine ullâ vocalium figurâ : etiamnùm Samaritani punctorum usum non habent; attamen legunt : legeret igitur et nostrûm quilibet, si istarum linguarum studiis multùm incubuisset. Inter varios autem sensus quos habere vox aliqua posset per se spectata, atque extra orationem posita, cerneremus unum tantummodò certum et definitum plerùmque se prodere ex totâ sermonis texturâ, eumque usus et legendi consuetudo ostenderet, ambiguitate sublatâ : nec diversâ admodùm ratione pronuntiaremus, ac pronuntiaverint Masorethæ secuti usitatam normam, atque acceptam à majoribus, per quos ad eorum usque ætatem legendi ratio defluxit, licèt vocalium litterarum nomina, et figuras ab iis inventas ignoraremus. Sumptis enim in exemplum aliis orientalibus linguis, quæ etiamnùm sunt in usu; adhibitis veteribus manuscriptis, in quibus litteræ quædam signabantur אמות קריאה *matres lectionis* propterea vocatæ, quod indicio essent quâ ratione esset legendum; atque evolutis antiquis interpretationibus, ubi difficiliora quædam verba explicanda occurrerent, utique absque ope punctorum legeremus Scripturas Hebraicas, atque interpretaremur. Hoc pacto nimirùm Hieronymus susceptum interpretandi negotium expedire potuit, priusquàm puncta vocalia invenirentur.

Itaque tota hæc de Masorethis, eorumque operâ, quæstio paucis concludatur. Masorethæ homines erant quidem sub errorem subjecti; sed quos ab antiquâ legendi ratione recessisse, aut fraudem fecisse probari non potest. Ubi varia erat lectio, nec deprehendi satis poterat quæ esset verior, utramque adnotârunt : pun-

cta supposuerunt litteris, aut imposuerunt, quæ sonum redderent cujusque vocis proprium : iisdem ablatis neque pronuntiandi modus tollitur, neque significatio verbis eripitur, ut possit etiamnùm quilibet in linguarum studio, atque Ecclesiæ doctrinâ versatus ex Hebraico fonte recentibus vocalium figuris non interpuncto verum Scripturarum sensum extrahere. Addatur quoque Masorethas ex duabus lectionibus non expunxisse fraudulenter meliorem ; sed si ullo in loco expunxissent, aut non satis castigatè legissent, nos judaicâ superstitione non alligari. Ut enim ipsis licuit, collatione factâ veterum exemplarium, accuratè Biblia describere ; ita liceret et nobis secundùm Hebraicæ linguæ analogiam ope antiquorum traductionum tollere mendum ex litterarum similitudine plerùmque lapsum, idque corrigere, et pristinæ integritati Hebraicum exemplum, quantùm fieri potest, restituere.

Videamus jam, quas dicunt, productis exemplis, Masorethicas depravationes. Atverò etsi non diffiteremur in oppositis locis lectiones esse mendosas : ergone corrupta sunt Hebraica Biblia, et fidei, ac morum regula esse desinunt, quod olim erant? Multa errata in Vulgatam Latinam lapsa esse ante Sixti V et Clementis VIII emendationem nemo negat ; quædam verò, ne dicam plura, adhuc superesse, quæ correctione indigerent, docti viri consentiunt : numquid propterea incorrupto Dei verbo Latini caremus? Deinde cur à Masorethis malitiosè mutatum quid putemus, potiùs quàm Scribarum errore, et casu fortuito? Quid enim fortuitum magis esse potest, quàm particulam negantem excidisse, ut in primo allato loco Geneseos, et corvum reversum dici, cùm scribi debuisset *non reversum?* Nemo equidem seriò credet, Masorethas datâ operâ negantem voculam in textu suppressisse, quasi verò tanti interesset corvum non rediisse, ut, si redierit, Hebræi vicerint, atque Hebraicus error extorqueri ab animis ampliùs non possit. Sed ne fortuituitum quidem erratum in Hebraicis codicibus ibi esse puto. Lucas enim Burgensis producit latinos codices magnæ auctoritatis, qui sine negatione legunt, ut in Hebraicis habetur. Verum habet, inquiunt, græca editio, et vulgata latina, quæ in manibus fidelium est, Ecclesia Magistra. Habeat, licet : ei hebraicam lectionem, inquam, non discrepare. Est enim in hebraico textu, *et dimisit* (Noe) *corvum, et exiit abeundo et redeundo ;* id est, postquàm regressus est corvus, circa arcam eundo, et redeundo sæpiùs volitabat, donec aquæ siccarentur : atverò in arcam ampliùs non rediit. Atqui istud ipsum est quod latina et græca editio exhibet : *Exibat, et non revertebatur,* nempe in arcam non revertebatur, quemadmodùm in arcam iterùm ingressa columba est, quæ mundos locos, ubi pedem poneret, ubi consisteret, non invenerat.

Alter locus, Geneseos 49, contaminatus non est : litterarum similitudo veriùs Hieronymum fefellit ; qui tamen, etsi verbum non reddiderit, verum verbi sensum tenuit. *Schilò* unum est ex Messiæ nominibus, quod non negant Judæi doctiores, quodque paraphrastæ Chaldæi *Onkelos* et *Jonathan* explicuerunt vertentes, *donec veniat Messias.* Non ergo vaticinium Judæi falsârunt, ut nondùm venisse Messiam pertinaciter defenderent. Congruit autem optimè nomen שילה Messiæ, suamque significationem habet commodissimam, scilicet *pacificator*, et, si fas esset dicere, *tranquillator, felicitator*, pacem et salutem afferens, pacis instaurator : quod nomen plus fortassè explicat, quàm Hieronymus in suâ translatione dixerit.

Tertium in Psalmo 18 : *In omnem terram exivit sonus eorum*, hebraicè קום *delineatio eorum*, non est à Masorethis datâ operâ mutatum : nam facillimum fuit, fallente oculo, aut manu, prætermitti litteram ל *lamed* vocis קולם, et restare קום. Fieri etiam potest Græcos et Hieronymum perinde legisse קום, ut nunc legitur. Ad sensum autem magis quàm ad verba intentos transtulisse *sonus eorum :* quoniam utrobique, sive dicamus vocem cœlorum laudes Dei enarrantem in omnes terras diffusam, sive perpetuas lineas, quas cœli describunt, et constantes gyros, atque orbium conversiones divinæ gloriæ laudatrices esse, eadem res est, eadem significatio. Quin etiam cum Pocokio *in portæ Mosis appendice n.* 47, subjungi potest, verba quædam, quæ apud Hebræos quidpiam significare videntur, aliud quid pariter indicare posse, quod Septuaginta, exempli gratiâ, reddiderunt, illudque ex vicinis linguis Chaldaicâ, Syriacâ, Arabicâ colligi ac repeti. Accidit enim propter harum linguarum affinitatem, ut vocis cujusdam varia notio interdùm ex alterâ linguâ capiatur, in quâ ampliores significatus habet, quos et olim in hebraico sermone habuisse verisimile est : cujus rei exempla peti possunt in lexicis, ubi haud rarò notatur Hebraicam vocem esse ; notionem autem hauriri ex usu Chaldaico aut Arabico. At verò apud Arabes קוה idem etiam valet quod *clamavit :* quare si vocis קוה explicatio ab arabicâ significatione sumatur, optimè convertetur Hebraicus textus, qualis nunc exstat, *in omnem terram exivit clamor eorum*, cujusmodi in Græcis ac Latinis editionibus habetur.

Quartum exemplum alicujus quidem, imò verò gravis momenti videtur, adeò ut multi hanc unicam esse in hebraico textu probabilem mendam agnoscant. Verùm ne hoc quidem in loco accusandi sunt Masorethæ. Etenim cùm casu primùm, et ex litterarum similitudine factum esset, ut in quibusdam exemplaribus scriptum inveniretur כארי *caarì*, etiamsi in pluribus כארו *carù* appareret, visa est illa Masorethis varians lectio, ac pro variante notârunt, alteram scilicet in textu, alteram in margine. Reipsâ Masora magna textualis ad cap. 24, Numer. v. 9, habet : כארי bis exstat Numer. 24, v. 9, *accubuit* כארי (sicut leo) ; et Psalmo 32, v. 17, כארי *manus et pedes meos ; sed in posteriore loco scriptum est* כתיב כארו. Servatam esse eam Masoræ rationem scribendi in textu כארו testatur, et R. Ben Chaiim in Masorâ quam edidit ad calcem Bibliorum Venetorum : *In multis libris correctis inveni scriptum* carù, *et lectum* caarì. Confirmat et jurejurando R. Joannes Isaacus, lib. 2 contra Lindanum : *Idem ego ipsâ virtute et conscientiâ bonâ testari possum,*

me hujusmodi psalterium apud avum meum vidisse, ubi in textu scriptum כארו, *et in margine* כארי. Nunc quidem recentiores Rabbini malitiosè eam lectionis et scriptionis diversitatem dissimulantes silentio prætereunt olim scriptum esse lectumve כארו; sed horum audacia, cujus non sunt incusandi Masorethæ, facillimè retunditur. Non enim difficile est antiquam germanam lectionem restituere, quam secuti sunt et Septuaginta, qui reddiderunt ὤρυξαν *foderunt*; et Aquila Judæus scelestissimus, qui transtulit ᾔσχυναν *fadârunt, deturpârunt;* et Syrus, et Arabs, atque Æthiops similiter transferentes; et Chaldæus, qui vertit נכתין *momorderunt.* Jam verò aliud est Scripturas per fraudem corrumpere; aliud, ut supra dicebamus, lectionem aliam ex fortuito errore natam, vitandoque ictui opportunam arripere: illud Hebræis verborum, litteræ, et corticis ad superstitionem usque tenacibus crimini verti non potest; istud non dedecet vafros homines, qui celare vellent lectionis differentiam, si possent, atque ita elabi. Irritus tamen est impiorum hominum conatus, quos Masora ipsa marginalis confutat, etiamsi legeremus כארי. Docet enim Masora in hunc locum, licèt scriptum sit כארי, idem significare quod כארו: nempe *duo sunt caarì cum kametz; at in duplici, id est, diversâ significatione*, Isaiæ scilicet 38, v. 13, et Psalm. 22, v. 17: cùmque certum sit hanc vocem Isaiâ reddendam esse *sicut Leo*, certum etiam est in Psalmo non aliam habere significationem posse, quàm quæ est secundùm lectionem alteram כארו *foderunt*, ut series orationis postulat. Quòd si tandem deesset Masoræ auctoritas, nullo negotio conficeret adhuc Hebraicè sciens *caarì* scribi pro *carim* aut *carè*, nempe *fodientes*. Etsi ergo legamus ut legi volunt Judæi, nulla in hodiernis ipsorum Bibliis meditata litteræ perversio est, nulla periculosa sensûs mutatio, modò verba, ut explicanda verè sunt, explicemus.

Ultimum exemplum ineptum est. Ergone quia Hebræi legunt *ikrà, vocavit*, necesse est nos eodem pacto legere, atque in activâ significatione verbum usurpare, nec possumus suppositis aliis punctis pronuntiare *ikkarè, vocabitur*, quomodò Septuaginta, Chaldæus interpres, Aquila, Symmachus cum Hieronymo legerunt? Si igitur punctorum mutatio errorem tollit, puncta mutabimus, quæ nobis licet mutare, et sanabimus sine ullo negotio plagam Scripturarum. Non est tamen ulla necessitas legendi aliter ac legatur ab Hebræis ad veritatem scripti tuendam. Compertum est omnibus Hebraicè legentibus verba activa sæpè ab Hebræis poni pro passivis, tum præcipuè, cùm explicatè nulla persona notatur quæ verbum regat, quod innumeris confirmari exemplis potest. Ideò autem verba in passivâ significatione terminationem habent activam, quia supplendum esset, v. g., *quilibet, omnis populus, Israel vocabit*, ut significatio terminationi planè responderet, quo non suppleto consequens est pro passivis accipi. Sic apud Latinos *dicunt* sine adjuncto idem valet ac *dicitur*. Non veremur autem ne Hebræus insulsè nobis obtrudat eam interpretationem alienam, ***admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi vocabit puerum nasciturum, id est, Messiam, Principem pacis;*** non id, inquam, veremur: continua enim oratio, ejusdemque tenoris non patitur ea omnia quæ uni tributa sunt, divina nomina, alterum ab altero disjungi, quasi alter esse possit, qui vocet, alter qui vocetur. Præterquam quòd nemo est Hebræorum qui ignoret eâ phrasi *vocare nomen alicujus*, sæpiùs non significari quempiam eo nomine appellatum iri, sed talem reapsè futurum dignitate et virtute, qualis dicitur vocandus. Quamobrem quocumque tandem modo apud Isaiam legatur, sive *ikrà*, sive *ikkarè*, sententia est: *Puer natus est nobis, et erit admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, Princeps pacis.*

Sed tempus est ut vela contrahamus. Hebraici Codices sacri cùm in synagogâ, tùm in Ecclesiâ diligentissimè asservati nullam unquàm labem contraxerunt, quæ primam dignitatem imminueret, quòd fortuiti errores, qui in minimis rebus excidere scribenti possunt, de re nec fidei, nec morum scripti veritati non derogent: igitur incorrupti ad nos devenerunt, quales sacer scriptor reliquit. Cùm autem notum sit codices, in quos eloquia sua referri Deus voluit, esse Hebraicos veteris et Græcos novi Testamenti, quod de Hebraicis dicimus, de utrisque dictum accipiatur. Ex iis plurima aliis linguis exempla scripta sunt Græca, Syriaca, Latina, inter quæ licèt interdùm discrepantia sit, tanta non est tamen ut fidem et mores attingat, si interpretationes quidem à perversis hominibus et fidei nostræ inimicis confectas excipias. Nam Aquilam, Symmachum, Theodotionem, quorum alter à Christianis ad Hebræos descivit, alter à Samaritanorum sectâ ad Ebionitas transiit, postremus à Marcionitis ad Ebionitas pariter migravit, nonnulla dolo malo mutâsse non indiget probatione, quod est à pluribus Ecclesiæ Patribus, et Hieronymo præsertim animadversum. In reliquis verò interpretationibus aut publicâ Ecclesiæ auctoritate susceptis, aut communi fidelium consensu probatis, cùm fide et morum præcepta mirificè consentiant, dubitandum non est quin divinorum eloquiorum doctrina reperiatur. Discrepantiæ enim, quæ textum inter et translationes occurrunt, in parvis rebus sunt, et ad certa capita revocantur. Hæc nimirùm sunt vel ignorantia et negligentia amanuensium, vel diversa lectio ortâ ex litterarum similitudine, et varietate exemplarium, unde in aliam linguam versum est, vel interpretatio paulò amplior ad res illustrandas pro interpretis ingenio, vel translatio sententiarum tantummodo, non etiam verborum. Eas autem ex istarum causarum alterâ profectas discrepantias promptum est ex critices regulis et usu codicum diligentiùs exscriptorum maximâ ex parte componere, ac tutò definire nihil esse in iis traductionibus quod contra textum repugnet. Quod si adhuc in re aliquâ textus interpretationi discordet, nisi probetur in Hebraicos hodiernos codices fortuitum aliquem errorem lapsum, aut ex variantibus lectionibus Judæos probâsse minùs consonam reliquæ orationi, adhærendum potiùs hebraico textui putamus. Negari enim non po-

test quin fontes præferendi sint rivulis, nisi constet fontes esse turbatos.

Neque necesse est disputare longiùs utra ex Græcis septuaginta Seniorum et Hebraicis exemplaribus præferenda sint; atque an ex interpretatione corrigi textus debeat. Satis est ostendisse corruptos datâ operâ non esse codices Hebraicos, quod ad Græcos novi Testamenti pariter transferendum est, quibus nunquàm contigit ullos errores consultò admisceri, ex quo consequitur authenticos adhuc esse divinæque auctoritatis, ad quos, si oporteret, interpretationes cæteras æquum esset probari. Quî enim fieri potest, ut Religionis regula et norma esse desierint? Codices primigenios consuli jubebant Ecclesiæ Patres, cùm quæstio oriebatur, quæ translationum inspectione definiri non poterat. Quâ ergo de causâ nunc eximiam illam dignitatem et auctoritatem amiserint? Præter Hieronymum, quem supra testem produximus, Ambrosius, lib. 2 de Spiritu S., cap. 6, de novi Fœderis libris inquit : *Si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsârunt, Græcos inspiciat codices.* Augustinus, lib. 15 de Civit. Dei, cap. 13 : *Cùm diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potiùs credatur unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Quamobrem si olim primigenii codices ejus erant dignitatis, ut certa iis fides haberetur, ad eosque omnis referri posset quæstio, nemo jure sacros eos libros dignitate spoliabit, nisi priùs evidenter ostenderit pristinam integritatem non retinere. Quod cùm efficere hucusque non potuerint, qui minùs æqui in Hebraicos et Græcos fontes videntur, intelligant tandem se nobis injuria repugnare.

Ne autem quis putet hâc nostrâ sententiâ quidquam detractum auctoritati Latinorum codicum, quos Ecclesia probavit, is primùm nôrit nos in genere sentire interpretationi auctoritatem conciliari à fontibus, propterea ex fonte posse interpretationis integritatem explorari. Si enim consentientibus exemplaribus aliarum linguarum sermone editis magis obvius aliquis sensus, et priori ac posteriori sententiæ congruentior haberetur, quam colligatur ex fonte, cui fortuitus error illapsus sit, non dubitaremus quin fonte relicto ad traductas Scripturas regrediendum esset : atverò, hâc unâ causâ exceptâ, nihil est quod retrahere nos debeat, ne fontes adeamus, unde de alterius scripti sinceritate cognoscitur, atque inde hauriamus, quoties opportunitas tulerit, ad controversias de fide et religione contra obtrectatores fidei dirimendas. Tum verò animadvertat concilium Tridentinum, declaratâ authenticâ editione Vulgatâ, nec minuisse Hebraicis et Græcis Bibliis auctoritatem, nec fontibus Latinam interpretationem prætulisse : imò etiam ob id judicâsse eosdem ab omni pernicioso errore vacare, quod Latinam Vulgatam authenticam dixerit. Optimè namque Serarius in Prolegomenis, cap. 19, quæst. 12 : *Authenticam versionem esse, est censeri cum originariâ linguâ convenire.* Reverà scriptum *authenticum* dicimus vel autographum ipsum, et primum exemplum; ve apographum ex illo sumptum, cum eoque planè con sentiens, quâcumque demùm linguâ exscriptum sit. Itaque cùm Vulgatam Latinam editionem ab Hebraicis et Græcis exemplaribus fluxisse certum sit, non potuerunt Patres authenticam pronuntiare, nisi cum hebraicis et græcis Scripturis concordem crediderint, et consequenter eas censuerint à suâ integritate non excidisse : cæteroquin si putâssent primigenia scripta amisisse fidem, quomodò Latinum scriptum, quod conferri ampliùs cum exemplo non posset, auctoritatem habere judicâssent, et contra Hæreticos decreto sanxissent ?

Neque continere possum quin moneam inconside ratè admodùm, ne dicam ineptè, eos ratiocinari, qu ita rem colligunt : Tridentini Patres Latina Vulgata Biblia authentica decreverunt; ergo neque Græca, neque Hebraica ampliùs valent. Miror enim eos ignorare quod nemo vel parùm in hoc argumento versatus ignorat Tridentinos Patres nullam fontium mentionem facere, sed solùm ex Latinis versionibus, quæ circumferuntur, unam elegisse, quam cæteris anteponerent. Quod Bellarminus lib. 2 de Verbo Dei, cap. 10, rectè monet, ubi et Calvinum mendacii accusat, propterea quòd hæreticus dixerat : *Concilium Vulgatam fontibus præposuisse :* unde et cap. 11, addit : *Stultum est dicere Theodotionem hæreticum* (ex quo quædam in Vulgatam translata sunt) *non potuisse errare; vel sanctum Hieronymum nunquàm errâsse, cùm ipse in Isaiam*, cap. 19, *dicat se errâsse, et Ecclesia ejus correctionem acceperit. Non illos auctores canonizavit Ecclesia; sed tantùm hanc versionem approbavit; sed certos nos reddere voluit in iis quæ ad fidem et mores pertinent, nullc esse in hâc versione interpretum errata.* Doctè et Alphonsus Salmeron, qui concilio Tridentino interfuit Prolegom. 3, de concilio ipso loquens : *Nihil,* inquit, *de exemplaribus Græcis vel Hebraicis agebatur; tantùm inter tot editiones latinas quas nostra secula parturierant, quænam ex illis præstaret, sermo erat : liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas sacras profundiùs meditantur, fontes Hebræos et Græcos, quatenùs opus est, consulere, quo nostram vitio librariorum vel temporum injuriâ corruptam emendare valeant.*

Doctè et Andreas Vega unus ex nobilioribus theologis, qui concilio adfuerint, lib. 15, cap. 9, affirmat Patres non restinxisse studia theologorum linguas scientûm, qui sentiunt quosdam Scripturarum locos exactiùs traduci potuisse, et Spiritum sanctum in primigeniis libris explicatiorem ac meliorem sensum indicâsse, quàm qui in Vulgatâ Latinâ redditus sit : sed cùm Vulgatam authenticam pronuntiârunt, nihil prætereà significare voluisse, quàm nullo fœdatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide atque moribus colligi possit. Testem ejus rei adducit cardinalem sanctæ crucis tunc pontificis legatum, deinde pontificem Maximum Marcellum II dictum, à quo se ita accepisse refert, pridie quàm decretum illud rogaretur, ab eoque postea idem sæpè audivisse. Doctè item et Andradius Lusitanus Theologus, qui in

concilium et ipse convenit, eadem locutus ac Vegas, de patrum Tridentinorum instituto subdit : *Valdè inconsideratè eas loqui, qui plus fidei editioni Latinæ quàm Hebraicis voluminibus deferendum putant... quare qui Græcos Latinosque codices de Hebræis supplendos, emendandosve esse contendunt, non quidem ab Ecclesià ad externos, ut quidam putant, sed ad ipsam Jesu Christi Ecclesiam provocant, et ab eàdem illà ipsà præsidia comparant.* Deinde non solam Vulgatam Scripturam authenticam esse hoc firmissimo argumento demonstrat : *Ecclesia Christi non exiguis occidentis finibus, quibus Latina editio familiaris est, continetur; sed per omnes gentes universitatis oras, omnes gentes et nationes quæ Christo Jesu nomina dederunt, continet : neque ad illam magis Itali, Galli, Germani, et Hispani, quàm Scythæ, Indi, Græci, Brachmanesque pertinent, dummodò Christum verà fide prosequantur; et tamen latinam linguam cùm non intelligant, in Vulgatà editione prorsùs surdi sunt : unde sanè fit ut si sacram Scripturam veram et incorruptam in solà esse Vugatà editione putemus, maximam atque amplissimam partem illius splendore spoliemus.* Denique Julius Rugerius secretarius apostolicus, lib. de Scriptur. Canon., cap. 44, scribit : *Cujus piæ aures ferre poterunt Hebraïcam editionem à Spiritu sancto iisdem verbis dictatam, à prophetis conscriptam, ab Esdrà restitutam, à Christo recitatam et explanatam... à quà omnes editiones velut à parente et fonte suo fluxerunt, correctiones derivantur, et discrepantiæ librariorum culpà exortæ sæpiùs sublatæ sunt, nunc explosam, et damnatam esse ?* Atque hæc de primà προλεγομενῶν sacræ Scripturæ parte hactenùs.

PARS SECUNDA.

DE SACRORUM BIBLIORUM DIVINITATE ET CANONICITATE SIGILLATIM.

Absolutis generalioribus capitibus, ad alteram partem devenimus, in quà de singulorum librorum divinitate, atque auctoritate disputatur. Et jactis quidem fundamentis, quibus tota sacrarum Litterarum dignitas continetur, speramus fore ut quamlibet latum, immensumque campum percurrere debeamus, nulla tamen singularis quæstio sit, quæ postulet tractari prolixiùs, ut in superioribus fecimus. Ne autem præfando tempus tradendæ disciplinæ præripiatur, illicò antiquiores veteris Instrumenti scripturas afferamus in medium.

DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Pentateucho, sive quinque libris Mosis.

Quinque Mosis libros, *Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium* græco vocabulo Πεντατεύχον appellant nostri, id est, *quinque volumina ;* Hebræi verò תורה *Legem.* Libros istos non modò ab ultimà antiquitate et Deo afflante esse scriptos, sed et Mosen conscripsisse in superiore hujus nostri operis parte me adeò probàsse confido, ut nulla prætereà videatur necessaria esse demonstratio. Verùm quia Hobbesius in opere inscripto *Leviathan*, part. 3, cap. 33 ; Pererius, in Systemate præadamitico, lib. 4, cap. 1 ; Benedictus Spinosa, in Tractatu theologico-politico Mosen Pentateuchi auctorem esse negant, atque alter dici Mosis libros censet, quòd Mosis historiam exhibeant; alter, quòd veteris Mosaicæ historiæ fragmenta sint et laciniæ, cùm illa omninò perierit; tertius, quòd ex antiquis monumentis in compendium redactis Esdras Mosaicum opus confecerit : ob eam rem iterùm in hoc argumento versandum est, ut cumulatissimè absolvatur, quanquàm satis omnibus fecisse videri possumus, eosque in superioribus refutàsse. Movet prætereà nos ad hoc argumentum sumendum rursus in manus Richardus Simonius intemperantior criticus, qui in primis capitibus lib. 1 Historiæ criticæ veteris Testamenti, pluribus efficere studet, nonnisi leges et præcepta scripsisse Mosen ; historiam verò à scribis publicis et notariis Israeliticæ reipublicæ, quos prophetas nominat, in publicas tabulas relatam, unde Pentateuchus multò post depromtus fuerit, et ad pauciora contractus. Movent denique loci quidam Mosaicæ historiæ, qui egent declaratione.

Ne autem actum agamus, nihil de divinitate Pentateuchi, nihil de ejusdem antiquitate attingemus; sed Pentateuchum totum, cujusmodi nunc est, Mosi vindicabimus. Exordium sit à Deuteronomio, quod secunda lex dicitur, duplum legis, legis repetitio, compendium legis in prioribus libris explicatæ; cùmque libri istius scriptorem esse Mosen constiterit, facile erit judicare de cæteris. Itaque Deuteronomium Mosi scriptori tribuitur cap. 31, v. 9 : *Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini ;* et vers. 24, et seq. : *Postquàm ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens : Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.* Item ex eodem volumine Leviticis sacerdotibus tradito jubet Moyses reges, qui olim Judaicæ reipublicæ præfuissent, exemplar sibi describere Deuter. 17, ejusque assiduam meditationem populo commendat sæpissimè, ne quid unquàm contra præcepta Domini agat imprudens. In his porrò locis de Deuteronomio sermonem haberi perspicuum est ; nam liber indicatur legem, præcepta, mandata, judicia Domini complectens non modò de moribus, verùm etiam de cæremoniis, qualis est Deuteronomii : Mosen igitur Deuteronomium descripsisse, manifestum est. Quòd si secundam legem ipse scripsit, jam et alios quatuor superiores libros legis exstantes, quorum compendium Deuteronomium est, pariter scripsisse consequitur. Nam si ab aliis quibusdam priores libri editi sunt, cur non et hic postremus? Si item compendiaria sancitarum legum repetitio

Mosis est, cur non magis prima descriptio?

Etenim fateri primis quatuor voluminibus scriptam historiam quidem exstitisse, quando Deuteronomium latum est: pugnaciter autem defendere à notariis publicis descriptam, unde postea tumultuario opere excerptus Pentateuchus sit, quod est Simonii judicium, somniantis potiùs est quàm è re gestâ judicantis. Etsi enim assentiremur, constitutâ Hebræorum republicâ, delegatos fuisse notarios describendis quæ quoque tempore accidissent; attamen in primâ institutione reipublicæ non constat commissum ulli esse publici scriptoris officium; imò etiam verius est, re totâ ad legislatorem Mosen delatâ, fuisse neminem præterea eo munere publicè functum: verius, inquam, multò est, si ex sacrarum Litterarum quidem silentio quæstio definiatur, ut procul dubio definiri oportet, usquedùm certas causas Simonius protulerit, quare ejusmodi scribarum veluti collegium approbandum sit. Sed quid tantùm dico silere sacras Litteras de notariis et scribis, qui, vivente Mose, historias posteritati commendarent? Notant imò datum Mosi præceptum à Deo scribendæ historiæ de Amalecitarum excidio. Exodi, cap. 17, v. 14: *Dixit autem Dominus ad Mosen: Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalech sub cœlo.* Accedit Exodi, cap. 24, v. 4: *Scripsit autem Moses universos sermones Domini;* et v. 7: *Assumensque volumen fœderis legit audiente populo.* Rursùs Numerorum, c. 33, v. 1 et 2: *Hæ mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Mosis et Aaron, quas descripsit Moses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant:* hebraicè ad litteram: *Et scripsit Moses egressiones eorum* (per) *ad profectiones eorum juxta os Domini.* Itaque si Moses bellum contra Amalecitas descripsit, si universos Domini sermones volumine complexus est anteaquàm Deuteronomium ederet, si perfectiones filiorum Israel in scripta retulit, quid operis scribis relinquebatur, aut quid fingimus homines publicis monumentis posteritati tradendis destinatos!

Ex hoc verò et sponte fluit ineptissimos esse Pererium, Hobbesium, Spinosam, et quibus istorum opinio placet. Quid enim processu temporis opus fuit iisdem de rebus, quas Moses litteris mandaverat, novos libros componi, aut ex antiquis monumentis ipsa extrahi, quæ Moses ipse reliquerat? Reliquerat autem certè totam legem, primam quasi dixero, et secundam toto Pentateucho comprehensam, et Josue in vices suas successuro reliquerat. Etenim, inquit Dominus, Josue cap. 1, v. 7 et 8: *Confortare igitur, et esto robustus valdè, ut custodias, et facias omnem legem quam præcepit tibi Moses servus meus: ne declines ab eâ ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Atque verò volumine illo non modò secunda lex, sed et prima, et totus Pentateuchus continebatur. Nam Josue omnibus ipse præceptis obsequi, in omnium observatione continere populum debuit: at multa præcepta sunt in priore lege, quæ in posteriore non exstant: habuit ergo in volumine descriptam quoque priorem legem non ab alio datam sibi, neque descriptam, quàm à Mose secundùm Domini mandatum. Quod si ita est, demonstrent primùm iniqui homines intercidisse libros illos omninò neglectos, tum dabimus conquisitis aliunde monumentis recens quoddam opus esse confectum. Verùm cùm incredibile prorsùs sit normam, præceptionem, et regulam totius vitæ, cujusmodi erant libri Mosis, sine quibus Judæorum Respublica administrari non poterat, negligentiâ atque incuriâ eorum qui præerant, interiisse; credi pariter non potest vetus Mosaicum novo opere esse suppletum.

Externos hujus rei testes non licet quærere, siquidem brevitatis causâ præterire cogimur vel plurimos scriptos in libris Judicum, Regum, Paralipomenon, Ecclesiastici, Prophetarum, Machabæorum locos, in quibus explicatè notatur, *in Mose*, *in libro Mosis* testimonia ea reperiri, quæ in Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio legimus: quod evidenti argumento est omnium quinque librorum à sacris scriptoribus dictum esse editorem Mosen. Samaritanorum tamen judicium visum est afferri oportere, quod tanti valet, quanti quodlibet gravissimum. Samaritani enim Mosaicos ipsos libros, quos habemus, suscipiunt, ac summâ animi religione usque servant ob summam adversùs divinum scriptorem reverentiam. Verùm si ex veteribus laciniis consutum esset volumen, si Esdræ operâ compactus liber seris temporibus, quomodò tantam auctoritatem apud ipsos habuisset Pentateuchus? Odiosissimi profectò sunt Judæi Samaritanis, nihil fuit Esdræ cum Samaritanis commune; igitur longè ante regum Judaicorum tempora, qualis apud nos est, Pentateuchus exstabat, quem Mosis esse vel ii negare non potuerunt, quorum multùm intererat non esse Mosis.

Si verò ad novum Testamentum animum convertamus, illustriùs multò apparebit Christum, et Apostolos totum Pentateuchum in genere legem vocâsse, legemque totam à Mose scriptam dixisse. Christus enim Jesus, Lucæ cap. 24, v. 27, omnes de se scripturas discipulis euntibus in Emmaüs interpretatus est, *incipiens à Moyse et omnibus prophetis*, dixitque ad eos, vers. 44: *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me*, ubi totum vetus Testamentum in legem Mosis, in psalmos, in prophetas tribuit. Moses ergo, à quo Scripturas explanare aggressus est Jesus, scriptor est Hebræorum vetustior; ergo lex, ut à prophetis et psalmis distinguitur, totum Pentateuchum complectitur, qualis ætate Christi legebatur, et etiamnùm legitur; ergo lex, sive Pentateuchus perinde Mosis opus est, ac prophetarum libri prophetarum sunt opera. Rursùs apud Joannem, cap. 1, v. 45, Philippus ait Nathanaeli: *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth.* Quid autem est ea lex, sive legis liber, in quo Moses scripserat, nisi liber quem vulgò Judæi legem Mosis appellabant?

Item Jacobus, Actor., cap. 15, v. 21 : *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Et Christus iterùm, Joannis cap. 5, v. 39 : *Scrutamini Scripturas.....;* et vers. 46 : *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Atverò singulis sabbatis, anno vertente, totus Pentateuchus in Synagogis legebatur. Scripturæ pariter, quas Mosi auctori acceptas referebant Judæi, erant quinque ipsa volumina, quæ nunc Mosaicorum nomine appellamus.

Cum his argumentis, ubi opus esset, et illa conjungantur quæ superioris articuli 2, parte primâ, produximus, si cui rem amplificare magis placeret. Nos hìc insistimus, nihil contra Pentateuchi auctoritatem et scriptorem concludi posse argumentis, quæ ex merâ conjecturâ pendent, quemadmodùm sunt eorum qui nobis obsistunt. Nam quisquis receptissimam antiquissimamque sententiam tot præsidiis munitam nititur convellere, non conjecturis, sed certissimis rationibus pugnare debet : quod nisi fecerit, summâ audaciâ est. Cùm igitur Pentateuchi libros Mosi auctori abnuant ineptissimis et levissimis causis adducti, quibus nemo bonus unquàm assentiatur, non possunt, quin summæ temeritatis reprehensionem incurrant. Etenim licèt vera essent omnia quæ proferunt, nosque ad ea respondere non valeremus, consequeretur tantummodò libris Mosis eam verborum, et nominum mutationem accidisse, quæ ferè omnibus priscorum auctorum libris accidit; urbium, exempli gratiâ, et locorum nominibus vetustioribus alia suffecta esse postmodùm indita et recentiora; breviores quasdam explicationes additas ad auctoris orationem illustrandam; facta etiam nonnulla, quæ deerant, absolvendæ omninò historiæ adjuncta. Hæc, inquam, ad summum consequerentur, si vera essent quæ opponunt, non autem alium à Mose auctorem quinque legis volumina descripsisse.

Sed quia generali hâc responsione argumentorum, ut ipsi aiunt, ictum declinare videmur; ideò dùm nobis ipsi satisfacimus, et ipsos inscitè loqui breviter evincamus. Inquiunt ex operis ipsius, quod Mosaicum vulgò vocant, consideratione plura colligi, quæ persuadent, etiamsi nomen Mosis inscriptum habeat, ætatis esse multò recentioris. Primum est, scribi à Mose non potuisse, quæ ipsius mortem consecuta sunt : multa autem hujus generis in Pentateucho sæpè occurrere legenti. In capite ultimo Deuteronomii mors et sepultura Mosis describitur, atque commendatur ut prophetarum maximus, cujus similis nemo ultra in Israel surrexerit. Mosesne scribere ista potuit? Geneseos, cap. 12, v. 6, eâ adnotatione insitâ historiæ Abrahami progressi usque ad locum Sychem, *Chananæus autem tunc erat in terrâ*, monemur, cùm liber Geneseos scriberetur, Chananæos non ampliùs Palestinam incoluisse, à quâ tamen longè post Mosen sunt depulsi. Geneseos, cap. 36, v. 31, legitur : *Reges autem, qui regnaverunt in terrâ Edom, antequàm haberent regem, filii Israel fuerunt hi;* deinde octo numerantur reges, altero in alterius mortui vices succedente, atque his adnumerantur et duces multi ex familiâ Esaü : ex quo loco tria urgent : primum, Scriptorem Geneseos vixisse stante jam Israelitarum regno; secundum, ab Edom, sive Esaü ad Scriptoris usque tempora octo regum, et plures ducum generationes intercessisse, quando à Jacob fratre Esaü ad Mosen quatuor tantummodò interfuerunt; tertium, constare duces Idumææ, qui regibus successerunt, Mosis ætate esse posteriores.

Item Exodi cap. 16, v. 35, narrat auctor, filios Israel 40 annis in deserto manna comedisse, usquedum tangerent fines terræ Chanaan; Moses autem quadragesimum illum annum non attigit, neque ad terram Chanaan pervenit : Deuteronomium his verbis incipit: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moses ad omnem Israel trans Jordanem.* Scriptus est ergo iste liber in Palestinâ, è cujus regione desertum, ubi erant Israelitæ et Moses, situm est trans Jordanem. Ibidem, cap. 2, v. 12, refertur filios Esaü, expulsis Horræis et gladio deletis, habitâsse in Seir, *sicut fecit Israel in terrâ possessionis suæ, quam dedit illi Dominus.* Habitatores autem terræ Chanaan interfecit Israel gladio, eorumque terram possedit post obitum Mosis. Iterùm, cap. 3, v. 2, dicitur, Ogi regis Basan de stirpe gigantum monstrari lectum ferreum, qui est in Rabbath filiorum Ammon novem cubitos habentem longitudinis, et quatuor latitudinis. Quomodò Moses gigantis molem ex ferreo lecto dimensus fuerit coram populo, quasi populus gigantem non vidisset? Aut quomodò dixerit in Rhabbath filiorum Ammon asservari lectum, cùm, vivente Mose, à Basanitide non fuerit dimotus, neque in Rhabbath reperiri aut videri potuerit, nisi regnante Davide, qui et Ammonitas vicit, et Rhabbath occupavit? In isto ipso etiam capite, v. 14, Jair filius Manasse, captâ possessâque omni regione, Argob vocavit ex nomine suo *Villas Jair usque in præsentem diem;* si prope finem vitæ Mosis novum illud nomen terræ Basan datum est, et Moses ipse recentem nominis mutationem, novamque loci appellationem notat, quid facit ea adjectio *usque in præsentem diem?* Multæ ergo dicendi formulæ in toto Pentateucho reperiuntur, quæ declarant scriptorem diù post Mosis tempora historiam rerum Hebraicarum legumque consarcinâsse.

Breviore responsione expediuntur singula. Narrationem mortis, et sepulturæ Mosis Mosen ipsum spiritu prophetico texuisse, sibique ipsum meritas laudes dedisse, Deo intùs movente, Philo, Josephus, et Hebræorum plerique respondent : quod satis utique esse potest confutando Spinosæ. Interpretes verò plerumque dicunt ultimum illud caput, in quo ista de morte Mosis referuntur, vel à Josuâ, vel ab Esdrâ, vel à Synagogæ Magnæ viris appositum, ne quid ad librorum Pentateuchi absolutionem desideraretur. Atque hæc quidem solidior responsio est : si enim Esdras Libros sacros recensuit, si Josuas filios Israel vice Mosis in terram Chanaan deduxit, verisimillimum est alterutrum voluisse finem vitæ Mosis legislatoris ad calcem totius legis commemorare.

Verba capitis 12 Geneseos, quibus notatur, cùm transiret Abraham usque ad locum Sichem et convallem illustrem, habitâsse tum Chananæos in terrâ, non significant olim quidem ibi fuisse Chananæos; quo verò tempore id scriberetur, non ampliùs ibi sedem habuisse : sed jam tum, quando per ea loca transibat Abraham, Chananæos habitâsse. Vox enim hebraica אז, quam noster interpres vertit *tunc*, judicio etiam Aben *Esdra* (quanquàm ipse de scriptore librorum legis dubitare videatur) optimè valet ac מאז, vel מן אז *jam tum, jam iis temporibus*. Non fuit autem omninò supervacaneum eam particulam apponi, ex quâ Israelitæ veterem loci illius habitatorem abactum iri intelligebant : cognitum verò fuisse Abrahæ ex divinâ revelatione, gentem, cum quâ versabatur, à posteris suis delendam.

Successio regum Edom qui tenebant imperium, priusquàm filii Israel regem haberent, nos non movet. Primò enim, etsi regis nomine intelligas Saülem et reges Juda, Moses divino lumine completus præceperat futurum, ut in posterum Israelitæ præesse sibi regem vellent, quod et perspicuè capite 17, Deuteronomium declarat præscribens, quem eligi oportuisset ; et capite 28, populum unà cum rege in captivitatem abducendum prænuntians. Quare ergo non potuerit de Idumæâ gente loquens scribere, eamdem priùs se regiæ potestati subdidisse, quàm Israelitas? Sed et commoda interpretatio est, regem filiorum Israel in objecto Geneseos loco vocari ipsum Mosen, qui dùm Israelitas in unam rempublicam coegerat, iisque præcepta dabat, ut facere reges solent, meritò nomen regis sibi vindicavit, quo et insignitur Deuteronomii, cap. 33, v. 5 : *Erit apud rectissimum* (in Israele) *rex congregatis principibus populi cum tribubus Israel*; in quem locum inquit Aben Esdra, *rex ipse Moses*, cum quo plerique interpretum consentiunt. Judices quoque appellantur reges in libris Judicum, cap. 17, v. 6 : *In diebus illis non erat rex in Israel*, nempe judex, qui populo præesset, et coerceret contumaces , Mosen verò judicem populi fuisse certius est. Nec repugnabo, si quis malit Geneseos locum interpretari : *Antequàm Deus se filiorum Israelis regem præstitisset*, quoniam Hebraicæ nationis videri rex tunc voluit Deus, quando è manu Pharaonis ereptis leges in deserto dedit. Jam verò constat octo Idumææ reges, quos Moses nominat, non fuisse principes qui regnum à patribus acceptum filiis reliquerint, ut necesse sit octo generationes supputare, sed octo diversæ stirpis, ac nationis homines, qui aut Idumæam invaserint, atque imperium capessiverint, aut electione ad principatum venerint : quod cùm ita sit, nihil impedit quominùs omnes trecentorum ferè annorum spatio regnârint. Cùmque duces aut stante regno et ipsi diversorum locorum hominibus imperârint, aut vitâ functis regibus, et subeunte aristocratiâ alii aliarum urbium rem gesserint, mirum non est tam multos principes in Idumeâ cum imperio fuisse jam tum, cùm Moses scribebat.

Man verò comedisse filios Israel in deserto annis 40 cur Moses non scripserit? Ut enim habetur in 14 capite libri Numerorum, loquente Domino ad se, et fratrem suum Aaronem intellexerat 40 annos oberraturum deserto Israelem : hoc autem cognito, quidni et cognoverit quo cibo foret, ut vesceretur totos 40 annos usque dùm terram Chanaan possideret? Numquid et propheticam facultatem eripere volunt Mosi, ne Pentateuchi scriptor haberi possit? Sed scriptum jam sit in Exodo totos 40 annos effluxisse, dicam non invitus esse Esdræ, vel alterius prophetæ additamentum.

Initio Deuteronomii, ubi Latinè legimus *trans Jordanem*, Hebraicè habetur *ad transitum Jordanis, ad oram Jordanis, in Jordanis littore, propè littus*, antequàm populus Jordanem trajiceret. Illud vocabulum septuaginta verterunt πέραν habitâ temporis ratione, et regionis quam populus incolebat, cùm Scripturas Hebraicas sunt interpretati ; quia habitâ ratione terræ Chanaan locus, in quo legem tulerat Moses, ultra ripas Jordanis erat. Sed Hebraica vox sonans *ad transitum*, tam *cis*, quàm *trans* (Jordanem) significare Pagninus et Buxtorfius rectè observant. Nam et Deuteron. cap. 3, v. 8, narrat Moses se ac populum occupâsse terras duorum regum Amorrhæorum, qui erant *trans Jordanem*, nempe Og regis Basan, et Sehon regis Esebon : verùm cis Jordanem ad orientem, nemine diffitente, positæ sunt terræ duorum regum bello acquisitæ, et cis Jordanem Moses erat, cùm ea loquebatur. Atque omninò debuit Scriptor, quemcumque tandem fingant Hobbesius et Spinosa in eâ orationequam Mosi tribuebat, adhibere vocem significantem *cis Jordanem;* Moses siquidem Jordanem non trajecit. Iterùm auctor libri Josue, cap. 9, v. 1, reges Palæstinæ ait versatos in montibus et campestribus, et maritimis trans Jordanem : necessariò autem qui legit citeriorem Jordanis ripam animo debet concipere. Liber enim Josue sub eâdem cœli parte est scriptus, sub quâ reges erant, qui ad pugnandum contra Israel congregabantur. Ne autem hæc nostra explicatio obscura sit adhuc, cogitatione comprehendatur Palæstinam, Judæis à Deo in hæreditatem datam, ad occasum Jordanis sitam esse, ut Taurinensis urbs ad occidentem partem Eridani jacet ; ad orientem verò solitudinem campestrem in terrâ Moab, in quâ iterùm legem Israeli dedit Moses, quomodò vicini colles, ad quorum radices Padus fluit, orientem spectant. Quamobrem terra duorum regum Amorrhæorum occupata jam ab Israelitis, vivente Mose, ad orientalem Jordanis plagam erat, ubi Moses ipse populum alloquebatur : campestria autem et montana, et maritima, de quibus loquitur Josue ad occidentalem plagam ejusdem partis terræ quam scriptor habitabat; igitur neque Moses, neque Josue ulteriorem Jordanis ripam indicare potuit ut in Latinâ editione reperitur, sed citeriorem. Vox igitur *trans Jordanem* etsi interdùm notet partem ultra flumen, tamen etiam interiorem fluvio adjacentem significat, atque in transitu, in latere vertendum est.

Alter Deuteronomii locus cap. 2, nihil eorum habet quæ objiciuntur. Non enim, inquit ibi auctor sacer, ab Israelitis jam possessam Chanaanitidem, sicut Esaü montem Seir occisis Horrhæis, possederat; aut quem-

admodùm Esaü Horrhæos ex monte exterminaverat, ita Israelem Idumæis ejusdem montis possessionem eripuisse; sed regionem ad orientalem Jordanis plagam tribui Ruben et Gad, dimidiæque tribui Manasse distributam ita occupavisse per vim filios Israel, interemptis Amorrhæis et Basanitis, quemadmodùm Esaü, deletis Horrhæis, monte Seir erat potitus.

Tertium quod ex Deuteronomio depromitur imbecillum est et invalidum. Quare Moses non debuit, aut non potuit ex lecti mensurâ probare Judæis immanem gigantis proceritatem, quando legem iterato dedit? Virant quidem multi Ogum vel pugnantem, vel jacentem et cæsum; sed et lapsum jam tempus erat ab illius regis excidio, et major Israelitarum pars non interfuerat spectaculo, ut pueri, senes, feminæ, et qui aliis negotiis occupati abfuerant. Cùm ergo ad plures qui regem non viderant, orationem haberet Moses, opportunè admodùm de lecto ferreo meminit. Tum non præsentibus modò, sed et futuris Hebræis Moses scribebat historiam, et legem dabat, quibus immensam molem gigantis eo argumento voluit esse testatam. Quod verò aiunt in Basanitide tum asservari lectum debuisse, non autem apud Ammonitas, ridiculum est. Quis certò affirmet in Ammonitarum urbe lectum non remansisse, cùm vetustissimus auctor libri, de re loquens in deserto notâ contrarium dicit? Profectò vel Og præliaturus impedimenta, et domesticam supellectilem pretiosiorem apud Ammonitas deposuit tutos ab armis Hebræorum, vel antequàm Rhabbath veniret in potestatem Ammonitarum, tenebatur ab Og rege Basan, qui ferreum lectum cum reliquâ prædâ ab hostibus factâ ibi reliquit.

Quod postremo loco objectum est, quomodò urgeat non video. Sit Esdras, qui dùm sacros Codices recensuit, adjecerit verba *usque in præsentem diem*: sit scriptor nescio quis, qui eam notam primùm ad marginem apponere cœperit, deinde in textum intrusam, propterea illud comma Mosi scriptori non tribuamus: ergone Deuteronomium Moses non scripsit? Quanquàm cùm Moses factum narraret aliquanto post terræ Basanitidis divisionem, potuit dubio procul et ipse dicere usque ad eum diem vocatas villas Jair; sicut Matthæus, cap. 27, v. 8, ait agrum in sepulturam peregrinorum emptum triginta argenteorum pretio à Judâ projecto vocatum *agrum sanguinis usque in præsentem diem*, licèt paucos ante annos cœperit eo nomine appellari. Sanè si Moses non potuisset eo uti dicendi genere, nunquàm vel Esdras, vel alter recentior editor Pentateuchi ea verba dicentem Mosem induxisset.

Rursùs opponunt multas urbes vocari in Pentateucho nominibus quæ in usu non fuerunt, nisi post multos annos à Mosis vitâ. Geneseos cap. 10, v. 11, nominatur Ninive, cui Ninus nomen dedit, qui Deboræ temporibus vixit, scilicet ducentis ferè annis post mortem Josue. Geneseos cap. 14, v. 14, fertur Abrahamum persecutum *usque Dan* reges abducentes Lot filium fratris, omnemque ejus substantiam: huic verò urbi antea *Lais* aut *Lesem* appellatæ tum demùm nomen *Dan* impositum est, cùm sexcenti homines tribûs Daniticæ captam armis ex suæ tribûs nomine dici Dan voluerunt, ut cap. 18, v. 29, libri Judicum legitur: Geneseos, cap. 22, v. 14, nomen montis, in quo filium sacrificare jussus erat Abraham appellari videtur *Moria*: ita autem nomen habuit mons, postquàm ibi locus templo exstruendo est paratus. Similiter Geneseos cap. 23, v. 19 et cap. 35, v. 27, urbs *Hebron* dicitur; at dicta Hebron est ab Hebrone filio Calebi, cui Josue urbem dono dederat; nam priùs erat *Cariath-Arbe.* Et Geneseos cap. 40, v. 15, Joseph ait: *Furto de terrâ Hebræorum sublatus sum;* volebat autem significare terram Chanaan, quam Hebræorum terram dicere nequivit nisi recentior scriptor, qui stultè crediderit vel à Josephi temporibus agnitam fuisse Chananæam pro Hebræorum terrâ. Sed notum est ibi fuisse et externos, et peregrinos, et parvo numero progenitores Josephi, ac tum solùm Hebræorum terram dici potuisse, cùm eâ potiti sunt Hebræi, expulsis Chananæis; Pentateuchum ergo, cujusmodi est, Moses non edidit.

Nolo in responsione multus videri, maximè cùm his atque aliis hujus generis argumentis occurrerimus: mutatis nimirùm locorum nominibus obsoletis usitatiora Esdram usurpàsse, ut faciliùs Pentateuchi lector intelligeret de quo loco sermo esset. Ego verò miror esse quemquam, qui sibi persuadeat ex incertis omninò argumentis quidquam contra constantem doctrinam posse concludere. Incertum est utrùm urbs Ninive nomen acceperit à Nino, qui Deboræ temporibus vixit: plures enim eo nomine dicti sunt: longè autem verisimilius est Ninum ædificatorem Ninive Abrahami æqualem esse, sin fuerit antiquior, ut plerùmque chronologi putant. Græci veteres Assur, à quo nominati sunt Assyrii, eumdem ac Ninum faciunt, et Ninum appellant. Nunc probata sententia est, verba Geneseos, *de terrâ illâ egressus est Assur*, *et ædificavit Niniven*, hanc habere significationem: *egressus est in Assyriam*, *et ædificavit Ninivem;* scilicet Nembrod, qui Babylone regnabat, ab Euphrate ad Tigrim dilatavit imperium, trajectoque Tigri Assyriam ab Assur filio Sem appellatam usurpavit, ibique urbem condidit, quam ex nomine filii sui Nini vocavit *Ninivem:* quemadmodùm Cain *ædificavit civitatem*, *vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Enoch*, Genes. cap. 4, vers. 17.

Item ignoratur utrùm locus Dan, ad quem usque Abraham insecutus est reges, qui fratris filium, ejusque substantiam abstulerant, sit urbs Lais, aut Lesem Danitarum. Appellatur enim Jordanis fluvius à duobus quasi fontibus altero Jor, altero Dan, unde originem trahit, inquit Josephus, quem secuti sunt Hieronymus et Philostorgius. Propè hos Jordanis fontes, sive scaturigines invadens Abrahamus in incautos Assyrios magnâ clade affecit, atque à Dan persecutus est usque Hoba, quæ ad lævam, id est, ad septentrionem Damasci jacet.

Cœpisse verò montem dici *Moria* propter templi constructionem, vel saltem propter paratum ibi locum ædificando Dei templo constantiùs negatur. Ex responsione quam dedit filio interroganti de victimâ, *Deus providebit sibi victimam holocausti*, *fili mi*, atque

à visione angeli, et ab ariete quem Deus fecit præstò esse in vepreto, ut sacrum fieret, locum illum *Deus videt* appellavit Abraham : unde et *Moria* dictum esse montem illicò intelligit quisquis ad vocabuli originem animadvertit. Moria siquidem visionem significat : propterea Hieronymus, et Symmachus terram *Moria* terram *visionis* interpretantur, quòd à verbis יהוה יראה *Dominus videt, Dominus providebit* Moriæ nomen desumptum perspicuè sit.

Præterea res incerta est, habueritne urbs Hebron nomen à filio Calebi, an verò filio eidem ab expugnatâ Hebrone urbe sit nomen impositum. Enim verò capitibus 10, 11 et 12, Josue mentio est regionis Hebron, et regis Hebron ab Israelitis devicti : quamobrem et in Genesi urbem ante Mosis tempora Hebronem vocatam non est cur dubitemus, quæ antiquiùs Cariath-Arbe nominaretur. Calebus autem, cui dono data est Hebron à Josue, illustri urbis antiquæ nomine filium suum appellare utique potuit.

Denique Joseph patriarcha locum, unde sublatus est, non sine causâ putavit eunucho cognitum. Nam Chananææ pars quam Abraham, Isaac et Jacob posito lare aucti jam magno numero incoluerant, cognita erat vicinis gentibus, ut sedes Hebræorum hominum, hominum scilicet, qui, ut vox sonat, à regione trans Euphratem sitâ, eò habitatum advenerant. Saltem eunuchus, qui in eumdem carcerem cum Josepho conclusus erat, ignorare non poterat quænam ea esset Hebræorum terra : solent enim qui in angustiis, in custodiâ sunt, et multùm habent otii, narrare invicem sibi res suas totas. Josephus verò Chananæam quam noverat patribus suis à Deo promissam, atque à nepotibus occupandam, jure dicere eunucho de rebus suis instructo potuit de terrâ Hebræorum se sublatum, tametsi tunc pervulgatum apud Ægyptios nomen Hebræorum non esset.

Nondùm tamen acutis cavillatoribus factum est satis : quare tertium et postremum urgent. Auctor Pentateuchi sæpiùs numero de Mose tanquàm de alterâ personâ loquitur, eumque laudibus effert et præconiis, quæ verisimile non sit Mosen sibi tribuisse; non ergo est Moses librorum Pentateuchi scriptor. Inter cætera quis credat viventem hominem in descriptione suæ ipsius genealogiæ hæc de parentibus, de seipso, de fratre scribere? *Accepit autem Amram uxorem Jocabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron et Mosen;* et post pauca : *Iste est Aaron et Moses, quibus præcepit Dominus ut educerent filios Israel;* et iterùm : *Iste est Moses et Aaron*, quæ habentur, cap. 6 Exodi Nemo quoque prudens putabit Mosen de seipso hæc in scriptis reliquisse : *Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabuntur in terrâ*, Numer. cap. 12, v. 3. His adjungant apertè deprehendi ex solâ Pentateuchi lectione totum librum compendium esse, et summarium ex pluribus variisque sparsim monumentis collectum, involutum, confusum, indigestum : varius enim stylus est et inconstans, ut esse solet ejus operis quod ex diversis auctoribus consarcinatum est : res quædam parvi momenti fusâ oratione explicantur; graves contra paucis perstringuntur : res eadem bis et tertiùm, interdùm neque eodem modo narratur : sæpè quod præmitti in sermone debuerat, consequitur; quod consequenter poni præpositum est : quæ sanè argumento sunt Mosen doctum et accuratum historicum non digessisse Pentateuchum qualem habemus. Negari equidem non potest Mosen quosdam libros descripsisse; sed illimet satis superque indicio sunt eosdem non esse, ac de quibus disputatur. Imò verò intelligi potest ex libris quos Moses primùm scripserat, temporum injuriâ deperditis hæc incomposita quinque volumina esse conflata. Liber fœderis, qui Exodi cap. 24, v. 7, liber bellorum Domini, qui Numerorum, cap. 21, v. 14, liber historiam belli contra Amalecitas complectens qui Exodi cap. 17, v. 14, liber mansionum et stationum filiorum Israel in deserto, qui Numerorum cap. 33, v. 2, commemorantur, hi omnes, aliique Mosis erant, unde credendum est recentiorem et perturbatam legis historiam ignotum auctorem expressisse.

Superioribus argumentis solidiora ista non sunt. Primò namque non est contra historicorum morem de seipso tanquàm de alienâ personâ scribendo dicere, dùm ea mandant posteritati, quorum ipsi pars magna fuerunt. Cæsar in commentariis, Josephus de bello judaico hanc scribendi rationem tenuêre de se quasi de diversâ personâ locuti; neque ulli hactenùs in suspicionem venit opera eorum nominibus inscripta ob hanc causam esse iis abjudicanda. Quin etiam Matthæus et Joannes scriptores sacri, quasi de aliis personis scribunt, cùm ipsimet sunt sermonis argumentum. Matthæus, cap. 9, v. 9, habet : *Vidit Jesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine;* Joannes, cap. 13, v. 23 : *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus, quem diligebat Jesus;* et cap. 21, v. 20 : *Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus.* Quid ergo miremur Mosen in scribendo propriam, dixero, personam exuisse, præsertim cùm iis verbis *iste est Moses, iste est Aaron* majorem sibi, atque historiæ suæ attentionem à legentibus conciliare vellet?

Dedecuisset deinde Mosen in virtutum suarum prædicatione nimium sibi arrogare; sed meritis laudibus se celebrâsse non dedecet. Æquum erat in historiæ monumentis beneficia in se à Deo collata fateri; æquum se prophetam à Deo missum prædicare : neque arroganter facit, aut immodestè, si hominum se mitissimum dicit, qui obtrectationes resciret, et injuriam nihilòseciùs taceret, et patienter ferret propter animi bonitatem. Dicit enim se mansuetum, ne quis putaret ulcisci voluisse detractores suos, aut quidpiam mali iis esse molitum; sed Deum causæ suæ defensionem suscepisse. Et Paulus Apostolus in suis epistolis dona Spiritûs sancti sibi concessa verbis effert et cruciatus quos pro Christi nomine pertulit : attamen quia Spiritûs sancti instinctu id fecit, atque ut probaret non seipsum sibi sumpsisse honorem annuntiandi Evangelii, sed à Deo vocatum electumque legationis officio fungi, nemo jactantiæ vertit illam suî prædicationem. Sin-

ceritatem potiùs et ingenuitatem animi Mosis commendemus, qui ut in opposito loco noluit virtuti suæ elogium deesse, sic alibi errata sua agnoscit et fatetur.

Quod de librorum Pentateuchi confusione, vario stylo, ordine præpostero, inutilibus rei ejusdem bis et tertium narrationibus opponitur, si verum quidem sit, non tam pro adversariis facit, quàm contra. Credamusne auctorem, qui in compendium historiam redegit semel dicta frustra repetere, nullum in scribendo ordinem tenere, eodem orationis genere non uti continuo? Nonne è contrario coactor alienorum librorum in epitomen brevitati studet diligentiùs, partium orationis dispositionem curat, æquabilem dicendi modum adhibet? Ita | lanè vitia, quæ in oratione reprehenduntur, plerùmque inprimis auctoribus occurrunt res sibi notas sine fuco describentibus. Qui primi texuerunt historias præsentium rerum, sæpiùs eadem iterant; rariùs verò qui priscis tabulis ac monumentis evolutis animum ad res colligendas appulerunt. Illi enim quâ ratione loquuntur, eâdem et candidè scribunt, nec multùm elaborant, neque in multâ meditatione versantur; isti autem, propositâ materiâ, omni majorem curam conferunt, ut aptè partes singulas convenienterque disponant. Falluntur tamen, ne dicam mentiuntur, qui confusos adeò et perturbatos Pentateuchi libros persuadere volunt. Sæpè Hebraicæ linguæ ingenium et natura, sæpè clarior explicatio quæ sequitur rei summatim et generatim præscriptæ, efficit ut incomposita videatur oratio. Falluntur et qui variam atque inconstantem dicendi rationem acutiùs se cernere dicunt in Mosaicis libris: mihi verò ejusdem auctoris indoles, et scribendi modus, et idem stylus in toto opere potiùs ostenditur. Si parciùs nonnulla narrantur, quæ uberiùs dicta vellemus, id styli diversitatem non probat, dùm cætera congruunt; sed vel rem ipsam ita poposcisse, vel contrahi debuisse ad institutum scriptoris. Ita hoc argumentum, quod quidam gravius putant, nullo negotio refellitur.

De libris primùm à Mose scriptis, unde excerptos quinque libros legis judicant, nihil habemus certi. Etsi verò extitissent olim alia volumina, quæ descripsisset Moses, ea nihil de Pentateuchi auctoritate derogarent. Nam solent historici editos à se de singularibus rebus commentarios allegare. Verùm nemo unquàm persuadebit librum *fœderis* aut *bellorum Domini*, vel ullum in libro legis nominatum peculiare esse volumen in Pentateucho non contentum. Si conjicere in re adeò obscurâ quidquam licet, primò liber fœderis assumptus, lectusque à Mose, audiente populo, est liber leges ipsas quas à Domino in monte acceperat, tam præcipua judicia, quàm cæremonias insigniores complectens Exodi volumine insertus à fine capitis 19, cui sententiæ narratio ipsa conciliat fidem. Lecto enim eo libro testatus est illicò populus, se paratum omnia, quæ locutus est Dominus, facere, et Domino obsequi. Secundò, liber bellorum Domini quibusdam canticum videtur epinicion, in quo victoriæ celebrarentur de Amalecitis hostibus populi Israelitici à Domino relatæ. Et quidem poesin redolent verba ex eo libro desumpta: *Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum.* Quidam librum fuisse arbitrantur, in quo cœpta essent Domini bella describi lapsu temporis amissum. Nobis inepta non videtur eorum interpretatio, qui vertunt: *Propterea dicetur in narratione bellorum Domini*, id est, dicetur, cùm Israelitæ bella Domini narrabunt. Verbum enim in futuri temporis significatione positum est, *dicetur;* tum vox ספר, quam plerùmque *librum* optimè vertimus, significat et *narrationem;* præterquam quòd loco lectionis *besepher*, *in libro*, variatis punctis legere commodè possumus *besapèr*, *in narrando*, id est, quando narrabunt Israelitæ bella Domini. Tertiò, liber historiam belli adversùs Amalecitas continens, et liber stationum populi Israelitici in deserto sunt partes libri Exodi et Numerorum, quas priùs fortassè in diario Moses descripserat, ut magis haberet in promptu, deinde in utroque legis volumine conclusit. Quocirca hæc non modò non efficiunt, ut Mosi Pentateuchum abjudicemus, verùm etiam inducunt, ut Mosis credamus esse opus continens quæ scripsit, et quæ à Deo jussus est scribere. Non enim is populi Israelitici ductor continenter, et sine intermissione ullâ cœptum opus absolvit, et libros omnes est prosecutus; sed diversis temporibus, et per partes modò hæc, modò illa adnotâsse credimus; in Deuteronomio demùm, paulò antequàm migraret è vitâ, propè Jordanem summarium confecisse.

Nihil est igitur quod nos à probatâ, omniumque bonorum suffragiis confirmatâ opinione removeat Mosi auctori Pentateuchum, seu quinqùe libros legis tribuentium. Libri isti distinctim ab Hebræis ex verbo vocantur, quo quisque incipit: à Græcis autem et Latinis ex argumento, quod in unoquoque libro præcipuè attingitur. Quonam sigillatim et loco, et tempore singulos composuerit Moses, ignoramus; post exitum tamen ab Ægypto, et legis promulgationem aggressum Mosen scribere interpretes plerùmque sentiunt contra commentatores quosdam Genesim descriptam putantes, antequàm ab Ægypto populus egrederetur. Crediderim auctorem, cùm Geneseos historiæ dabat operam, præcepta legis jam animo esse complexum, ad quæ spectârit capitibus 2, 7 et 8, ubi de sabbati sanctificatione et animantibus puris atque impuris disseruit. Neque dicat quis vel ante datam legem consuevisse populum et sabbata colere, et munda ab immundis animantibus distinguere ex patrum consuetudine: siquidem etiamsi populus ea præcepta servaret, verisimilius adhuc est scriptorem diligentiùs de his tractantem spectâsse animo legem conditam. Deuteronomium postremum esse operum Mosis certo constat: scriptum ergo est ineunte quadragesimo anno ab exitu Ægypti, vitæ Mosis anno supremo.

ARTICULUS II.
De libro Josue.

Cùm de veterum scripturarum divinitate multis dis-

putatum sit, supervacaneum est confirmare librum Josue divinæ esse auctoritatis. Vetus enim Judæorum synagoga, ut cætera hâc de re argumenta prætercam, nos dubitare non sinit de maximâ dignitate, quam inter canonicos libros Josue liber semper obtinuit : quod adeò certum est, ut ii soli divinum esse non fateantur, qui nullum veteris Testamenti volumen divino instinctu afflatuque scriptum agnoscunt : quos cùm abundè confutaverimus, nihil restat, nisi de libri auctore dicere. Quâ in causâ eà certè nos argumenta deficiunt, quibus freti in absoluto nuperrimè articulo Pentateuchum Mosi vindicandum sumpsimus : quare de auctore libri Josue alii alia sentiunt. Etenim ex veteribus auctor libri Synopseos, vulgò Athanasius, Josuam scriptorem non facit. Theodoretus, quæst. 14 in Josue, existimat librum istum ex antiquiore commentario *Libro Justorum* appellato, cujus mentio fit capite 10, multò post Josuam in epitomen redactum. Ex recentioribus Isaac Abarbanelus contra Thalmudistas, Masius, Grotius, Simonius pluribus agunt ut Samueli opus adscribant, vel Esdræ, vel alteri post Josue ætatem historiæ scriptori, qui tamen res à priscis Hebræorum annalibus exprompserit. Thalmudistæ verò in *Bavâ Bathrâ*, id est, *portâ posteriore*, cap. 1, S. Isidorus, Tostatus, Driedo, Vatablus, Daniel Huetius, Augustinus, Calmet, aliique Josuam res, se duce, gestas in hoc libro collegisse probant.

Jam verò ponamus in medio sententias, earumque causas, atque inspiciamus an certi quidpiam in hâc re haberi possit. Athanasius sive auctor Synopseos ait, titulum et nomen Josue tam Hebraico exemplari, quàm interpretationibus omnibus inscriptum non auctori, sed libri argumento indicando inservire : quemadmodùm alii sacri libri Judicum, Samuelis, Regum, Ruth, Tobiæ, Judith titulos gerunt, non quòd ab iis compositi sint, qui inscribuntur, sed quòd vitam præcipuè, et præclariora eorum facta complectantur, quorum nomen præferunt; libri igitur inscriptio certò non demonstrat cujus auctoris sit. Quod verò ex libro ipso promitur argumentum, ut Josuam auctorem libri credamus, ipsum quidem non caret verisimilitudine, non tamen persuadet : ex verbis enim illis capitis ultimi, v. 26, peti solet, ubi de Josue dictum est : *Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini;* ex quibus non obscurè significatum quidam arbitrantur, Josuam exemplo Mosis, qui cùm factis, tum scriptis Israelitarum rempublicam illustraverat, totam suarum rerum, temporumque historiam tradidisse litteris, ad librum legis apposuisse, atque in legis exemplari prope arcam collocato ad æternum veritatis monumentum attexuisse.

Verùm hæc ejus loci interpretatio videtur latior quàm causa postulet : explicari probè ea verba possunt de fœdere iterùm cum Deo sancito, cum quo explicatu tota oratio cohæret. Etenim, uti narratur ejusdem capitis initio, Josue sub exitum vitæ cœtum Israelitarum in Sychem indixerat; commemoraverat insignia in eorum Patres, et in ipsosmet collata Dei beneficia post Abrahæ profectionem à Mesopotamiâ; rogaverat populum, velletne in divino obsequio permanere. Pollicitus quidem populus est se nunquàm à Deo recessurum; at Josuas vix ait fore ut promissis starent, minatusque est provocaturos graviùs Dei iram, omniaque sibi paraturos mala, si à legis observatione descivissent. Confirmavit iterùm populus datâ solemniter fide uni Domino se serviturum : tum Josuas iisdemmet testibus vocatis novum fœdus iniit, præcepta et judicia proposuit, in volumine legis Domini rem istam descripsit, et lapidem prægrandem sub quercu, quæ erat in sanctuario Domini in testimonium posuit, ne fortè Israelitæ Domino postea mentirentur. Annon planius est de novo fœdere, de præceptis, de judiciis scriptionem illam Josue interpretari, quàm de totâ historiâ? cæteroquin et historiam totam dicamus in legis Domini volumine descriptam, quod vix in animum nostrum inducere possumus.

Alterum firmius non est, quod capi solet ab Ecclesiastici testimonio initio capitis 46 : *Fortis in bello Jesus Nave successor Moysi in prophetis*, sive ut habent Græca exemplaria ἐν ταῖς προφητείαις, *in prophetiis*. Ibi, inquiunt, testatur Ecclesiasticus successorem esse Moysi Josuam in historiâ populi Dei, et sacris Libris scribendis. Sed ne hoc quidem testimonio certiores fimus de libris Josue auctore. Ait Ecclesiasticus successisse Josuam Mosi, quia propheticum spiritum illi primum infusum, huic, eo vitâ functo, dono dedit Deus; non autem propheticos et divinos libros scribendi munus, quasi successionis jure, suscepisse. Inde colligimus non ita pridem Josue librum evulgatum fuisse, in quo Ecclesiastici auctor legerat Josue prophetiæ dono insignitum. Scriptum quoque librum Josue, antequàm libri Regum scriberentur, nemo prudens dubitabit : nam, cap. 16, lib. 3 Reg., v. 34, dicitur reparatorem urbis Jericho Hielem de Bethel morte primogeniti filii sui mulctatum, cùm fundamenta jecit; novissimi verò cùm portas construxit, id est, totum urbis opus absolvit : *Juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.* Sexto autem capite libri Josue, v. 25 et 26, anathemate ictum legimus quemcumque succensæ urbis Jericho restauratorem : *In tempore illo imprecatus Josue dicens : Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho; in primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Quoniam verò hoc loco non de libri antiquitate quæstio proponitur, sed de auctore; ideò neque Ecclesiastici, neque libri tertii Regum testimonium ad hanc causam facit.

Neque tamen in contrarium tantùm valet ullius loci auctoritas, aut rationis momentum, ut defendi non possit librum à Josuâ ipso esse conscriptum : etenim quæ afferuntur causæ, quare ad posteriorem ætatem opus referri debeat, leviores profectò nobis videntur, quàm ut permovere quemquam possint. Sunt autem hæ : Auctor libri Josue utitur modis dicendi longam antiquitatem rerum quarumdam significantibus, quæ sub Josuâ acciderunt; distat ergo multùm à Josue. Sic ut fidem dictis conciliet, sæpè ait *usque in præsentem*

diem exstare monumenta quædam : quod dicendi genus non modicum temporis intervallum à rei eventu ad ejusdem usque narrationem interjecisse declarat. Capite 4, v. 9, lapides duodecim ad ripam Jordanis positos jubente Josuâ ex Dei mandato, quasi totidem trajectionis Israeliticæ testes, dicit Scriptor adhuc ibi esse, et *sunt ibi usque in præsentem diem*. Capite 5, v. 9; locum circumcisionis Hebræorum, in quo Ægyptiorum opprobrium Israelitis ablatum est, *Galgal* etiamnùm dictum, *vocatumque est nomen loci illius Galgal usque in præsentem diem*. Capite 10, v. 14, nullum diem neque antea, neque postea longiorem eo fuisse, quo sol constitit jussu Josue, donec Israel de inimicis suis omninò ulcisceretur : *Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis*. Quæ sanè loquendi ratio ostendit nec præcedentium, nec sequentium seculorum lapsu id miraculi genus visum unquàm fuisse : nam si vivente Josuâ scripta hæc essent, quid mirum decem annorum spatio non fuisse ullam diem adeò productam? Præterea eodem capite 10, v. 13, narrato miraculo, quo sol stitit, illud fusiùs descriptum esse dicitur *in libro Justorum*, libro scilicet, ut meritò creditur, annalium Hebraicorum, vel historiarum Josue : *Steteruntque sol, et luna, donec ulcisceretur gens se de inimicis suis. Nonne scriptum est in libro Justorum?* Item capite 19, v. 27; nominatur regio *Chabul*, quam Hiramus à Salomone datam sibi pro operâ in templi ædificationem collatâ cœpit eo nomine per ludibrium compellare, lib. 3 Reg., cap. 9, v. 13. Tyri pariter, Galilææ, et Jektel nomina, quæ reperiuntur capitibus Josue 15, 19 et 20, recentiora sunt quàm ut possint Josue ætati convenire.

Accedit quòd capite 15, à vers. 13 ad 20, pars à Calebo filio Jephone acquisita, matrimonium Othonielis filii Cenez cum Axâ filiâ Calebi contractum, donumque fundi irrigui superioris et inferioris à Calebo nuptæ filiæ datum commemoratur : quæ omnia vitâ functo Josuâ contigerunt, quemadmodùm ex primo capite libri Judicum post Josue mortem scimus contigisse. Similiter capite 19, v. 47, expeditio filiorum Dan contra urbem *Lesem*, urbis occupatio, atque impositio novi nominis ex nomine Dan eorum patris ab historico narratur. Quis autem ignorat captam à Danitis urbem, atque à victrice tribu denominatam, non regente populum Josuâ, seu judicibus rempublicam Hebræorum administrantibus, ut capite 18, libri Judicum propè finem illustriùs scribitur? Itaque auctor libri Josue neque Josuas esse potest, neque ullus scriptor, qui manente vitâ Josue, aut ejus ævo floruerit. Denique Libros sacros scriptos ante Israeliticarum tribuum scissuram sub Jerobohamo retinuissent utique Samaritani, qui libros Mosaicæ legis retinuerunt; atqui librum Josue nunquàm habuerunt pro sacro Samaritæ : scriptus ergo non erat antequàm tribus à Robohamo descriscerent.

Hæ, inquam, causæ non efficiunt quod Masio, Grotio, Simonio, et primùm Theodoreto atque auctori Synopseos visum est : sunt enim eædem fermè ac quas Spinosa et Hobbesius supra opponebant contra Pentateuchi auctorem jam refutatæ. Itaque arbitrantur ii primò eâ dicendi formulâ *usque in præsentem diem* uti non potuisse, nisi scriptorem historiæ populi Israelitici longè post Josue tempora, quod negamus. Coævus auctor adhibet id scribendi genus jure optimo, si potissimùm aliquot anni effluxerint à rei eventu, quàm ex publico monumento evenisse confirmet : quod Matthæus fecit, fecit et Moses in Deuteronomio cap. 10, v. 5, inquiens tabulas propè arcam à se positas *huc usque* ibi esse. Porrò Josue, ut alteris videtur, quorum hoc loco causam agimus, senior scripsit, cùm viginti quatuor, aut viginti septem annos, ut probatior opinio est, populo præfuisset; ante annos autem plusquàm viginti, quando fluvium trajecit, lapides ad Jordanis ripam testes deposuerat, ut perpetuò constaret Israelitas Jordanis vada sicco pede transiisse : opportunum ergo fuit Josuam scribere usque in eum diem lapidum prægrandium testimonio miraculi memoriam confirmari.

Res etiam fuit accommodatissima meminisse nominis *Galgal* ad locum indicandum, in quo Israel circumcisionis ritum quadraginta annos in deserto intermissum renovavit, illudque nomen *usque in præsentem diem* permanens dixisse, neque eâ temporis diuturnitate mutatum. Pari ratione credi potest non dixisse temerè Josuam neque antea, neque postea tam longam fuisse diem, qualis fuit, cùm insignem victoriam Dei populus, stante sole, cæsisque hostibus reportavit : quoniam ante multos annos eo prodigio Deus se Israelitis adesse probaverat. Quanquàm jure suo non decedit, qui censet verba illa *neque postea*, in quibus argumenti robur situm est, alienâ manu aut Esdræ, divini alterius viri sacro Josue libro inserta, cùm Josue primum id unum scripsisset, nunquàm antea diem tam longas horas fuisse productam.

Testimonium deprомptum à libro Justorum potest et ipsum additamentum esse prophetæ, qui manum ad recensionem libri Josue apposuerit, ut publico commentario et celeberrimo res supra communem naturæ ordinem comprobata majorem fidem haberet. Cæterùm nihil difficilius est quàm prudenter judicare quinam fuerit ille *Justorum liber*, sive jam ante Josuam exstiterit, sive in diebus Josue prodierit. Hieronymus et Rabbini crediderunt librum Justorum, sive potiùs librum, *Justi et æqui* Genesin esse, vel alterum Pentateuchi librum in quo Deus promiserat se populi sui gratiâ mirabilia quæque facturum. Huetius parænеticum librum fuisse arbitratur scriptum ad mores instituendos, et animos in spem divinæ opis erigendos, in quo diceretur fore ut, si homines in Deo spem omnem suam reposuissent, Deus vel in gravissimis periculis præstò esset, totumque naturæ ordinem immutaret, retardato etiam siderum cursu, si opus esset, quemadmodùm olim suspensis utrinque maris Rubri fluctibus viam in deserto fugienti populo paraverat. Masius mavult esse libros Judæorum annales, et publicas tabulas in templo asservatas totam Israelitarum historiam accuratè diligenterque continentes. Grotius autem putat fuisse potiùs canticum composi-

tum celebrando memorabili prodigio, atque ex poeticâ phrasi conjecturam facit : *Sol contra Gabaon ne movearis* (hebraicè *Sile*), *et luna contra vallem Aialon* : eòque tenacius in hâc sententiâ persistit, quòd lib. 2 Reg., cap. 1, v. 18, alter Justorum liber commemoretur, cùm de cantico in funere Saülis et Jonathæ agitur : annales verò libri ab Hebræis *res temporum*, *res dierum* inscribantur; non autem *liber Justorum*, aut *Justi et æqui*.

Quamcumque harum sententiarum quis fuerit amplexus, defendere adhuc poterit historiam Josue à Josuâmet auctore esse conscriptam, eamque non esse recens summarium libri Justorum. Non enim dicitur cap. 10, omnia bella quæ suscepit et perfecit Josuas, et quæcumque in toto Josue libro narrantur, explicari fusiùs in libro Justorum, sed stupendum prodigium immoti solis, et cursum non prosecuti in libro Justorum prædicari. Et quanquàm daretur verba quæ ex Justorum libro proferuntur esse ab annalibus publicis excerpta, nihil obesset quominùs Josuas dici posset auctor libri suo nomine inscripti, cùm et coævi auctores adhibeant testimonium actorum publicorum sui temporis, dùm res singulares et mirabiles loquuntur.

Quæ dicuntur regionibus et locis multò post Josuam indita nomina, multò minus argumento sunt Josuam non scripsisse. Nunquàm assentiemur *Chabul* in libro Josue nominatam eamdem regionem esse quam Hiramus Tyri rex à Salomone dono habuit. Josephus accuratè distinguit utramque : alteram Hiramo datam viginti oppidis constantem, lib. 8 Antiq. Jud., cap. 2, terram *Chabelon;* alteram in libro de vitâ suâ vicum *Chabol* appellans. Reipsâ Cabul in libro Josue est viculus, et villa propè fines tribûs Zabulon; Chabul verò, in lib. 3 Reg., parva regio est Tyri regno contermina. Item nomina Tyri, Galilææ, et vallis Jekthel temerè obtenditur esse temporibus Josue recentiora; sed etsi essent posterioris ætatis, facile est dicere magis cognita et usitatoria veteribus obsoletis esse suffecta.

Non possumus autem, quin consentiamus intrusos omninò in librum Josue videri duos locos capitis 15 et 19 de portione Calebo datâ, de filiæ nuptiis cum Othoniele, deque expeditione Danitarum, quoniam post Josue mortem ea accidisse ex libro Judicum perspicuum videtur. Ita enim incipit Judicum liber : *Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum;* et continuâ oratione subnexum est vers. 12 : *Dixitque Caleb : Qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* Quamobrem fateamur alterum scriptorem, quem Esdram dicimus, censuisse duas historias in libro Josue ad pleniorem rei expositionem adjiciendas : cujus sententiæ hæc sunt argumenta.

Primò, auctor libri Josue pressim strictimque limites atque urbes singulis tribubus constitutas describens, nunquàm solet aut in historiis referendis versari, aut narrationem augere : in duobus autem locis oppositis uberior oratio est, et historiæ narratio. Secundò, si tollas de libro Josue totam hanc et Calebi et Danitarum historiam, non modò cohærebit narrationis contextus, nec quidquam videbitur dissutum, verùm etiam fluidior erit, et conjunctior sermonis series, quam intercipit potiùs ea digressio, atque abrumpit. Tertiò, vel parùm meditanti illicò observatur animo, cùm Librorum sacrorum emendator Esdras, terminos filiorum Juda, et portionem Calebi in 15 capite, v. 13, Josue constitui videret, credidisse adjungenda ad clariorem rei intelligentiam, quæ in libro Judicum de tribus Enaci filiis deletis, de Othoniele et Axâ habebantur; atque iterùm quæ de expugnatione urbis Lesem per Danitas sub Judicibus contigerunt intexenda censuisse in 19 capite, v. 47 et 48, ubi sors tribûs Dan referebatur. Cùm enim ibi attributam Danitis portionem descripsisset Josuas, aliamque ipsi deinceps armis quæsivissent, meritò id Esdras, aut quisquis alius scriptor agiographus supplendum duxit. Nam facta est quidem à Josuâ primùm terræ distributio, verùm singulæ tribus non adierunt protinùs destinatæ sibi regionis possessionem; sed cognoverunt tum quos abigere populos armis, quam terram vi occupare deberent, quæve portio in singularum ditionem cessura foret. Ex quo intelligitur processu temporis, multisque post Josuam annis cæsos fuisse populos, atque urbes plures expugnatas, idque re præstitum, quod primo erat definitum. Quod si hæc horumque similia posteriùs in Josue librum conjecta fuisse damus, multò magis quæ de morte Josue in fine postremi capitis leguntur, adjecta ipsius volumini sunt, quemadmodùm adversùs Mosis libros disputantibus respondebamus.

Prætereo hâc de re eorum responsionem, qui volunt diversis temporibus duas diversissimas urbes à Danitis expugnatas alteram Lesem sub Josuâ, alteram Lais sub Judicibus, ut Eusebius in libello *de Locis Hebraicis* à S. Hieronymo in latinum sermonem traducto observat. Prætereo et eorum opinionem, qui putant vivente Josuâ portionem Calebo datam, peremptos tres filios Enach; et Axam nuptui traditam : hæc verò capite 1 Judicum repeti per anacephalæosin quamdam præclarè gestorum à Josue filio Nave. Prætereo etiam prænuntiatum dici posse in libro Josue, quod sub Judicibus statuto tempore impletum est, uti Theodoreto placuit : malo enim superiore responsione rem omninò expediri.

Samaritanorum religiò et fides, qui solum Pentateuchum retinuerunt, non probatis cæteris libris, si quid efficeret, non modò librum Josue non esse Israeliticâ secessione antiquiorem argumento esset, sed et alios sacros Libros, quos tamen jure nostro priùs scriptos credimus, quàm decem tribus desciscerent. Verùm à Samaritanorum instituto et religione quis unquàm certò concludat solos Pentateuchi libros Salomonis ætate exstitisse? Aliud est Josue voluminis exemplaria existere et circumferri : aliud verò in Canonem colligi, ut in primâ parte supra notatum est. Potuerunt sanè ante defectionem Israeliticam vulgò legi, et probari etiam libri Josue, Judicum, aliique,

quanquàm publicam et canonicam auctoritatem solùm post tribuum disjunctionem, imò verò post Esdram obtinere cœperint. Quinimò potuerunt et decem tribus alios libros licèt antea publico judicio susceptos aspernari; solam autem legem Mosis retinere propter scriptoris dignitatem, rerumque ab eo gestarum præstantiam. Potuerunt denique, qui primùm secesserant, Israelitæ libri Josue dignitatem et ipsi agnoscere : Samaritani autem iis in Assyriam deportatis succedentes eumdem rejicere. Nam quos abjecto Dei timore Mosaicam legem corrupisse constat, spretisque judiciis et mandatis, quæ Dominus præceperat filiis Jacob, idololatricum cultum cum cæremoniis Mosaicis conjunxisse, quidni omnes sacros Libros abjecerint, præter Pentateuchum, quem omninò repudiare non poterant ob acceptum insigne beneficium liberationis à ferorum animantum vastatione, cùm primùm, reportato in Samariam ad Cuthæos Mosaicæ legis libro, cœptum est à novo populo Israelitarum Deo cultum præstari, ut supra diximus?

Concludatur ergo constare satis non posse utrùm Josuas historiam suorum temporum, resque à se præclarè gestas complexus sit libro, quem nomine suo inscripserit; an verò auctor alter divinâ luce completus egregia tanti Ducis facinora posterorum memoriæ tradiderit : unde et non sine causâ multos tanquàm à re non exploratâ assensionem cohibuisse. Non est enim, ut quidam putant, par de Pentateuchi ac de libri Josue auctore ratio : apertissima sacrarum Litterarum testimonia, perpetua totius Synagogæ, atque Ecclesiæ fides, constans profanorum scriptorum testimonium, summa denique gentium omnium consensio dubitare non sinunt Mosis Pentateuchum esse; pendet verò tantùm ex conjecturis sui quoque libri Josuam fuisse editorem. Id tamen omni conatu tueamur nulla adeò solida argumenta pro negante parte afferri, ut iis apta responsio adhiberi non possit. Equidem si ulla probanda sententia esset, ea fortassè videretur ad veritatem propensior, quâ Josuas scriptor esse defenditur. Quis enim esse potest, in quem magis convenerit ejus libri confectio, quàm Josuas? aut cui exploratius fuisse putabimus quidquid in libro descriptum est? cujus item plus interfuisse illud opus edere, quàm ejus qui Dei auctoritate Hebraicam rempublicam regendam susceperat? Locorum certè, temporum, personarum adjuncta, rerum series, et successus satis indicio sunt auctorem, quo tempore evenerunt res, scripsisse. Sed nullum judicium interponimus, nec revocamus quæ diximus, nempe satiùs esse sustinere nos à ferendo judicio.

Summa libri est ingressio populi Dei in terram promissam; urbes expugnatæ, occupatæ, deletæ, incensæ; victoriæ clarissimæ de hostibus opem ferente Deo relatæ, et quæ cuique tribui sors ceciderit Josue ductu. Josuas Christi Domini typus fuit cum nomine, tum rebus gestis : nomen optimè redditur *Deus salvator, salvator à Deo datus* : re autem ipsâ introduxit Josue populum in terram typum veræ felicitatis, hostes profligavit, filios Jacob in suas quosque sedes imposuit, eos vehementiùs adstrinxit ad divinæ legis observationem, obsequentesque et volentes habuit. Hæc Christum Jesum infinitâ divinâque virtute fidelibus bona spiritalia præstitisse liquido cognovimus, eaque cumulatiùs præstiturum in totius operis absolutione certo exspectamus.

ARTICULUS III.

De libris Judicum et Ruth.

Liber Judicum historia est rerum, quæ ab obitu Josue usque ad Samuelis præfecturam populo Dei acciderunt, cujus summam secundo capite habemus. Nempe Josue vitâ functo, et senioribus, qui ejus consilia secuti Jacobi filios continebant, progenies nequàm subsecuta est, quæ oblita Dominum, atque immortalia beneficia delata patribus prolapsa est in omne vitiorum genus, et post externos deos abiens Deum suum sceleratè dereliquit. Deus indignatione commotus malam hostibus stirpem tradidit, et gravissimis calamitatibus oppressit : neque tamen à se prorsùs abjecit; sed identidem liberatores judices suscitabat, qui eriperent à malis, ad officii munus instruerent, et rempublicam administrarent. Tum rogantes veniam Israelitæ paulisper ad Deum conversi obtemperabant legi; atverò mox deteriores facti, quos ex animo dimiserant, pessimos mores repetebant. Ita rem pro scelerum et pœnitentiæ vicissitudine, quomodò aut pœnas dabant, aut divinam benevolentiam experiebantur, sacer scriptor litteris consignavit.

Erant autem qui judicum nomine appellabantur non causarum et litium cognitores, sed gubernatores reipublicæ ad gerenda belli et pacis negotia constituti; quemadmodùm Atheniensium archontes, et dictatores Romanorum; atque in eo differebant à regibus, quòd sine regio apparatu, pompâ et majestate imperarent imperiumque nec ad filios transmitterent, neque ab hominibus acciperent. Etsi enim interdùm arcesseret populus liberatorem (sic Jephthe, Jud. cap. 11, rogatus est à majoribus natu de Galaad, ut sibi contra Ammonitas defensioni esset), tamen populus oblatum sibi à divinâ providentiâ strenuum bellatorem putans quasi dono datum à Deo suscipiebat. Quare si propriè loqui velimus, vicarii Dei erant, à quo habebant potestatem, quam, quoad viverent, gerebant, circumscriptam illam quidem : nam neque novas leges condere, neque tributa imperare fas iis erat; sed eripientes populum è servitute leges, et religionem tuebantur, animadvertebant in scelestos, idololatriæ stirpes evellebant, divinaque consilia à sacerdotibus, aut oraculo Urìm et Thummìm declarata perficiebant.

Hæc de libri argumento et Judicum officio præmittenda duxi. Nunc venio ad causam quæ est et cum libro Ruth communis. De libris Judicum et Ruth eadem procedit quæstio quam de libro Josue tractavimus : scilicet de Scriptore inquiritur, non de librorum divinitate. Sacros enim esse libros Judicum et Ruth Christi Ecclesia profitetur pro sacris vetus Synagoga semper suscepit, nec video quempiam dubitare quin sacri sint, modò ullos esse divinos libros assen-

tiatur : sed et de horum auctore anceps est disputatio propter rei obscuritatem. Librum Judicum, ut inde exordiamur dicere, Isidorus, doctores Thalmudistæ, Rabbi Moses Kimchi, Abarbanel Samueli tribuunt, alii Ezechiæ, alii Esdræ. Aben Esdra librum esse censet *Bellorum Domini* in libro Numerorum commemoratum auctor Synopseos vitæ ac mortis prophetarum, Dorotheo adscriptæ, putat scribas sacros in tabernaculo librum composuisse. Sunt et qui arbitrantur singulos judices gesta sua descripsisse in commentariis quos deinde Samuel vel Esdras collegerit. Ex his sententiis aliæ manifestiùs à veritate recedunt, aliæ nullâ certâ ratione nituntur. Librum enim bellorum Domini multò vetustiorem ille solus à libro Judicum non distinguit qui arroganter totius antiquitatis testimonium aspernatur. Singulos verò judices non reliquisse scriptum, quo suorum quisque temporum res et facta sit prosecutus, sed unum totius libri scriptorem esse, eadem scribendi ratio, idemque orationis tenor satis ostendunt : præsertim cùm secundo capite contineatur totius libri veluti summarium ab uno tantùm historico præmissum, qui totam judicum historiam animo complectebatur et proponebat. Sacros autem scribas in tabernaculo degentes operam in hujus libri confectionem contulisse si dixerimus, quid tandem ad quæstionis definitionem proderit, cùm præterea quæratur à cujus commentariis acceperint, quæ scriberent ?

Faciliùs iis assentiremur qui Samuelis opus esse opinantur, si paulò quidem apertiùs explicari res adeò involuta posset. Videtur equidem auctorem scripsisse temporum initio, quo Israelitæ à regibus gubernari cœperunt : sæpè enim repetit non fuisse regem in Israel, cùm ea evenerunt quæ refert : sic cap. 17, v. 6 ; cap. 18, v. 1 et 31 ; cap. 20, v. 21 : *In diebus illis non erat rex in Israel.* Quorsùm autem crebra illius adnotationis repetitio fieret, nisi ætate scriptoris regia potestas obtinuisset ? Nam qui scripsisset ante constitutos reges ; imò. verò priusquàm populus de præficiendo sibi rege cogitâsset, frustra clausulam eam tantoperè adhibuisset : adhibuisse autem datâ operâ videtur, ut populus cognosceret quid inter præsentem monarchicum statum et præteritum, quando judicum potestas erat, interesset. Verisimile etiam est Samuelem, uncto Saüle in regem Israelitici populi, noluisse omnium præteritarum rerum memoriam aboleri, quæ contigerant sub judicibus, quorum numerum ipsemet clauserat, et postremis vitæ suæ annis perstrinxisse hoc volumine monumentum perpetuum regiminis olim diversi ab eo quod sub regibus jam inchoabat. Sed hæc subdubitando et conjecturam faciendo dicimus, judicio cuique relicto integro ac libero sentiendi quæ velit.

Illud sine ambiguitate ullâ non opinando, sed affirmando ponimus, librum Judicum ante Davidis tempora editum fuisse, ut propterea videatur Judæorum sententiam posse probari, qui librum ut à Samuele descriptum recipiunt. Capite enim 1, v. 21, legimus : *Jebusæum autem habitatorem Hierusalem non deleverunt filii Benjamin : habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Hierusalem usque in præsentem diem.* Porrò ignorare non possumus Jebusæos ab iis finibus depulsos, quando David arcem Sion ingressus est, urbe primùm occupatâ, ut lib. 2 Reg., cap. 5, v. 7 et 8, perspicuè traditur : *Cepit autem David arcem Sion : hæc est civitas David. Proposuerat enim David in die illâ præmium qui percussisset Jebusæum.....* Itaque auctor libri Judicum antequàm septem priores anni regni David in Hebron laberentur, historiam texuit ; ex quo saltem consequitur, regnante Saüle, aut ineunte regnum Davide vixisse scriptorem, et librum de Judicibus confecisse : quod Judæorum sententiæ congruit Samueli historiam adscribentium.

Rursùs David in Psalmos suos quædam ex iis transtulit quæ in libro Judicum habentur : oportuit igitur scriptorem antea librum composuisse, quàm David laudes Dei celebraret. Nam psalmo 67, hæc erudito carmine atque eleganti cecinit : *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est. Etenim cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel ;* et psalmo 96 : *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* Hæc verò ad verbum fermè deprompta sunt ex cap. 5 Judic., v. 4 et 5, ubi canticum Deboræ et Barac scribitur : *Domine cùm exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis. Montes fluxerunt à facie Domini, et Sinai à facie Domini Dei Israel.* Illud etiam lib. 2 Reg., cap. 11, v. 21 : *Quis percussit Abimelech filium Jerobaal ? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes ?* expressum est à libro Judicum, cap. 9, v. 53 : *Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum ejus.*

Quamobrem Spinosa et Hobbesius, qui semper bonis omnibus adversantur, facilè refelluntur, qui, ut libro antiquitatem ex parte detrahant, conscriptum post decem tribuum captivitatem defendunt. Inquiunt enim ex iis quæ de Danitis in cap. 18 Jud., v. 30 et 31 dicuntur colligi, præfuisse jam Israeli reges, decemque tribus in Assyriam à Salmanassare pridem traductas, cùm ea scribebantur : *Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersam filii Moysi, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo : in diebus illis non erat rex in Israel.* Sed gravi errore labuntur contentiosi disputatores. Captivitas filiorum Dan eo capite commemorata perperàm putatur captivitas Assyriaca decem tribuum. Enimverò ait sacer scriptor abductos in servitutem filios Dan, antequàm Israelitis, nempe toti Hebræorum populo regem Deus præfecisset, et petiissent Hebræi sibi regem constitui : igitur ante Saülis unctionem filii Dan pressi servitute dicuntur, quam ne suspicari quidem possumus esse Assyriacam. Rursùs affirmat idolum Michæ, cui divinos honores filii Dan suâ adhuc libertate fruentes, creatis eâ de causâ sacerdotibus, præstabant, in

eâdem tribu permansisse omni tempore quo domus Dei sive arca in Silo erat deposita ; atqui Dei domus à Silo ablata est, quando infelix bellum contra Philisthæos gerebatur, in quo et ipsa in potestatem Philisthinorum devenit : ergo et eodem tempore Michæ idolum in tribu Dan cum suis sacerdotibus et cultoribus desiit : desiit autem coli ablatis inde Danitis per captivitatem. Itaque captivitas eo loco commemoratur, quâ, tempore judicum, ultus est Deus scelera filiorum Dan à cultu legis deflectentium.

Hinc non injuria sentimus in allato decimo octavo capite mentionem fieri captivitatis in quam filii Dan ducti sunt, et plurimi ex reliquis tribubus, quando, judicante populum Eli Pontifice, capta est à Philisthæis arca : ablatum est siquidem tum et Michæ idolum, et nequissimi sacerdotes in servitutem addicti. Tribum enim Dan falsis diis ad Salmanassarem usque serviisse, quis unquàm credat ? Nonne ineunte Samuele Hebræorum rempublicam filii Israel falsos deos omnes abjecerunt ? ut lib. 1 Reg., cap. 7, v. 4, scriptum est : *Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Deo soli.* Post Samuelis verò tempora credamusne piissimum regem, et religiosissimum Davidem publicam idololatriam permisisse ? Denique Jeroboam, qui decem tribubus à Juda distractis aureos vitulos colendos proposuit, ut ibi populum detineret, ne Hierosolymam adoratum pergeret, numquid novos deos proferre cogitâsset, si ibi Danitas idolum Michæ divinis honoribus dudùm prosequentes vidisset ? Satis enim superque idolum anteactis temporibus cultum rebelles tribus à divino obsequio Hierosolymis præstando retraxisset ; captivitas ergo illa, in quâ et sculptili Michæ sublato Danitæ suis finibus sunt deportati, non est Assyriaca sub Salmanassare, sed alia ante Jeroboamum, ante Davidem, ante Samuelem sub Philisthæis.

Imbecillius est alterum licèt Theodoreti testimonio confirmatum : nempe urbem Hierusalem nominari in libro Judicum, quæ tamen non nisi posteriore ævo potuit eo nomine appellari, quòd antea vocaretur *Jebus.* Etenim commodioris explicationis gratiâ immutata fuisse ab Esdrâ vel altero prophetâ in vetustissimis libris locorum nomina non semel fassi sumus. Præterea certò constat antiquissimis temporibus vocatam fuisse *Salem*, in quâ Melchisedech rex tenebat principatum. Constat et dictam Hierusalem esse ex duabus vocibus שלם et יראה, sumptâ priore ex nomine, quod monti sito in eodem loco imposuerat Abraham, quam ait יהוה יראה יהוה יראה, *Dominus videt, Dominus apparet.* Quo autem tempore cœperint eæ voces in unum nomen Hierusalem conjungi, ignoramus quidem ; at probare nequeunt adversarii non fuisse urbem vivente Samuele, imò etiam Josuâ, Hierusalem dictam ab Israelitis saltem, qui cùm vicina ei loca incolerent, memores nominis quod olim Abraham loco imposuerat, potuerunt jam tum novum vocabulum componere ex veteribus duobus altero Jebusæis cognito, altero omnibus Abrahæ posteris.

Hæc diximus equidem brevibus, sed ad id quod agebamus non erat dicendum pluribus : nunc multò pauciora de libro Ruth dici res postulat. Spectari potest liber Ruth, et haberi cùm appendix libri Judicum, tum introitus in libros Regum : cum utroque enim opere conjungitur, et pertinet ad utrumque, et quòd sub Judicum imperio Elimelechum cum uxore et filiis fames in Moabitidem compulerit, ac deinde Ruth Moabitis Boozo nupserit ; et quòd narratio desinat in genealogiam Davidis, qui Regum Juda familiam duxit. Ob eam causam quòd reipublicæ administratio penès Judices esset, cùm factum contigit, Hebræi olim ex duobus librum unum confecerunt, ut Hieronymus *in Prologo galeato*, scribit : *Subtexunt Judicum librum, et in eumdem compingunt Ruth, quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia.* Quanquàm Hebræi recentiores alterum ab altero librum disjungunt, et positis initio Scripturarum quinque Mosaicis libris, quinque alios, quos *Meghillòd* dicunt, proximo ordine subjiciunt Canticorum, Ruth, Threnorum, Ecclesiastis atque Estheris. Ex eâ antiquâ sacrorum Librorum compactione, factum est ut unum utriusque libri auctorem esse suscipientur interpretes, et perinde vel Samuelem, vel Esdram, vel scribas sacros hoc opus elaborâsse existiment pro variâ de auctore libri Judicum ab iis probatâ sententiâ. Verùm ut nihil certi in priore hujus argumenti parte constitui potuisse vidimus, ità et in hâc posteriore ancipites sumus.

Cùm verò capite hujus libri primo dicatur historiam contigisse *in diebus unius judicis, quando judices præerant*, sive, ut habet Hebraicum exemplar : *In diebus in quibus judicabant judices*, atque inde argumentum capiatur, abrogato judicum imperio historiam esse descriptam, quærendum adhuc tantummodò restaret, quisnam judex sit, quo gubernante, Ruth Boozo nupserit. Verùm intricatior quæstio est : Rabbini Boozum à judice Israelis Abesane non distinguunt ; ad Abesanis igitur ætatem factum referunt. Josephus, lib. 5, Antiq. Jud., cap. 11, Eli et Ruth æquales eorumdem temporum fuisse scribit, quòd famem, quâ terram Juda laborâsse auctor in eo libro meminit, sub Eli sacerdotio ursisse constituat. Aliis Tholâ judice, aliis Aodo, aliis Baraco, vel Samgaro, vel Gedeone, vel ejus filio Abimelecho res gesta videtur. Atverò nihil cum quâdam verisimilitudine disputari de hâc causâ potest, nisi primum de chronologiâ progenitorum Davidis constitutum sit, unde et cognitio temporis historiæ pendet. Difficillimum est autem texere Davidis genealogiam, ejusque majorum ætatem dijudicare. Etenim, ut brevem rei notitiam tradam, certâ supputatione constat ab ingressu Hebræorum in terram Chanaan, quo ferè tempore Salmon uxorem Rahab duxit ad ortum usque Davidis, 366 annos intercessisse ; iterùm perspectum est omnibus in tanto annorum spatio non modò sub finem libri Ruth, verùm etiam lib. 1 Paralip., cap. 2, tum Matthæi cap. 1, et Lucæ cap. 3, quatuor tantùm generationes describi ; scilicet sacrorum scriptorum omnium una sententia est : *Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai seu Jesse, Jesse genuit David regem.*

Hæc porrò inter se componere magnæ operæ est et negotii. Si enim quatuor tantùm generationibus annos 366 exæquemus, consequitur à singulis patrum post annum vitæ centesimum filium esse susceptum, quod, habitâ ratione vitæ hominum ad breviores limites jam contractæ, vix ac ne vix quidem fit verisimile, maximè cùm patribus in Ægypto intra annos 215 nati sint trinepotes; in sacerdotali autem Levi familiâ generationes septem numerentur ab Abisue ejusdem ætatis cum Salmone ad Sadochum Davidis æqualem. Si verò putemus, quæ plurimorum opinio est, silentio præteritos in sacris Litteris aliquos ex progenitoribus David, quippe viros non eâ claritate nominis, quâ Booz, Obed, Isai, gravissimum opus est divinando supplere, qui desunt, eosque suis locis collocare. Quomodocùmque sit, quia nostri hujus instituti non est quæstionem hanc chronologicam persequi, officio non desumus, dùm in medio relinquimus.

ARTICULUS IV.

De libris Regum.

Latini omnem regum historiam à Samuelis gestis ductam *quatuor Regum libros* accepta à Græcis eorumdem inscriptione semper nuncupârunt : Hebræi verò in partes olim duas divisam, alteram *Samuelis* nominârunt, alteram *Regum*, seu potius *Et Rex David*, sumpto nomine à verbis quibus incipit. Duas hasce partes primùm duobus voluminibus conclusas in duas alias rursùs non partiebantur : at deinceps à Hieronymi ætate factum est ut Græcorum et Latinorum morem imitati, quatuor libros et ipsi distinxerint, primum scilicet et secundum tam Samuelis quàm Regum, antiquis retentis nominibus; quorum quidem alterum inditum erat propter Samuelem auctorem, ut credebant, vel res Samuelis ab initio narratas; alterum propter collectam in unum regum Juda atque Israel historiam. Nos etiam de his libris habituri sermonem, commoditatis gratiâ veterem Hebræorum divisionem sequi instituimus, ac si duo essent opera, de quibus disputatio fiat. Quare primùm de Samuelis, tum de Regum libris quæstionem proponimus, in quâ tamen explicandâ nemo exspectet certiora quàm quæ nuper in superioribus causis afferebamus.

Thalmudistæ, Moses Kimchi, Isidorus, lib. Orig. 6, cap. 2, Procopius, Tostatus, Serarius, Vatablus, et plures magno agmine interpretes Samuelem ipsum magnâ saltem parte, et totius usque capitis 24, lib. 1, scriptorem esse existimant, quem deinde librum et sequentem Nathan, et Gad prophetæ scriptis suis perfecerint atque absolverint. Hujus sententiæ comprobandæ argumentum sumitur sive ex titulo librorum in Hebraicis codicibus, sive ex libro 1 Paralipomenon, cap. 29, v. 29 : *Gesta autem David regis priora, et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan prophetæ, et in volumine Gad videntis.* Theodoretus, Diodorus Tharsensis, Athanasius, et Gregorius magnus compendiariam historiam quamdam ex prophetarum monumentis et commentariis conscriptam putant, neque abnuunt fateri prophetas ipsosmet esse, quorum nomina in libris Paralipomenon inveniuntur. Sed quis unquàm ea prophetarum scripta in summam, atque in unum volumen redegit? Abstrusiorem rem, atque implicatiorem non extricant. Grotius esse Jeremiam, ait se accepisse ab Hebræorum doctissimis, qui ex styli similitudine judicium fecerunt. Respondent alii regem Ezechiam, alii Isaiam, vel Esdram, nonnulli Davidem esse totius operis auctorem. In hâc sententiarum varietate ab incertis certa secernamus, ut minimùm, quoad fieri potest, erremus.

Primò, qui Jeremiæ stylum in Samuelis libris non videt, Grotii judicium probare non potest : sunt autem plurimi Hebraicè peritissimi, qui ita acres oculos non habent, neque acutas aures, ut Jeremiam ibi scribentem cernant, aut loquentem audiant. Qui verò Davidem, Ezechiam, Esdram auctores fuisse librorum Samuelis malunt, si isti tam acuti homines causas ullas proferrent cur ita sentirent, libenti animo penderemus, judiciumque adhiberemus nostrum, utrum et esset assentiendum : at cùm nihil præter meram conjecturam afferant, neque probare possumus, neque refellere. Quod autem libri Samuelis in Hebraicis codicibus inscriptum est, nihil omninò ad hanc causam efficit. Nam Septuaginta, sive Græci antiquissimi interpretes, quos Samuelis libros nunc appellant Hebræi, *libros Regum* inscripserunt : quod indicio est olim ita fuisse vocatos : cur enim libros primum et secundum Regum vocâssent Græci interpretes ex Hebræorum genere, quem Samuelis à suis nominari scirent? Atque etiamsi Esdræ ætate eos libros *Volumen Samuelis* Hebræi dixissent, à gestis prophetæ ibi descriptis nomen dici optimè potuit, non à scriptore. Testimonium verò libri primi Paralipomenon dubitationem omnem tolleret, si deprehendi certè posset libros prophetarum Samuelis, Nathan, et Gad eosdem esse quos primum et secundum Regum appellamus. At obscura admodùm res est; imò verò ex Paralipomenis adducimur ut credamus ibi tria distincta volumina allegari in quibus potissimùm verba, seu res facta Samuelis, Nathanis et Gadi describebantur. Ita Hebraici textûs verbum verbo redditur : *Et res* (scilicet gesta) *David regis priores et posteriores, ecce ipsæ scriptæ sunt in rebus Samuel videntis, et in rebus Nathan prophetæ, et in rebus Gad videntis :* in libris nimirùm qui eorum trium Prophetarum vitam et facta referebant, cujusmodi sanè non sunt primi duo Regum libri. Oportuisset deinde, si quidem in Paralipomenis duo Samuelis libri memorarentur, volumen Samuelis in tres partes esse dispertitum, quarum quælibet prophetæ scriptoris nomine vocaretur; vel saltem notam aliquam haberemus, unde singuli incœpissent dicere, quove desiissent; vel denique notam diversitatis auctorum, aut styli dissimilitudinem internosceremus. Nihil autem horum se prodit in libris quos versamus.

Quid ergo ex animi nostri sententiâ dicemus, quoniam ista non placent? Dicemus potuisse quidem à scriptis Samuelis, Nathan et Gad primum et secundum librum Regum expromi : dicemus et exprom-

ptum ab iisdem tamen prophetis contextum non videri. Nam scriptorem unum hoc librorum opus perfecisse, facilè intelligunt, qui Hebraicas litteras didicerunt, et contuentur sermonis unitatem. Sunt et multa quæ Samueli aut alteri scriptori æquali Samuelis non possis tribuere. Hujusmodi illud est lib. 1, cap. 7, v. 15 : *Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ*, ex quo auctorem vitâ functo Samuele scripsisse cognoscimus. Hujusmodi et alterum, cap. 3, v. 1 :.... *et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta :* crebrior enim Dei sermo et visio manifestior fuit post dies Samuelis, quo vivente et rarior erat et obscurior. Paria sunt quæ cap. 13, v. 5 :.... *Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven;* et cap. 26, v. 6 : *Dedit itaque ei* (Davidi) *Achis in die illâ Siceleg : propter quam causam facta est Siceleg Regum Juda usque in diem hanc.* Scimus enim urbem olim dictam *Bethel*, nempe *domum Dei* post collocatos ibi à Jeroboamo vitulos aureos dictam *Bethaven*, *domum iniquitatis ;* ac prætereà Reges *Juda* nominari cœpisse, postquàm secesserunt cum Jeroboamo decem tribus, inter quarum urbes, etsi esset Siceleg (erat enim sita in Simeonis tribu); tamen urbibus Juda ex dono Davidi dato accensebatur.

Nec opponat quis aut Nathan, aut Gad, qui caput vigesimum septimum scripserunt, eam tribuum disjunctionem vidisse. Nam præterquàm quòd Salomon annos quadraginta regnum tenuit, cui superstites duos eos prophetas fuisse probandum esset, historicus ad reges *Juda* Siceleg pertinere dicit, quorum alios aliis in regno successisse visus est significare. Quocirca non negamus Samuelem, Nathanem, Gad, quæ suis temporibus contigerunt, mandâsse litteris : nam et omnium constans sententia est prophetas ea scribere consuevisse, et occurrunt quidam loci in Samuelis libris scriptorem coævum indicantes; sed ipsissima esse illorum trium prophetarum scripta non affirmamus. Eorum diariis et commentariis usum posteriorem historicum in duos primos libros Regum conjecisse, quæ ipsi reliquerant, et magnâ quoque ex parte composuisse cum Theodoreto, Diodoro Tharsensi, Gregorio magno assentimur : quo verò tempore historiam texuerit, aut quis demùm sit, fatemur nos ignorare.

Hæc tamen ignoratio nostra tantùm valere non potest apud Religionis inimicos, ut hâc de causâ antiquos esse duos istos libros negent, aut eorum dignitati obtrectent. Generalia, quæ in primâ hujus operis nostri parte pro librorum divinitate protulimus argumenta, oppositum planè demonstrant : præsentem verò fidei causam hæc singularia confirmant. Magna pars libri 1 Paralipomenon ex duobus prioribus Regum expressa est, ut libros utrosque conferenti apparet. Illa Ezechielis sententia, cap. 33, v. 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ, et vivat*, auctori librorum Samuelis accepta refertur ex cap. 14, lib. 2, v. 14, in quo mulier Thecuitis Davidem ad misericordiam excitans ait : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur : nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitùs pereat qui abjectus est.* Quæ legimus Sapientiæ, cap. 16, v. 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis*, simillima sunt, atque ab iis defluxerunt, quæ lib. 1 Reg., cap. 2, v. 6, Anna Samuelis mater Domino gratias agens cecinit : *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos, et reducit.* Rursùs laudes Samuelis celebratæ cap. 46, v. 22 Ecclesiastici; *Et ante tempus finis vitæ suæ, et seculi testimonium præbuit in conspectu Domini et Christi; pecunias, et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo*, petitæ planè sunt à cap. 12, v. 3 et 4, lib. 1 Reg., ubi narratur Samuelem ad universum Israel dixisse : *Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum.... Et dixerunt : non es calumniatus nos, nec oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam.* Multa prætereà in Tobiâ, in Ecclesiaste, in Oseâ, in psalmis reperiuntur, quæ extracta ex libris Samuelis, Nathanis, Gadi cognoscas, unde primum et secundum regum consutos putamus. Hæc verò non modò antiquitatis, sed et auctoritatis quam olim in Synagogâ sacri ii Libri habuerunt, argumenta sunt locupletissima.

Dignitati sacri operis non parcit more suo Spinosa inconcinnum illud, inconditum, insulsumque accusans, ab ineptis quibusdam coagmentatum, judicio satis non pollentibus. Ait cap. 16 et 17, duo dici, quorum alterum contra alterum repugnat. Nam in primo narratur venisse Davidem ad Saülem regem malo spiritu exagitatum, et pulsatione citharæ levationem morbo attulisse eâque de causâ armigeri officio cohonestatum : at in altero scribitur tùm cognitum fuisse Saüli Davidem, cùm contra Goliath singulari certamine dimicaturus, se primum regi objecit : quì verò, inquit, hæc nexu aliquo conjungi queant? Addit, cap. 7 et 13, insignem dissensionem esse. Primo enim loco depressos adeò fuisse Philisthæos, prostratosque narratur, ut ultra in terram Israel venire non tentaverint, cunctisque diebus Samuelis gravis Domini manus in ipsos incubuerit : in secundo verò et belli apparatus à Philisthæis Judaico populo illati exponitur, et armorum strepitus, et terror Israelitarum animos invadens : non constant verò hæc sibi, nec sacri auctoris doctrinam sapiunt.

Facilè his duobus argumentis occurritur. Venerat certè primò David ad Saülem accitus recreare fidibus animum spiritu nequam vexatum, eumque de facie nôsse debuisset utique, aut saltem potuisset rex, quando iterùm adductus est David ad se, antequàm contra Goliath in castra descenderet. At si mali spiritûs opera primùm rex mente aberrabat, neque erat compos suî, quomodò veritatis alienum videatur, adolescentis visi olim sibi nullam in cerebro imaginem remansisse, atque ignorâsse unde et quis esset? Occupatus deinde gravibus belli negotiis Saül postquam cytharæ sonitu delinitus sibi fuerat parumper animus, vel, si licet dicere, rex graviore belli curâ districtus,

quæ minorem à malo spiritu excitatam aut dispulerat aut levârat, Davidem dimisit. David ad patrem rediens pascendo rursùs gregi operam dedit, ut cap. 17, v. 15, dicitur; inde missus à patre est, cum cibariis ad fratres in castra, ubi et propter Goliathi incircumcisi hominis arrogantiam, et nationis suæ despectum, zelo maximè divini honoris ausu improbissimo contempti ad pugnam vehementer incitatus constituit cum hoste congredi: quâ de causâ Saüli se stetit, à quo non est agnitus. Multa sanè hìc sunt quæ potuerunt memoriam Davidis omnem exstinguere; temporis scilicet intervallum, diversus vestium ornatus et negotii gravitas quod agebatur, multùm à cytharœdi officio alienum. Quòd si primùm Saül multa de Davide ejusque familiâ percontatus fuerat, atque adolescentem coram se stare, armigeri etiam officio ei collato, jusserat, hæc omnia excidere ex animo facilè potuerunt; eòque magis quòd aulici fortassè puerum olim regis nomine accersiverint: in aulâ verò ille manserit ad omnem pulsandæ cytharæ opportunitatem, ut præsto esset cùm spiritus nequam Saülem concussisset; non autem continuò fuerit in regis conspectu, officiumque armigeri non singulare aliquod, sed commune multis regem stipantibus obtinuerit.

Consistit et utrumque alterum capitibus 7 et 13, descriptum. Non enim cùm primo loco dicitur *humiliatos fuisse Philisthæos; neque ultra apposuisse, ut venirent in terminos Israel*, intelligendum est, nunquàm postea Israelitarum terram ingressos, sed tum primùm, et aliquantisper se suis finibus continuisse: nam ita sæpè hebraica vox עוד accipitur, quæ *ampliùs, adhuc, ultra* verti solet: vel etiam ultra non irrupisse Philisthæos in fines Israelis, non vivente Samuele, sed eo judice, sacer scriptor dicere voluit, ut sanè contigit. Etenim qui belli furor in cap. 13 excitatus legitur, inuncto jam Saüle, eoque regnum tenente efferbuit. Quapropter omnes illos Samuelis dies quibus Israelem provocare armis Philisthæi non sunt ausi, non vitæ dies, sed præfecturæ computamus. Vel denique manum Domini in Philisthæos cunctis diebus Samuelis gravem incubuisse, ideò septimo capite animadvertendum proponitur quòd, etiamsi Samuele superstite, se ad bella paraverint Philisthiim interdùm, atque aciem eduxerint, magnis tamen cladibus semper affecti ab incœpto desistere coacti, et fracti bello divinam iram senserint.

Nunc ad reliquos Regum libros expendendos progrediar, totumque hoc argumentum absolvam. Utriusque posterioris Regum libri scriptorem alii Isaiam fuisse opinantur, Ezechiam alii nonnulli Esdram, Thalmudistæ et Rabbini ut plurimùm Jeremiam, qui tamen prisca regum Juda atque Israel commentaria evolverit, unde materiam scribendi deprompsit. Hìc quoque in incerto versamur, atque in eumdem scopulum incidimus, in quem nuperrimè offendebamus. Sed ut diximus Samuelem, Nathan et Gad ad posteros transmisisse quæ David gesserat, unde recentior scriptor duos primos Regum libros composuerit: sic nunc multos illustres viros et prophetas facinora cæterorum regum Juda, atque Israel historiis suis fuisse complexos pro certo tenemus, à quibus in unum corpus, cujusmodi illud nunc est, posterior auctor acta regum digesserit. Lib. 2, Paralip., cap. 9, v. 29, hæc notantur: *Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis, et in visione quoque Addo videntis contra Jeroboam filium Nabath.* Ibidem, cap. 12, v. 15: *Opera verò Roboam prima et novissima scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ et Addo videntis, et diligenter exposita.* Res Abiæ filii Roboam regis Juda scripsisse diligenter Addo prophetam, cap. 13, v. 22, innuitur: *Reliqua autem sermonum Abia, viarumque, et operum ejus, scripta sunt diligentissimè in libro Addo prophetæ.* Josaphati pariter regis Juda gesta retulit Jehu propheta, filius Hanani, qui et historiam regum Israel ediderat, ut cap. 20, v. 34, ejusdem libri testatum est: *Reliqua autem gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros regum Israel.* Isaias filios Amos prophetæ res omnes Oziæ regis Juda tradidit litteris, ut cap. 26, v. 22, scribitur: *Reliqua autem sermonum Oziæ priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos, propheta.* Actiones Manassis consignavit Ozai cap. 33, v. 19. Sed longior jam sum in iis referendis scriptoribus, quorum nomina in 2, præsertim Paralipomenon libro recensentur. Accedunt libri annales sive diurni regum Juda et Israel, qui sæpè in eodem Paralipomenon libro nominantur, diversi quidem ab his duobus posterioribus regum voluminibus; quippe multa in Paralipomenis perstricta fusiùs continebant, quæ in regum libris deesse videmus.

Itaque partim ex prophetarum scriptis, partim ex utriusque regni annalibus vel Jeremias, vel Esdras, vel fortassè etiam Nehemias, qui lib. 2 Machab., cap. 2, v. 13, dicitur bibliothecam construxisse, et libros prophetarum et David congregâsse, duos regum libros confecit. Non enim adeò de scriptore solliciti esse debemus, cùm noverimus prophetarum nomina, à quibus materies compingendis his libris suppeditata scriptori est. Quisquis autem ille sit, qui certè nonnisi unus est ex uno scribendi tenore, et constante ac æquabiliter fluente stylo, perdurante adhuc captivitate, vel etiam ipsâ solutâ, historiam exaravit, quoniam postremis libri 4 capitibus cùm de Assyriacâ Israelitarum captivitate, tùm de Babylonicâ Judæorum sermo est. Dubitare præterea non possumus quin divinus idem sit scriptor qui in historiâ suâ non tam civiles res et politicas, illustriave regum gesta, quàm religiosas, ad Dei cultum pertinentes, legitimas, sacras, pietatem spirantes et scelera quoque, sed immissis à Deo gravibus pœnis expiata, est prosecutus. Auctoritatis enim, veritatis, antiquitatis, germanæque fidei horum librorum, præter Judaicum canonem, et septuaginta Interpretum translationem, testimonium perhibet et Christus Dominus, Lucæ cap. 4, v. 25 et seq., inquiens multas fuisse viduas in diebus Eliæ; non fuisse autem missum prophetam nisi ad mulierem viduam in Sareptâ Sidoniæ; multos

pariter fuisse leprosos in Israel sub Elisæo prophetâ; neminem autem mundatum nisi Naamanem Syrum, quæ in lib. 3 Reg., cap. 17, et lib. 4, cap. 5, exstant. Paulus item ad Romanos scribens, cap. 11, v. 2 et 3.... *An nescitis in Eliâ quid dicit Scriptura, quemadmodùm interpellat Deum adversùs Israel : Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam.* Quæ verba à lib. 3 Reg., cap. 19, v. 10, in epistolam suam Apostolus transtulit.

Unum est quod scriptorem veluti testem rerum narratarum, coævumque regibus quorum gesta scribit et Rempublicam Judæorum adhuc stantem indicare videtur. Hujus generis est illud lib. 3 Reg., cap. 9, v. 21, Amorrhæorum, et aliorum populorum filios, qui in terrâ remanserant, *fecit Salomon tributarios usque in diem hanc;* et lib. 4, cap. 8, v. 22 : *Recessit ergo Edom, ne esset sub Judâ usque ad diem hanc;* et cap. 13, v. 23 : *Et misertus est Dominus eorum, et reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, et Isaac, et Jacob, et noluit disperdere eos, nec projicere penitùs usque in præsens tempus.* Similia sunt quæ de arcâ adhuc in templo manente scribuntur, lib. 3, cap. 8, quam tamen, antequàm populus captivus abduceretur, sublatam de templo in speluncam Jeremias intulerat.

Verùm hæc probant quidem summam scriptoris diligentiam, et fidem, et assiduum usum commentariorum, quos ob oculos habebat; non autem ipsum florente Judæorum imperio scripsisse. Cùm enim sæpè non sententias modò, sed et verba prophetarum et tabulariorum res sui temporis notantium in suum istud compendium transferret, quasi ipsorum nomine loqueretur, adjuncta etiam illa expressit, quæ rem præsentem significabant, etsi præteriisset.

Etiamsi verò importunus disputator theologo-politicus horum librorum auctoritatem elevare conetur, nihil negotii facessit : adeò comprobata est eorum dignitas, et prompta est ad leves ineptias responsio. Maximè autem in chronologiâ ejus argumenta versantur, unde pugnantes inter se Scripturæ locos objicit, quos multis modis interpretes componunt, et nos, ubi res postulabit, demonstrabimus pariter cohærentes. Interim in genere saltem, ut intelligatur, quid ille afferat in medium, quove modo ei occurratur, pauca subjicimus. Ait cap. 6, lib. 3 Reg., ab initio dici anno 480 ab egressu filiorum Israel ex Ægypto cœptum domûs Dei ædificium cùm tamen major annorum numerus confletur, supputatis seorsùm annis erroris in deserto, distributionis terræ Chanaan, administrationis Judicum, atque imperii regum, quos annos ex ipsismet Scripturis colligimus. Addit in cap. 16, v. 8, libri ejusdem 3 narrari, obiisse Baasa regem Israel anno 26 Asa regis Juda : in libro autem 2 Paralip. cap. 16, v. 1, Baasa ipsum anno regni Asa 36 bellum ei movisse. Quomodò verò fieri potuit ut arma caperet, qui ante decem annos è vivis excesserat ? Notat etiam in capite eodem 16, v. 15 et 16, 3 Reg. referri, anno regni Asa 27 regnâsse Amri regem Israel qui vers. 23, dicitur anno 31 Asa regnare cœpisse. Animadvertit et cap. 1, lib. 4, v. 17, de Joram fratre Ochoziæ rege Israelis hæc haberi : *Et regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat regis Judæ.* In capite autem 3, v. 1 : *Joram verò filius Achab regnavit super Israel in Samariâ, anno 18 Josaphat regis Judæ.* In capite demùm 8, v. 16 : *Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, et Josaphat regis Juda regnavit Joram filius Josaphat rex Juda.* Hæc componi non possunt, ut idem Israelis rex anno 18 regni Josaphati patris, et secundo Jorami filii regum Juda moderari habenas imperii cœperit; atque iterùm iste Joram filius Josaphat anno quinto Jorami filii Achab thronum conscenderit.

Quis enim ignoret plura hujus generis occurrere in profanis historiis, ubi, uno numero loco alterius scripto, magna sequitur perturbatio, quin tamen aut historia in suspicionem falsitatis veniat, aut negetur opus illud esse scriptoris diligentissimi ? Mendam in alterutro loco irrepsisse in exemplaria illicò judicat, qui rem accuratè expendit, eamque alteri lectionem anteponit, quæ est cum reliquâ historiâ congruentior. Hâc de causâ, aiunt interpretes, initio capitis 6, lib. 3, Reg. legi oportere anno 580 à liberatione populi Israelitici ab Ægyptiacâ servitute inchoatum templi Salomonici opus. Id autem ex Pauli sermone Act. 13, v. 20, utcumque colligunt, in quo Apostolum dixisse putant datos à Deo Israeli judices *quasi post quadringentos, et quinquaginta annos* usque ad Samuelem, quibus cùm addant 40 annos erroris in deserto, 7 fermè bellorum in terrâ Chanaan gestorum, et sortitionis terræ, 40 administrationis Samuelis, regnique Saülis, 40 regni Davidici, et tres priores regni Salomonis, cujus anno quarto fundatum est templum, commodè efficiunt annos 580.

Verùm legendum esse putamus anno 480, quod Hebræi, Chaldæi, Syri, Arabes et Græci editionis Complutensis legunt : nam in Romanâ editione 440 tantummodò scribuntur anni. Atque etiamsi difficillimum sit, hanc annorum summam distribuere, et judicum ætati accommodare; tamen quod tentatum semper est à chronologis, videri potest non improsperè successisse. Tabulam impressam habemus ex libro Judicum potissimùm exprompiam in editione Bibliorum sacrorum cum universis Francisci Vatabli, et variorum interpretum adnotationibus, Parisiis 1729, quam, si placet, exscribimus : proderit autem et ad libri Judicum chronologiam texendam.

Moses vitâ functus est anno ab exitu Ægypti.	»	40
A morte Mosis ad illud usque tempus, quo allata est quies populo per Josue. . .	»	6
Item ad alterum, quo per Othonielem. .	»	40
Item ad alterum, quo per Aod. . . .	»	80
Item ad alterum, quo per Deboram. . .	»	40
Item ad alterum, quo per Gedeonem . .	»	40
Mortuo Gedeone, *aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baal* (Judic. 8, v. 33), aliquot annis puta.	»	9
Postea Abimelech præfuit annis. . . .	»	3

Thola	» 23
Jair.	» 22
Jephthe	» 6
Abesan.	» 7
Ahialon	» 10
Abdon.	» 8
Heli.	» 40
Samuel.	» 21 1/2
Saül	» 40
David.	» 40
Fundamenta templi jacta anno Salomonis.	» 4
	» 479 1/2

Tabulam alteram quæ in idem recidit, et planè chronologiæ studioso satisfacere potest, descripsit Editor Bibliorum Latinorum et Gallicorum cum notis, etc., tom. 3, in secundâ editione Parisiis 1768, pag. 538. Aliam ipse rationem ineundæ supputationis tenuit, distinctâque servitute Hebræorum modò citra, modò trans Jordanem ; item judicibus liberatoribus in utrâque regione seorsùm à Deo datis, totum tempus 480 annorum in duo intervalla eruditè dispertivit. Tabulam istam explicare longi esset otii : adeat si cui videbitur. Hæc satis sunt refutandæ calumniæ.

Annus 36 regni Asa, quo dicitur in libro Paralipomenon prælium à Baasa suscitatum, non ab initio regni Asa supputatur, sed à divisione tribuum Israel et Juda, isque incidit in annum 16 Asa regis, decem annis ante finem vitæ Baasa. Erratum etiam in Paralipomenis multi agnoscunt, quod emendant legentes 16, non 36 regni Asa bellum inter duos reges exarsisse. Amri verò et anno 27 regni Asa, et anno 31 regnâsse nihil omninò repugnat, si benè animus ad ea intendatur quæ in eodem 16 capite scribuntur. Anno quidem 27 Asa totus Israel conclamavit regem in castris; contendit iste primùm cum Zambri de principatu, eoque flammis incenso cum Tebni, quem media pars populi sequebatur, divisum imperium habuit : quo pariter mortuo, solus Amri regnum Israel tenuit anno 31 Asa. Quæ est ergo ibi sententiarum discrepantia ?

Josaphat denique rex Juda annos 25 populum rexit potestate regiâ : iste anno 16 vel 17, cùm esset expeditionem Syriacam initurus, filium Joram proregem constituit, qui, ipso absente, reipublicæ curam gereret, Senior verò factus, biennio antequàm migraret è vitâ, consortem imperii, et successorem filium fecit, regnique habenas ei commisit. Quo constituto Joram frater Ochoziæ, filiusque Achabi regnare cœpit in Israel anno 18 Josaphati regis Juda, qui ipse erat secundus annus à datâ filio vicariâ regni potestate : atque iste Josaphati filius vicissim imperium exorditus est absolutum anno regni patris sui 22 vel 23 qui incidebat in annum quintum Jorami regis Israel. En composita omnia, nisi dicere malis mendum in numeris latere : et in allato quidem ultimo loco, lib. 4 Reg., cap. 8, v. 16, mendum reapsè agnitum est ab interpretibus Syro, Arabe, Græco editionis Complutensis, et scriptoribus pluribus latinis, qui omiserunt ea verba, *et Josaphat regis Juda*, quanquàm legi possit : *Anno quinto Joram regis Israel, cùm esset Josaphat rex Juda, Joram hujus filius cum eo regnavit.*

Eadem respondendi ratio est ad eos locos Regum et Paralipomenon, in quorum primò Ochozias fuisse 22 annos natus dicitur, cùm regnum inchoavit, in altero 42. In hoc posteriore lapsus est error, qui in Syriacis, et in Arabicis exemplaribus, et in Sixtinâ editione septuaginta Interpretum, et in manuscriptis Oxoniensi et Cantabrigensi est emendatus, retentâ eâ in Chronicis lectione, quæ in libris Regum occurrit. Paria ferè dicimus ad eam, quæ opponitur, discrepantiam inter cap. 15, lib. 4 Reg., anno 27 Jeroboami regis Israel regnâsse Azariam, sive Oziam filium Amasiæ regis Juda, et inter cap. 14 præcedens, in quo refertur, anno 15 Jeroboami Amasiam vitâ functum esse ; quia, cùm Azarias filius patri Amasiæ successerit, videretur non anno 27 Jeroboami, sed potiùs 15 vel 16 regnum inchoare debuisse, ut supra ex cap. 14 colligitur. Verùm alii dicunt erratum in numeris, nec plus scribendum quàm anno 17 *Jeroboam* : alii exponunt *anno* 27 *regnabat Azarias*, non quòd regnare tunc inciperet, sed pergeret : alii malunt Jeroboamum filium Joas primum cum patre regnâsse annis 12, cùm verò decimus quintus annus ejus regni mortuo Joaso laberetur, Azariam Amasiæ patri successisse ; alii demùm, ne plura persequar, ponunt à morte Amasiæ interregnum 12 annorum fuisse ad initium imperii Azariæ, qui, cùm parvulus relictus esset à patre, aut proregem habuit, aut summum Judæorum magistratum, aut tutores à patre datos reipublicæ administratores. Sed non vacat neque de his opinionibus dijudicare, neque in componendis numeris diutiùs immorari.

ARTICULUS V.

De libris Paralipomenon.

In libris sacris olim uno volumine conclusis, quos Græci παραλειπομένων, nos græcam vocem interpretantes *prætermissorum*, sive *derelictorum* dicere possumus ; Hebræi verò dicunt *verba dierum*, sive *chronica et annales*, breviter perstringit propheta, quod in superioribus libris dispersum est, aut prætermissum, aut non satis explicatum. Itaque Paralipomena sunt compendium, in quo strictim ob oculos ponitur gentis Hebrææ genealogia ab Adamo usque ad Zorobabelem ; repetuntur breviter regum gesta, et pauca supplentur, quæ desunt in regum historiâ : quanquàm multò plura adhuc desiderentur, quàm quæ fuerint in unum congesta. Id præ cæteris propositum sibi habuit libri hujus auctor, ut familiarum distributionem et successionem, ut loca singulis tribubus destinata, ut patrum hæreditates à posteris adeundas describeret, quò faciliùs filii Israel Babylone reversi, propriisque restituti sedibus suo quisque jure uterentur, seque in suo fundo continerent. Quia verò Juda potissimùm, et Benjamin, captivitate solutâ, ad avitos locos redierunt, bis voluit earum tribuum genealogias recensere,

Ut etiam sacris muneribus obeundis nemo se inferret, cui jus non esset, diligenter sacerdotum et levitarum familias ab exordio deduxit.

Veteres commentarios et iste auctor versavit cùm prophetarum, tum ephemerides, quarum partem, ut institutum suum postulabat, in hoc opere expressit. Minimam autem hanc partem esse, etiam me non docente, quisque intelligit, videns paucis lineis conclusum, quod multorum annorum regna et vicissitudines spectabat: quocirca hæc Paralipomena, ut paulò ante adnotavimus, non possunt esse ii annales, de quibus dicitur sæpè in Regum libris : *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Juda? Nonne scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel?* Sive quòd crebra in libris Paralipomenon eadem occurrat dicendi formula; sive quòd librorum Regum scriptor in quibusdam rebus auctoritatem chronicorum librorum sequi se dicat, quas Paralipomena non habent; sive demùm quòd et multa in præsens Chronicon sint à libris Regum derivata, et istud illis recentius ex operis fine videatur. Illud tamen Nehemiæ (Vulgata Esdræ lib. 2) cap. 12, v. 23 : *Filii Levi principes familiarum, scripti in libro verborum dierum*, indicat non modò hos Paralipomenon libros verba dierum nuncupatos ab Hebræis, ut dicebamus, sed et sigillatim nonum caput libri primi Paralipomenon, in quo generationes Levi attinguntur.

Sed quo unquàm tempore hi libri extracti sunt in lucem, quisve ista familiarum et urbium, et factorum publicorum monumenta reliquit ? Dubitari primò nequit, quin post Babylonicam captivitatem sacer scriptor Chronica disposuerit : imò verò et tempora datæ facultatis à Persis regibus Judaico populo abeundi sit consecutus : narrat enim in fine secundi libri libertatem Judæis per Cyrum restitutam. Quanquàm in re non necessariâ poneremus operam, si confirmare vellemus, solutis jam à servitute Judæis, libros conscriptos : claras adeò tota librorum series, et scopus temporis notas præ se fert. Auctor verò Chronicorum fertur ut plurimùm non Hebræorum consensu Esdras sacrorum Librorum reparator. Etenim quæ in postremo capite Paralipomenon de Cyro dixerat, repetit ab initio auctor libri Esdræ; utriusque igitur operis unum se esse declarat auctorem, qui alterum orditur, quomodò alterum absolverat. Hanc conjecturam verisimiliorem efficiunt similes genealogiarum ordines, et personarum descripti novem primis capitibus Paralipomenon, et 2, 8 et 10 Esdræ. Quod singulare prætera Esdræ est tam in vocibus quàm in orationis texturâ, id totum in Paralipomenon libris apparet. Quamobrem à communi sententiâ non videretur recedendum. Nam etsi cap. 3, lib. 1, v. 21, Zorobabelis posteritas producatur usque ad duodecimam generationem, quam sanè Esdras Zorobabelis coævus videre non potuit, trita sententia est, alienâ manu hanc genealogiam postea adjectam esse à viro amico claræ Zorobabelicæ stirpis, atque officioso ad exemplum ejusdem Esdræ, qui in aliis sacris Libris plura intersperserat. His tamen omnibus certum hâc de re judicium proferre nobis non sumimus, contenti communem opinionem proposuisse, et ei causæ conjuncta firmamenta suggessisse.

Neminem tamen moveat ille quorumdam dubitantium scrupulus, nullos ampliùs exstitisse Judaico populo annales libros Regum Juda; multò minus Israelis post captivitatem Babylonicam, quòd populus in captivitatem migraturus non de publicis scripturis, sed de suâ quisque familiari re et domesticâ sollicitus fuerit : Babylonii autem urbe captâ vel ipsi de publicis archivis scripta asportârint, vel cum reliquis impedimentis incenderint : id, inquam, neminem moveat. Enimverò et tempus superfuit Israelitis colligendi scripta quælibet, hoste non impediente, et multi diligentiores volumina prophetarum, in quibus tam nationis historiæ quàm prophetiæ continebantur, secum Babylonem detulerunt; et prophetæ optimè edocti captivitatem non plus 70 annis duraturam passi non sunt regni annales libros perire : ideò Nehemias bibliothecam construens congregavit de regionibus libros Prophetarum et David. Neque difficilius fuit exstare usque tum annales regum Israel, quòd non pauci Israelitarum identidem in terram Juda se reciperent deserentes Idolorum abominationem, et multò plures ante extremum Israelitici regni excidium salutem sibi in terrâ Juda quæsivissent, quos non immeritò credimus et libros ab Israeliticâ terrâ exportâsse.

Auctoritas verò librorum Paralipomenon etsi non confirmetur, in tuto est vel ex solâ eorum collectione in hebraicum canonem, et antiquissimâ græcâ versione, quibus et vetustas et dignitas sacrorum Librorum continetur. Nemo etiam hactenùs qui divinitatis fidem quamdam habuerit, et Dei curam synagogæ olim impensam agnoverit, negavit Chronica libris Scripturarum sanctarum esse accensenda. Nam discrepantiæ inter Paralipomenon et Regum libros in annis supputandis, varietas in designando locorum situ, in appellandis tam urbium quàm hominum nominibus propriis, et si quod aliud est, quod inconstantiam doctrinæ prodere videatur, inepta argumenta sunt negandæ libri divinitati. Reverà nihil primò in his libris repugnat alteri in canonem relato : nomina propria secundùm temporum vicissitudines immutari potuerunt vel pronuntiandi ratione mutatâ, vel significandi, quæ ab usu pendet, vel etiam scribendi, in quâ re perpendendâ operam suam posuerunt Masorethæ. Potuerunt et variis ac diversis nominibus sive urbes, sive homines appellari, atque unum ab uno scriptore nomen, ab altero alterum adhiberi. Librariis pariter valdè condonandum est, qui, ut homines erant sub errorem subjecti, unâ tantùm litterâ loco alterius scriptâ, insignem inducere potuerunt varietatem. Denique fortuiti errores ex vetustate seculorum nihil unquàm de profanorum librorum pretio detraxerunt : detrahentne in hâc unâ tantùm causâ divinorum Librorum, quasi eò deterior esse conditio debeat, quò præstantior libri materies est, et antiquior? Non negamus in arithmeticis quibusdam notis, in nominibus propriis Scripturæ textum à pristinâ integritate de-

fecisse, et Paralipomenon libris præcipuè hanc accidisse depravationem : verùm quod præterea reprehendant infideles non habent.

Interpretes enim tam catholici quàm ab Ecclesiâ catholicâ ob hæresin disjuncti, multas easque planiores ineunt vias conciliandi, atque explicandi quidquid in Paralipomenon libris implicatum, implexumque est, et in specie contrarium, ne fortè, quod recentioribus fidei contemptoribus contradicendi libidine placuit, suspicemur imminui Chronicorum fidem et sanctitatem. Dicit, exempli gratiâ Salomon, Proverb., cap. 4, v. 3, se unigenitum fuisse filium coram matre suâ : auctor verò Chronicorum, lib. 1, cap. 3, v. 5, de Bethsabée quatuor natos esse Davidi filios, Simmaa, Sobab, Nathan et Salomonem : erravitne hâc de causâ Chronicorum scriptor? Nihil ineptius opponi potest. In Proverbiis Salomon singularem matris suæ adversùs se benevolentiam ostendere volens, ita se in matris deliciis fuisse dixit, quasi unicum illa peperisset : solent enim unigeniti filii impensissimè à matribus diligi. Cæterùm Nathanem filium Davidis fuisse non adoptione, ut quidam interpretes arbitrati sunt, sed naturâ Lucas, cap. 3, testatur, Christi genealogiam ex Davide per Nathanem deducens. Ex Bethsabee verò ipsum natum esse fatendum est omnibus, qui pariter Christum Jesum ex Bethsabee originem trahere affirmant.

Rursùs quanquàm Jeremiæ cap. 22, v. ult., prænuntietur Jeconias filiis cariturus : *Hæc dicit Dominus : scribe virum istum sterilem;* in allato verò Chronicorum loco, v. 17 et 18, plures numerentur Jeconiæ filii, ignoranter vitiosum esse Chronicorum textum concluderetur : quippe Jeremiæ prædictio non filiorum orbitatem, sed regiæ potestatis ademptionem spectat. Genuit filios Jeconias; nemo tamen illorum est imperio potitus : quamobrem addit propheta : *Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda.*

Ibid. vers. 19, natus Zorobabel de Phadaia Salathielis filio dicitur : Matthæus verò Zorobabelem Salathielis filium apertè nominat, Evang., cap. 1. Sed utrumque potest consentire. Nonne si Salathiel Jeconiæ filius defunctus esset sine liberis, et Phadaias frater, qualis nominari videtur in nostrâ Vulgatâ, ex ipsius uxore semen eo defuncto suscitâsset : aut è contrario Phadaias orbus obiisset, et Salathiel idem officium præstitisset fratri, dicendus esset Zorobabel filius alterius naturalis, alterius legitimus? Nonne et duplex nomen esse Patri Zorobabelis potuit, nempe *Phadaias et Salathiel*, quorum alterum auctor Paralipomenum, alterum Evangelista scripserit? Nonne et filii nomen apud Matthæum significare nepotem potest, si Phadaiam quidem Salathielis filium ponimus, cujusmodi legendum videtur in Hebraicis codicibus? nam qui patrem genuit, dicitur quoque filium genuisse. Porrò quanquàm Salathiel non recenseatur in Paralipomenis nisi Phadaiæ frater, existimat tamen Vatablus mancam esse Chronicorum lectionem, atque ita supplendum : *Filii Jeconiæ fuerunt Asir et Salathiel, filii ejus Melchiram, Phadaia....* nimirùm Salathieli fuerunt filii Melchiram, et Phadaia, qui deinde Zorobabelem genuit. Sanè cùm in hebraico exemplari habeatur *Salathiel filius ejus*, facile est, nominatis deinde Melchiram, Phadaia, et cæteris fratribus, subjunctum olim fuisse *filii ejus*, id est Salathielis, illudque excidisse. Sunt et alia in Matthæi Evangelio nomina progenitorum Jesu Christi ex Davidico genere, Salathielis et Zorobabelis posteris tributa, quæ non inveniuntur in Paralipomenis : sed auctor Chronicorum illustriores fortassè Davidis nepotes nominavit tantummodò, qui et dignitate, et claritate nominis præstabant; obscuros autem, et à patrum splendore ad privatorum ordinem delapsos præteriit : Matthæus verò Spiritûs sancti ductu humiles, quos elegerat Deus filii sui, imò veriùs dixero, Josephi Mariæ Deiparæ sponsi, progenitores diligentiùs ex publicis tabulis genealogicis Judæorum exscripsit.

Deridendum autem non est, quod lib. 2 Paralip., cap. 21, v. 12, narratur de Eliæ Prophetæ jam in cœlos rapti litteris ad Joramum regem Judæ allatis, veluti scriptor nos illudere fabulâ quâdam voluisset, aut ignorâsset regnum tenente Joramo Eliam jam fuisse è terris sublatum. Neutrum horum, nisi injuriâ de sacro Scriptore dici potest. Quid enim repugnat, etiamsi ante annos novem Elias curru in cœlum esset evectus, primum in terris adhuc manentem litteras scripsisse, et Elisæo, vel alteri discipulo reliquisse ad impium regem deferendas, cùm tempus constitutum advenisset? Aut quare fieri non potuit, ut Judæi communiter sentiunt, et suffragantur christiani interpretes, ut è felicissimo loco, in quo versabatur, officio prophetæ ut antea functus per epistolam à se scriptam impendentes Joramo calamitates Elias ipse significaverit vel angeli vel hominis prophetæ operâ, cujus ministerio sit usus? Nam si postea cum Mose in monte apparuit, in quo Christus depositis omnibus infirmitatis exuviis divinum splendorem induit, seque hilaritate summâ et gloriâ respersit, nihil prohibet quin paucis post suam abitionem annis et prophetam egerit, et scriptorem. Aut etiam quidni fortè effectum sit, ut pro Elisæo oscitans librarius Eliam scripserit? Hæc nobis verisimiliora sunt præ Grotii sententiâ dicentis non re allatas esse ad regem litteras, sed per somnium ita à Joramo visum. Hebraicè enim manifestior oratio est quàm ut torqueri possit : *Et venit ad eum scriptum ab Eliâ prophetâ.*

ARTICULUS VI.

De libris Esdræ.

Duos Esdræ canonicos libros habemus; seu veriùs alterum Esdræ, alterum Nehemiæ, perpetuò Ecclesiarum omnium, et totius Synagogæ consensu probatos. Duos vero Esdræ appellamus, licèt à diversis auctoribus conscriptos, quòd olim apud Hebræos unum esset tantummodò Esdræ volumen complectens utriusque auctoris sermones. Et certa quidem hactenùs sententia obtinuerat Esdram è sacerdotali genere *Scribam velocem in lege Mosis* dictum, nimirùm in

studio legis vel satissimum filium Seraiæ summi pontificis à Nabuchodonosore necati, sive nepotem, ut alii volunt, aut pronepotem auctorem esse libri primi, qui Esdræ inscribitur. Nam cap. 7, v. 27 et 28, datas Esdræ ab Artaxerxe litteras cùm retulisset libri auctor, se Esdram esse, de se ipso loquens, pergit dicere : *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Hierusalem, et in me inclinavit misericordiam suam coram rege.... Et ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israel principes, qui ascenderent mecum.* Et cap. 9, v. 5 :..... *Et curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, et dixi....* absolutâque fusæ ad Deum orationis formulâ, cap. 10, his verbis incipit : *Sic ergo orante Esdrâ, et implorante eo, et flente....* Porrò quod unquam manifestius argumentum in hâc causâ desideremus ?

Attamen Daniel Huetius duos hujus libri scriptores distinxit, alterum priorum sex capitum, qui Esdram præcesserit, alterum Esdram ipsum reliquorum, hâc fretus ratione. Auctor priorum sex capitum aderat Hierosolymis regnante Dario Histaspis filio, quando rectores provinciæ à Dario præfecti illuc venerant Judæos templi ædificatione deterrere; isque unus fuit respondentium ad quæstiones ducum et consiliariorum Persidis, ut cap. 5, v. 4, dictum est : *Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius.* Atqui Esdras non nisi septimo Artaxerxis Longimani anno est reversus Babylone, sexaginta fermè annis post oppositum illud exstructioni impedimentum à Judaici populi inimicis; auctor ergo sex priorum capitum, in quibus acta ad sextum usque Darii regis annum ille descripsit, alter est ab Esdrâ sacerdote et scribâ.

Verùm vir doctissimus infirmo nititur argumento. Non urgemus admodùm, quod nonnulli opinantur, Esdram semel cum Zorobabele Hierosolymam venisse; deinde Babylonem reversum, novâque facultate impetratâ patriam repetiisse. Sed constantiùs dicimus historicum res gentis suæ describentem suo, suæque gentis, nomine ea efferre solere primo plurium numero quæ majores fecerint, etiamsi ipsemet nedùm esset vitam ingressus. Quamobrem Esdras potuit, illæsâ rei veritate, dicere *respondimus*, etiamsi Hierosolymis abfuisset, quia suæ nationis homines Persis consiliariis suo, omniumque Judæorum nomine responderant. Ita sæpè et in familiari sermone de præteritis rebus, quibus non interfuimus, miscentes colloquia, adhibemus hæc, atque horum similia dicendi genera : *bellum indiximus; hostem in fugam conjecimus; urbem cepimus;* quæ indicant nos animo et moribus conjunctos cum nostratibus, qui operam suam in eâ re attulerunt; non autem in bellum, expulsionem hostium, aut urbis occupationem quidquam contulisse, vel tunc adfuisse, cùm ea gerebantur.

Difficilius videtur explicatu, quid causæ sit, cur secundo capite ii qui tredecim annis post Esdræ reditum sub Nehemiâ Babylone Hierosolymam se contulerant ut et qui Zorobabelis temporibus atque Esdræ ipsius redierant, perinde ac capite septimo Nehemiæ recenseantur, quibusdam tamen mutatis atque additis. Quidam arbitrati sunt Nehemiam, cùm ex Esdræ volumine genealogiam exscripsisset, ibi adjunxisse eorum nomina qui in postremo reditu à captivitate interfuerant : alii è contrario Esdram à Nehemiâ mutuatum quidquid Judæos spectaret sub Nehemiâ reversos. Nam et Esdras ejus sententiam refert, ne sacros cibos comederent, qui se esse ex sacerdotum familiâ probare non potuerunt, donec sacerdos Dei doctus atque perfectus surgeret. Nonnulli etiam putant Esdræ genealogiam ad exemplar alterius Nehemianæ à posteriore scribâ emendatam.

Sed quid unquàm interesset inter utramque, si alter ab alterius scriptis in suam historiam censum Judæorum transtulisset? Possetne hic ab illo adeò discrepare, aut alter in quarumdam familiarum descriptione esse prolixior? Respondetur quidem hanc differentiam in exemplarium varietatem, et in scribarum errorem esse rejiciendam. Verum non est opus divinando conjicere alterum ab altero accepisse, si demùm librariorum error est accusandus. Potuit Esdras ipse Nehemiæ ejusque sociorum reditui superstes propè vitæ finem scribere, easque quæ cum Nehemiâ redierant familias sibi utique notas in catalogo suo recensere.

De auctore alterius libri nihil cum quâdam veri specie in controversiam venit. Capitis enim primi initium quæstionem omnem dirimit : *Verba Nehemiæ filii Helciæ.* Unus propterea altercari potuit Spinosa, qui res certas dubias facit litigator acerrimus et ubique contentiosus. In cap. 12, inquit, v. 22, commemoratur Jeddoa, sive Jaddi inter cæteros *familiarum principes et sacerdotes in regno Darii Persæ.* At Darius iste est Codomanus ab Alexandro fusus et devictus; sacerdos verò Jaddi summus pontifex erat, cùm ingrederetur Hierosolymam Alexander Macedo, cui et obviam ivit pontificio apparatu, ut Josephus, lib. 11 Antiq. Jud., cap. 8, scripto tradidit; quomodò ergo qui vigesimo Artaxerxis Longimani anno provectior Hierosolymam venit, in eâ senectute prætereà ultra centum, et decem ferè annos usque ad Darium Codomanum, et Alexandrum regem, et Jaddo pontificem vitam produxerit, quod fidem excedit?

Duo respondemus. Primum, quis præstabit Darium istum esse Codomanum ab Alexandro superatum, non autem Darium Nothum, qui tertius ab Artaxerxe Longimano regnavit, et quadraginta circiter annis à reditu Nehemiæ vitam clausit? Quis etiam certò affirmet Jaddo ibi commemoratum jam tum pontificem fuisse? Fortassè Jaddo natus est propè finem vitæ Darii Nothi, vel Artaxerxe Mnemone regnum ineunte, et Alexandrum in urbe Hierusalem pontifex excepit senex quidem, et nondùm 80 annis major. Secundum : detur et Darium Codomanum, et Jaddo jam pontificem ibidem designari, textum istum, Dionysii Petavii judicio, lib. 12 de Doctr. temp., cap. 25, non Nehemias scripsit, sed alter posterior auctor Spiritu

Dei utique plenus apposuit ut appendicem catalogo à Nehemiâ confecto, quâ ratione plura Esdras antiquioribus libris addiderat. Imò verò, si quibusdam credimus, caput istud duodecimum ab initio usque ad vers. 27, totum assutum est, quippe cum superiore, et consequente oratione non colligatum, et historiæ cursum intercipiens. Etenim Nehemias modo quem tenuerat restaurandæ urbis Hierosolymæ explicato, familias atque homines urbem incolentes in capite 11 enumerat. His expositis ordo historiæ veluti postulabat de murorum urbis dedicatione sermonem fieri, qui à vers. 27 incipit. Igitur quæcumque de successione Levitarum, et summorum pontificum interjacent à fine capitis superioris, nativa non sunt, sed insita. Initium ipsum capitis, et vigesimum sextum comma videntur indicium alterius auctoris præ se ferre repetentis censere Levitas eos et sacerdotes, qui cum Zorobabele Hierosolymam ascenderant. Initium est : *Hi sunt autem sacerdotes et Levitæ qui ascenderunt cum Zorobabel :* clausula verò commate 26 : *Hi in diebus Joacin filii Josue filii Josedech, et in diebus Nehemiæ ducis, et Esdræ sacerdotis scribæque.*

Sed repetit Spinosa : Caput 13 sine controversiâ à Nehemiâ totum scriptum dicitur; versu autem 28, nominatur gener Sanaballati Horonitis sacerdotio expulsus : *De filiis autem Joiada filii Eliasib sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi à me.* Gener verò hujus Sanaballat est Manasses frater Jaddo ex Josephi testimonio. Insuper Sanaballat à Dario ad Alexandrum defecit; libri ergo auctor non nisi post Alexandri ætatem vixit.

Equidem si constaret generum Sanaballati esse Manassen, socerumque ad Alexandrum deflexisse, confecta res esset; sed falsum esse Josephum, qui ex duobus Sanaballatis unum fecit, quodque unius erat alteri tribuit, cum pontificiâ nimirùm familiâ affinitatem, communis interpretum responsio est. Duo igitur Sanaballati fuerunt, unus Artaxerxis Longimani, alter Alexandri temporibus; prioris generum sacerdotali officio propter profanum cum Samaritani hominis filiâ conjugium exclusit Nehemias. Porrò gener iste esse frater Jaddi nequivit; sed patruelis, filius scilicet Joiada, et frater Johanan patris Jaddo, quem planè abigere potuit Nehemias, cùm septuagesimum ferè ætatis annum ageret.

Præter Esdræ et Nehemiæ libros, duo alii sunt, tertius et quartus Esdræ nomine inscripti, qui quantamlibet habuisse olim apud quosdam Ecclesiæ Patres dignitatem videantur, locum tamen in canone nunquàm obtinuerunt, et post diffusam splendidiorem Ecclesiæ Christi lucem inter apocryphos tutò amandantur. Neutrum eorum ullus vidit uspiam post seculorum memoriam hebraico idiomate conscriptum; tertius græcis litteris exaratus est, unde est in latinas facta translatio; quartus verò solis latinis. Hæc volumina sunt, quorum meminit Isidorus, lib. 6 Origin., cap. 2, inquiens, *secundum Esdræ librum Hebræos non habere, sed inter apocryphos rejicere.* Hebraicorum enim librorum divisionem imitatus, qui Esdræ et Nehemiæ sermones uno libro complectuntur, Esdræ librum canonicum agnovit; alterum ex tertio et quarto compactum repudiavit. Nam secundum, ut nunc appellamus, Esdræ librum, sive Nehemiæ, Isidoro probatum fuisse ipsemet suggerit testatus canonico volumine sermones Esdræ et Nehemiæ contineri. Valdè autem elaborandum non erit, statim ac in utrumque codicem oculos conjecerimus, causamque vel ex ipsâ lectione velimus definire, ut sine cunctatione ullâ manifestè perspiciatur, nullum in eo divini instinctûs vestigium esse impressum, si nonnulla excipias, quæ ex Paralipomenis et vero Esdrâ auctor infarsit.

Falsa siquidem multa sunt, et veri Esdræ sermoni differentia, quæ, qui colleger itatque enumeraverit, intelliget nullâ posse ratione defendi. Lib. 3, cap. 4, ait Scriptor Zorobabelem à Dario Hierosolymam cum facultate, privilegiis, vasis templi, donis dimissum, perinde ac tum primùm Babylone in patriam reverteretur, contra quam Esdras, lib. 1, referat. Factâ sub Cyro redeundi potestate Zorobabelem Babylone discedentem secum magnum Judæorum numerum Hierosolymas deduxisse, cujus principis et ducis loco iste veræ historiæ perturbator Salmanassarem Judææ gubernatorem primæ illi turmæ præfecit. Deinde consecratum altare, et restitutum ritum sacrificiorum refert ad secundum Darii annum, quo Zorobabel rediit; cùm tamen Esdras in cap. 3, affirmet mense septimo regni Cyri in consecrato altari sacra facta, multò antequàm templi exstructionem intermitti Artaxerxes juberet, sive Cambyses. Hinc Babylone Zorobabelem constituit unum ex corporis Darii custodibus eodem tempore, quo Esdras, cap. 5, Hierosolymis fuisse tradidit. Hinc etiam inducit Zorobabelem immemori Dario, aut incurioso votum suggessisse, quod de restituendo templo Hierosolymitano voverat, priusquàm Babylonico imperio potiretur. Sed quis nisi somnians crediderit hæc vovisse Darium, ejusque voti causâ interdictum sustulisse, qui diligentissimè in tabulis conquiri jussit edictum Cyri de templi restitutione, quo reperto vetuit molestiam ædificantibus exhiberi? Ejusdem generis sunt, Hebræos Darii indulgentiâ onere tributorum liberatos; Darium à Zorobabele exoratum sacra vasa templi Hierosolymam remisisse; quæ duo ab Esdrâ, et Nehemiâ falsitatis revincuntur quorum alter à Cyro vasa templi reddita, alter gravatum à Dario tributis populum narrat.

Nihil denique ineptius est eo responsionis genere trium inter se regii corporis custodum, inscio et dormiente rege, quis eorum alteri ingenio præstaret, quisve sapientiùs sentiret et loqueretur; quâ in sententiâ qui alios superâsset, is honoribus maximis à rege sibi deferendis ornaretur, quasi pro libito regia munera partiri inter se possent, eamque partitionem rex ratam habere teneretur. Quo verò tandem eduxit sapientius consilium? Alter ait vinum fortius esse; alter fortiorem regem; tertius (hic autem erat Zorobabel) fortiores mulieres; veritatem autem omnibus præstare. Bellas planè sapientum virorum sententias, quarum inventione qui vicisset, præter alia honoris

insignia *secundo loco sederet à Dario propter sapientiam suam, et cognatus Darii vocaretur.*

In quarto libro non sunt leviora errata, quæ et recensere satis erit. Animas omnes justorum sine culpis hinc emigrantes in inferis conclusas scriptor docet, unde non eripientur, usque dùm, impleto omnium justorum mumero, judicium advenerit. Cap. 4, eo adveniente, quod coronæ et circuli simile est, initio et fine carens, animæ omnes carcere solventur æternâ felicitate fruituræ, et æquali felicitatis gradu, nullâ piarum ab impiis distinctione factâ. Cap. 5, duo immania monstra à mundi initio, si huic libro credimus, creavit Deus, nomen unius *Leviatan*, alterius *Henoch* plus quàm septimam terræ partem suâ mole occupantia; separare propterea ea loco debuit, et Henocho situm mille montes complectentem constituere; Leviatanem aquis maris immergere, futuram tandem escam splendido convivio omnibus electis parando. Cap. 8, arcam, quam in 2 lib. Machab. à Jeremiâ in speluncâ sepositam, nulli ampliùs inventam legimus, hìc dicitur à Chaldæis esse direptam ; sæpissimè proximum et iminentem judicii diem inclamat; atque ex duodecim partibus temporis mundo duraturo definitis, decem cum dimidiâ jam effluxisse denuntiat, ut, si vera essent, jampridem totus mundus conflagrare debuisset. De Jesu Christi filii Dei ortu, morte, reditu ad vitam, de martyriis sanctorum, de vocatione gentium, de mortuorum ad vitam revocatione adeò aptè eloquitur, ut si quamdam ante Christi tempora auctoritatem liber obtinuisset apud Judæos, sanè ab initio Ecclesiæ judaicam religionem pertinacissimus quisque deseruisset. Prætereo multa alia quæ declarant ab Evangelii promulgatione confictum esse librum, eoque dolo specie pietatis instructo conatum auctorem Judæis christianam fidem persuadere.

Quamobrem his omnibus cognitis facillimum est non modò conjicere, sed certò affirmare postremi hujus libri scriptorem hominem fuisse ex judaismo ad fidem Christi conversum, usum piâ quâdam fraude, et Esdræ nomen mutuatum, si fortè posset conciliare libro auctoritatem, et fratres à Mosaicâ religione abducere. Judaicâ primùm doctrinâ imbutum scriptorem ea nos admonent, quæ ab Rabbinorum scriptis deprompsit, quæque passim in toto opere interspersit; studio verò retrahendi ab errore Judæos scribere suscepisse, patet ultrò, quemadmodùm et Jesu Christi filii Dei legem secutum. Vixisse verò primis Ecclesiæ seculis repetitus de martyribus, et suscitatis contra veræ fidei amatores vexationibus sermo indicat. Scripsit autem priusquàm secundum Ecclesiæ seculum totum laberetur, quoniam Patres tertii seculi librum legerunt. Hæc de quarto libro. De tertio autem conjecturâ assequimur, eum utpote antiquiorem opus esse cujusdam Hellenistæ, qui historiam vitæ Zorobabelis augere volens, et quædam gloriosiora de tanto principe prædicare, verum Esdram multis in locis exscripsit, in eosque mendacia insinuavit, vel saltem populares traditiones intrusit, putans illâ suâ divinarum et humanarum rerum admixtione ineptias quoque pro verâ historiâ habitum iri. Quâ in re deceptus est, cùm neque Synagogæ neque Ecclesiæ Christi fabellam persuadere potuerit.

Sunt nihilominùs qui horum librorum auctoritatem tueantur. Genebrardus ait Ecclesiam Græcam non minore obsequii significatione recepisse tertium Esdræ librum, quàm priores duos : nam in probatissimis et vetustissimis exemplaribus græcis primo loco tertius Esdræ liber collocatur, tum Nehemiæ liber succedit, tertio loco primus Esdræ reponitur; in aliis verò exemplaribus primus liber, ut apud Hebræos receptum est, ex duobus prioribus Esdræ, sive uno Esdræ, altero Nehemiæ constat; secundus est hic ipse, quem tertium Esdræ appellamus ; ex quo fit Græcos Patres, et concilia pro canonico tertium Esdræ librum habuisse ; quia cùm in Canone duos Esdræ libros recensent, istum pariter includunt. Quæstio autem orta inter regii corporis custodes, quis sapientiùs loqueretur et disputatio de vi majore vinine, an regis, an mulierum, et veritatis omnium victricis, quâ unquàm de causâ non habeat fidem? Historiam narrant ut scriptam apud verum Esdram, et laudant Josephus, Antiq. Jud., lib. 11, cap. 4; Athanasius, Orat. 3, contra Arianos; Justinus, Dial. cum Triph.; Cyprianus, Epist. ad Pompeian.; Augustinus, lib. 18, de Civit. Dei, cap. 36, aliique veri Scripturarum sanctarum æstimatores.

Quartum verò Esdræ librum canonicum esse ii omnes judicârunt, qui deperditos omninò Codices sacros in captivitate Babylonicâ ab Esdrâ postmodùm memoriter restitutos credidère, et quotquot proximè interiturum mundum denuntiârunt ; non enim ab ullo alio auctore hanc opinionem hauserunt. Divinum pariter librum agnoscunt Tertullianus, lib. de Præscript., et contra Marcion., Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromat., auctor operis imperfecti in Matthæum, homiliâ 34 ; Cyprianus ad Demetrian., Ambrosius, de Bono mortis, cap. 10, imò verò et Barnabas Epistolæ suæ capite 12, verbis libri 4, cap. 5, tanquàm Prophetæ utitur, *de ligno sanguis stillabit;* et Ecclesia universa visa est libri divinitatem probare, cùm in introitum missæ feriâ 3 Pentecostis, atque in officium paschale martyrum, sententias quasdam transtulit ex capitis secundi versibus 35, 36, 37 et 45, deprompias.

R. negari non posse Græcos Patres ut plurimùm, et Latinos aliquot Græcis scripturis usos, vel in latinum è græcâ editione traductis, in quibus primum locum tertius Esdræ liber obtinebat, canonicum eum librum putâsse, eumque hæreticis opposuisse. Verùm eorum Patrum lege non ducimur : crediderunt fortassè in canone hebraico eum reperiri; quippe videbant primum inter Esdræ libros locum illi datum. Si verò hebraicos adiissent codices, et deprehendissent ibi desiderari, ab eâ sententiâ procul dubio recessissent, qui sæpè testabantur, se libros tantùm in hebraicum canonem relatos, ut divinos suscipere. D. Hieronymus omnium Patrum in Scripturis versatissimus, epistolâ ad Domnionem et Rogatianum, sciens tradidit quid de Esdræ libris 3 et 4, censendum esset, inquiens : *Nec apocryphis 3 et 4 Esdræ somniis delecte-*

tur. Videns enim S. Doctor à Codicibus hebraicis abesse tertium illum librum à Græcis commendatum, rejici debere affirmavit, utpote hebraicæ veritati discordem, nihilque auctoritatis ei conciliari ab exemplaribus, quæ septuaginta Interpretum putabantur, quia græcorum exemplarium varietas indicium est et depravationis et corruptionis : *Nec potest utique verum asseri, quod diversum est.* Huic autem S. Doctori potiùs adhibenda fides est, quàm reliquis Patribus, cujus hâc in re doctrinam probavit Ecclesia, expunctis jam olim à Scripturarum canone suppositis hisce Esdræ libris. Et certè ea S. Hieronymi auctoritas magno argumento fuit consequentibus Patribus dubitandi de Esdræ librorum 3 et 4 veritate, donec Florentino et Tridentino decretis, dubitatione omni remotâ, constitit utrumque librum dignitate carere.

Etsi verò duos Esdræ libros se probare antiqua Ecclesia professa sit, non sequitur tamen tertium probatum, qui in quibusdam græcis exemplaribus primum locum tenebat. Etenim duos divinos agnovit in Hebræorum canonem relatos, eosque, in quorum complexu vulgata Biblia non differebant; non autem vel libros, vel librorum additamenta varia pro exemplarium varietate, ut nuperrimè ex Hieronymo animadvertimus. Quod verò aiunt, historiam trium corporis custodum de re fortiore disputantium multos antiquiorum historicorum et Patrum narrâsse, cujusmodi in tertio Esdræ reperitur, id confirmat quidem vetustiorem iis scriptoribus fabulam esse; sed fidem, et divinam fidem potissimùm adjungi oportere non efficit. Opportunum erat in causas quas agebant, illam disputationem memorare, et quidem credibiliorem redditam propter Græcorum exemplarium præjudicium : cur ergo eâ non uterentur, qui, ubi opus erat, à Platonis aliorumque philosophorum dictis causæ suæ patrocinia adsciscebant? At cùm exemplarium græcorum infirma prorsùs, imò nulla sit hâc in parte fides, vacui relinquuntur etiam Patres tutelâ omni quâ se fretos putabant.

Non repetimus quæ in superiore hujus tractationis nostræ parte diximus, deceptos nimirùm Patres quosdam ab auctore libri 4 Esdræ credidisse totam Scripturam veterem à scribâ in lege Dei versatissimo memoriter esse effusam. Fuerint et qui proximam mundi conflagrationem minitarentur; frustra inde colligas divinum illud opus esse, vel Esdrinum, unde sumebant. Temporis lapsus errorem in quem inciderant patefecit, isque edocuit librum, oblivioni deinceps traditum, tanti fieri olim non debuisse. Nam apud Græcos nulla jam supersunt ejus voluminis exemplaria; Latinis verò desunt in manuscriptis antiquissimis, atque editionibus : utrorumque autem consensu à sacrarum Scripturarum catalogo excluditur. Extat et de hoc libro singulare Hieronymi judicium in opere adversùs Vigilantium confirmantem ex capite 7, vanas esse atque inutiles pro defunctis preces : *Tu, Vigilans, dormis, et dormiens scribis, et proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ à te, tuîque similibus legitur.* Barnabæ epistola caret et ipsa auctoritate; quare nihil omninò juris in 4 Esdræ librum potest conferre. In Missalibus verò ac Breviariis, si inter epistolas in Missâ legi consuetas, vel lectiones, ex Scripturis extractas, locum haberent sumpta commata libri 4 Esdræ, non repugnaremus; sed quibus in locis ea leguntur, scilicet in missæ introitu, in responsoriis, ut aiunts, unt et aliorum ecclesiasticorum scriptorum sententiæ, vetustæ antiquitatis vestigia, et monumenta tempori et pii animi significationibus accommodata, quibus procul dubio Ecclesia divinam auctoritatem non tribuit.

ARTICULUS VII.

De libro Tobiæ.

Tobiam ex tribu Nephthali tum Salmanassar Assyriæ rex in captivitatem duxit, et cum uxore, et filiis Ninivem detulit, cùm Samariâ captâ, totum Israelis regnum subvertit. Etsi enim Teglathphalassar primùm terram Nephthali ceperit, tribulesque in Assyriam transtulerit lib. 4 Reg., cap. 15, v. 19, superfuerant tamen reliquiæ, interque eas Tobiæ familia, quas Salmanassar ex Nephthali finibus extraheret. Ibi vir Deum timens vacans charitatis operibus, studiosissimus hominum nationis suæ in eâdem captivitate gementium, patienter tulit bonorum omnium spoliationem et luminis orbitatem. In eâ calamitate filium in urbem Rages misit, decem argentea talenta olim Gabelo mutuò data recepturum. Angelus se comitem adjungens non modò commissum ei negotium gessit, sed et à periculis omnibus filium liberavit, et matrimonio cum Sarâ filiâ Raguelis conjunxit, et patris cæcitati remedium paravit, et summis totam familiam beneficiis affecit ac gaudiis. Hæc in Tobiæ libro continetur historia, quam licèt pro divinâ Hebræi non habeant verissimam tamen putant.

Qui ista scripserit, communi judicio censetur uterque Tobias fuisse, quibus nemo esse potuit vel aptior scriptor, vel de re instructior. Imò ferunt duodecim priora capita patrem litteris mandâsse (si verò creditur Græco interpreti etiam 13) reliqua filium; postrema tandem duo commata recentiorem auctorem, qui patris, filiique scripta collegit. Confirmat plurimùm hanc conjecturam præceptum illud angeli utrique Tobiæ datum cap. 12, v. 20, quod est quidem in Vulgatâ Latinâ de prædicandis Dei mirabilibus : *Narrate omnia mirabilia ejus;* in Græcis tamen codicibus de conscribendâ historiâ verè divinâ : *scribite omnia quæ contigerunt in libro;* sic habetur et in vetustissimo codice latino bibliothecæ S. Germani Parisiensis, quem Martianæus cum Calmeto communicavit. Angelus quippe mox rediturus ad eum à quo missus fuerat, patrem ibi filiumque hortatur, ut Deum laudibus concelebrent et scribant quæ sibi contigerant; inobsequentes angeli mandato fuisse, quis nisi injuriosus insigni utriusque pietati suspicetur? Scriptum verò semel à piis viris, celebratumque factum et evulgatum, incuriâ posterorum et negligentiâ intercidisse aut jacuisse, quin ejus exstaret ampliùs memoria, inconsultò omninò diceremus. Restat ergo ut fateamur,

hunc eumdem esse quem habemus librum : nam et lingua quâ conscriptus est, Chaldaica videlicet, unde vulgatam versionem confecit Hieronymus, qualem scribit Origenes ad Africanum, se ab Hebræis accepisse, optimè decebat hominem inter Assyrios captivum eodem utentem idiomate familiari, quo ii inter quos versabatur.

Si quis verò de variis codicibus primum audire velit, antequàm progrediamur, hæc habeat. Primò conscriptus est liber Chaldaico sermone, ut Hieronymus in Epistolâ ad Cromatium et Heliodorum affirmat. Hebraicum sanè nullum autographum aut primogenium exstat, quidquid demùm putent Interpretes quidam de Munsteri et Fagii exemplaribus, quorum primum Latinæ, alterum Græcæ est scripturæ similius, utrumque minùs accuratum, quòd in utroque quædam deficiant, quædam redundent, discrepent nonnulla, nonnulla varientur. Quamobrem opus illud esse recentioris interpretis post Hierosolymorum excidium scribentis arbitramur ex Græcis, Latinisque litteris conflatum, cum appositione quorumdam adjunctorum quæ viderentur narrationem elegantiùs ornare. Primam versionum omnium Græcam fuisse pro certo tenemus à Judæo quodam Hellenistâ cusam. Non enim septuaginta Interpretes ex Chaldaicâ in Græcam linguam traduxerunt librum qui ab Hebræorum canone aberat, et postea Josephum ac Philonem latuit : neque Theodotioni tribuenda est ea interpretatio quæ est Theodotione vetustior, et S. Polycarpo cognita et probata. Cum eâ Græcâ interpretatione consentit vetus Latina versio, quæ ante Hieronymum obtinebat; non erat tamen adeò accurata et pura, quin opportunum propterea duxerit S. Doctor novam ex Chaldaico fonte derivare. Nam cùm interpres Græcus liberiùs quàm liceret interpreti, versionem fecerit, eamque secutus Latinus et ipse abundârit, arbitratus est Hieronymus operæ pretium se facturum, si Latinam iis præstantiorem traderet ab universâ Ecclesiâ postmodum approbatam.

Et prudenti quidem consilio hanc novam interpretationem S. doctor molitus est ; ipsa enim illa vetus latina versio ex græcâ (quanquàm etiamnum plures habeat et approbatores et admiratores) non paucas habebat insolentes, ineptasque sententias, et parùm rei veritati consentaneas, vix ut credi queat Tobiam ea scripsisse, quod videbatur in eâ interpretatione vitium non minimum. In capite 3, v. 9, inducitur Sara Raguelis filia, cùm ab unâ ancillâ probris peteretur, vitæ fastidio capta inferendarum sibi manuum consilium cepisse, quod perfecisset nisi verita esset alios exprobraturos patri suo filiæ suspendium : *Et ascendit in superiora patris sui, et voluit laqueo se suspendere, et iterùm cogitabat dicens, ne fortè improperent patri meo, et dicant : Una superfuit tibi filia, et illa laqueo se suspendit.* In capite 6, angelus ad Tobiam dicit, reum fore mortis Raguelem, si filiam suam alteri nuptum traderet : *Quia non dabit eam viro alteri juxta legem Moysi, vel reus erit mortis.* Respondit autem Tobias se timere propter dæmona Saræ amore incensum : *Timeo ne ingressus moriar, sicut priores, quoniam dæmonium diligit eam.* Capite ultimo narratur Amanem in carcerem conjectum et affectum supplicio ; Achiacarem verò Tobiæ necessarium è tenebricoso loco eductum ad maximas dignitates evectum ; cùm plerùmque post Babylonicam captivitatem, et longè post utriusque Tobiæ mortem historiam Amanis contigisse statuatur. Multa alia hujus generis in eâ antiquâ interpretatione habentur, et non nulla desunt, quæ probant græcum interpretem, atque inde latinum accuratiores non fuisse, eâque de causâ S. Hieronymi operam in re necessariâ esse positam. Sic capite 5, v. 14, narratur Tobiam patrem cum Azariâ de mercede ei dandâ in singulos dies convenisse, quæ res in nostrâ Vulgatâ desideratur ; omittitur autem capite 6, consilium juniori Tobiæ datum ab angelo de continentiâ post tres dies à nuptiis servandâ ; tum non memoratur in capite 8, sponsum se abstinentem præstitisse juxta angeli præceptum. De Syriacâ editione nihil dicendum superest ; eam certè ex græco fecit Syrus interpres. Arabicam nullam habemus publici juris factam; quam verò manuscriptam Victorius Maronita linguarum peritis Romæ ostendit, Vulgatæ undequàque similem dicunt.

Nunc de historiæ veritate et libri auctoritate quædam disputemus. Errant et audaciùs errorem suum jactant, qui in libro Tobiæ non historiam referri putant, sed fabulam ad componendos mores excogitatam, quam agunt Tobias pater, uxor, filius, Sara, Angelus, Raguel, tristi exordio, exitu verò felici, ut fieri solet in comœdiis. Proponitur ibi, inquiunt, pater familiâs patiens, charitatis officiis vacans, legis tenax, quem Deus clientelâ suâ vacuum non deserit, sed erigit, et sublevat, postquàm bonorum familiarium ademptionem, et corporis afflictationem constanter sustinuerit. Cætera adjuncta fabulam ornant, et matrimonii sanctitatem, omnemque in Deo fiduciam collocandam esse nos edocent. Hæc hæreticis quibusdam probata sententia est, quæ uno consensu ab orthodoxis omnibus ex gravi causâ convellitur, et vel ab Hebræis exploditur. Locus, tempus, personæ, acta sive Tobiæ utriusque, sive Raguelis et Saræ, principes, sub quorum imperio res contigit, ità distinctim et perspicuè exhibentur, ut si excogitatum inventumque vel ad homines instituendos opus esset, suspicari possemus an Spiritus sanctus nos fefellisset, quod omnium piorum animus refugit. Quid enim scribi apertiùs, distinctiùs, exactiùs aut nitidiùs potuisset, si veram historiam nobis tradere auctor instituisset? aut quâ unquàm ratione commentum et fictio à veritate discerneretur, si hæc tota narratio esset fabulosa ? Itaque veram historiam esse non dubitemus, et ab iis quidem agnitam, qui olim libri divinitatem non agnoverunt, atque etiamnùm divinum esse sibi non persuadent.

Gravior est de libri divinitate disputatio contra hæreticos omnes Ecclesiæ catholicæ obtrectantes perperàm in canonicos libros Tobiam relatum. Aiunt enim : Si Tobiæ liber Babylonicâ captivitate antiquior est, utpote scriptus multò antequàm Judaicum re-

gnum exstingueretur, debuit Esdræ esse cognitus. Cur autem Esdras canonicis libris Tobiam non accensuit? cur in Hebraicis exemplaribus desideratur? Sunt enim in iis et multa Chaldaica. Tolerari tamen utcumque posset nunc in canonicas Scripturas Tobiam referri, si primis Ecclesiæ seculis fuisset ejus auctoritas explorata; sed qui librorum sacrorum catalogum confecère, prætermiserunt hunc commemorare. Melithon, Origenes, Concilium Laodicæenum, Athanasius in Epistolâ festali, et in Synopsi Scripturæ; Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 4; Gregorius Nazianzenus, carmine de Verit. Scriptur.; Epiphanius, de Pond. et Mens.; Hilarius in prolog. Psalmor., ac Patrum omnium in veris Scripturis distinguendis peritissimus Hieronymus inter canonicos libros Tobiam non numerârunt. Imò verò Hieronymus non solùm in Prologo galeato scripsit, *Sapientiam, quæ vulgò Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach librum, et Judith, et Tobiam, et Pastorem in canone non esse*, quod quidam interpretantur, perinde ac S. doctor innuerit in vetere Hebræorum canone Tobiam non reperiri; verùm etiam manifestissimè Præfatione in libros Salomonis explicat se de canone Ecclesiæ loqui, in quem relatus non esset Tobiæ liber: *Judith, Tobiæ, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit.* Et in caput 8, Danielis: *Si cui, tamen placet Tobiæ librum recipere.*

Addunt et non pauca esse quæ persuadent humano, non divino judicio scriptam Tobiæ historiam. Ejusmodi sunt: capite 3, v. 7, dicitur Sara in Rages civitate Medorum habitâsse; capite verò 9, v. 3, cùm angelus et Tobias apud Raguelem patrem Saræ divertissent, ibique nupsisset Sara Tobiæ, mittitur inde angelus ad Gabelum in Rages civitatem Medorum. Item angelus in capite 5, v. 7, mentitur, simulans se esse ex filiis Israel, seque, vers. 18, nominans Azariam, Ananiæ magni filium: *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius.* Capite 6, v. 8 et 9, indicat angelus medicamenta quædam ex intestinis piscis cùm reparandæ oculorum jacturæ, tum fugandis atque abigendis dæmonibus omninò superstitiosa: *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.* At quis unquàm nisi plumbeus crediderit puros spiritus assarum quarumdam carnium nidore fugari; amissum verò oculorum lumen fellis unctione restitui? Igitur Tobiæ liber locum in canone habere non potest.

Hæreticis ita opponentibus nos sine gravi negotio satisfacturos putamus, si primùm divinum librum esse Tobiam confirmaverimus, quo præmunito ducemur ad argumentorum confutationem. Mitto hâc in re sententias quasdam referre in Tobiæ libro scriptas, et in libro Ecclesiastici ac Matthæi repetitas de eleemosynæ fructibus, et charitatis præcepto vetantis alteri fieri quod nobis nollemus, quas, ut naturali lumine cuilibet notas, necesse non est Sirachidem aut Matthæum à Tobiâ deprompsisse. Mitto et illam novæ Hierusalem descriptionem, quæ Apocalypsi, cap. 21, v. 18 et seq., legitur, à Tobiæ libro fortassè sumptam cap. 13, v. 21: *Portæ Hierusalem ex sapphyro et smaragdo ædificabuntur; et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus, ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur.* Veterum Ecclesiæ Patrum traditione rem conficio, unde Ecclesia extraxit quod fidelibus proponitur summâ cum veneratione suscipiendum.

Clemens Romanus, Epist. 1 ad Corinth., sententiam hanc ex Tobiæ cap. 4, v. 16, allegat: *In vetere Testamento scriptum habetur: quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Polycarpus, in Epist. ad Philipp., docens differendum non esse quod fieri potest beneficium, ex eodem cap. 4, v. 11, et cap. 12, v. 9 Tobiæ causam hanc affert: *Quia eleemosyna à morte liberat.* Origenes contra Celsum, lib. 5, et in cap. 2 ad Roman., illo capitis 12, v. 7, Tobiæ tanquàm Scripturæ testimonio utitur: *Mysterium regis, ait Scriptura, celare bonum est.* Quod et repetit Athanasius, Apol. 2 contra Arianos eosdem reprehendens, quos ait, *non pudere coram ethnicis de mysteriis tragicari, cùm oporteat, sicut scriptum est, mysterium regis celare.* Alexander Papa I, in Epist. 1, ex Raguelis dicto relato Tobiæ cap. 7, v. 15, Trinitatem divinarum personarum, et naturæ unitatem defendit et comprobat: *Si Trinitas non est, cur Tobias... ita dixisse docetur: « Deus Abraham, et Deus « Isaac, et Deus Jacob ipse impleat benedictionem suam « in vobis? » Si unitas non est, quare,* ipse impleat, *dixit, et non* ipsi impleant, *intimavit?*

Et quoniam hæc primùm nobis se offert opportunitas eum, si possumus, ab hæreticorum animis errorem extorquendi, in quo maximè versantur, divinos non esse libros deutero-canonicos dictos in veterem Judæorum canonem non inclusos, molestum vobis non sit et alios audire Patres Tobiæ librum sacram Scripturam appellantes; fiet enim, ut hâc quæstione validis præsidiis munitâ, cæteræ, quæ cum istâ necessariam conjunctionem habent, faciliùs expediantur. Clemens Alexandrinus, lib. 6 Stromat., inquit: *Exaudiens Scripturam, quæ inquit: Bonum est jejunium cum oratione*, Tob., cap. 12, v. 8. Cyprianus iterùm et tertiùm quædam profert divina eloquia quæ in Tobiæ libro leguntur; in libro de Orat. domin., ait: *Scriptura divina instruit, dicens: « Bona est oratio cum jejunio et eleemosynâ, »* ibid., vers. 8, de opere et eleemosynis: *Loquitur in Scripturis divinis Spiritus sanctus, et dicit: « Eleemosynis et fide delicta purgantur, »* ibid., vers. 9. Raphael quoque angelus paria testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat, hortatur dicens: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosynâ, quia eleemosyna à morte liberat, et ipsa purgat peccata.* In libro 3 Testimon. ad Quirinum, in quo varia ex Scripturis ad christianæ vitæ institutionem necessaria præcepta colligit, totum fermè caput 4 Tobiæ exscribit. Ambrosius, lib. 7 in Hexameron. cap. 4: *Talis canis viator et comes angeli est, quem Raphael in libro prophetico non otiosè sibi et Tobiæ filio adjungendum putavit, quando perrexit ut Asmodæum fugaret, firmaret copulam conjugalem.* E

libro de Tobiâ, cap. 1 : *Lecto prophetico libro, qui inscribitur Tobias, quamvis plenè vobis virtutes sancti Prophetæ Scriptura insinuaverit, tamen compendiario mihi sermone de ejus meritis recensendis et operibus, apud vos utendum arbitror, ut ea quæ Scriptura historico more digessit latiùs, nos strictiùs comprehendamus.*

Similiter Augustinus, lib. 2 de Doct. Christ., cap. 8, in Scripturarum canone Tobiam collocat; in Speculo verò multa ex Tobiæ libro utilissima præcepta colligit. Monuerat autem in ejus libri exordio, se aggressum esse componere, quæ ita sunt posita in Litteris sacris vel jubendo, vel vetando, ut etiamnùm ad vitam piam exercendam, moresque pertineant. Jam verò doctrinâ de divinitate libri Tobiæ tot ac tantis testibus quos Deus Ecclesiæ suæ dedit, comprobatâ, quam et canonis 38 concilii Hipponensis anno 393, et alterius 47 Carthaginiensis concilii coacti anno 397, auctoritas confirmat, quam Innocentius I, Pontifex maximus, in epistolâ ad Exuperium, Gelasius in synodo Romanâ, Isidorus Hispalensis, Cassiodorus, pluresque insignes alii Patres declarant, mirabimur vel Eugenium IV, in decreto pro Armenis sanctorum librorum catalogo ab Ecclesiâ recepto Tobiæ volumen accensuisse, vel Tridentinos demùm Patres, sessione 4, universali decreto sanxisse ut fideles omnes illud ipsum pro sacro et canonico susciperent?

Non erit porrò admirationi locus, si et nobiscum reputaverimus memoratos omnes Patres cautos utique, in pronuntiandâ librorum divinitate, non ignorâsse in hebraicis codicibus Tobiæ librum desiderari, nec propterea potuisse nisi gravissimis de causis, et sibi certâ Traditione cognitis divinum dicere. Rursùm aliquos ex eo Patrum numero cum Apostolis, atque apostolicis viris habuisse consuetudinem, unde promptum est judicare Tobiæ historiam appellâsse Scripturam sacram, quòd ita ab Apostolis didicerint. Item orientales Ecclesias, quæ primùm de divinitate libri Tobiæ judicium fecerunt, ab Apostolis esse constitutas, ad easque non paucos Hebræos Hellenistas accessisse; ex quo consequitur non modò fretas fuisse Hebræorum sententias testantium, quid majores sui de operis dignitate sentirent; verùm etiam ex apostolicorum virorum sermone doctrinam illam hausisse. Qui enim hæc omnia considerabit, non poterit non affirmare sanctissimum et prudentissimum Tridentinorum Patrum decretum, tametsi de veteris Testamenti libro judicium ipsi tulerint; atque etiam intelliget Ecclesiam justis de causis tale decretum edere usque tum distulisse.

Nam licèt Esdras Scripturarum volumen tum consignaverit, cùm jam edita Tobiæ historia, atque Israelitis cognita esse debuerat, in eoque Tobiam non fuerit complexus; auctoritatem tamen non ademit consequentibus se viris ad veræ Religionis defensionem à Deo constitutis, multòque minùs catholicæ Ecclesiæ, quæ Spiritûs sancti ductu regitur, alios quoque libros Canoni adjungendi, quos ipse non inseruerat. Etenim cùm Esdras Scripturarum Canonem edidit, et ipse, multis, iisque gravissimis negotiis distentus erat, et populus, quantùmlibet fruens libertate, maximis premebatur incommodis, ut in Esdræ et Nehemiæ libris legere est; quare etsi diligentissimus fuerit in sacris Libris conquirendis, tantam tamen diligentiam adhibere non potuit, quantâ fuisset opus, ut omnes à nationis suæ prophetis scriptos libros colligeret; multò verò magis ut conquireret codices et consecraret, qui in dissitis regionibus prodierant ab auctoribus vitâ functis, iisque peregrinis ex stirpe Samariticæ gentis à Synagogâ præcisæ, odiosæ Judæis, et dudùm translatæ in Assyriam; præsertim cùm hujus historiæ argumentum, utpote singulare, universam Hebræorum nationem non afficeret. Cur ergo Esdræ canon libro Tobiæ dignitatem illam multis aliunde de causis constantem imminuat? Post Esdræ tempora vulgatior quidem et tritior optimi patrisfamiliâs evasit historia; sed tum nemo ausus est, ignoratâ prophetarum successione, clauso canoni novos libros adjicere, ut articulo 1 primæ partis ex Josepho afferebamus; nempe veram esse Tobiæ historiam Hebræi non diffitebantur; in honore habebatur apud ipsos Tobiæ volumen; idque summum erat, quod se posse ei libro tribuere arbitrarentur. Ecclesia verò Christi, ut eodem in loco diximus, sciens se Spiritûs sancti præsidio explicare ea posse temporis lapsu, quæ primùm Synagoga potuisset, cujus tunc erat de sacris libris definire, quod illa prætermisit, auctoritate suâ supplevit. Legatur iterùm primus ille articulus.

Hoc constituto perspicuè intelligitur vel sine magistro, ni fallimur, cur primis Ecclesiæ seculis non ita firmiter et constanter Tobiæ liber ut canonicus ab omnibus Ecclesiæ Patribus approbaretur. Cùm enim ignorare non possent, non esse singularis cujusque scriptoris librum à Synagogâ canonico ordini non adoptatum canonicum facere; indicemque Patres describerent Scripturarum sanctarum, de quibus dubitatio nulla esse poterat, quin dignitatem haberent, Tobiæ librum universali judicio nondùm consecratum annumerare prætermiserunt. In horum Patrum numero sunt Melitho, Origenes, concilium Laodicænum, aliique ab hæreticis commemorati, qui non nisi Judaicum canonem veterum Scripturarum exhibuêre nunquàm in controversiam adductum: sed iidemmet, cùm singularis quædam occurrebat quæstio, quæ illustrari doctrinâ à Tobiæ libro haustâ poterat, non dubitabant privatum suum, et eorum inter quos versabantur, adhibere judicium, quidve de eo sentirent eloqui, ut de Origene præsertim et Athanasio diximus; quanquàm exspectandum sibi esse publicum universalis Ecclesiæ decretum nôssent, ut apertius et tutius canonicum librum affirmarent, atque in canonem referrent; idque illustrius præstitêre particulares quædam Ecclesiæ suam eâ de re sententiam locutæ, rogantesque à Romanâ omnium capite confirmari.

Ita in vetere Synagogâ hebraicæ legis studiosi libros religiosarum civiliumque rerum post Mosen editos adhibere potuerunt ad suum aliorumque documentum; potuerunt et tantùm iis tribuere, quantùm libris à præcone divinæ voluntatis editis debetur; sed in or-

dinem Mosaicorum librorum referre non potuerunt, antequàm Esdræ recensio, et magnæ Synagogæ approbatio accederet. Quemadmodùm ergo insulsum prorsùs fuisset post Esdræ tempora propheticos vel agiographos libros divinos non agnoscere, quia ante Esdram de eorum divinitate non constabat; ita et nunc, declarato Ecclesiæ sensu, ineptissimum est eâ de causâ Tobiæ laudes extenuare, quòd quidam è primis Ecclesiæ patribus tanquàm à re incertâ assensum cohibuerint. Quis ignorat, ut in vetere Synagogâ sua erat in sacris rebus et constituendis divinis libris potestas, sic Christi Ecclesiam eodem jure frui, et majore etiam, si dari majus posset, cùm hæc longè præstet Synhedrio? Rursùs quis contra veterum exempla, et rectam agendarum gravissimarum rerum rationem dicere audeat, quod ab initio sancitum non est, præscribi ampliùs non posse, vel quod à Synagogâ definitum non fuerit, perpetuò esse debere indefinitum? Quid autem postea causæ habuerit Ecclesia, ut librum magnâ quidem veneratione susceptum, sed non ubique pro sacro agnitum canonicis accenseret, satis superque memorato articulo primo explicavimus. Atque de hoc argumento satis non modò pro hâc causâ, verùm etiam pro hujus similibus.

In explicando Hieronymo non est, cur sermonem producamus, cùm et ipse ante totius Ecclesiæ decretum scripserit, nec potuerit suffragio suo canonicorum codicum numerum augere. Abundantiùs tamen dicere possumus S. doctorem non ignorâsse ab ecclesiasticis viris usurpatum Tobiam, ut in Jonam præfatus est : *Licèt liber Tobiæ non habeatur in canone; tamen quia usurpatur ab ecclesiasticis viris, tale quid memorat...* Et ipsummet in caput 8 Ecclesiastæ tanquàm divinam sententiam celebrare, quæ Tobiæ, cap. 12, v. 7, exstat : *Mysterium regis abscondere bonum est.* Denique Latinis auribus, ut ipse ait, ex Chaldæo sermone Tobiæ librum vertendo, episcoporum jussionibus deserviisse, quod opus aggressus non fuisset, accersito præsertim Chaldæo interprete, nisi et labore suo dignissimum judicâsset, et ab episcopis et ab Ecclesiâ majore in pretio habitum, quàm esse soleant apocryphæ scripturæ, cognovisset. Et quidem ignorare non poterat, quod S. Augustinus in libro de Doct. christ. 2, dixit, canonicum scilicet librum esse Tobiam; neque incompertum ei potuit esse à Carthaginensi synodo III, cui Augustinus idem interfuerat, in canonem esse receptum. Cùm ergo ait ab Ecclesiâ inter canonicas Scripturas Tobiam non reponi, canonicas dicere voluit primi generis Scripturas, quæ totius jam Ecclesiæ consensu, publicoque generalis synodi decreto probarentur.

Si autem S. doctor intellexisset ullum editum esse universalis synodi auctoritate Scripturarum canonem, ut videtur postea rescivisse, non dubito quin sacrum et canonicum Tobiæ librum incunctanter fuisset prædicaturus. Nam in prologo galeato non minùs Tobiam, quàm Judith à canone abesse pronuntiârat, et utriusque libri incertam æquè auctoritatem; attamen in Præfatione quam Judithæ libro præmisit, cùm recens accepisset Nicænos Patres in Librorum sacrorum numero Judithæ volumen posuisse, illicò, depositis reliquis studiis, versioni ex Chaldaico idiomate incubuit, et divinam historiam commendavit : *Apud Hebræos liber Judith inter apocrypha legitur* (sunt qui velint *agiographa* scripsisse Hieronymum, non *apocrypha*, nempe dicere voluisse librum magni quidem ab Hebræis factum sanctumque reputatum; extra capsam tamen positum, in quâ canonici libri solebant asservari, quia nullus propheta clauso Esdrino canoni quidquam addiderat) *cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur... sed quia hunc librum synodus Nicæna in numero sacrarum Scripturarum legitur computâsse, acquievi postulationi vestræ, imò exactioni, et sepositis occupationibus quibus vehementer arctabar, huic unam lucubrationem dedi... Accipite Judith viduam, castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solùm feminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret.*

Non sentimus, fateor, ullum à Nicænis Patribus canonem Scripturarum propositum; tam multa sunt quæ ab eâ sententiâ nos retrahant. Primò, capitulum illud 24 de canonicis Scripturis, nuper etiam à clarissimo viro Josepho Blanchino ex Vallicellianâ Bibliothecâ extractum, atque in suis vindiciis canonicarum Scripturarum Nicænæ synodo tributum, Africanorum Patrum certè est in Carthaginensi concilio coactorum, cùm in capituli clausulâ Bonifacii Romani pontificis pro canone confirmando rogetur auctoritas, quam constat ab Africanis Patribus rogatam. Tum nullibi Nicæni Patres leguntur plus quàm 20 canones edidisse. Canones autem Arabicos numero plures à Turriano collectos sub Nicænorum nomine quanquàm abundanter daremus esse genuinos, haud dubium est, nihil de Scripturarum indice continere. Demùm, quod inter cæteros clarissimus Martianæus advertit in notis ad hunc Hieronymi prologum, Athanasius, qui Nicænæ synodo adfuit, nunquàm in censum canonicorum librorum recepit Judithæ librum, recepturus planè, si Nicæna synodus in canonem retulisset. Propterea Hieronymus ait legi computatum à Nicænâ synodo in numero Scripturarum sanctarum Judithæ codicem, secundùm Martianæi interpretationem, quia ex eodem libro quædam à Nicænis Patribus in synodi actis recitatæ fuerunt sententiæ, atque in disputationibus usurpatæ.

Verùm etiamsi Nicænam synodum canonem nullum sacrarum Scripturarum condidisse credamus, adhùc Hieronymi argumentum valdè premit hæreticos. Nam quia ipse credidit in generali concilio vel sacris Libris accensitum Judith librum, vel saltem adhibitas quasdam ejus libri sententias, protinùs à vetere opinione recedens, ad ea roboranda, quæ in contentionem veniunt contra communem Hebræorum sententiam, idoneum judicavit, maximisque laudibus extulit. Si ergo legisset computatum et inter canonicas scripturas

Ecclesiæ judicio Tobiam, ut reipsà computatur in Catalogo, quem proferunt à Nicænis Patribus descriptum (ignotum verò dicunt Hieronymo, quando in prologo galeato in libros Salomonis et Danielis præfabatur) Tobiæ pariter eosdem honores tribuisset. Itaque, cùm nunc non dimicetur, utrùm generale concilium, atque universa Ecclesia Tobiam ut divinum approbet; sed manifestum nobis sit, iisdem de causis quibus permota fuisset Nicæna synodus, computâsse, teneamus omninò librum esse canonicum.

De S. Hieronymo æquum erat copiosiùs dicere, cujus auctoritas nobis in omnibus ferè locis opponitur, ubi de Libris deutero-canonicis quæstio est; hæc igitur et ad alios locos opportunè traducantur. Sed quoniam de sancti doctoris sententiâ et fide dicimus, rogabit jam quis unde constare certò potest nostrum Tobiæ librum divinum esse? Hieronymus è Chaldaico Latinum fecit, usus magistro chaldaici sermonis perito, quem Hebræum Rabbinum putant; hebræi autem hominis factum quis præstabit? Patres, concilia, uno verbo, Traditio, Græcam interpretationem commendârunt, quam diximus à Latinâ nostrâ distare. Ex quo igitur fonte hauriemus certam esse fidem nostram, et Tridentinos Patres de latino codice rectè judicâsse?

Respondeo brevi : Primò, nos, quod ad hanc causam præcipuè facit, satis habere, si hæretici nobis tribuant veterem Tobiæ historiam, qualis exstabat in græco exemplari, præsidio Dei esse conscriptam : quemadmodùm si infidelis assentiretur græcas Scripturas, quas olim usurpabat Ecclesia, esse divinas, ejus essem confessione contentus, cùm de sanctorum Librorum auctoritate et divinitate disputarem. Discutiendum alibi est num jure Latinam editionem sequamur; atque utra præstet alteri. Secundò, historiæ corpus cùm idem sit utrobique, et in paucis tantùm adjunctis varietas, planè consequi, si divina Græca sit, quæ est latior, esse pariter et Latinam, quæ pressior est. Scitum namque est, non omnia et singula, vel sola græcæ latinæve editionis verba divina esse aut priscos Patres aut Tridentinos docuisse. Tertiò, licèt usus Hieronymus hebræi hominis disciplinâ sit, fuisse tamen magistrum quoque et cognitorem eorum quæ ab homine dicebantur; exemplar ei fuisse compertum, illud idem quod Origenes jam indicaverat; ex iis autem in quibus cum græcâ interpretatione consentiebat, de ejusdem varietate in paucis locis optimè dijudicâsse. Quartò demùm cùm universi Latini Patres, qui Latinam historiam ex Græcâ translatam legebant, illam eamdem omnes deposuerint, ac novam Hieronymianam susceperint, fieri non potuisse, quin traditione docti cognoverint tum chaldaici codicis veritatem, tum novi interpretis diligentiam, tum non esse adjunctorum quorumdam fidem usu veteris editionis confirmatam. Ex eodem traditionis fonte Tridentinos Patres hausisse, quod decernerent, dubitandum non est. Hæc strictim, quæ dilatari poterunt, elicitis ex primâ hujus operis parte rationibus.

Soluto graviore argumento, cujus videbatur difficilior explicatio, reliqua ex jactis sæpè principiis breviùs expediuntur. Non fingimus, quod quidam tenaciter defendunt, duas fuisse urbes Rages in regno Medorum, in quarum alterâ domicilium pater Saræ habuerit, in alterâ Gabelus, ad quem à Tobiâ missus est Raphael; neque urbem Rages à circumposito agro et rure distinguimus, ut velimus celebratas ruri nuptias; in urbem autem ad Gabelum perrexisse angelum; sed verius putamus Latinum codicem librariorum culpâ vitiatum, et in capite tertio pro Rages legendum esse Ecbatanis, ut in græcis codicibus aliisque editionibus, et latinâ vetere legitur : *Eâdem die contigit Saræ filiæ Raguelis, quæ Ecbatanis* (morabatur) *in Mediâ.*

Absit verò à nobis, ut in angelo Raphaele mendacium suspicemur, in quem certè cadere mendacium non potest. Mentitosne angelos dicent, cùm in veterum patriarcharum conspectum venient esse Deum esse dixerunt? Ego sum Deus Bethel, ait ad Jacobum angelus Dei, Genes. 31, v. 13, quia ut Dei legatus in Dei personâ loquebatur; cur ergo mendacii accusant Raphaelem inquientem se Azariam esse de filiis Israel, qui Azariæ formam induit, seque ut Azariam gessit? Præterea mysticæ significationis gratiâ angelorum verba accipienda sunt, ut et actiones humano more actæ, quæ, similes tantùm humanarum cùm sint, quidpiam aliud significant, quàm species demonstret. Jam verò quid non verissimum in angeli responsione significatur, si ad hebraicorum vim, sensumque attendamus? « Ego sum Azarias. Ego adjutorium, auxilium Dei; Ananiæ magni filius, id est, filius minister magni gratiæ largitoris; ex filiis Israel, id est, ex ministris prævalentis Dei, dominantis Dei, recti Dei, vel ex iis qui vident Deum, vel conjunctissimus amore filiis Israel, quoniam eorum cura commissa mihi est. » Id igitur quanquàm à Tobia hominem sibi præsentem judicante non intelligeretur, arcanis verbis significare voluit angelus, se à Deo gratiarum omnium fonte et Domino missum esse in Tobiæ patris et filii auxilium; quippe ipse erat Israelitici populi curator divino consilio divinâque benignitate delectus. Sortiuntur enim angeli nomina ab officio, ad quod deputantur, ut pugnans ille cum dracone immanissimo hoste, eumque subjiciens מיכאל, Quis ut Deus? alter bellis præsidens, גבריאל, Fortitudo Dei; alter morborum curationi præfectus, רפאל, Medicina Dei appellatur. Quare et idem iste, qui רפאל est propter medici officium, עזריה Azaria vocatur propter auxilium, quod in itinere Tobiæ comes impensurus venerat.

Cætera miramur ab hæreticis objici, qui et veterum Scripturarum et novi Testamenti lectioni assueti didicisse jam debuissent sæpè Deum rebus quibusdam uti ad mirabilem effectionem per se ineptis quidem, divinâ autem virtute multùm efficientibus. Si tubarum clangore disjecta sunt urbis Jericho munitissima mœnia, Josue cap. 6, v. 20; si injecto in pessimos aquarum fontes sale, Elisæi operâ sanatæ sunt aquæ, lib. 4 Reg., cap. 2, v. 21; si lotione septimùm repetitâ in Jordane *restituta est Naamanis caro, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est*, ibid, v. 14; si luto linitis oculis, et ablutione factâ, cæco nato restitutum

est oculorum lumen, Joan. cap. 9, v. 6; cur ex felle et jecore piscis exenterati curari non potuerit albugo, et cordis particulâ super carbones positâ dæmon fugari? Non expellitur equidem dæmon nidore, neque unctio fellis liberat cæcitate; sed Deus vult interdùm miraculis pietatem hominum ostendere. Nisi hæc admiserimus, non modò Tobiam, sed et omnes sacros Libros aut fabulosos aut superstitiosos repudiabimus. Etsi autem fumus cordis et jecoris piscis physicè valere non posset ad extrudendum dæmonem; tamen id suffimenti genus fortassè Tobiæ et Saræ sensus affecit, compescuitque concupiscentiæ motus, et quiddam contulit ad castam, et pudicam vitam triduùm agendam; quæ res malignum spiritum exarmavit, ac prohibuit ne Tobiæ noceret, quemadmodùm septem prioribus Saræ maritis nocuerat; unde coactus est abire, videns præsertim castissimos sponsos cum triduanâ eâ castitate preces, vigilias, humilitatem jungere. Cui Tobiæ victoriæ Raphael magnum adjumentum attulit, non modò ostenso remedio et quâ ratione utendum esset conjugio, sed invisibili suâ vi, præsentiâque, adversùs quam resistere Asmodæus non potuit.

Restat adhùc unum, neque est dissimulandum, ab iis objectum, qui rident Tobiæ cæcitatem, quasi ex unâ ignorantiâ consuetudinis et naturæ rerum habere possit fidem. Quis credat, inquiunt, hominem multo opere ac labore defessum in ipso domûs vestibulo, cùm commodiùs ingredi, et lectum petere posset, abjecisse se ad parietem, in quo hirundines nidificaverant; ibi resupino corpore obdormîsse, ubi, quod avicula excrevisset, in oculos directò incideret; missa illicò stercora quæ oculos opplerent? Numquid et apertis oculis dormiebat homo laboribus defatigatus, ut lepores faciunt? Tantane è nido ejecta colluvies, quâ oculus uterque obtenderetur? Ignemne egessit hirundo, qui lumina ureret, cùm potiùs hirundino stercore visus tergatur?

Sed fateor me credulum esse. Hactenùs enim credidi Tobiam, vel quòd pollutus esset ex cadaveris contagione, vel quòd graviùs lugeret, vel quòd in aperto aere æstivis horis somnum capere mallet, tecto et cubili abstinuisse, et supinum in trabe, ex. gr., cubâsse, quæ in aulâ vel hypæthro reperiretur, ubi hirundo nidum posuisset. Credidi et jacuisse nido suppositum, quâ re nihil est credibilius. Credidi vel non obdormîsse, sed prostrato corpore, apertisque oculis tantisper quievisse, dùm somnus obreperet (sic habent græca exemplaria), vel pupillis non clausis, et semi apertis somno se dedisse (sic multos hominum dormire Plinius, lib. 2, cap. 37, narrat), cùm casus accidit. Credidi et tum egesta stercora calida, quæ exsiccârint, quæ exusserint, unde concrescente membranulâ, albuginem, seu leucocoma dicunt, oculi excæcarentur: nam et Franciscus Valesius, Philosophiæ sacræ cap. 22, eam vim calidis hirundinum stercoribus tribuit. Et quod plus est, credidi non casu id evenisse viro sancto, sed singulari Dei providentiâ.

Cæterum neque medicinam didici, neque vim naturæ perspectam habeo, quam si haberem, uterer utique ad sacros libros defendendos, non oppugnandos. Id unum scio ad probandas historias, et res, ut aiunt, facti geometricas demonstrationes afferri non oportere: Hebræorum approbationem, Christianorum fidem, veterum consensum, nullam eâ de re usque ad hoc tempus ortam dubitationem mihi argumento esse non modò nihil ibi reperiri quod repugnet, verùm etiam ita rem contigisse, eâque de causâ factum cæcum Tobiam. Illud autem in meâ me sententiâ confirmat, quòd videam plures sacras historias dubias fieri, quæ sunt certissimæ, si quidpiam istorum hominum naturæ vestigatorum rationes efficerent; tum verò ob id quoque verissimam historiam credo, quòd, si auctor fingere occæcationis causas voluisset, invenisset multò probabiliores quàm stercoris in dormientis oculòs illapsi: quare, si hanc attulit, necesse est id unum quod evenerat scripsisse.

ARTICULUS VIII.

De libro Judith.

Alter nuperrimè defenso liber succedit, multùm et ipse ab Hæreticis exagitatus, ad quos tamen confutandos, cùm præmunita via sit, minus erit hoc loco nobis laborandum: sacrum Judithæ librum dico, quem è Chaldaico pariter sermone Hieronymus latinum fecit, *magis sensum è sensu, quam verbum è verbo transferens*, ut ipse inquit præfatione in hunc librum. Ex quo intelligi debet nullum ætate S. Hieronymi fuisse Hebraicum exemplar, nisi velimus S. doctorem id ignorâsse; vel neglecto Hebraico codice potiùs usum fuisse Chaldæo, in cujus tamen explicatione egebat interprete, quod nunquàm nobis probabitur. Nunc et Chaldaicum exemplar, de quo Hieronymus meminit, amissum dolemus, supereratque tantùm Græca translatio, quæ illius jacturam quoquo modo compensaret, nisi ita discreparet à nostrâ Vulgatâ, atque adeò à Chaldæo, ut ambas hasce versiones ex uno eodemque archetypo expressas fuisse, plerique vix credant. Quanquàm fieri potuit, ut vel Græcus interpres non ad litteram sit interpretatus, sed excogitatis quibusdam adjunctis paraphrasin ornaverit, vel S. Hieronymus, exponente hebraicè Chaldæo interprete, quo utebatur, in compendium historiam redegerit, et sensum potiùs quàm litteram latinè reddiderit.

Hic liber ab insigni matronâ, quæ primas in historiâ partes agit, nomen accepit. Nabuchodonosor rex Assyriorum in Ninive imperans, fuso Medorum exercitu, et Arphaxado rege capto, Asiæ populos ad occidentem Ninivæ sitos ditioni suæ adjungere constituit, vel ut habent græca exemplaria, ipsos, qui ad se auxiliares copias non miserant, gravissimè ulcisci cogitavit, sumulque imperare omnibus, ut se unum pro Deo haberent. Negotium Holopherni maximis instructo copiis mandavit, qui terrore circumquàque injecto Mesopotamiam, Syriam, Lybiam, Ciliciam sibi ultro deditas usurpavit, veniensque in Idumææ fines ibi exercitum omnem dispersum collegit. Israelitæ primùm fracti animo propter impendens malum sibi, ac templo metuere; tum convocato per omnem Sama-

riam milite, montibus occupatis, munitis urbibus se ad obsistendum parare, ad quos et litteras dedit Heliachim summus pontifex hortatus, ut fortiter agerent, divinamque opem ardentiùs implorarent. Holophernes indignatus tantam Israelitarum audaciam sciscitatur à Moabitis et Ammonitis Israelitici populi robur, et quâ de causâ Assyriorum regis imperium ille detrectaret. Achior paucis explicat, unde populus ille venerit, quomodò Dei patrocinio fretus hostes vel metuendos vicerit, dùm à Dei sui legibus non recedebat; ac denuntiat irritam fore vim omnem cujusque validissimi exercitûs, si tunc nihil mali admisisset, et peccato expiato in Dei sui amicitiam rediisset. Tum exardens iracundiâ Holophernes Achiorem Bethuliam duci jubet, quam erat obsessurus, ut eâ captâ, cum cæteris Hebræis temeritatis pœnas daret, jubetque urbem cingi obsidione. Ozias urbi præfectus, cùm impetum hostium, atque obsidionem sustinere decrevisset, tantus repente habitantium mentes terror invasit, ut urbis deditionem conclamarent, à quibus vix impetrari potuit quinque dierum spatium, ut nisi Dei auxilium adfuisset, demum urbs dederetur.

Tunc Judith vidua Manassis divitiis affluens, vultu elegans, corpore atque animo casta, ægrè ferens diem veluti divino adjutorio præfinitam, tandem consilium cepit ingrediendi Holophernis castra, urbisque liberandæ, cæso Assyriorum duce, si Deus dedisset. Itaque bonæ spei plena urbe egreditur, venit in castra, ad Holophernem ducitur, incenditur ejus amore Holophernes, ad convivium vocat, fit temulentus : clauditur Hebræa mulier in ducis cubiculo, opportunitate datâ, dormientis caput obtruncat, subducit se, Bethuliam redit : ibi suspenso super muros Holophernis capite magnus adeò cunctis Assyriis metus incutitur, ut omnibus relictis præcipites se in fugam conjiciant : fugientes insequitur Israel, multos ferro cædit, optimâ prædâ potitur, Deique laudes concelebrat. Judith ad provectam usque ætatem vitam protraxit, ejusque vitâ manente, populi Israelitici pacem nemo hostium perturbavit.

Hæc historiæ summa est, quam adeò accusant hæretici : nam Grotius præ cæteris existimat totum hoc opus commentum esse, et parabolam scriptoris cujusdam volentis Judæam et Synagogam Dei patrocinio munitam poeticis imaginibus exprimere, quando Antiochus Epiphanes, bello Judæis, et sacris Libris indicto, delere gentis et legis memoriam omnem irrito conatu tentaverat. Nabuchodonosorem, ait Grotius, esse diabolum piis hominibus infensissimum; Assyriam esse fastum, atque superbiam; Antiochum sub Holophernis imagine nobis exhiberi, cujus nomen Chaldaicè sonat *lictorem serpentis*, diaboli nimirùm satellitem et ministrum; Juditha est Judæa, sive gens Judaica, vidua propterea dicta, quòd humano auxilio destitueretur; gladius Judithæ sunt piorum preces, quibus hostis prosternitur; Bethulia hebraicè בתוליה vel בית אליה est Virgo Dei, vel templum Dei; Eliacimus, ut cætera mittam, est Deus suscitator auxilii ad omne hostium genus superandum. Hâc suâ acutâ accommodatione personarum ad Antiochi Epiphanis tyrannidem, et partam deinde divino præsidio Judaicæ genti salutem negat Grotius veram historiam in Judithæ volumine describi. Quo semel admisso spontè consequitur, perperàm Judithæ libro divinam tribui auctoritatem : licèt alia prætermitterentur argumenta, quæ persuadent, ut ipse putat, canonicis libris non esse adnumerandum.

Ingenii multùm elucet in hâc contortâ et rerum, et nominum interpretatione; nihil verò est soliditatis, debuissetque Grotius non solùm invenire quid diceret, sed etiam expendere, neque uti imprudenter eruditionis copiâ. Si enim liceret hominum et locorum nomina, in Scripturis utique omnia significantia quidpiam, ad solas allegorias traducere, atque inde historiæ veritatem imminuere, quis non eodem modo potest ab exordio Geneseos ad ultimam prophetici cujusque, et agiographi libri clausulam parabolicè interpretari singula, ac de veteribus patriarchis, de diluvio, de Noe posteris, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Mose, de bellis à populo Israelitico gestis, relatisque ab eo victoriis, tanquàm de fictis personis et rebus judicare? Itaque damus posse significationes eas ad nomina accommodari, quales Grotius attribuit; negamus autem totum narrationis corpus figmentum fuisse scriptoris, quo allegoricè Antiochi tyrannidem et liberationem Judaici populi expresserit. Nec quidquam toto in libro cernere est, quod parabolam commentumque sapiat. Tempus, quo maximi duo potentissimique reges de dominatu dimicabant; facta utriusque, alterius verò illustriora, et progressiones; narrationis adjuncta; homines utrinque vel inferentes, vel avertentes malum; modus adhibitus ab Israelitis ad imminentis damni propulsationem, exactè adeò, diligenter et historicè ponuntur ob oculos, ut fieri non possit quin historiam credamus. Aut enim historicum esse oportuit scriptorem, aut mendacissimum hominem datâ operâ, et studio fallentem : at quomodò mendacem putemus, qui à synagogâ primum, deinde à Christi Ecclesiâ testimonium veritatis accepit? qui facillimè falsitatis convinci ab Israelitis potuisset, et rerum Assyriacarum Medicarumque scriptoribus? qui ut nec rudem se, nec ignobilem, nec ineptum, nec vitiosum, sed feracis ingenii scriptorem in pingendis rebus, atque orationis texturâ prodit, ita res sub Antiocho actas multis aliis modis velare verbis, atque ornare scivisset, neque unquàm in eam partem orationem traxisset, ut fingeret bella, et bellorum causas inter duos potentissimos principes, qui nuspiàm exstitissent?

Sed breviùs Grotium, cumque eo Lutherum, Chythræum, Beroaldum, Scaligerum, aliosque, qui nuper historiæ veritatem adducunt in controversiam, temeritatis, atque impudentiæ arguimus, productis veterum atque insigniorum præsertim Ecclesiæ Patrum testimoniis cùm de rei veritate, tum de libri divinitate facientibus fidem : ita enim probatione unâ duo hæreticorum errata convellimus. Nam Hebræi clauso jam canoni veriti librum adjungere primùm ab Esdrâ, et magnâ Synagogâ non conclusum, Deum quidem

auctorem esse libri Judithæ affirmare non audent; in verâ tamen historiâ comprobandâ conveniunt, ipsiquemet primùm in Ecclesiæ christianæ sinum attulerunt codicem, qui ab eorum patribus tanti fiebat, quanti liber quilibet, cui primas post canonica volumina deferrent, ut Origenes ad Africanum scripsit. Inde Patres Ecclesiæ quid de eo sentirent, perpetuâ consensione mandârunt litteris; quibus etiam prævisisse videtur Paulus in epist. 1 ad Corinth., cap. 10, v. 9 et 10, Judithæ sententias usurpans; verba Pauli hæc sunt : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et à serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* Verba verò Judithæ, cap. 8, v. 24 et 25 : *Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam, et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, et à serpentibus perierunt.*

Clemens enim Romanus, in epist. ad Corinth., inter multas mulieres quæ divinâ corroboratæ gratiâ virilia facta gesserunt, *beatam Judith* commemorat, cui Deus Holophernem in manibus tradidit. Clemens Alexandrinus, lib. 4, Strom., Juditham mulierem optimam præmium fidei ait accepisse : *Cùm mulier in hostem fidei se præclarè gesserit, et potita sit capite Holophernis.* Origenes, homil. 9 in Jeremiam inquiens : *Volo exemplum dare à Scripturâ justi fœdera revocantis*, exemplum affert Judithæ paciscentis se egressuram ad orandum, et ad Holophernis cubile redituram. Tertullianus, lib. de Monogam., commendans unicas nuptias exemplis Scripturarum, et Juditham Merari filiam sanctis monogamis accenset. Quid verò dicemus de Ambrosio, qui, lib. 3 de Offic. et lib. de Vidu., longam de Judithæ laudibus orationem habet, ac propter formam, sermonis elegantiam, consilium, castitatem, sapientiam, sobrietatem, jejunium, fortitudinem, contemptum mortis, fiduciam in Deum, aliasque virtutes retulisse insignem adeò triumphum de fortissimo hoste, multis persequitur? Quid de Hieronymo, cujus sententiam in superiore articulo retulimus? Quid de sancto Fulgentio, epist. 2 ad Gallam cap. 14, scribente : *Habes et in vetere et in novo Testamento sanctarum viduarum, quibus ædificeris, exempla : in vetere Testamento, Judith : Anna consideretur in novo?*

Favet etiam Judithæ historiæ veritati et auctoritati consensus Africanæ Ecclesiæ canonicum Judithæ librum recipientis ex S. Augustino, lib. de Doctr. christ., cap. 8, et Carthaginiensis synodi 3 decretum canone 48, et Ecclesiæ Romanæ sententia, quam Alexander I in epistolâ primâ declarat, dum probat ex capite 9, secundùm græcam interpretationem personarum divinarum Trinitatem : *Si Trinitas non est, cur etiam Judith orando dixit, Domine, Domine, Deus omnium virtutum, respice in orationem meam :* et à Gelasio I, in synodo Romanâ conditus Scripturarum canon. Annon præstat hæc sequi Patrum et Ecclesiæ judicia confirmata vetere Ecclesiarum traditione, quàm novos homines contradicendi studio abreptos, atque adeo Hebraicorum codicum, et Synagogæ solius amatores, ut nullum veteris Testamenti librum nisi Hebraicè scriptum, atque in Hebræorum canonem relatum admittere velint?

Dicat igitur quantùm velit Grotius siluisse Josephum de Judithæ historiâ, siluisse et Philonem : dicat fictitium esse festivitatis diem in memoriam victoriæ à Judithâ relatæ celebratum, cujus in Hebræorum calendariis nullum relictum est vestigium : dicat cap. 16, v. 8, Titanis filios nominari, qui cùm fabulosi sint, nisi à poetis et fabularum scriptoribus Græcâ eruditione abutentibus in orationem traduci non solent : dicat et graviora, si quæ habet, nunquàm efficiet Judithæ librum ad moralem tantùm institutionem esse compositum Antiochi temporibus.

Nam silentio præteriit Josephus, præteriit et Philo insignem Judithæ victoriam de Holopherne, quia proposuerat Græcè reddere, quæ in libris Hebraicis ab Esdrâ recensitis continentur, deque iis scribere, ut Josephus ipsemet in totius operis prooemio, et in lib. 10 Antiq. Jud., cap. 9, professus est, quia de eventis ante captivitatem Babylonicam ea tantùm commemorat, quæ exstant in libris Regum et Paralipomenon. Etsi verò leviter ac præter institutum paucula quædam interdùm attigerit, præter ea quæ in probatis synagogæ libris reperiuntur, prætermisit tamen quod non erat prætereundum : Jobi scilicet historiam ab Esdrâ in veteres canonicos libros relatam, et cædem infantium et Bethlehemiticam, quæ erat multò recentior, tacuit, ut inde intelligatur fidem Josephi ad historiæ Judithæ veritatem infirmandam non valere. Quomodò enim concludat Grotius Josephi silentio elevari fidem libro, quem non ignorabat suorum manibus teri, ab iisque ad Christianos pervenisse? Nam si Josephus verè arbitrabatur neque divinum librum esse, neque historicum, sed fabulosum, cur reticuit? cur non rejecit ut indignum, cui crederetur?

Injuriâ deinde negatur diem festum, de quo commate ultimo capitis ultimi : *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem*, celebratum fuisse, cùm scriptor vivebat, quia in Hebræorum calendariis eâ de causâ agendum esse diem festum non notatur. Numquid festi ejus celebritas erit scriptoris figmentum? aut ille ita fuit impudens, ut tanquàm rem vulgatam contra omnium testimonium, qui vivebant, ausus fuerit comminisci? Verùm quidem est deesse illud comma in Græcis, in Syriacis exemplaribus, in Latinis antiquis : at verissimum pariter est S. Hieronymum in Chaldaico codice illud legisse, quod et latinè exscripsit. Fortassè Græcus interpres cùm versionem adornavit, videns diem festum olim institutum, agitari jam desuevisse, postremum versiculum Græcè interpretari necessarium non censuit; idcircò potuit festum à felici rei eventu inductum aliquot annos recoli; deinde v ob novas populi angustias aboleri : sicut solem-

nia occisi à Judâ Machabæo Nicanoris acta Josephi temporibus, ut lib. 12 Antiq. Jud., cap. 17, scribit, à multis jam seculis in calendariis Judaicis non signantur. Quæ enim divinæ institutionis non sunt, sed præsentibus de causis ab hominibus constituuntur, multis modis cessant.

Quæ de filiis Titanis in cantico Judithæ, cap. 16, v. 8, leguntur : *Non enim cecidit potens eorum à juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Judith filia Merari....* non auctori tribuenda sunt, sed interpreti, qui cùm bis in eodem versiculo רפאים *Gigantes* vertere deberet, maluit in altero loco *Titanum* nomen adhibere, territicorum hominum, ut fabula narrat, ac proceritate insignium. Quid autem mirum sit, interpretem qui in libro Job, *Arcturi*, *Orionis*, *Hyadum*, *Pleiadum*, *AmalthϾ* nomina usurpavit, et cap. 26 Proverb., vertit Hebraicum מרגמה *acervum Mercurii* (pro *acervo lapidum* ; vel, ut alii volunt, *funda*), in Judithæ librum filios Titanis eâdem licentiâ intrusisse?

Ut autem graviora, quæ contra libri veritatem et divinitatem opponuntur lucem quamdam acciperent, dirimenda lis esset, quæ interpretes et chronologos hactenùs in varias partes traxit, de tempore historiæ Judith : ante captivitatem Babylonicamne, an post contigerit. Profectò multùm interest ad extricandos nodos, quemadmodùm tempus historiæ constituatur : sed quia prolixior esset articulus, si numeris omnibus absolveretur hujus rei tractatio, tempusque nobis illa præriperet in aliorum explicatione impendendum, strictim opinionum varietatem, et causas persequar, ut in genere saltem intelligatur, quibus armis contra id quod sentimus, adversarii pugnent, quibusque obnitamur. Quòd si difficile adhuc videatur certum tempus definire, non erit propterea historiæ veritas, aut dignitas incerta, cùm multas sacras historias et profanas paribus difficultatibus obstructas certas teneamus.

Eusebius et Gregorius Syncellus putant Judithæ factum post reditum à captivitate Babylonicâ accidisse ; sed primus, cum quo Hebræi sentiunt, regnante Cambyse, alter Xerxe : uterque multos habet sectatores : ita autem sententiam suam confirmant. Cùm excitatum est gravissimum illud belli incendium contra Israelitas, quo proxima quoque arsisset Hierusalem, nisi Juditha præsidium invenisset, desierant jam reges in Israel et Juda, jusque omne regendi erat summo sacerdoti Eliachimo, sive Joachimo, qui et apparatùs bellici summam susceperat : neque credi potest ardens adeò bellum actum fuisse à populo, quin rex maximas officii sui partes ageret, si rex quidem ullus fuisset : atqui ante Babylonicam captivitatem posteri Davidis continuâ successione regnârunt, et tantùm post reditum penès pontifices mansit auctoritas. Insuper quando rempublicam reges Juda gubernârunt, nemo pontificum fuit, qui Eliachim nomine appellaretur, sive Scripturas sacras, sive Josephum consulas : à solutâ verò captivitate Joachimum extitisse legimus, qui sacris præfuit, Xerxe regnante, estque in textu græco dictus Joachim, quem Vulgata Eliachimum nominat.

Præterea in capite 5, Holophernes à principibus Moab et ducibus Ammon explorat quinam sit populus montana obsidens? quo numero? quas urbes teneat? quis militiæ rex? Achior verò dux filiorum Ammon respondet inter cætera ante paucos annos nationem illam propter legis suæ neglectum abductam captivam in terram non suam; nuper autem reversam ad Dominum, congregatam ex dispersu ascendisse montana, atque iterùm Hierosolymam, ubi omnia ipsius sancta sunt, possedisse. Hæc sanè Holophernis interrogatio, et Achioris responsio, neque temporibus stantis Judæorum regni, neque diebus Manassis congruit, solutamque jam captivitatem indicat. Rogarene debuisse Holophernes, quisnam esset populus Israeliticus, quisve potissimùm rex, quem paulo ante in Assyriam captivum deportatum ignorare non poterat, et fortassè viderat? nonne et brevibus respondisset Achior esse populummet à Nabuchodonosore nuper contritum et regem planè eumdem quem vinctum in Niniven ad regem adduxerant Assyriacæ ipsæ copiæ, quibus ipsemet imperabat? Rursùs Achior respondens, et mala à Deo olim immissa Judæis referens, spectat captivitatem Babylonicam, quam nativis coloribus depingit in Græco præsertim exemplarii, ubi recentem Judæorum cladem narrans ait : Καὶ ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος, *et templum Dei ipsorum factum est in pavimentum*, id est, disjectum et æquatum solo, quod nonnisi de templi excidio incendioque dici poterat.

Denique ad annos Babylonicam servitutem præcedentes accommodari nequit Judithæ ætas, et vitæ duratio, et pax Israeli per Juditham allata. Nam cap. 8, Juditha junior adhuc et elegantissimâ formâ dicitur, cùm Holophernem convenit, eumque ad suî amorem accendit; cap. verò 16, v. 28, vixisse annos 105, totoque ejus vitæ spatio, et post mortem annis multis non fuisse qui Israelem perturbaret : supputemus jam à morte Manassis ad bellum usque Nechaonis regis Ægypti, in quo Josias occubuit, effluxerunt anni tantummodò 34, quare etiamsi poneremus Holophernem sub exitum vitæ Manassis invasisse Judæam, tum Juditha sexagesimum ætatis annum excesserat. At mulieri ita ætate provectæ defloruisset jam omnis formæ dignitas, neque vidua plusquàm sexagenaria irretire adeò Assyrium ducem potuisset, aut tantos in ejus pectore ignes excitare. Veriùs igitur ad tempora Cambysis vel Xerxis post Babylonicam captivitatem Judithæ factum rejicitur.

Bellarminus contra, et Serarius, quos ingens interpretum numerus sequitur, ante captivitatem Babylonis, et sub regno Manassis historiam Judithæ contigisse defendunt, neque sub Xerxis imperio accidere potuisse. (Cambyses enim esse Nabuchodonosor, atque illo regnante obsessa ac liberata Bethulia multò minus congruenter dicitur. Cambyses Babylone in throno sedit, non Ninive. Cambyses septem tantùm annos et menses quinque imperium tenuit, ex Herodoto, lib. 3,

cap. 5; Nabuchodonosor verò anno regni 12 Arphaxadum in bello devicit. Cambyses provincias omnes accepit hæreditarias, quas Holophernes in libro Judith regi acquisivisse narratur, et in totam Judæam præsertim dominabatur, nullo contradicente.) Etenim postquàm Hebræi Babylone redierunt, neque in Mediâ, neque in Assyriâ sui erant reges, qui principatum haberent, Persis jam totam Asiam occupantibus: in libro autem Judith legimus Medorum atque Assyriorum duos fuisse potentissimos in Oriente reges de totius Asiæ principatu dimicantes. Neque reponant Xerxem regem, bello contra Græcos infeliciter gesto, suis esse cœpisse contemptui, et tum duos à Xerxe præfectos amplissimis Mediæ atque Assiriæ provinciis, occasione captâ à regis obsequio defecisse, sibique regnum confirmâsse. Nam usurpatam hanc novorum regum auctoritatem acutiùs fingunt, quàm antiquitatis testimonia probent. Ait certè Justinus lib. 3 Artabanum Xerxis præfectum, deficiente quotidie regis majestate, in spem regni adductum fuisse; at præterea regiam potestatem habuisse non scribit. Quomodò verò Nabuchodonosor Xerxis ætate, et stante Persarum imperio regnaret in Ninive, quam à magno Nabuchodonosore eversam novimus? *Revera quantùm ad historias tam hebræas, quàm græcas, et maximè Herodotum legimus, Ninivem, regnante apud Hebræos Josiâ, apud Medos Astyage, fuisse subversam*, Hieronymus præfatione in Jonam.

Accedit historiam Judithæ evenisse paulò post quàm urbem Ecbatanis condidisset Arphaxadus, vel saltem novis ædificiis auxisset, ut habent Græca exemplaria, cap. 1, v. 2, Καὶ ᾠκοδόμησεν ἐπ' Ἐκβατάνων, *et ædificavit super Ecbatana*. Herodotus autem lib. 1, cap. 9, à Dejoce Medorum rege exstructam tradit, quam filius Phraortes vel Aphraartes amplificâsse creditur: conveniunt enim quodammodò Aphraartis et Arphaxadi nomina; et quæ in libro Judithæ Arphaxado narrantur, Phraorti evenisse eadem, Herodotus scribit. Narrat enim historicus Phraortem, cùm multas provincias imperio suo adjunxisset, arma movisset in Assyrios, amplissimamque eorum sedem Niniven obsidione cinxisset, ab Assyriis superatum, et cum maximâ exercitûs sui parte cæsum. Quis non hæc eadem legit in libri Judith initio?

Rursùs Nabuchodonosor rex, qui Arphaxadum delevit, Babyloniis simul, atque Assyriis imperabat: nomen quippe Nabuchodonosoris regum est Babyloniorum, qui tamen à sacro auctore rex Assyriorum dicitur: sed regnum utrumque fingi non potest in unius regis potestate fuisse, nisi ante Babylonicam servitutem. Assaradon enim rex Assyrius, Babylone captâ, Chaldaicum imperium ab Assyriâ divulsum, atque à Beleso sive Baladano satrapâ Babyloniæ olim constitutum ditioni suæ restituit A. M. 3323, multò antequàm Judæi Hierosolymis deportarentur, quod contigit A. M. 3426. Jam verò quo unquàm tempore Nabuchodonosor iste victor Arphaxadi regnaverit, et quis tum Judæorum rex principatum tenuerit, inde colligitur. Ecbatanis condita est à Dejoce Medorum rege, secundùm Husserianos calculos ex Chronico Eusebii A. M. 3296. Per id tempus sedes Assyriorum regum erat Ninive, ut ex Tobiæ capite primo deducitur. Manasses Judaicum regnum est ingressus A. M. 3306, et quinquaginta quinque annis regnavit in Hierusalem, vel saltem vixit, postquàm est regno potitus: nam temporis partem captivus egit Babylone, lib. 2 Paralip., cap. 33, v. 11, illùc abductus ab Assaradone Saosduchini patre. Saosduchinus, qui Nabuchodonosor Judithæ putatur, Babyloniis Assyriisque imperans, auspicatus est imperium A. M. 3336; idcircò anno imperii 12, Judith cap. 1, v. 5, Arphaxadum debellavit anno 3348; Holophernis caput abscidit Juditha, anno postquàm Assyrii Arphaxadum superaverant, quem sive Dejocem cum Husserio, sive Phraortem cum plerisque interpretum velis esse, nihil refert. Cùm igitur ab anno 3306 ad annum usque 3361 regnaverit Manasses, isto Judæis imperante, de Holopherne triumphatum est: cùmque ex initio libri Judithæ satis constet, non multò post aut conditam aut dilatatam, cinctamque muris Ecbatana historiam contigisse, aptissimè conjectura fit quis sit Nabuchodonosor ille Assyriorum rex, quisve Arphaxadus Medorum. Hæc innuisse sufficiat.

His causis adducti, qui Bethuliæ obsidionem referunt ad Manassis tempora ante captivitatem Babylonicam, ita respondent argumentis aliorum judicantium historiam Judithæ captivitate illâ esse posteriorem. Manassis equidem nulla in libro Judithæ fit mentio, quia vel à vinculis solutus, et Hierosolymam reversus ita pœnitentiæ agendæ, et reparando præterito malo incumbebat, ut omnia regni negotia Joachimo pontifici commiserit, ut Josephus scribit, lib. 10 Antiq. Jud., cap. 4, vel Senatui Hierosolymitano, atque Oziæ potissimùm urbis præfecto totam ejus urbis defendendæ curam reliquerat, dum ipsemet in communiendâ Hierusalem totus occupabatur. Nam Eliachim rebus sacris et templo veriùs consulebat, animos addens timore perculsis, firmamque in Deo fiduciam excitans, quod erat pontificis officium; vel in speciem à belli negotiis abstinere voluit, ne in Assyrios rebellis esse videretur, qui paulò ante ab iis in libertatem dimissus fidem fortassè dederat se arma contra ipsos non capturum.

Eliachimum verò summum pontificem temporibus Manassis exstitisse ita persuadent. Lib. 4 Reg. cap. 18, v. 18, Eliachim filius Helciæ dicitur præpositus domûs Ezechiæ patris Manassis: *Egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpositus domûs*. Helcias verò regnante Ezechiâ pontificatum gessit, eique in pontificatu filium successisse sub Manasse quis neget? Iterùm Isaiæ cap. 22, v. 20 et 21, hæc de Eliacimo leguntur dicta ad Sobnam præpositum templi: *Et erit in die illâ: vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ, et induam illum tunicâ tuâ, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi pater habitantibus Hierusalem, et domui Juda*. Quo in loco auctoritas, et officium, et virtus Eliacimo tribuenda illa ipsa prædicitur, quam in extremis populi

angustiis noster Eliachimus ostendit, dum Holophernes Bethuliam obsidebat. Quâ de causâ Hieronymus et Cyrillus non alium esse Eliachimum, qui in Isaiâ, ab eo qui in Judith nominatur, affirmare non dubitârunt.

Neque mirum est hujus pontificis nomen in pontificum genealogiis ante Babylonicam servitutem non exstare neque in Scripturis, neque apud Josephum. In capitibus enim 22 et 23, lib. 4 Reg., creditur hunc Joachimum nomine patris Helciæ appellari; in Paralipomenis autem, et in Baruchi prophetiâ, ubi Helcias filius Sellum, et pater Azariæ dicitur, nomen patris pro avo, et nepotis pro filio poni, ut Helcias pater sit Joachimi, Joachimus Azariæ, quod in Scripturis non est insolens, neque eget exemplis ut demonstretur. Intricata præterea adeò est pontificum successio sive in Scripturis, sive in historiâ Josephi, sive in *Sèder Olàm*, id est, *serie temporum* Thalmudistarum, ut certus inde pontificum numerus nequeat confici. Ex universis Scripturis ab Aarone usque ad reditum à servitute Babylonis numerantur pontifices 28, quot numerat Josephus; mutatis tamen nominibus quibusdam, atque inverso ordine: at ex lib. 1 Paralip. sigillatim 24; ex *Sèder Olàm* 25. In eumdem scopulum incidunt, qui ab ædificatione secundi templi usque ad Titum catalogum pontificum describere susceperunt, quorum alii numerum augent, alii minuunt, atque in appellandis nominibus discrepant. Quid porrò tanta varietas indicat, nisi pontificum seriem in Bibliis accuratè non esse descriptam, atque uni pontifici plura nomina, vel pontificibus pluribus unum nomen esse tributum?

Explorat deinde Holophernes à principibus Ammon et Moab Judæorum vim, et potentiam, vel ignorans quia tum primùm in eas terras venerat, et primùm fortassè Assyriorum copias ducebat; vel ignorare simulans quantæ essent Hebræorum vires, ut experiretur illorum principum fidem; vel penitùs intelligere volens quid possent Hebræi, atque an cum finitimis quibusdam populis Arabibus, Ægyptiisve societatem haberent. Interpretari etiam possumus Holophernis verba non ut sciscitantis, sed indignantis minaciter, et Judæos contemnentis : *Dicite mihi, ecquis est iste populus in rupibus et cavernis montium fidens, qui Nabuchodonosori toti terræ metuendo obsistere audeat, eumque principem detrectare? dicite : quis est?*

Respondet autem Achior altiùs repetens populi originem ab Abrahamo, ut pleniùs datam fidem liberet; tum ait : *Nam et ante hos annos cùm recessissent à viâ quam dederat illis Deus ut ambularent in eâ, exterminati sunt præliis à multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam*, cap. 5, v. 22. At non potuit Achior Babylonicam captivitatem commemorare, quæ tempora Xerxis longè præcesserat annis nimirùm 120 : cùm è contrario illata terræ Israeliticæ vastitas per Salmanassarem, et Judææ per Assaradonem non ante multos annos fuerit, illa scilicet an. 65, hæc fermè 20. Dixisset etiam veriùs ab unâ tantùm natione Chaldæorum exterminatum populum, non à multis; atque omnes omninò abductos esse in captivitatem, non plurimos, si de plenissimâ omnium captivitate Babylonicâ fuisset locutus. Addit : *Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, quâ dispersi fuerant, adunati sunt.... et iterùm possident Hierusalem, ubi sunt sancta eorum;* atque hâc suâ orationis parte spectavit Manassis liberationem ab Assyriorum vinculis, et reditum Hierosolymam. Nam cùm Manasses rex captus est et Hierosolyma direpta, Judæi metu perculsi subduxerunt se : restituto autem rege in pristinam libertatem, postquàm pœnitentiâ Babylone actâ Deum sibi promeruit, et ipsi ad primam sedem redierunt. Tunc et templum, et altare, in quo idolorum statuas Manasses erexerat, et sacra vasa purgata, atque ad suam dignitatem est restituta Religio.

Quòd si Græcus interpres majorem vastitatem, et totius templi ruinam significare videtur, tantam fidem, ut ab initio monuimus, non meretur, ut ab Hieronymianâ translatione recedere debeamus. Sed neque dicit interpres Græcus eversum funditùs templum : imò verò factum esse in pavimentum, id est, quasi profanum locum, qui proculcatur infidelium pedibus, ut Syrus traduxit : *Factum enim est templum Dei in pavimentum*, etiamsi dirutum non esset, quia profanatum, pollutumque à Manasse fuerat, positis ibi idolis, quomodò profanari solent, quæ in terram projiciuntur, et proteruntur pedibus, ut calcatur pavimentum. Scripturarum enim dicendi genus est, quod et in vernaculo sermone adhibemus *sancta conculcari*, cùm nulla rerum divinarum habetur ratio, et omninò contemnuntur. Sic lib. 1 Machab. cap. 3, v. 51, Judæi orantes Dominum clamabant : *Et sancta tua conculcata sunt....* neque tamen eversum fuerat ab Antiocho templum. Idem ipse Græcus interpres hanc explicandi rationem suggerit, dum cap. 4, v. 3, notat : *Quia recenter ascenderant è captivitate, et nuper omnis populus collectus fuerat Judææ, et vasa, et altare, et domus à profanatione sanctificata fuerant.* Si ergo templum, et altare purgatione tantùm eguerunt, neutrum ante fuerat æquatum solo, neque funditùs eversum.

Definiri ultimo loco Judithæ ætas ex oris elegantiâ non potest; neque ejus juventa cum pace componi, quæ post ejus mortem multos annos duraverit. Quare hìc hærent, qui sub Manasse factum Judithæ constituunt : nam illud, *non fuit, qui perturbaret Israel*, cap. 16, v. 30, intelligi nolunt de solis reliquiis Israelis à Salmanassare in Samariâ relictis longâ pace fruitis, cùm illæ reliquiæ distinctum à Judæis corpus Reipublicæ non efficerent; sed Israelis nomine significatam dicunt omnem Hebræorum terram, quæ pacem habuerit. Expediunt se tamen utcumque hâc ratione : Juditham adolescentem adhuc fuisse, cùm Holophernis caput abscidit, nullus Scripturarum locus evincit : ponatur ergo sexaginta annos natam retulisse insignem illum de Holopherne triumphum; inde numerentur anni quatuordecim ad mortem usque Manassis; duo imperii Ammon; triginta et unus Josiæ; septem Joachimi, antequàm Babylonem à Nabuchodonosore abduceretur, componemus annos 54. Hoc calculo constituto vixisset Juditha annos 45 post celeberrimam victo-

riam; pax autem decem circiter annis, eâ mortuâ, in Israele perdurâsset; igitur dicere verè potuit scriptor sacer vivente Judithâ, et multos post annos pacis fructum non fuisse ab hostibus Israeli ademptum. Non immeritò autem usque ad Joachimum regem à Chaldæis deportatum dicitur nihil perturbationis attulisse Israeli exteras utique gentes : nam Josias lacessitus non erat à Nechaone, qui contra Assyrios tantùm ducebat copias; ipse verò ultrò voluit præter regni sui fines egredi, et proficiscenti Nechaoni itinera intercludere : imprudens fortassè, qui et imprudentiam morte luit, quam tamen nullum bellum consecutum est.

Difficile sanè cuipiam videbitur in animum suum inducere quomodò sexagenaria mulier adeò venustate et formâ oris valuerit, ut ducem ad suî amorem inflammaret. At cogitet ipse secum mulierem, quæ centum quinque annos vixit, viribus firmam, vivido colore optimâque corporis temperatione posse et ad sexagesimum usque annum multis junioribus formâ præstare. Nec enim ejusmodi ætas aufert oris dignitatem, quæ primis juventæ annis in vultu insederit, etsi imminuere sæpè soleat. Saræ plusquàm sexagenariæ, item et nonagenariæ forma non defloruit, quin reges Ægypti et Geraris ab Abrahamo abducerent, capti ejus pulchritudine : tum meminerit quantam Deus attulerit matronæ cùm dignitatem, tùm venustatem : demùm sciat mulieris lautæ, benè comptè et scitè loquentis, licèt adultioris, amore capi illicò potuisse senem ducem ad voluptatem, et feminarum amores propensissimum. Quanquàm et sunt, qui Manassen plures multò annos quàm quatuordecim, post Judithæ triumphum vixisse colligunt, iique annis fermè septuaginta pacem Israelis producunt. Quæ si vera sunt, Juditha quadragesimum quintum annum non excessisset, cùm ejus amore arsit Holophernes, atque eâ fuisset ætate quæ suî desiderium facillimè excitaret.

Hæc usui magno esse possunt contra validiores hæreticorum aggressiones, quæcumque ex duabus probetur sententia; præsertim verò si posterior : nam cætera ab iis opposita leviora sunt. Ex his unum illud est Nabuchodonosoris nomine nullum unquàm appellatum in historiis nisi Babyloniorum regem non Assyriorum; eorumque sedem Babylonem fuisse, non Niniven. Alterum est, in diebus Manassis totam Samariam, et regionem omnem, quæ in Israeliticum regnum olim pertinebat, in regis Assyriorum potestate fuisse, et repletam Cuthæis : quamobrem neque Bethulia à filiis Israel tenebatur, neque ab ipsis in omnem Samariam mitti potuerunt, qui occuparent omnes vertices montium, ut scriptum est cap. 4 Judith., v. 3. Tertium est Holophernem in libro Judithæ describi agentem Persarum moribus, cùm tamen Persæ regum Assyriacorum temporibus essent ignoti. Quartum est in cap. 8, v. 1, originem Judithæ derivari ex Simeone, filio Ruben, in quo apertè fallitur scriptor. Simeonis quippe frater Ruben fuit, utriusque verò pater Jacobus. Quintum commendari à Judithâ facinus Simeonis et Levi, cap. 9, v. 2, qui ob Dinæ violationem percusserint Sichemitas, quod tamen à Jacobo patre, cap. 34, v. 30, et cap. 49 Genes. reprobatum est.

Meritò hæc dico leviora. Nam primò Nabuchodonosor et Assyriis, et Babyloniis imperavit : statuitur enim, ut diximus, ab alterius sententiæ propugnatoribus alio nomine Saosduchinum esse Assaradoni in imperio successorem. Quamobrem gerere nomen Nabuchodonosoris potuit, quod Babyloniis regibus commune erat, sicut Pharaonis Ægyptiis, et simul rex Assyriorum vocari, quemadmodùm Esdras, lib. 1, cap. 6, v. ult., Darium filium Histaspis regem Assur vocat, quanquàm, si accuratiùs loquamur, Persarum rex dici debuisset. Iterùm res in historiâ spectatur, non verba penduntur. Hæbræi post Babylonicam captivitatem principes omnes Transeuphratenses sibi infensos Nabuchodonosores nominârunt, propter magni Nabuchodonosoris celebritatem, qui Judæis extremum illud exitium attulerat : scriptor verò libri Judithæ vel Babylone, vel in Chaldæâ scripsisse putatur.

Secundò, fatemur, et supra constitutum à nobis est, regnum Israel usurpatum fuisse ab Assyriis, et populum in servitutem abreptum; sed multi qui in montibus se subduxerant, dùm Samaria expugnabatur, et qui è captivitate effugerant ex filiis Israel, cùm reperissent desertam propè mare Tiberiadis Bethuliam eò se recipientes muniendam curârunt, ibique sub imperio principis Oziæ ex tribu Simeon se tuebantur. Mittere autem potuerunt et in omnem Samariam : nam Samaritas plurimos, sive Cuthæos, qui à sacerdote Israelitico legem Mosis docti erant, legemque ipsam ex parte saltem susceperant, difficile non fuit consentire cum Judæis, et contra Nabuchodonosorem arma sumere jubentem divinos honores sibi tribui, minantemque exterminium.

Possumus etiam ad pleniorem hujus argumenti dissolutionem cum Humphrido Prideaux sic rem explicare. Assyrii quidem regnante Salmanassare totam Samariam ceperant, atque eò colonias miserunt; vel cùm ab iis restitutus est in libertatem Manasse, atque iterùm datâ fide in Judaicum thronum impositus, totius Samariæ factus est princeps quasi fiduciarius, quem vasallum vocant. Reapsè, ut notum est ex lib. 2 Paralip., cap. 34, Josias Manassis nepos in ditione suâ habuit regionem omnem, quam olim Israelis reges deleti possederant : neque intelligi potest quomodò ad Josiam ea possessio migraverit, nisi ab avo Manasse profecta censeatur, quam Assyrii liberaliter dederint ut in fide, et in clientelâ suâ subjectum Judæorum regem tenerent. Intererat autem maximè Assyrii regis augere potentiam regis Juda, eumque sibi devincire ut adversùs Ægyptios obsistere valeret, atque iter iis primus intercludere, si fortè ipsi in Assyriam invadere tentâssent. Igitur licèt Samaria, ante Manassis liberationem à captivitate, ab Assyriis teneretur; attamen soluto Manasse cum quibusdam conditionibus ad eum transiit, in eâque ipse imperabat. Postea accidit ut rex Medorum Assyrium vexaret; iste (ut Græcus codex habet) auxilium à fœderatis, à clientibus petiit; nemo ei venit auxilio : Manasses verò cùm esset ex recenti-

plagâ quasi saucius, meo judicio, ne potuisset quidem subsidio mittere : quamobrem iratus Nabuchodonosor, re adversùs Medos feliciter confectâ, arma vertit in omnes à quibus se derelictum viderat, quorum terras omninò incensurus erat, nisi victoriæ cursum Judith impedivisset. Vel etiam (si latinum interpretem omninò sequimur, in quo nulla est mentio vocati ab Assyrio rege contra Medos subsidii) Nabuchodonosor cæde Medicarum copiarum elatus, et tumens cogitaverat in orbem totum exercere tyrannidem, religiones omnes subvertere, seque unum Deum colendum exhibere : quare nihil mirum, si obstitum est à Judæis, etiamsi fidem illi Manasses vel sacramento dedisset.

Tertiò, etsi Holophernem Persarum mores et consuetudines tenuisse constaret, Persam esse nemo probabit. Numquid Assyrii primùm non potuerunt iisdem moribus uti, quos postea Græci scriptores Persis tribuerunt? Nam Græci silentio prætérierunt vivendi institutum et formam Assyriis usitatam, quod incompertum Græcis esset, quam vitæ rationem ii fuissent secuti : de Persarum vero agendi genere sibi notiore fusè scripserunt.

Quartò, vel Judithæ progenitores Simeon et Ruben sunt illustriores quidam viri ex Simeonis tribu; non autem patriarchæ filii Jacobi : vel quod credibilius est, loco *Ruben* legendum est *Israel,* uti Græci codices habent, et sanctus Fulgentius in epist. 2, ad Gallam legit. Eo tamen in loco nemo existimet omnes Judithæ proavos ad Jacobum usque recenseri nullo prætermisso; plus enim quàm 16, generationes Juditha à Jacobo distabat : sed Scripturarum morem hunc esse sciat in genealogiis texendis, sæpè quorumdam Patrum nomina præteriri.

Quintò, Juditha cap. 9, v. 2, non probat Simeonis factum eâ orationis formulâ : *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem* (id est, ultionem) *alienigenarum, qui violatores exstiterunt in coinquinatione suâ....* sed Dei potentiam justitiamque commendat, qui peccati pœnas ab alienigenis per Simeonem repetiit, gladio ei tradito, quanquàm Simeon cædendo peccaverit. Sic Ezechielis, cap. 30, v. 24, cùm ait Deus : *Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus, et confringam brachia Pharaonis....* significavit indignationis furorisque sui ministrum futurum Babylonis regem in Ægypti vastatione, non autem peccati expertem. Plerùmque etiam in cæde à Simeone factâ zelum et factum cum suis adjunctis interpretes distinguunt : zelum seorsùm spectatum laude dignum dicunt, eumque à Judithâ commendatum; factum verò indignum prorsùs, illudque à Judithâ sine laude præteritum. Neque improbanda omninò videtur Malvendæ in hunc locum interpretatio inquientis fieri potuisse ut Judith simplicitate feminea, ut quisque est in auctores generis sui propensior, factum parentis sui alioquin improbandum extulerit : *Neque enim hujusmodi apices juris adeò sunt mulieribus explorati.*

In postremum locum reservavimus nodum, qui nobis semper visus est gravior : ille verò non ad solam historiam, non ad personas, non ad locum, neque ad tempus, sed ad mores Judithæ attinet, qui non posse videntur cum libri sanctitate consentire. Pugnatur à nobis pro veritate et divinitate historiæ, cujus maxima pars est Juditha, quam castissimam, atque integerrimam viduam prædicamus divini consilii plenam, divinâque fortitudine præditam. Verùm ipsa Assyriorum ducem et perpetuis mendaciis fefellit, et ad impudicitiam provocavit, et in laqueum induxit. Quomodò autem hæc cum tantâ mulieris virtute cohæreant? aut quomodò divino præsidio armari versuta adeò mulier potuerit? Orat Deum in cap. 9, v. 12, ut Holophernem sibi detur occidere; inter cætera verò et aliud rogat vers. 13, ut vultûs suimet venustate, atque amatoriis verbis ductor exercitûs capiatur : *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Deinde se ita polivit, compsit, ornavit, ut plus irritamentorum adhibere non posset mulier, quæ scandalum offerret viro. Cùm vero castra Assyriorum ingressa est, et ad Holophernem deducta cap. 10, à v. 11, ad 14 et toto 11 capite, mendacia cumulavit mendaciis, quibus in falsam spem Assyrios adduceret, et consilium fallendi tegeret, ut planè accidit. Tandem cùm princeps et imperator exercitûs insidiosis et tectis verbis mulierem ad convivium vocâsset; re autem ipsâ invitaret ad flagitium, quod ignorare ipsa non poterat, paratam se respondit facere quidquid Holopherni placuisset, seque maximo honore propterea dignatam, cap. 12, à v. 12, ad 16. Post hæc in ducis tentorium admissa est; sola ibi cum solo Holopherne noctu clausa, evidenti amittendæ pudicitiæ periculo objecta, quam constuprâsset homo dissolutissimus, nisi eò usque vino maduisset, ut se animi impotem faceret. Hujusne totius actionis ex omni parte iniquæ, et turpis auctorem, motorem, aut fautorem Deum faciemus ?

Equidem mallem ab altero doceri de hoc argumento, quàm alter me magistro uteretur : verùm ab omni me invidiâ liberabo, et ponam in medio sententias, nec quemquam interpretum nominabo, ne plus fortassè auctoritas quàm ratio apud quemdam valeat. Constituo autem inprimis verba omnia, quæ Juditha protulit seu orando, seu hostes alloquendo, totumque factum, quod ab eâ cum adjunctis omnibus gestum est, non esse necessariò censenda à Spiritu sancto inspirante aut movente provenire, quanquàm mentem consiliumque liberandæ patriæ Deus ipse in Juditham immiserit. Itaque alii interpretum, quod attinet ad verba Judithæ, quæ videntur mendacia, respondent mendacia non esse, quæ ab hoste, qualis erat Juditha, dicuntur, aut fiunt; sed insidias et stratagemata bellica nullis naturæ, Deique legibus interdicta. Vigilet, isti aiunt, hostis armatus : curetne sibi damnum ab iis importetur, qui captare occasiones omnes nocendi possunt : caveat sibi, exploret, non torpescat, fidat nemini : nihil enim est quòd fraudem, mendacium, aut dolum causetur. Notissimum illud est poetæ :

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Verùm non placet hæc responsio plurimis. Stratagematis quidem et dolis in justo bello uti hosti licet, fingere scilicet, simulare, dissimulare, celare quid cogitet : si se ipse quis fallit, putatque teneri ab hoste quoddam consilium, cùm teneatur alterum, vitio vertat sibi imprudens ; sed si quis datâ operâ mendacia procuderit, si recta deceperit, si hostem seduxerit, si assentatus sit, si falsis consiliis deliniverit, si urbis statum aliter ac sit descripserit, si quæ dicit, ea à Dei Spiritu, à Dei providentiâ, à religionis studio proficisci affirmaverit, quod fit à Judithâ toto undecimo capite, contra naturalem æquitatem certò facit.

Respondent alii verba Judithæ veritatem esse, sed explicandam secundùm voluntatem loquentis, quæ, cùm non teneretur veritatem ipsam aperire, potuit obscurè dicere, et sermonis tegumentis involvere, ut Holophernes deciperetur : ipsam autem ita verba sua, et facta comparâsse, ut sensu suo veritatem continerent. Sic, inquiunt, exemplo sint versiculi 12, et seq., cap. 10 : *Filia sum Hebræorum, ideò fugi à facie eorum, quoniam futurum agnovi, quòd dentur vobis in deprædationem....* Hunc enim verum sensum verba habent : *Celeriter discessi instar fugientis, ad vos transivi ; ita enim res ferunt, ut nisi Deus præter communem ordinem subvenerit, atque averterit ipse imminens malum, in manus vestras tradantur : indico autem vobis illorum secreta, id est, fame, et siti propemodùm enectos Bethulienses esse.*

Sed ne hæc quidem gravissimis interpretibus probantur, quæ parùm absunt à priore sententiâ. Nam licèt nihil disputemus de amphibologiis et mentis restrictionibus, paucissima quædam sunt, quæ explicari utcumque possunt : Juditha autem dixit multa quæ bonam interpretationem habere nullo modo queunt. Omitto cætera, illud sumo capitis 11, v. 11, Judæos impiè proposuisse contra legem facere, ut est sanguinem bibere, sanctificata contingere, quod abfuisse omninò à veritate lectio historiæ demonstrat. Et re quidem ipsâ, qui Judithæ sermones ita à mendacio vindicant, ut plurimùm dicunt non historica verba esse, neque humano judicio pendenda, sed prophetica, mystica, arcanaque satis significant, se aliò torquere dicta mulieris, quàm ad res præsentes ; cùm tamen loqui ipsam de præsentibus rebus manifestissimum sit.

Quamobrem alii sine repugnantiâ concedunt illicò, non purgari quidem omninò à mendacio Juditham ; sed mendacium fuisse officiosum maximi boni causâ quæsitum. Rectum, aiunt, erat propositum, rectus consilii finis, quo peccatum, accedente mulieris ignorantiâ, imminutum est. Atverò qui pium studium religionis tuendæ in ipsius animum indiderat Deus, idem certè rationem loquendi ea verba non suggessit. Itaque erravit ipsa, sed errore planè humano, et veniâ dignissimo, quem et multi veterum Patrum, præsertim Græcorum, ut S. Augustinus testis est, crediderunt innoxium. Certè Judæi crassiores, quorum odium erat contra gentes omnes inimicas Dei Israelis acerrimum, arbitrati sunt licere sibi, ut vitam iis qui ad falsum cultum impellebant, quâcumque ratione eripere, ita et dolis omnibus, fraudibus, mendaciis eorum vitæ insidiari. Quid mirum ergo, si in eo ipso errore et bona vidua versabatur? cui condonandum erat, non esse multis viris doctiorem.

Ad alterum quod spectat de ornatu, et illecebris à Judithâ adhibitis ad capiendos Holophernis oculos, inquiunt alii, nihil peccâsse Hæbræam viduam, quia quod Holophernes in ejus concupiscentiam exarserit, culpa non fuit Judithæ, quæ malum alterius propter majus aliud bonum, quod, Deo disponente, se consecuturam sperabat, impedire non tenebatur. Neque enim ipsa alieni peccati causa fuit, neque elegantia, venustas, aut ornatus feminæ illicitum amorem gignit ; sed naturæ hominis corruptio, et latens concupiscentia peccatum parit. Non satisfaciet modestioribus, puto, hæc responsio : nam aliud est non impedire malum ; aliud irritare quempiam, et parare laqueum in quem se conjiciat : imò verò trahatur, si ultro induere se et sponte nolit.

Dicunt alii, noluisse Juditham ornatu illo suo esse scandalo Holopherni ; sed optâsse, ut honesto et casto amore caperetur, conjugiumque ille appeteret, quod sibi optabile erat pro Dei gloriâ, Religionis conservatione, et populi salute. Quanquàm verò probabilibus conjecturis provideret Holophernem non ad castum amorem, sed ad turpem commotum iri ; quia tamen id non ex ipso Judithæ facto, sed Holophernis vitio futurum erat, justissimasque ipsa habebat causas, quare ita faceret, curare optimè potuit ut ille ad amorem pelliceretur. Factum hoc Deo probatum fuisse Scriptura testatur : nam cap. 10, v. 4, de Judithâ comptâ suis omnibus muliebribus ornamentis dicitur : *Cui etiam Dominus contulit splendorem ; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat...* Fortassis verum esse id potest, sed optandum esset utique, ut hæc sententia solidiore fundamento niteretur : vereor autem ne cum eâ voluntate occidendi Holophernis, quam Juditha susceperat, hæc altera voluntas accendendi casti et conjugalis amoris non consistat. Cætera prætereo.

Denique alii tanquàm certissimum statuunt, sanctam undequàque fuisse Judithæ voluntatem ; ipsam pariter animum gessisse ab omni impudicitiæ labe ac specie alienum : quare et summum Religionis studium, et omnem animi præparationem, et sapientiam, et virtutem, ut pars est, maximè commendant : attamen totum factum neque laudant, neque probant. Aiunt usum venustatis, ac muliebrium illecebrarum, quibus amorem aucupabatur, et periculum, in quod venit, accipiendæ injuriæ, pudicitiæque per vim amittendæ vix excusari de peccato posse, quanquàm pura et sublimis ejus mens, præsertim minuente peccatum ignorantiâ, id promereretur à Deo, ut felicem exitum divino auxilio res haberet. Propterea Deus *contulit splendorem*, id est, majestatem tantam, gravitatem, et severitatem dignitati formæ adjunxit, quæ effecit quidem, ut in admirationem raperentur Assyrii milites, nemo tamen ejus pudicitiam attentare.

Prohibuit etiamne Holophernes vim ei inferret, cujus pudorem tuendum ipsemet sumpserat, neve eâ dux abuteretur, cùm in tentorium admissa est. Nam eunucho invitanti ad cœnam respondit ipsa se facturam quod Holopherni visum esset, propositæ sibi honorificæ ducis conditioni, quæ aperta erat et patens, assensum præbuit; insidiosam autem invitationem, quæ sub verbis illis latebat, dissimulavit, eique assensa certè non est, sperans utique affuturum sibi Deum, qui non modò à periculo liberaret, verùm etiam vim tribueret cogitata perficiendi.

Brevibus, felix rei eventus demonstrat mentem et conatum nobilem liberandi ab exitio Judaici populi, ut à Deo Judithæ inditum, sic esse et summis laudibus, et summâ prædicatione efferendum : at felix idem rei eventus non ostendit rationes omnes obtinendi finis à Deo pariter sanctæ viduæ aut monstratas, aut approbatas. Similia ego dicerem de sanctissimâ pariter feminâ Rebeccâ, quæ auctor fuit Jacobo, ut jus primogeniti fratri Esaü surriperet, Genes. c. 27. Potuit Juditha in rationibus eligendis privatum animi sui judicium sequi, potuit decipi, potuit et in eo suo errore habere adjutorem Deum ad perficienda quæ cogitaverat. Interdùm enim Deus gloriæ suæ ostensioni, suique populi beneficio prodigia patrat opera hominum, qui in quibusdam labuntur, præsertim (fas mihi sit ita loqui, rogo) si bonâ fide id agant. Quòd si quis paululùm offenditur sermone, quem sanctissima vidua ad Holophernem habuit, in quo quiddam ambigui verbi videtur esse, is meminerit irreligiosè reprehendi, quibus Spiritus sanctus præconium tribuit. Quòd si præterea de delicto quod sibi videtur deprehendere, difficillimum ei esset rem purgare; hinc demittendi animi exemplum sumet, ubi viderit sanctorum hominum actiones non usquequàque omnes præditas esse sanctitate, in easque, dùm Dei opus facerent, quidpiam et humanæ infirmitatis irrepsisse. Liberavi quomodocumque, et festinanter pro rei magnitudine fidem meam; nunc articulum claudamus.

Libri Judithæ auctorem alii faciunt Eliachimum, sive Joachimum summum pontificem, qui litteras dedit ad Israelem, ut montium angustias occuparet; alii Josuam filium Josedec, socium Zorobabelis. Husserius, Calmetus et plurimi interpretum Israelitam nobis ignotum in captivitate detentum aggressum scribere, ut fratrum suorum ægritudinem levaret. Verisimilior postrema hæc sententia est, cùm ob autographi libri scriptionem Chaldaicam, tùm quia librum de re in Samariæ partibus gestâ, everso jam Samaritico regno visus est Esdras ignoràsse, cùm sacra Volumina recensuit. Quâ de causâ et factum est, non modò non fuisse in Judæorum canone historiam Judithæ repertam; verùm etiam in Regum et Paralipomenon libris non attingi. Nam cùm libri Regum et Paralipomenon ex historiis Regum Juda atque Israelis monumentis annalibus compositi sint; in ejusmodi verò commentariis reperiri historia non potuerit; quæ post eversum à Salmanassare regnum Israelis contigerat, neque potuit eorum librorum compositor historiam commemorare.

ARTICULUS IX.

De Libro Esther.

Estheram virginem Judæam filiam Abihailis fratris Mardochæi ex Tribu Benjamin Susis urbe regiâ in Perside morantis Assuerus rex uxore Vasti repudiatâ junxerat sibi matrimonio, atque in thronum evexerat. Erat tùm apud regem gratiosissimus quidam de stirpe Agag (ut multorum interpretum opinio est), regis Amalecitarum, qui iratior factus quòd Mardochæus non daret flexo genu humillima reverentiæ atque obsequii testimonia à cæteris sibi exhibita, ut injuriam ulcisceretur, exterminium totius Judaicæ nationis Assueri imperio, et terris effusæ moliebatur; jamque edictum à principe extorserat, quo Judæorum omnium in provinciis omnibus miserrimæ cædes fierent, mense *adàr*, februario scilicet nostro, sorte delecto. Mardochæus de gentis totius periculo atque impendente pernicie reginam monet; adit illa regem, rogatque ut ad se veniat ad prandium, atque adducat Amanem; prandio facto, rogat iterùm in posterum diem. Aman tantâ honoris significatione sublatus, cogitat Mardochæi proximam necem, jubetque ex amicorum consilio excelsam trabem erigi, in quâ postridiè regis jussu Mardochæus suspenderetur. Interea regi noctem somno vacuam peragenti, jubentique legi sibi priorum temporum commentarios, in memoriam rediit olim à Mardochæo detectas vitæ suæ structas insidias. Volens autem hominem de se benè meritum præmio donare, præcepit Amani Mardochæum regiis vestibus indutum, diademate coronatum, equo regio insidentem per urbem circumduci. Regina, finito convivio, se Judæam esse regi significat, quod antea, à patruo Mardochæo edocta, celaverat; de Amanis in se totumque Judaicum populum crudelitate conqueritur. Rex, cognitâ Amanis improbitate, jubet principem regiâ benevolentiâ abutentem eidem trabi affigi quam Mardochæo paraverat; edictum contra Judæos latum revocat, novumque signat gratiâ Judæorum, quo de inimicis ulcisci valeant ipso die primùm suæ ipsorum internecioni præfinito. Festum *Purìm*, id est, *sortium*, inde à Judæis perpetuò celebratum est in gratiarum actionem pro insigni adeò beneficio.

De libro in quo hæc refertur historia, tria præcipuè quæruntur. Primò, quis libri auctor; secundò, an divinus liber sit, et totus divinus, qualem in Vulgatâ nostrâ habemus, septem capitibus locupletiorem quàm in hebraicis codicibus; tertiò, quo tempore historia evenerit. Non erimus in hâc re explicandâ justò prolixiores. Exordiamur ab inquirendo auctore, qui tamen non constat. Epiphanio, Augustino, Isidoro visus est auctor libri Esdras; Eusebius recentiori scriptori tribuit; quidam Joachimum summum Judæorum pontificem, Josedechi nepotem, arbitrantur historiam texuisse; plerique Mardochæo opus adscribunt, ad quod etiam nonnulli manum apposuisse Estherem adjungunt. Isti se id deprehendere dicunt ex nono libri

capite, v. 29, in quo referuntur Mardochæus et Esther ea ad Judæos scripsisse. Verùm, ejus loci imagine decepti, satis non caverunt ibi non de toto libro scriptorem loqui, sed de epistolis à Mardochæo in omnes Assueri provincias ad Judæos missis, ut diem *Purìm*, sive *sortium*, solemnem agerent, propter rejectum in capita inimicorum judaici nominis malum; quas quidem epistolas, et in librum insertas non negamus. Capite enim 9, v. 20 et 21, dicitur : *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quàm procul, ut quartam decimam et quintam decimam diem mensis adàr pro festis susciperent, et revertente semper anno solemni celebrarent honore;* vers. 23 : *Susceperuntque Judæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, et quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat;* et vers. 29 : *Scripseruntque Esther regina filia Abihail, et Mardochæus Judæus etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum.* Hæc verba indicant libri auctorem, qui Mardochæi litteras et Judæorum ritum deinceps observatum adnotavit, Mardochæum non esse. Quamobrem nihil magis consentaneum est, quàm magnam Synagogam in admirabilis rei memoriam et significationem causæ, unde festum *Purìm* institutum est, jussisse librum scribi, quem et ipsa probavit, et in sacrorum Librorum canonem retulit; quæ opinio est Thalmudistarum propiùs ad veritatem accedens, et multorum suffragio confirmata.

Liber primùm hebraico idiomate scriptus, et canoni Scripturarum appositus clarum adeò testimonium veritatis et auctoritatis, non modò à magnâ Synagogâ, verùm etiam à toto Judæorum populo, atque à Christi Ecclesiâ obtinuit, ut impiè à Lutheranis quibusdam et Anabaptistis tragœdia videatur, et parabolica commentatio carens dignitate. Numquid celeberrimus dies in hilaritate et lætitiâ transigendus præcipitur quia narrata est fabula? Numquid etiam omnibus antiquitatis temporibus, ut in lib. 2 Machab., cap. 15, v. 37, et Theodosiano codice, Tit. de Judæis, l. *Judæos*, 11, manifestè traditur, lætatum semper à populo Judaico est, revertente Mardochæi die, propter confictam olìm causam, ultionemque de inimicis imaginariam, in quâ divinam virtutem eluxisse fingeretur?

De septem postremis capitibus quidem à versiculo 4 capitis 10 acriùs disputatur. Cùm enim ea in hebraico exemplari desiderentur, putant heterodoxi additamenta esse libro Estheræ facta sine delectu et auctoritate ad ornandam historiam, insitis sententiis, quas cogitare et loqui potuissent, qui tum temporis interfuerunt, cùm res evenit. Cui parti et faverant primùm nonnulli Catholicorum Rabanus Maurus, Hugo Carensis, Lyranus, Paulus Burgensis, Cajetanus, Pagninus, ad quos mirum est et Sixtum Senensem se applicuisse, rati Græcum interpretem de suo, quæ ex tempore dici audirique poterant, addidisse, ut mos est historicis scribere. Nos verò non possumus non probare, septem illa capita ejusdem esse dignitatis, ac reliquus liber sit, licèt nunc in hebraicis voluminibus desiderentur. Universæ enim Ecclesiæ ab Apostolorum temporibus, et Patrum omnium tam Græcorum quàm Latinorum fides hæc fuit, librum Estheris, ut nunc in Vulgatâ latinâ exhibetur, uberiorem hebraicis codicibus divinum esse totum atque canonicum. Probârunt scilicet illi Estheris volumen, cujusmodi in omnibus Ecclesiis legebatur, illudque ipsum quod à majoribus acceperant; atqui unum erat à majoribus transmissum, ab omnibus similiter Ecclesiis usurpatum, cum illis quæ additamenta adversarii appellant; totum ergo quale habemus, probârunt. Non erant tunc variantia exemplaria, neque in uno codice fusior oratio, in alio brevior, ut suspicioni locus esse possit, recepta solùm novem priora capita, reliquis privato judicio relictis. Quare in Ecclesiæ canonem omnia ea perpetuò conclusa sunt, quæ tandem Tridentini Patres apertiùs canonica esse declarârunt. Sanè in interpretum septuaginta seniorum versione additamenta illa obtinuisse tradidit S. Hieronymus præfatione in hunc locum dicens, se ordinem prosequi etiam in Septuaginta editione maluisse. Præsertim verò Origenes, si quis alter est in sacrarum Litterarum scientiâ versatus, in epistolâ ad Julium Africanum, et tomis in Joannem multa protulit, atque inter cætera preces Mardochæi, et Estheræ cap. 13 et 14, ex Græcis Estheræ codicibus, quos à Septuaginta translatos censuit : *In libro Esther, qui est juxta Septuaginta.*

Græcam autem libri Estheræ versionem Septuaginta Interpretum nominamus, non quòd velimus definire totam veterem Scripturam, non solam legem Mosis in Græcum sermonem eos legis peritos vertisse, quos in Ægyptum ad Ptolomæum Eleazarus pontifex misisse perhibetur; sed saltem quòd græcam illam interpretationem, ut et propheticorum librorum atque agiographorum Synagoga vetustissimis temporibus usurpaverit, eamque ad legis Mosaicæ versionem adjunxerit, sive eam viri iidem adornaverint, quos dicunt ab Eleazaro delectos, sive alii quidam paulò post aggressi totum Scripturarum corpus græcè reddere, quod Seniores illi non perfecerant. Quo constituto confirmari facile posse videtur et in Hebraicis exemplaribus, antequàm Græca translatio fieret, hæc additamenta exstitisse, sive libri partes fuisse suis locis appositas, quas Græci expresserunt. Quis enim arrogâsset unquàm sibi libro à Synagogâ consecrato non dicam pauca ad calcem adjungere, sed narratiunculas plures, variasque particulas in medium libri corpus inserere, et profanum cum sacro commiscere? quis pariter fraudem illicò, et dolum non animadvertisset, videns Hebraicum exemplar adeò decurtatum, Græcum verò copiosius? quæve unquàm causa impulisset, perfectæ absolutæque divinæ historiæ auctoritatem et fidem ab autographo ei comparatam interspersis adjunctionibus derogare? Necesse est igitur fateri in hebraico exemplari, quale à Synagogâ legebatur, descripta fuisse omnia quæ postea in Græcâ editione septuaginta Seniorum Græce sunt explicata; vel saltem, ut Huetio visum est, commisso à Synhe-

drii rectoribus negotio describendæ historiæ, plures insignes viros allaborâsse, et eorum aliquos fusiùs rem gestam, reique adjuncta esse persecutos à quibus Græci interpretes omnia sumpserint transferenda; hæc verò eamdem deinceps auctoritatem habuisse, ac quæ in Hebraico canone continebantur, quia magna Synagoga approbaverat.

Fuisse verò historiæ partes in suos quasque locos distributas, quas *additamenta* odioso vocabulo appellant hæretici, facillimum est suadere. Etenim quæ in Latinis codicibus separatim ad libri finem rejecta sunt (rejecit autem datâ operâ Hieronymus secernere volens, quæ in Hebraicis libris, quæque in Græcis tum reperiebantur) eadem servato temporis atque historiæ ordine in Græcis omnia aptissimè collocantur. Somnium Mardochæi in nostris capite 11, à vers. 2, legitur; in Græcis verò initio capitis primi. Eunuchorum conjuratio, eorumque prodita conspiratio in Latinâ editione describitur capit. 12, in Græcâ iterùm capite primo. Artaxerxis edictum ab Amane impetratum de Hebræorum cæde die 13 *adàr;* Græci in capite 3, ut historiæ ordo postulat; nos in 13 caput relatum habemus. Oratio Mardochæi atque Estheris ad Deum, ne totus Judaicus populus cæde deleretur, in Latinis à vers. 8, capitis 13, et toto 14 capite à Hieronymo exponitur; in Græcis capite 4 narratur. Ingressum Estheris ad regem, splendidumque reginæ ornatum Græci codices capite 5; Latini 15 exhibent. Edictum denique Assueri, quo revocatum est illud prius Judæis acerbissimum, apud Vulgatam nostram 16 capite totum librum, claudente; in capite 8, apud Græcam Scripturam reperias. Itaque cùm sparsim in propriis locis apud septuaginta Interpretes collocata singula habeas reliquæ historiæ consentanea, non est cur assuta censeantur ab alio auctore, quàm qui continuato opere Estheris acta digesserat.

Etiamsi verò ab initio in Hebraicis codicibus ea omnia non exstitissent, quæ continentur in Græcis, firmum tamen esset alterum, quod paulò ante posuimus in Ecclesiæ et Patrum auctoritate fundamentum. Et Origenem quidem nemo dubitabit, quidquid in Estheris libro habemus, divinas credidisse Scripturas; testatus enim memoratâ epist. ad Julium Africanum legi in hoc libro preces Mardochæi atque Estheris; legi et epistolas tam ab Amane de Judaicæ gentis excidio quàm à Mardochæo pro Judæorum salute scriptas nomine regis Artaxerxis, licèt ista Hebræi non legant, confirmat Ecclesiarum consensu omnia esse canonica: *Vide ergo ne imprudentes et inscientes abrogemus exemplaria quæ habentur passim in Ecclesiis, et legem statuamus fraternitati ut deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros, assententur autem Hebræis.* Basilius præterea lib. 2, contra Eunomium, à sapientissimâ Esthere orando illud dictum scribit: *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum iis qui non sunt....* à vers. 11 capitis 14 desumptum. Chrysostomus homil. 5 ad populum Antioch. eâ utitur orationis formulâ, quam dicit ab Estherâ usurpatam: *Grata, Domine, fac verba mea, et da sermonem ornatum in os meum,* vers. 13. Augustinus quoque, epist. 262, regium ornatum quo ex necessitate induebatur Esther, odiosum illi fuisse, sicut menstrualem pannum, ex ejusdem Reginæ oratione scribit ad Ecdiciam, vers. 16. Alexander I, quem in duobus superioribus articulis diximus in Tobiæ et Judithæ libris Trinitatis mysterium olim significatum putâsse, similiter ex oratione Mardochæi concludit: *Si Trinitas non est, cur Mardochæus orando: Domine, Domine, Deus omnipotens, omnia in potestate tuâ sunt, dixit?* cap. 13, v. 9. Cyrillus Hierosolymitanus, ne sim longior, catech. 4; Epiphanius, de Pond. et Mens., cap. 28; Ambrosius, lib. 1 de Vocat. gent., cap. 2; Augustinus, lib. 2 de Doctr. christ.; Joannes Damascenus, lib. 4. de Fid. orthod., cap. 28; Hilarius, præfat. in Psalmos; Concilium Laodicænum, cap. ult.; Carthaginense III, cap. 47; Innocentius I, in Epist. ad Exuperium; Gelasius I, in synodo Romanâ, vel locos quosdam tanquàm Scripturæ sacræ commendant à postremis Estheris capitibus sumptos, vel totum librum, qualis apud Latinos exstat, canonicum declarant. Quibus maximum momentum accedit ex Eugenio IV, *pro instructione Armenorum,* et demùm concilio Tridentino, sess. 4, omnes libros ibi descriptos cum omnibus suis partibus, ut canonicos suscipiendos esse decernente. Quis verò tot habens firma causæ suæ præsidia vereatur ultimam historiæ Estheris partem in Latinis codicibus appositam, in Græcis verò toti operi interspersam, canonicam affirmare?

Contraria his, non dissimulamus, multa planè sunt, eaque exaggerata ab hæreticis et catholicis quibusdam, qui malunt solis Hebraicis, quàm et Græcis et Latinis codicibus habere fidem. Aiunt cap. 11, v. 1, apertè dici: anno quarto, Ptolomæo et Cleopatrâ regnantibus, epistolam *Purim,* librum scilicet Estheris in Ægyptum à Dositheo ejusque filio Ptolomæo allatam, quam ipsi dixerant interpretatum Lysimachum in Hierusalem; peccant ergo contra libri auctoritatem, qui ut majorem fidem adjungant præconceptæ opinioni, existimant septuaginta Interpretes græcè totam historiam Estheris transtulisse. Lysimachus ille de suo multa addidit, et in Estheris librum intrusit sub Ptolomæo Philometore, qui centum annis post Philadelphum in Ægypto principatum tenuit. Additamenta verò illa se produnt; nullum enim majus additionis factæ argumentum esse potest quàm inepta illa iteratio genealogiæ Mardochæi capitibus 2 et 11. Insuper verus historiæ auctor noluit epistolas à rege datas exscribere contentus summatim complecti epistolare mandatum. Ita cap. 3, v. 14: *Epistolarum summa* (pro delendis ubique Judæis) *hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent et pararent se ad prædictam diem.* Similiter ut Judæis vicissim jus esset ulciscendi inimicos: *Summa epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris.... notum fieret, paratos esse Judæos ad capiendam vindictam de hostibus suis,* cap. 8, v. 13. At auctor additionum epistolam utramque sigillatim voluit conceptis verbis referre, quæ nobis exhibetur capitibus 13 et 16; addidit ergo novus interpres veteri operi quæ pro libito addenda censuit.

Quamobrem non conveniunt postrema prioribus; in additionibus narratur, ab anno secundo regni Artaxerxis officium in aulâ regiâ datum Mardochæo, data et pro delatione munera; in historiâ verò ne cognitum quidem fuisse regi eo tempore Mardochæum; multò minus gratiâ valuisse, nihilque mercedis pro conspirationis revelatione ei repensum. Deinde Hebræus scriptor ad annum septimum Artaxerxis duorum eunuchorum conjurationem refert; Græcus, atque ex eo Latinus ad annum secundum. Causa item cur Aman Mardochæo irasceretur, in historiæ corpore est obsequii negatio; in additione supplicium, quo duo eunuchi conspirati affecti sunt. Ibi dies 13 *adàr* proditus Judæorum excidio dicitur; hìc 14. Ibi Aman est de stirpe Agag, scilicet Amalecita; hìc animo et gente Macedo, cogitans Persarum regnum in Macedonas transferre; Macedonas autem Estheris diebus, ne nomine quidem, Persæ audierant.

Atque istam amplificationem historiæ Estheris, quæ in Vulgatâ versione antiquâ exstabat, S. Hieronymus planè vitiosam esse docuit præfatione in hunc librum inquiens: *Librum Esther variis translatoribus constat esse vitiatum, quem ego de archivis Hebræorum revelans verbum è verbo expressiùs transtuli, quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate, excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit.* Porrò laciniosæ huic appendici non eam tribuerunt Patres Tridentini auctoritatem, quam reliquæ divinæ Scripturæ obtinent. Partes utique divinorum librorum omnes suscipi ut divinas præceperunt, quas veras partes, germanasque esse constiterit ad libri alicujus integritatem pertinentes; non verò additamenta quæcumque, et lacinias quas inconsideratò interpres apposuerit. Hæc postrema Sixtus Senensis objicit.

Sed paucis infirmamus hæc omnia, et paucis excludimus. Consistere certè utrumque potest, et Lysimachum interpretatum epistolas *Purìm*, et à septuaginta Interpretibus versionem totius libri Estheris susceptam. Annus quartus Ptolomæi, et Cleopatræ ipse est Ptolomæi Philadelphi, cujus anno septimo Seniores à summo Judæorum pontifice delecti græcam versionem Alexandriæ edidisse dicuntur. Isti cùm epistolas græcè redditas jam reperissent in Ægyptum allatas per Dositheum interpretationi suæ easdem intexuerunt; quâ de re censuerunt monendum esse lectorem, qui diversum interpretem ex styli diversitate cognovisset. Etenim si magna Synagoga potuit, quæ Mardochæus et Esther scripserant, in historiam includere, quare Septuaginta græcas Lysimachi epistolas in suam interpretationem transferre non potuerint? Nec quemquam moveat Ptolomæi et Cleopatræ temporibus dici Dositheum Hierosolymis in Ægyptum venisse cum epistolarum versionibus: nam nomina Ptolomæi, et Cleopatræ Ægyptiis regibus, eorumque uxoribus sunt communia, ut nihil impediat, quin ibi intelligamus Ptolomæum Philadelphum, ut censet Epiphanius loco supra memorato: *Accedo de Philadelpho hæc accipientibus,* inquit Grotius.

Bis quoque genealogiam Mardochæi in Græcis exemplaribus descriptam reperimus; item indicatas regis Assueri epistolas, et simul fusè exaratas; sed et multæ id genus repetitiones sunt in divinis Libris, et sæpè scriptores sacri summatim quædam per anticipationem complectuntur quæ postea sigillatim explicant. Hic verò auctor primùm totius epistolæ exemplar tradidit, quale et Josephus in historiâ suâ refert immutatis paululùm verbis; tum summum præcipuumque ipsius argumentum versiculo perstrinxit; quâ in re non video quid contra historiæ leges ab eodem epistolæ et epilogi scriptore peccatum sit. Profectò si Lysimachus Hierosolymis epistolas est interpretatus, publica et vulgata exemplaria Hierosolymis habuit, quæ græcè redderet, et ea quidem Hebraica vel Chaldaica; quia opus interpretatione non erat, si fuissent græcè conscripta, quippe græcorum significatio Hebræis Hellenistis patens erat.

Hæc utique satis esse possunt ad dissolvenda isthæc argumenta: esset autem fortassè expeditior dissolutio, si cum Huetio sentiremus plures Interpretes magnæ Synagogæ mandatu sibi sumpsisse de Estheris historiâ scribere, et quosdam semel strictim, alios iterùm explicatiùs de iisdem rebus sermonem fecisse. Ex quo facillimè refutantur, qui contentiosiùs urgent, dedecuisse Artaxerxen in suo edicto pro Judæis tantam suorum cædem permittere, tam magna de Hebraico populo, deque Judæorum Deo prædicare, et festum diem indicere. Vulgatum sanè edictum erat ad omnes Assueri provincias, nec potuisset interpres vel callidissimus, quin mendacii notam incurreret, et pateret dolus, quidquam inserere, quod Artaxerxes in epistolis non scripsisset. Regem autem Persam tam propenso in Hebræos animo fuisse, non tam regi tribuimus, quàm Mardochæo, cui scribendi negotium datum est, vel quo suasore litteræ prodierunt; sicut priores Judæis exitiosæ missæ erant Amanis suasu et rogatu. Deinde rex eorum cædem permisit, quos cum Amane in suî perditionem consensisse suspicabatur, et festum indixit non magis Judæorum causâ, quàm suî, qui conspiratione non periisset. Deum verò Hebræorum prædicavit multis, seu quia ostensum ei erat, Hebræorum Dei providentiâ Cyro datum esse totius Asiæ imperium, cum quo cognationem sibi intercessisse rex gloriabatur, seu quia ipsemet Dei beneficio traditum sibi regnum et conservatum agnoscebat.

Falluntur tertio loco adversarii, dùm Mardochæi somnium et detectam ab eo conjurationem in idem tempus referunt. Anno secundo Artaxerxis, sive Assueri, vidit somnium Mardochæus antequàm Esthera Assuero nuberet; anno septimo conspiratos detulit. Verba enim, quæ in capite 11, v. 2, habemus: *Anno secundo regnante Artaxerxe*, tempus indicant somnii, quod visum est Mardochæo, non insidiarum, quæ 12 capite commemorantur, in quo etiam verba: *Morabatur autem eo tempore in aulâ regis*, indefinitum tem-

pus notant, non illud idem in 11 capite dictum, ut prætercam desiderari in Græcis illud, *eo tempore.* Eodem verò anno septimo in regis aulâ datus est Mardochæo locus, et vel mercedem aliquam tunc accepit, adeò tamen tenuem et modicam, ut nihil accepisse videretur, et respondere regi roganti ministri potuerint, nihil habuisse, cap. 7, vel postea pro meritis data ei præmia sunt (id ipsum in cap. 12 narratur), cùm regi ex annalium lectione hominis fides in memoriam rediit.

Causæ indignationis Amanis contra Mardochæum plures esse potuerunt: altera quòd Mardochæus superbo principi nollet præstare obsequium; altera quòd eunuchos Amani addictos in regis vitam conspirantes ad regem detulisset. De cæde verò Judæorum decreta ad 13 vel 14 diem mensis *adàr* non est difficile explicatu negotium. Vel enim mendum est in 13 capite, et pro *decimâ quartâ* die legendum est *decimâ tertiâ;* vel biduum deletioni Judæorum constitutum, ut fieri cædes inciperet die decimâ tertiâ, et qui tum evasissent, postridie trucidarentur. Aman dici etiam potuit animo et gente Macedo multis de causis. Primò, Macedones non eos solùm Græciæ populos, quorum imperium Alexander Philippi filius obtinuit, sed Græcos quoslibet, et quoslibet alienigenas in capite 16 scriptor vocavit, cum quibus cognatione junctus erat Aman (ita et in capite tertio, cùm dictus est *de stirpe Agag*, nihil præterea est significatum, nisi ex Persis non fuisse, sed alienigenam). Secundò, non qui hebraicè scripsit, Macedonem vocavit Amanem, sed Lysimacus interpres, qui cùm paulò ante Ptolemæi Philadelphi tempora versionem suam fecisset, quibus Macedones Persis erant odiosissimi, maluit ad majorem indignationem Macedonem dicere, quàm Amalecitam. Tertiò, præter Macedonas Europæos sunt alii populi quidam incolæ Asiæ Minoris Macedones dicti, inquit Harduinus ex Plinio, ad quos pertinere Aman potuit. Quartò demùm, etsi vulgò credatur Aman Amalecita propter stirpem Agag, ut cap. 3, unde originem ducere creditum est; tamen non modò nusquàm apparet ex textu Amalecitam fuisse; sed neque ab Agag Amalecitarum rege fuisse profertum, de quo lib. 1 Reg., cap. 15; nam hebraicè in cap. 3, legitur: *Exaltavit rex Assuerus Aman filium Amadathi Agagæum*, quo nomine verisimile est regionem potiùs quamdam appellatam esse quàm stirpem. Sed ponatur Amanis proavos Amalecitas fuisse de stirpe Agag, nihil prohibet dicere elapsos, cùm Saül et Samuel Amalecitarum genus Deo jubente interfecerunt gladio ipsum verò in Macedoniâ natum, quò majores sui se receperant: Macedonum autem regnum et nomen non adeò clarum quidem erat Assuero regnante; at non omninò ignotum. Imò verò Darium patrem Xerxis, cum Amyntâ Macedoniæ rege res quasdam habuisse scribit Herodotus lib. 5; idcircò eorum gloriam augere meditabatur Aman, vel saltem Assuerus suspicatus est, Amanem de amplificando Macedonum nomine cogitâsse. Quòd si Macedonas pro Græcis in genere sumimus, notum est regnum Persarum tenentibus Dario et Xerxe, Græcos fuisse Persis metuendos; Herodotus, lib. 7, Justinus, lib. 2, Diodorus Siculus, lib. 11.

Sanctus Hieronymus non hæc postrema Estheris capita lacinias vocavit, aut additamenta ex scholaribus disciplinis petita; sed intrusas alias falsò in Vulgatam latinam Estheris versionem sententias, quas ipse in novâ interpretatione explosit; nam supersunt etiam tùm vetustissima quædam latina exemplaria (quale Augustino Calmeto Martianæus exhibuit) cùm ab Hebræis, tum à Græcis discrepantia, abundantiora laciniis. Si enim S. doctor laciniosum dixisset quidquid in Hebræicis Scripturis nunc non invenitur, dicant nobis qui opponunt, cur qui plures alias Græcorum additiones alibi et reprehenderat et exploserat, idemmet à Græcâ Septuaginta versione in latinum sermonem Mardochæi somnium, eunuchorum conspirationem, patrui et neptis preces, utramque et contra Judæos, et pro Judæis Artarxerxis epistolam religiosè converterit et sanctissimè retinuerit, adnotatis locis, unde singula acceperat? Dicant cur commentariis in cap. 1 Epist. ad Galatas, commendet divinam illam fusæ ab Estherâ ad Deum orationis formulam à multis jam Patribus commendatam: *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt?* Credidit ergo Hieronymus divina illa esse atque canonica. Quare cùm varias translationes vitii accusat, non Græcam, quæ varia non est in re nostrâ, nec Latinas inde expressas ubique constantes, sed Latinas quasdam alias multis accessionibus auctas accusat.

Contortam verò Tridentini decreti interpretationem, eidemque synodo apertè contrariam ferre non possumus. Quam enim diremissent unquàm Latini Patres controversiam contra hæreticos, nisi et has partes libri Estheris veras germanasque declarâssent? Libros integros recipi jubent *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt, et in veteri vulgatâ editione Latinâ habentur;* atqui septem capita postrema Estherio exstant in vulgatâ editione, eaque legi in Ecclesiâ consueverunt; sic in missâ feriæ 4 post Dominicam secundam Quadragesimæ epistola legitur ex 13 Estheris capite: Quid ergo prætcrea poscimus, ut eorum auctoritas à synodo comprobetur? Quod nisi ita sit, repudiari jam poterit in Daniele libro historia Susannæ, Beli et Draconis, Canticum trium puerorum, etc., quæ absunt ab hebraicis Codicibus: quam rem ne ii quidem probant, qui in hoc loco à nobis dissentiunt.

De duabus primis quæstionibus hactenùs. Nunc constituamus tempus historiæ, et inveniamus, si fieri potest, magnum illum Assuerum, sive Artaxerxem regem ab Indiâ ad Æthiopiam, qui Estherem duxerit. Primò fixum sit Assuerum maritum Estheris ex Persarum regibus non esse, qui Artaxerxi Longimano successerint, non Artaxerxem Mnemonem, neque Ochum. Res enim sub his regibus gestæ in Hebræorum canone non continentur, quem Esdras et Nehemias Artaxerxe Longimano regnante clauserant; cùm ergo historia Estheris pars sit Hebraici canonis, non

potuit tam seris temporibus evenisse. Rursùs nemo prudens crediderit ante Babylonicam captivitatem Assuerum, vel Mardochæum, vel Estherem in Perside vixisse. Erat quippe Mardochæus ex tribu et stirpe Babylonem translatâ à Nabuchodonosore; quare statuenda epocha est in aliquo Medorum et Persarum rege summam imperii tenente post abductum captivum Jechoniam. Quinam verò ex multis regibus fuerit Assuerus, quæque ipsius uxor Esther, difficile est definire : in varias adeò sententias distrahuntur interpretes, ut nullus regum sit cui quæ in Estheris libro de Assuero dicuntur, non congruere interpretum aliquis non arbitretur.

Ut faciliùs res intelligatur, ponamus jam in medio Persarum et Medorum reges quos suspicio esse queat fuisse Assueros. Nam Cyaxarem, Phraortis filium, Astiagen et Darium Medum, Cyri avunculum, ne dubitamus quidem quin Assueri non fuerint, neque Estherem sibi conjugio junxerint. Nempe isti solis Medis imperârunt, non tot obtinuerunt provincias quot Assuerus Estheris; neque ullam duxêre uxorem quam Estherem esse credere possis. Ex Persis regibus igitur qui longè latèque sunt dominati, Cyrum habemus Darii Mediâ sorore filium, qui, post avunculi obitum, à Medis ad Persas dominium transtulit, totamque Asiam tenuit; deinde ejus filium Cambysen, istiusque successorem Oropastem magnum, qui assumptâ personâ Smerdis filii Cyri, et fratris Cambysis, regnum occupavit. Occiso Oropaste Darius filius Hystaspis Persidi præfecti rerum potitus est; post Darium verò Xerxes, post Xerxem Artaxerxes Longimanus regnavit. Porrò Assuerus de quo quærimus, nequit esse Cyrus : iste enim à morte Darii Medi septem annos tantùm totiusAsiæ principatum habuit, ut scribit Xenophon in Cyropædiâ; Assuerus verò maritus Estheris anno duodecimo imperii sui edictum tulit de Judæorum cæde, Esth., cap. 3, v. 7. Cambysi ejus filio eâdem de causâ neque Estheris nuptiæ, nec quæ in Judæorum gratiam ab Assuero deinde facta sunt, conveniunt; quanquàm eum plurimi interpretes, atque Hebræi in *Sèder Olàm* Assuerum esse velint, quòd libro 1 Esdræ, cap. 4, v. 6, Assuerus nominetur, et ferus atque immanis fuerit. Septem et ipse annis, ac mensibus quinque Persis imperavit alieno semper à Judæis animo. Assuerus autem persicâ linguâ est *tenens majestatem*, quod nomen regibus omnibus commune est. Non nomino Oropasten magum post quinque ab usurpato imperio menses à septem conjuratis interfectum.

Xerxes, Darii Hystaspis filius, Phœniciæ insulas quas pater ditioni suæ adjunxerat, ante duodecimum regni annum amiserat. Præterea anno septimo regni, cùm Susis in regis cubiculum inducta Esther dicitur cap. 2, v. 16, in Græciam expeditionem fecerat, atque Amestrin, quam ab Estherâ quidam immeritò non distinguunt, olim in uxorem duxerat filiam Othanis, sive Ophanis hominis Persæ, crudelem feminam et impotentem, atque ob id à sanctissimâ et modestissimâ matronâ Esthere longè diversam; in isto ergo rege Assuerum jure non agnoscimus. Demùm neque Artaxerxi Longimano possumus Assuerum comparare Assuerus regni initio centum viginti septem provinciis imperabat; Artaxerxis autem regnum angustius fuit propter infelix bellum, in quo Græci patrem Xerxem multis spoliaverant. Assuerus in cunctis maris insulis dominabatur, quas Artaxerxes Longimanus subjectas non habuit. Anno vigesimo Artaxerxis Longimani missus est Nehemias Hierosolymam ædificare, cumque ædificatione prohibere modis omnibus tentârunt Judæorum inimici; at quis credat fuisse prohibituros, si reginam Judæam esse, et domûs regiæ præfectum Mardochæum Judæum cognovissent, quod ignorare non poterant? quis credat etiam nullam futuram in Esdræ et Nehemiæ libris de Estherâ mentionem, si ejus gratiâ propitium regem Hebræi fuissent experti?

Restat igitur Assuerum Estheris fuisse Darium filium Hystaspis et patrem Xerxis. Etenim Assuerus initio imperii super provincias centum viginti septem regnavit ab Indiâ usque Æthiopiam; convivium grande fecit cunctis principibus et provinciarum præfectis; in Susan regiâ urbe sedem habuit, Esther, cap. 1, quæ omnia de Dario Hystaspide alii auctores tradiderunt. Auctor libri 3 Esdræ, c. 3, de regni amplitudine et de parato convivio eadem loquitur, qui sanè, ubi sacræ Scripturæ non repugnat, æquè facit fidem, ac profanus quilibet historiæ gentium scriptor. Eadem confirmat Josephus, lib. 11 Antiq. jud., cap. 6. Herodotus subactos Indos à Dario filio Hystaspis narrat; Plinius conditam ab eo urbem Susan; Ælianus auctam atque amplificatam regiis ædibus, iterùm Herodotus pecunias et thesauros in Susan à Dario coactos. Præterea Assuerus, capite 10 libri Estheris, dicitur omnem terram, et cunctas maris insulas fecisse tributarias; eadem Darius fecit, quem insulis dominatum fuisse affirmant Thucydides et Plato in Menexeno, et Herodotus *institorem* ideò dictum Darium ex tributorum impositione notans, cùm antea Cyro et Cambysi munera tantùm afferri solerent. Darius Aristonam, vel Artissonam singulari præ cæteris amore complexus est, etsi Athossam Cyri filiam primùm sibi junxisset regnum firmaturus, ut refert Herodotus; sed Vasthin alio nomine Athossam dicere possumus à Dario deinde repudiatam, atque in Artissonâ Estherem, sive Edissam internoscere. Et licèt Herodotus Artissonam sororem Athossæ filiamque Cyri nominet, non removemur tamen ab opinione nostrâ; credidit enim ipse Cyri esse filiam. Nam Esther patruo suadente genus et patriam primùm celaverat, vel à Persis Estheris genus per invidiam dissimulantibus ita acceperat Herodotus vel cum ipsis ignorantibus, et Cyri filiam comminiscentibus erravit. Denique Darius in promulgato pro Judæis edicto cap. 16, altissimi, maximi et semper viventis Judæorum Dei beneficio imperium se possedisse fatetur; quod et significat auctor libri 3 Esdræ, et Josephus loco nuper commemorato. Ergo regnante Dario Hystaspis filio, historia Estheris contigit.

Neque opponas Mardochæum Estheris patruum, cùm Darius rex imperabat, ineptum fuisse officio quo à rege in aulâ est decoratus; neque Estherem Darii temporibus juniorem virginem esse potuisse quæ regi jungeretur matrimonio, ejusque animum demulceret. Narratur siquidem capite 2, Mardochæum filium Jair, filii Semei, filii Cis de stirpe Jemini translatum fuisse à rege Babylonis cum Jechoniâ rege Juda; sed quomodò valuerit Mardochæus centenarius gravibus aulæ muneribus fungi, cùm à Jechoniæ migratione ad annum usque tertium Darii Hystaspis, quo paratum est splendidum convivium, plus quàm octoginta anni effluxerint? Esther verò filia fratris Mardochæi, quæ anno Assueri septimo in regis thalamum inducta dicitur, eratque filia fratris, ut putatur, majoris natu Mardochæo, quomodò potuerit ad regias nuptias deligi tam provectâ ætate? Ex quo efficitur Assuerum alium esse à Dario.

Enimverò sunt interpretes, qui ea verba cap. 2, v. 6, post descriptam Mardochæi genealogiam, *qui translatus fuerat de Hierusalem...*, non ad Mardochæum, sed ad Cis referunt proximè nominatum, et propterea aiunt genealogiam Mardochæi usque ad Cis proavum non ultra describi, quia ipse Cis fuit Babylonem abductus. Sunt qui istum capitis secundi locum eodem modo explicant, quo capitis 11, vers. 4: *Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex....* sive ut habet græcus textus: *Erat autem ex captivitate quam captivaverat Nabuchodonosor rex;* id est, de eâ gente Mardochæum fuisse, quam Nabuchodonosor in captivitatem abduxerat; nam totus populus, seu qui Judæâ deportati erant, seu qui Babylone nati, vocabatur captivitas. Quapropter istorum interpretum judicio natus in captivitate Mardochæus frustra senior fingitur sub Dario.

Sed ne cui videamur latebras quærere, ut evadamus, licèt solida hæc putemus, torqueant se qui conjiciunt Assuerum esse Xerxem vel Artaxerxem Longimanum, à quibus Mardochæi ætas cum demandatis illi negotiis componi nequit. Nos fateamur triennem aut etiam quinquennem Mardochæum in servitutem deportatum; fateamur et nonagenarium fuisse, cùm rex præclarissimis honoris insignibus et regiæ domûs præfecturâ cohonestavit: estne hujusmodi ætas impar gerendis negotiis in viro robusto et bonâ corporis constitutione prædito? De Estheris ætate ridiculum est disputare, quando puellam fuisse certò constat. Quis affirmet Abihailem fuisse natu grandiorem Mardochæo? et quamlibet fuerit, quis neget genitam Estherem ab Abihaile in senectute, septimoque Assueri anno puellam fuisse et formâ et moribus rege dignam? Et de hoc argumento hactenùs.

ARTICULUS X.

De libro Jobi.

Etsi de Jobi historiâ et libro interpretes multa disputent eruditionis plenissima, nobis tamen historiæ veritas præsertim, et libri auctoritas defendenda est ab hæreticis oppugnata, in cujus defensione illud solum quod cum eâ necessariò conjunctum in quæstionem venerit, properanter attingemus. Agitur, ut nôstis, de sanctissimo viro patientiæ et fortitudinis laude præstantissimo, cujus magnitudinem animi Deus primùm ærumnis, spoliatione bonorum et prolis, doloribus corporis atque afflictationibus, propinquorum uxorisque conviciis, ac gravissimis animi angustiis eò usque probavit, ut nullum illustrius hominis se totum divinæ voluntati permittentis exemplum proponi nobis potuisse videatur. Quare quantùm ab initio fortem virum depresserat Deus (si deprimi quidem potest, qui semper invicto est animo), tantùm postea auxit, bonisque omnibus cumulavit.

Insignem adeò virum usquàm exstitisse negant Anabaptistæ et Lutherani, quorum errorem antea Thalmudistæ, R. Moses Maimonides aliique docuerant. Librum pariter divinæ non esse auctoritatis hæreticorum quorumdam sententia est, quam multis ex historiâ ipsâ petitis locis se jactant confirmare. Itaque istos errores convellere suminus, et quidem utrumque unâ aggressione refellere, ne longiùs abripiamur, quàm concessum nobis sit in hoc argumento versari. Ut autem nostrum de historiæ veritate institutum illicò pateat, antequàm quidpiam probare suscipiamus, noveritis nihil incommodi futurum, si perinde ab eorum sententiâ distemus, qui rem totam fictam et fabulosam, ac qui nudam apertamque totius rei gestæ expositionem esse volunt, omniaque ad litteram intelligenda. Quid enim absurdi est, si affirmes Jobum pium hominem fuisse gravissimas corporis et animi angustias fortiter perferentem; historiæ verò scriptorem poetico, sublimi, figurarum pleno stylo orationem exornâsse, auxisse, amplificâsse, ut non minùs utilitatis quàm jucunditatis legentibus afferret?

Re quidem verâ Jobum non esse personam quamdam, quam poeta in scenam induxerit, nobis etiam tacentibus alii sacri libri, iique antiquissimi satis probarent. Quid enim est illud Tobiæ cap. 2, v. 12, 15 et 16: *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job.... Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes, et cognati ejus irridebant vitam ejus dicentes: Ubi est spes tua pro quâ eleemosynas et sepulturas faciebas?* Quid illud Ezechielis cap. 14, v. 14: *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus Noe, Daniel et Job, ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum?* Quid illud Epistolæ Jacobi cap. 5, v. 11: *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audîstis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est et miserator.* Unde omnium judicio comprobatum est, propositum nobis esse verum moderatissimi, et patientissimi viri exemplar, quod imitaremur, sive prosperâ uteremur fortunâ, sive premeremur adversâ. An fabella tanquàm exemplum nos adeò moveret, ut sequi deberemus? An Noe et Daniel quibuscum Job societate conjungitur, duæ sunt ludentis phantasiæ imagines, et non potiùs viri Deo acceptissimi? Et beatus Tobias misericordiæ operibus vacans objurgatusne fuerit instar alterius, qui nun-

quàm exstiterit? Nihil dicimus de ipsius familiâ, patriâ, cognatis, amicis, bonis familiaribus, eorum spoliatione per nominatos populos, aliisque narrationis adjunctis, quibus veram historiam à fabulâ discernendi patens argumentum suppeditatur. Nihil de omnium Judæorum consensu, quibus et Aristæam apud Alexandrum Polyhistorem, et apud Eusebium lib. 9 Præparat. evang., cap. 25, adjungere possumus; nihil de Græcorum et Latinorum Patrum et Scriptorum unanimi sententiâ, quos nemo sibi persuaserit pro historiâ fabellam credidisse.

Hinc et divinum esse Jobi librum agnoscit quilibet adversùs religionem et veritatem pertinaciùs non repugnat. Quot sententiæ sunt in Psalmis, in Prophetis, in novi Fœderis Scripturis à Jobo depromptæ, quas facillimum esset referre, nisi in re non necessariâ operam ponere videremur? Verba Psalmi 8, v. 5: *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* verba planè sunt Jobi, cap. 7, v. 17: *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quæ Jeremias dixit cap. 20, v. 14 et 17: *Maledicta dies in quâ natus sum; dies in quâ peperit me mater mea... Maledictus vir... qui me non interfecit à vulvâ, ut fieret mihi mater mea sepulcrum...* ea dixerat Jobus cap. 3, v. 3 et 11: *Pereat dies in quâ natus sum, et nox in quâ dictum est: Conceptus est homo.... quare non in vulvâ mortuus sum?* Apostolus Paulus epist. 1 ad Corinth., cap. 3, v. 19, scribit: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutiâ eorum.* Scriptum est autem in libro Jobi cap. 5, v. 13: *Qui apprehendit sapientes in astutiâ eorum.* Sed hæc mittamus. Hebræi perpetuò in sacrum canonem Jobi librum retulerunt; Græci verò et Latini Patres nunquàm dubitârunt de Jobi libri divinitate. Melithon, in Epist. ad Onesimum; Origenes in Exposit. Psal. 1; concilium Laodicænum cap. ult.; Gregorius Nazianzenus carm. 33; Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4, Illumin.; Epiphanius, hæresi 5, ac libro de Pond. et Mens.; Hilarius, præfat. in Psal.; Hieronymus in Prol. gal.; Augustinus, lib. 2 de Doct. christ., cap. 8; concilium Carthaginense 3, can. 47; Innocentius I, in epist. ad Exuperium; Gelasius in synodo Rom., ut de reliquis taceam, divinam historiæ Jobi auctoritatem comprobârunt; quam et Eugenius IV, in decreto pro Armenis, et concilium Tridentinum canonicam declarârunt. Jam si à perpetuâ et veteris Synagogæ, et novæ Christi Ecclesiæ doctrinâ pro arbitrio nostro velimus recedere, et Librorum sacrorum judicium ingenio nostro usurpare, quid aliud erit quàm totam Religionem funditùs diruere?

His equidem multa opponunt hæretici. Primò, fabulam deprehendi ex narratione ipsâ, cujus initium non est: *Vir fuit*, *sed vir erat*, quomodò fabulas exordiri solemus: *Erat quidam*, *erat quondam*; deprehendi et ex nominibus cum Jobi, tum patriæ et amicorum: איוב *Job* enim hebraicè significat *dolentem, ejulantem, gementem*; *Utz*, *consilium; Tzophar, hominem acutum, celerem; Eliphaz*, *aurum Dei; Baldad, veterem amicum; Elihu*, *Deum ipsum*, quibus omnibus verbis ea parabolica significatio subest quemdam dolentem, gravissimis ærumnis pressum, consilio sapientiâque usum in perferendis constanter malis nunquàm potuisse vel auri cupiditate, vel vetere ullius amicitiâ, sagacitate, prudentiâ, simulatione capi, atque à solidæ virtutis studio dimoveri; ob id, quia fabula est, in fine actûs apparet è machinâ Deus, qui Jobum duplò majoribus bonis cumulat, quàm quæ amiserat, ut fit in fabulis, quæ felicem exitum habent.

Secundò, aliquid saltem innotesceret de Jobi patriâ, genere, religione, vitæ tempore, de libri auctore, siquidem veram historiam haberemus: sed nihil est, quod tantoperè agitetur, nihil, quod sit adhuc incertius, nihil, de quo plura fingantur; parabola ergo est ad morum compositionem scripta.

Tertiò, poeticâ phrasi, quin imò et metro scriptus est liber, quo orationis genere comœdiæ et tragœdiæ conscribi solent; poeticis etiam imaginibus et descriptionibus abundat, cujusmodi sunt angelorum coram Deo concilium, satanæ colloquium, Dei interrogatio ac dæmonis responsio; quòd si hæc figurata sunt, quidni et totum argumentum fingendi causâ et erudiendi scriptum sit?

Quartò, quis credat virum inter Orientales locupletissimum subitò de amplissimis fortunis in tantam egestatem decidisse, eâ malorum sibi succedentium serie, qualis fingitur, repentè perculsum, ab omnibus desertum in sterquilinio sedentem, tergentem ulcerum saniem testâ? quis tres amicos, qui visitatum venerant, septem dies et septem noctes assedisse immotos cibo et potu vacuos, et à Jobi latere non discessisse? Hæc sanè ne Josephus quidem credidit, qui in historiâ suâ Jobum silentio præteriens, satis visus est declarare parabolam esse quidquid de Jobo ferebatur. His argumentis et libri divinitas petitur.

Verùm si quid hæc valerent, multæ certæque historiæ vel ab ipsis adversariis approbatæ in fabellas referrentur. Tanti profectò ista non sunt, ut quidquam contra historiæ Jobi veritatem efficiant: imò verò primum futile est. Quis est qui ignoret orientales linguas imperfectis temporibus carere, et Jobi librum, qui hebraicâ linguâ conscriptus est, tale principium habere non posse, quale ab imperitis quibusdam affertur pro fabulæ indicio? Vertuntur quidem sæpè sive à Septuaginta, sive à Hieronymo imperfecta tempora; sed illa hebraicè perfectissima sunt, nec nisi majoris ornatûs gratiâ, quem Græca et Latina lingua interdum poscit, ita vertuntur. Si ergo legendo: *Vir fuit*, veram historiam habemus, quoniam ita in hebraicis voluminibus legimus, cur historiam esse negant hæretici? Quanquàm optimè Septuaginta et Hieronymus transtulerunt *Vir erat;* significare nempe voluerunt vitæ conditionem in quâ Jobus erat, cùm repentè de summo felicitatum fastigio in imum delapsus in morbos et calamitates incidit. Imperfecto quippe tempore utimur ad significandum continuum aliquod vivendi institutum, quod, adhibito præterito, desiisse omninò videretur.

Nomina verò cùm Jobi, tum amicorum, quæ mysticas significationes habent rei effectui consentientes, argumento non sunt agi fabulam. Abel, Noe, Abraham, Isaac, aliique patriarchæ nominibus suis significant, quod ipsis ipsorumque temporibus evenit; insignes tamen viri fuerunt, quos nemo dixerit imaginarios : multarum siquidem rerum monumenta sunt nomina, ait Chrysostomus homil. 31, in Epist. ad Roman. Quamobrem è contrario Jobum exstitisse concludimus, virum Deo acceptum præferentem nomine, quæ sibi erant eventura. Divino scilicet consilio factum est, ut sanctissimo viro futuro totius patientiæ exemplo nomen inderetur ipsius virtutem significans; quâ ratione et veterum nominibus Patriarcharum ab ipso ortûs initio causam præsignari voluit Deus, ad quam ipsos elegerat. Quæ de Jobi nomine explicamus, ad amicorum nomina, si opus sit, transferantur.

Altera difficultas de Jobi genere, patriâ, religione, ætate, libri scriptore, quanquàm illustrari nullo certo documento posset, non injicit tamen ullam suspicionem falsitatis historiæ. Multi enim occurrunt in historiis viri, multa opera scriptorum, quorum genus, regionem, tempus ignoramus. Non versamur tamen adeò n tenebris in hujus quæstionis tractatione, quin lucis aliquid affulgeat. Experiamur brevibus quædam dicere de terrâ *Us*, unde et genus Jobi explicetur. Initio libri dicitur : *Vir erat in terrâ Us nomine Job*. At tres homines *Us* appellatos invenimus in Scripturis : primum, nepotem Semi, et filium Arami, Gen. cap. 10, v. 23 : *Filii Aram : Us et Hul....*; alterum filium Nachor fratris Abrahæ, Gen. cap. 22, v. 20 et 21 : *Nuntiatum est Abrahæ, quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo, Us primogenitum...;* tertium, filium Disan filii Seir, filii Esaü, Gen. cap. 36, v. 28 : *Habuit autem filios Disan : Us et Aram*. Nati à primo Us Semi nepote, quem Damascum condidisse veteres tradidère, Damascenum agrum in Syriâ incolebant. Posteri Us primogeniti Nachoris incoluère Ausitiden in Arabiâ desertâ propè Chaldæos et Sabæos, ut Bochartus et Spanhemius arbitratur. Us demùm nepos Esaü, ejusque filii sedem posuerunt in Idumæâ, de quâ Jeremias cap. 4 Threnorum, v. 21 : *Gaude et lætare, filia Edom, quæ habitas in terrâ Us*.

Ex familiâ Us nepotis Semi vix ullus interpretum est qui originem duxisse Jobum putet. Posteris Nachoris prognatum nonnulli existimant, moti etiam testimonio Hieronymi in Quæstionibus Hebraicis in Genesin; sed Hieronymum in eo opere sæpè Hebræorum potiùs quàm suam retulisse sententiam, non est qui dubitet. Communior ergo opinio est Jobum Idumæum fuisse, et terram Us eam intelligi, quam Us ex Esaü posteris habitavit. Idumæos pariter sive Arabes fuisse Jobi amicos qui certè non admodùm ex longinquo eum visitatum venerant, plerùmque creditur. Sanè in familiâ posterorum Esaü, Gen. cap. 36, v. 33, describitur *Jobab filius Zare de Bosra*, qui in terrâ Edom regnavit. Hunc Jobab eumdem esse ac Jobum, præter maximam nominis similitudinem summamque affinitatem, præter communem consensum antiquorum interpretum, et clarissimorum Patrum Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Augustini, Olympiodori, Eusebii ex Aristæâ, notissima illa clausula probat ultimo capiti Jobi in codicibus Græcis, atque Arabicis apposita. Græci enim Codices habent : *In terrâ quidem habitans Ausitide in finibus Idumææ, et Arabiæ, et erat ei nomen Jobab*. Arabici verò : *Et Job fuit incola in terrâ Us, in limitibus Edom et Arabiæ*. Quo in Græcorum testimonio notetur Α'ὐς pro Ο'ὐς eos posuisse, sicut Genes. cap. 22, v. 21, Βαῦξ pro Βοῦξ nominârant.

Porrò etsi hæc Græcorum atque Arabum additamenta divinæ auctoritatis non sint; in Hebraicis quippe Latinisque codicibus desunt; magni tamen fieri ab omnibus debent sive ob scriptorum antiquitatem, sive quòd ea Theodotion in suâ versione retinuerit, sive quòd in iis quæ fidei summam non spectant, neque cum Vulgatâ Latinâ editione repugnant, assumi optimè possunt ad historiæ confirmationem, sive etiam magis quòd nullum nobis argumentum suppetit, quo eorum auctoritas infirmetur. Hinc quis non videat, etsi interpretum dissensio sit, satis constare de Jobi genere et patriâ, ut hâc de causâ immeritò Jobi historia accusetur? In hâc enim sententiâ conveniunt optimè et Scripturæ quæ Jobum magnum inter omnes Orientales dicunt, et Patres, qui passim Jobum Arabem appellant. Nam si Idumæam pressiùs nomines, regio est inter Ægyptum et Arabiam ad meridiem terræ Chanaan circa montem Seir ; si latiùs accipias, omnemque terræ tractum à posteris Esaü usurpatum complectaris, protenditur etiam ad orientem Jordanis atque Us, et Galaaditiden et regnum Basan continet, Arabibus Scenitis, Sabæis et Chaldæis contermina. Nos autem cùm sentiamus Jobum unum esse ex Esaü posteris accensendum regibus, qui regnârunt in Edom, *cujus regioni etiam ipse* (Job) *dominatus est*, ut in Græcis codicibus legitur, latiùs Idumæam sumimus ad orientem protensam. Patres verò locuti more antiquorum, qui Arabes ab Idumæis non distinxerunt, Arabem Jobum nuncupârunt.

Hæc de genere Jobi et patriâ. Quod ad religionem et vitæ tempus attinet, nihil dubitamus dicere ante datam à Mose legem Jobum vixisse, et sincerum Dei cultum retinuisse, qualem iis temporibus Idumæi Esavo atque Isaaco progeniti retinebant. Lex enim Mosis nuspiam in toto Jobi libro nominatur neque à Jobo, neque ab ipsius amicis, quanquàm opportunus sæpè fuisset ejus commemorandæ locus. Nihil de mirabilibus Dei operibus in Israelitarum gratiam, neque in Ægypto, neque in deserto narratur à Jobi amicis, quod tamen magnam Jobi doloribus levationem attulisset, suæque ipsorum causæ fuisset patrocinio. Jobus ipse præterea dicitur sacrificia, et victimas obtulisse, quas offerre post datam legem non licuit, nisi solis sacerdotibus ex tribu Levi, et quidem ante fores tabernaculi, vel in templo. Neque facilè crediderim scriptorem ullum sacrum sumere voluisse ac proponere patientiæ exemplum, et fortitudinis ab eo qui non esset genere Israelita; sed ab Idumæo vel Arabe, profano utique homine, si is post initum à Deo cum hebraic

populo fœdus vixisset. Mose ergo recentior saltem non est Jobus, vixitque verum Deum colens, priusquàm lex Israelitis daretur. Fortassè autem historia Jobi contigit paulo antequàm Ægypto abirent Hebræi, vel cùm in deserto iter habebant.

Scriptorem libri re quidem ipsâ ignoramus. Putant quidam Jobum ipsum, relatâ victoriâ, rem omnem gestam scripsisse, quòd nemo de superatis à se fortiter hostibus, et toleratis doloribus instructior esse potuerit. Ita Origenes, lib. 5, contra Celsum, Suidas et alii, quos lubens prætereo. Multi auctorem libri Mosen esse volunt, qui ad fratres in Ægypto oppressos redux ex Madian, vel ipsos in deserto deducens librum scripserit ad eos in mœrore maximo recreandos. Hi verò rursùs divisi inter se sunt : alii à Syriacis, vel Arabicis litteris translationem in Hebraicum sermonem à Mose adornatam : alii historiam primùm hebraicè conscriptam putant : quidam Jobi amicis, quidam Salomoni, quidam Isaiæ opus tribuunt. Verùm quid unquàm, non dicam certum, sed propiùs saltem ad veritatem accedens afferamus, quâve ratione freti in tantâ infirmarum conjecturarum varietate? satius est, ut dicamus cum Gregorio magno, supervacuè quæri scriptorem, cùm auctor libri procul dubio sit Spiritus sanctus : ineptissimè autem ex ignoratione scriptoris concludi fabulosam narrationem in libro contineri.

Ne tamen prætereamus omninò aliquid dicere, ubi probabilis est quædam dicendi ratio : non improbamus eorum sententiam, qui primùm Arabico vel Idumæo sermone conscriptam sive à Jobo, sive ab Eliu, sive ab alio quopiam Idumæo historiam existimant, postmodùm à prophetâ Hebræo, quicumque tandem is fuerit, in Hebraicum idioma conversam. Quod tamen ita intelligendum est, ut Idumæus scriptor paucis rei eventum complexus sit; interpres verò Hebræus multis historiam ornaverit, atque omnia convenienter personis, loco, et tempori expresserit. Enimverò Hebraicè periti nôrunt in Jobi libro multos reperiri Ismaeliticæ et Syriacæ linguæ idiotismos, quos frustra quis interpretari sine operâ Targumim et Rabbinorum commentariis aggrederetur, ut propterea non sine causâ Hieronymus præfatione in hunc librum fateatur se translationem suam *ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, et interdùm Syro*, non ad alicujus veteris interpretis normam exegisse. Quod si verum est, ut est sanè verissimum, quis jam repugnet affirmantibus librum ab homine Arabe vel Idumæo proditum esse, cujus verba et dictiones plures interpres Hebræus retinuerit? Constat siquidem librum ante captivitatem Babylonicam exstitisse, utpote quem in suo canone Esdras concluserit, et Tobias atque Ezechiel visi sint habuisse : permixtio ergo illa, et usurpatio partim Hebraici, partim externi sermonis non potest Hebræo homini tribui, qui scripserit post Babylonicam servitutem, id est post inductos in sanctam linguam barbararum linguarum idiotismos; tribuenda igitur interpreti est ad litteram in aliquibus Arabem vel Syrum scriptorem reddenti. Cùm enim ante captivitatem major esset Hebraici sermonis castitas et munditics, si prophetarum quidam totam historiam de penu suo deprompsisset nullo utens exemplari, puriorem certè Hebraicum sermonem saperet. Cur enim Arabica vel Syriaca verba Hebraicæ orationi aspersisset? Habuit ergo volumen ob oculos alienâ linguâ conscriptum, cujus vocabula pluribus in locis interpretando non immutavit.

Ad tertium, quod oppositum erat, progredimur. Damus poetico stylo, et si velint, etiam numeris ligatâ oratione usum scriptorem ; ergo ne historiæ neganda veritas est, ac si historicas narrationes nemo carmine complectatur? Non modò cantica in Deuteronomio, in libris Judicum et Regum inspersa, verùm etiam psalmos omnes, ac Jeremiæ lamentationes quodam carminis genere prophetæ sacri exposuêre, in quibus etsi prophetica multa habeantur, sunt tamen et multa historica, et argumenta multa ex historiis repetita; igitur et Jobi liber versibus constans historicus esse poterit. Quanquàm in hoc libro aliud solutâ oratione, aliud ligatâ numeris descriptum occurrit; quodque est historicum ab altero ornatiùs atque elegantiùs expresso distinguitur. Nam quod ad Jobi vitam, ad mores, ad prosperitatem, ad calamitatem, ad fortunarum restitutionem spectat, primis duobus capitibus, atque ultimo comprehensum, solutâ oratione conscriptum est totum : cætera verò, quibus Jobi et amicorum colloquia referuntur, numeris metricis illigantur; et in his quidem veri colloquentium sensus exprimuntur diligentissimè, licèt non eadem omninò verba adhibeantur, quibus ii usi sunt; quod facere solent, qui narrationem ornant, et quæ dici pro tempore potuerunt, legentium oculis subjiciunt. Non credimus propterea Jobum doloribus acutissimis punctum, carmine uxorem et amicos allocutum; nec vicissim ipsos versibus vel interrogâsse, vel respondisse : quod sanè non modò non fuisset nec tempori, nec loco, nec personis consentaneum ; verùm etiam ne fieri quidem potuisset : sed libri auctorem, cui omnia dicendi ornamenta conveniebant, quod illi in familiari sermone dixerant prosâ, reddidisse versibus, et sententias, non verba singula retinuisse. Quo scribendi modo nihil omninò detraxit historiæ veritati.

De concilio Dei et angelorum, satanæque interventu, et colloquiis id ab initio præmisimus, quod hùc maximè referebatur. Mitto eorum sententias, qui coactum fuisse, ubi Jobus erat, bonorum, malorumque angelorum concilium, eique Deum præfuisse defendunt, omnemque sermonem ultro citroque habitum, ut scriptor exposuit. Hæc parabolica esse fateor : sic in Evangeliis multas parabolas locutus est Christus : sic in libro Judicum Joathan apologo arbores de Rege eligendo deliberantes inducit. At, inquam ego, verissimum erat à Sichemitis fatuum captum esse consilium in regis electione : verissima, quæ Christus Dominus parabolis docuit; ergo et verum pariter erit, Deo permittente, Jobum à dæmone variis modis cruciatum constanter omnes inimici impetus sustinuisse. Parabolam illam invenit acutè scriptor, ut doceret dæmonem hominibus infensissimum insidias quidem

struere, et perniciem perpetuò moliri; at non torquere, nisi potestatem fecerit Deus, qui sæpè virtutis probandæ causâ sinit homines divexari. Invenit quoque, ut legentium animis suggereret Deum summum esse regem bonis et malis angelis præscribentem officia, ab iisque repetentem officiorum rationes; quam rem significantiore formâ, quàm concilii et judicii explicare scriptor non potuit. Hæc ipsa quippe divinus Spiritus sese attemperans captui hominum atque intelligentiæ, in scriptoris animum indidit, quò faciliùs, quæ sit Dei voluntas, quantum in res creatas imperium, quomodò tot tamque gravia mala poterint Jobo accidere, homines intelligerent, objectâ judicii, accusationum dæmonis, et Dei decernentis similitudine. Multorum interpretum hæc explicandi ratio est, à quâ non admodùm absunt, qui existimant, non eo modo rem actam, quo scriptor narravit; sed ita scriptori visam fuisse, quemadmodùm sæpè prophetis quædam obversabantur animo per visum, non ex rei veritate. Sed hinc inscitè admodùm hæreticus deduceret, omnia in libro Jobi esse parabolica, quando parabolæ in historiis etiam adhibentur ad id quod primùm spectatur, illustriùs significandum.

Ad ultimum respondeo omnia maximè esse credibilia de summâ Jobi egestate, de morbis, de derelictione, si semel illud crediderimus, cui fidem abnegare non possumus, factam à Deo potestatem malis spiritibus spoliandi Jobum bonis omnibus familiaribus, et corpus excruciandi immiti dolore, dummodò vitam non eriperent. Numquid difficile dæmoni fuit, datâ sibi facultate nocendi, malum malo cumulare? Sabæos et Chaldæos excitare ad boves, asinos, camelos diripiendos? incendere oves, et pueros igne, vel fulmine cœlis demisso, et perdere? ventum validum suscitare concutientem et diruentem domos? numquid et distulerit ulcerare, atque ulcera ingerere fœtida, quæ nauseam facerent, propter quam ab omnibus omnium miserrimus desereretur? Si enim id agebat invidissimus Satan, ut fortissimum virum à virtutis statu dejiceret, certè omnia illicò congessit mala, et densavit ictus sine intermissione ullâ, sperans se tot malorum geminatâ congerie tandem victorem fore. Cur ergo non credamus Jobum pridie veluti hominem felicissimum, postridie evasisse miserrimum, et ob id ab omnibus derelictum?

Sed in sterquilinio, inquiunt, sedisse quis credat? Primò, Hebraicæ voces sunt : *Et sedit in medio cineris*; id est in pulvere sedit, ut lugentium mos erat, qui jacebant in terrâ et in pulvere : quemadmodum et solebant facere leprosi ab aliis hominibus procul, ne sanos contagione inficerent. Secundò, sterquilinium potuit dici lectulus, in quo jacebat vir dolorum ulceribus scatens. Tertiò, potuit et sterquilinium esse immundus locus, in quem rudera, purgamenta, et sordes conjicerentur, ibique Jobus sterni. Sed priorem potius ex his sententiis probaverim : nam et de amicis, qui eum visitatum venerant, dicitur vers. ult., cap. 2 : *Et sederunt cum eo in terrâ septem diebus et septem noctibus.*

Amicos verò non dicimus totos septem dies, et noctes totidem ibi mansisse immotos sine cibo, et potu, atque à Jobo nunquàm disjunctos : neque hæc sacer textus indicat iis verbis : *Et sederunt cum eo in terrâ septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem.* Sed veriùs hæc ejus loci interpretatio est : venisse amicos, ad hominis aspectum gemuisse, ploràsse, stupuisse præ doloris vehementiâ, ac tristitiæ magnitudine, et nullis potuisse verbis quid sentirent exprimere, vel credidisse verbis quibuslibet exasperatum potiùs iri dolorem quàm lenitum. Septem verò dies et noctes ei assedisse, magnam quidem partem, nec sine intermissione, quia in urbe manentes, eumque convenientes magnam diei partem usque in seram noctem propè dolentem amicum transigebant, abeundo tamen, et redeundo, ut necessitas aut opportunitas tulisset. Ita Jacob, Genes., cap. 31, dicit Labano, vers. 38 et 40 : *Viginti annis fui tecum..... diu, noctuque æstu urebar. et gelu.....* Ita de Annâ prophetissâ dicitur Lucæ cap. 2, v. 37 : *Quæ non discedebat de templo jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* Nemo tamen credidit hactenùs Jacobum nunquàm se in tectum recepisse; aut Annam nunquàm de templo retulisse pedem.

Silenti demum Josepho prophetas, Apostolos, Synagogam, Ecclesiam loquentem opponimus. Multa alia jam vidimus in Josepho desiderari, quæ in sacris Litteris inveniuntur, suntque certissima. Numeravit tamen ipse libros in canonem relatos viginti, et duos, quem numerum conficere non potuisset, nisi recensito et Jobo. Neque necesse fuit historiam Jobi ab ipso commemorari, quæ nihil conjunctionis habebat cum fratrum suorum historiâ, quam scribendam susceperat.

ARTICULUS XI.

De libro Psalmorum.

Liber Psalmorum ab Hebræis inscribitur *Sepher teilim*, id est *liber hymnorum*, sive *laudum* : quanquàm enim et preces, et postulationes, et querimonias, et descriptiones rerum multarum historicas et prophetias contineat; tamen seu quòd majore parte laudes divinæ celebrentur, seu quòd Dei majestas, potentia, bonitas et rogationibus, et infirmitatis nostræ sensu, et mirabilium rerum prædicatione commendetur, optimè laudum liber dici potuit. Græci Ψαλμοὺ dicunt à ψάλλω, quod est suaviter pulsare; unde et psalterium instrumentum musicum scilicet, quo in canendis Dei laudibus uti veteres solebant, vel etiam volumen divina cantica complectens, aut totus ordo divinorum canticorum. De hoc Psalmorum libro potior et gravior defensio esse debet, in quâ tamen non est opus multis, Deo afflante scriptum esse antiquissimis temporibus, quod Paulus Samosatenus primum ignoranter, et audacissimè contra omnium veterum fidem negavit, quem ex Anabaptistis aliquot secuti impudenter novitatis sacrum Librum accusant. Cætera verò de Psalmorum numero, divisione, auctore, titu-

lis, quæ omnia ab interpretibus quæri solent, expeditam primam causam brevibus subsequentur.

Mirandum maximè est potuisse quempiam dubitare, vetusne, divinumque Psalmorum opus esset, an recentius ab hominibus proprio ingenio absque Dei afflatu et tutelâ conscriptum, cùm tot habeamus et antiquitatis, et divinitatis argumenta. Præterea hàc de re Esdrini canonis auctoritatem, qui argumento maximo est cùm antiquitùs, tum divinitùs Psalmos esse descriptos. Præterea septuaginta Virorum operam, quæ in interpretandis libris à synagogâ jam pridem divinis reputatis versata est. Præterea et argumenta ipsa Psalmorum redolentia antiquitatem. Illud constat in Hebraico populo fuisse multos viros ingenio, et legis studio eximios concelebrantes laudibus, et vicissim canentes in templo Dei præconia magno instrumentorum musicorum apparatu, acceptaque beneficia, victorias, divinas promissionnes hymnis et canticis prædicantes illustri pietatis significatione : quæ omnia ex libris Regum et Paralipomenon intelligimus. Imo verò et ante exstructionem templi cantico describi consuevisse, si quid prosperius evenisset, Mosis, et Barac, et Deboræ exemplo confirmatum est. Hæc verò carmina, quæ in usu populo erant, communia, pervulgata, mandata memoriæ, sæpè concenta, quis unquàm sibi persuadeat aut populi oblivitione, aut Synagogæ incuriâ intercidisse omnia, et nova seris temporibus pro arbitrio excogitata? Quos ergo habemus Psalmos ii à prophetarum ætate transmissi ad nos sunt.

Prophetæ præterea, Christus et Apostoli Psalmorum divinitatis testimonium dant, totiusque libri dignitatis. Capite enim 22 lib. 2 Regum, totus Psalmus 17 descriptus est, et Davidi auctori tribuitur. Libro 1 Paralip., cap. 16, à v. 8, Psalmus 104 et deinde 95 reperitur. Libro 2 Paralip., cap. 7, v. 6, exstat apertissima mentio Psalmi 105 : *Sacerdotes autem stabant in officiis suis, et levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum : quoniam in æternum misericordia ejus.* Isaiam, Jeremiam, auctorem Ecclesiastici, Proverbiorum, Ecclesiastis et verba, et sententias à Psalmis sumptas usurpâsse adeò clarum est, ut supervacaneum sit ingentem earumdem numerum à pluribus Patrum atque interpretum congestum hùc afferre. Christus Dominus, Lucæ cap. 24, v. 44, ait : ... *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis et Prophetis, et Psalmis de me :* de Psalmis autem loquebatur à synagogâ tum legi consuetis, postea Ecclesiæ concreditis. Iterùm Matthæi cap. 22, v. 43 et 44, Hebræos alloquens : *Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos...* Rursùs Petrus, Actor. cap. 1, v. 20 : *Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in eâ, et episcopatum ejus accipiat alter.* Quo loco volumen, in quod sacri Hymni erant relati, totum divinum, et prophetiarum de novâ lege editarum plenum significat Petrus. Similia sæpè Paulus habet de Psalmis multa recitans, eademque Spiritui sancto tribuens : Psalmorum ergo liber et antiquus est et divinus. His firmissimis prophetarum, Christi, Apostolorum testimoniis alia divinitatis Psalmorum argumenta adjungere nolumus, ne pluris facere videamur obscurorum quorumdam hæreticorum calumnias, contemptu potiùs quàm rationibus refutandas.

Abstinere autem non possum quin Psalmorum doctrinam breviter saltem perstringam, quæ tantam sublimitatem, puritatem, divinitatis lucem præ se fert, ut necesse omninò sit divino Spiritu perfusum, imò verò completum fuisse prophetam qui scripsit. Quæ morum sunt, atque actionis vitæ, quàm benè cum integritate doctrinæ de Dei naturâ et sanctitate consentiunt! Discimus ex Psalmis, Deum ubique locorum esse, ubique divinæ ejus præsentiæ honorem præstari oportere, in templis manu extructis non concludi, externâ hostiarum cæde, ustione, suffitu non coli; sed interno cultu, atque animo vitiorum puro, et quem ad iram scelere nostro concitaverimus, detestatione maleficii et melioris vitæ susceptione nobis mitigari. Ibi jubemur et amore et laudibus perpetuis Deum optimum maximum prosequi, ejus mandata omnia facere, legi obtemperare, atque in multâ legis ipsius meditatione assiduè versari : quo pulcherrimas, præstantissimasque res, quas complectitur, agnoscamus magis, atque admiremur. Ibidem vehementer hortatur propheta, ut in Deo spem omnem nostram collocemus, ipsum solum adjutorem præstolemur, non in hominibus habeamus fiduciam, qui nequeunt aut à malis eripere, aut afferre salutem : nihili faciamus, quæ pendent ex fortunâ, quæque dicunt homines bona citissimè elapsura : ut patientiâ utamur, nostram ad Dei voluntatem conformemus, addamus animos in divinâ summâ potestate et bonitate nixos. Quid verò dicam de hominum adversùs homines officiis? Neminem fallere, nunquàm fraudem struere, non mentiri, alterius bona neque eripere, nec surripere, in pecuniâ datâ mutuò quæstum non facere, cuiquam non nocere, ne ei quidem qui damnum aut infert, aut parat : contra verò suum cuique tribuere, justitiam colere nullâ personarum ratione habitâ, innocentes tueri, viduarum atque orphanorum patrocinium suscipere : omnibus denique benè et cupere velle, et facere, præcepta sunt sæpissimè nobis inculcata, ut animo infixa omninò hæreant. Porro hæc, aliaque plurima, quæ præterea, ingenerandæ in animis pietati, iniquitatis detestationi, veræ, solidæque virtutis amori utilissima vivis adeò coloribus describuntur in Psalmis, ut nisi ab hominibus Dei spiritu repletis tradi non potuerint.

Sunt, non inficior, in Psalmis, quæ in speciem offensionem aliquam habent, cujusmodi illa ubi psalmista, totum hominem morte exstingui, atque ad æternum silentium adduci; Deum mortuorum oblitum videtur dicere : item alia, ubi totus ultionem spirat; gravissima mala inimicis precatur, eosque diris devovet; quæ cùm sint notissima, non est opus referre. Verùm cui unquàm suspicio oboriatur opinionem

fuisse cantoris Psalmorum totum hominem interire, et corporis dissolutione æternum tacere? Si censuit David nihil hominis superesse post mortem, quorsùm tandem illa Psalmi 16 (Hebr. 17), v. ult. : *Satiabor cùm apparuerit gloria tua?* sive ut Hieronymus ex Hebraico vertit : *Cùm evigilavero similitudine tuâ*, sive *similitudinem tuam expergefeceris*, sive etiam satiabor imagine tuâ, cùm expergiscar; quæ omnia eodem referuntur. Quod et Hebræi de resurrectione explicant, qui notant Davidem dicere, cùm à mortuis resurrexerit, se ex divini vultûs aspectu plenissimâ felicitate et voluptate perfruiturum. Unum profero R. Scelomoh hunc locum interpretantem : *Tempore futuro*, inquit, *in justitiâ videbo vultum tuum : satiabor visione vultûs tui, cùm mortui expergiscentur à somno suo, qui similes erunt imagini tuæ, quemadmodùm dicitur Genes., cap. 9, quoniam ad imaginem Dei fecit hominem.* Annotaverat autem *Aben Esdra* ea Psalmi 1, v. 5, verba : *Non resurgent impii in judicio*, secundùm Hebraicæ vocis significationem idem valere ac : *Non consistent in judicio, non sustinebunt judicium :* non enim stant in judicio; sed judicium metuunt et horrent, qui sciunt se causâ cadere, qui sententiam obtinere non possunt. Item alia : *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*, Psal. 35, v. 9 et 10. Atque, ut brevi me expediam, illa demùm : *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine! in secula seculorum laudabunt te*, Psal. 83, v. 5.

Igitur cùm Psalmista ait nullas Deo laudes, nisi à viventibus, impertiri posse, neminem in morte esse Dei memorem, de statu, ut aiunt, mortuorum naturali, deque Dei laudibus in cœtu, in Ecclesiâ canendis loquitur. Cùm enim in texendis hymnis se exerceret; cuperet autem Deum, Deique beneficia magis efferre laudibus, rogabat ut ab inimicorum vitæ suæ insidiantium manibus eriperetur, neve sineret Deus se vitâ spoliari; addens concidere mortuorum consilia, nullam è sepulcris exaudiri vocem celebrantium divini nominis gloriam, à nemine mortuorum bonitatem et benignitatem divinam commemorari, neminem festos dies cum populo agere, neque gratulari ampliùs læto animo de bonis Dei largitate acceptis. Et quidem si animo nobiscum ipsi reputemus paucos admodùm fuisse tum qui veram religionem profiterentur, et memoriam excitarent divinæ bonitatis, sapientiæ, potentiæ, majestatis, non mirabimur, si sancti viri ægrè tulerint vocem suam testem non superesse divinarum laudum, et putaverint divini honoris causâ nihil tetrius, nihil tristius sibi esse posse, quàm in sepulcro jacere. Quamobrem dicebat David, Psal. 6, v. 6 : *Non est in morte qui memor sit tuî;* id est qui mentionem tuî habeat, qui laudes tibi tribuat; itaque : *Eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.* Psalmo verò 87, v. 6, ubi dolet se putari tanquàm detrusum in lacum, cujusmodi *vulnerati* (interfecti) *dormientes in sepulcris, quorum non es memor ampliùs : et ipsi de manu tuâ repulsi sunt*, veritus ne peccato Deum à se abalienâsset, queritur se haberi quasi occisum, quem Deus de libro vitæ delet, atque à se rejicit, ac si nollet ampliùs ejus meminisse : quos enim præmaturâ morte eripit Deus, eorum videtur velle oblivisci.

Mitissimum verò fuisse Davidem, hominum lenissimum, longèque abfuisse ab omni vindictæ cupiditate, satis compertum arbitramur. Quo animo Saüli necem sibi molienti pepercit! Quàm justo supplicio ejus interfectorem affecit, etsi ille per speciem commiserationis regi collapso mortem accelerâsset! quàm noluit quemquam adversariorum cæde compesci! quanto studio conquisivit è Saülis domo, quos beneficiis cumularet! cùm ab insipientibus petebatur, *obmutui*, inquit ipse, *et non aperui os meum :* cùm gratis oppugnabatur, bona rependebat pro malis : cùm ei molesti erant, orabat, induebatur cilicio, affligebat se jejunio, eosque quasi amicos et fratres complectebatur. Sed quid hæc persequor? Quòd si de inimicis interdùm, aut etiam sæpè queritur, et precatur mala, non tam suos inimicos detestatur, quàm Dei : imò verò Dei potissimùm et divinæ legis contemptores, qui dolis, cædibus, contumeliis, oppressione, atque omni scelerum genere ita se gerebant, acsi Deus vindex non esset : iis autem temporaria mala optat, ut illis coerciti tandem mala facere desistant. Nihil est enim quod nos faciat dociliores magisque Dei memores, quàm ærumnæ, angustiæ, morbi atque adversa, qui, dum omnia prosperè cedunt, effrenes sumus, Deum à nobis abjicimus, in omnia scelera ruimus. Item, quas imprecationes dicunt, non diræ sunt; sed oracula, et vaticinia, quibus propheta prænuntiat quod erit olim impiis et oblitis Dei eventurum. Nam solent prophetæ diversis modis futura prædicere; modò quasi jam præteriissent; modò quasi haberent ob oculos; modò acsi, quæ vaticinantur, ea fieri postularent. Atque hæc plurium sanctorum Patrum, atque Augustini præsertim et Chrysostomi sententia est. His addatur scriptorem Psalmi pluries loqui in Christi personâ, quem referebat, vexatus ipse, atque exagitatus ab inimicis : quinimò esse Christum loquentem, qui denuntiat gravissimas pœnas Judæis incredulis, et cæteris Christi hostibus à divinâ justitiâ paratas quas et in modum optantis minatur; quoniam lex æterna, atque æternus ordo, à quo nunquàm potest recedere, postulat Deum ultorem esse superbiæ, contumaciæ, perversitatis, quâ adversùs veritatem resistitur, et divinum verbum oppugnatur. Ultimo demùm loco, etsi David ipse mala quælibet inimicis optaverit, nunquàm id ab irâ, odio, ultionis cupiditate profectum esse arbitrabimur; sed divinæ gloriæ justitiæque zelo. Nimirùm sancti homines quemadmodùm ad cœlum jam evecti tanto Dei gloriæ, honorisque studio flagrant, ut ad celeres pœnas ab ipso Deo contra ejus legis contemptores expetendas, atque enixè poscendas ferantur, quales à Joanne, cap. 6 et 19 Apocal., describuntur; ita adhuc degentes in terris, Dei divinæque gloriæ zelo perciti, abreptique illatas eidem ab improbis injurias pati æquo animo nequeunt, ac mallent divinam virtutem et majestatem in præsentissimâ impiorum puni-

tione semper triumphare, quàm ob impunitatem peccati, et ultionis dilationem quidpiam de eâ in hominum opinione detrahi.

Potiore causâ paucis expeditâ, vix opus est dici Psalmos tantummodò 150 cùm ab Hebræis, tùm à Christianis Græcis et Latinis perpetuò recenseri. Psalmus enim 151 de monomachiâ Davidis cum Goliatho *idiographus* appellatus, et à Syro atque Arabe interprete cæteris appositus, etsi à quibusdam priscis Ecclesiæ Patribus memoratus esse videatur, nunquàm tamen obtinuit auctoritatem. Quam enim verò obtinuerit unquàm, qui ab omnibus Hebraicis codicibus semper abfuit, quem in canonem Ecclesia non recepit, quem nemo Patrum est interpretatus vel tum, cùm Psalmos cæteros illustraret? Par ratio sit de 18 Psalmis Salomonis nomine inscriptis, et Græco sermone evulgatis à Patre Ludovico de la Cerda. Quidquid enim ille de iis crediderit, persuadere nemini potuit partem esse ex quinque et mille carminibus, quæ legitur, lib. 3 Reg., cap. 4, v. 32, Salomon composuisse. Imò verò simul atque prodière in lucem, ab eruditis consensum, conclusumque est, auctorem Hebræum hellenistam, corrosis veteribus Psalmis, et sententiis sparsim decerptis, atque in unum collectis, opus illud edidisse. Se quoque parùm versatum in Hebraicæ linguæ scientiâ, et in historiæ veteris studio auctor prodidit, dum Psalmo 8 titulum fecit : *Canticum Salomonis pro victoriâ.* Quam enim unquàm victoriam retulit Salomon, qui summâ in pace semper vixit à nemine lacessitus, neminem provocans? aut quid Græcos interpretes in eâ re est imitatus, qui titulum sæpè Hebraicis Psalmis præfixum למנצח *victorem* reddiderunt, sive *pro victoriâ,* quem *in finem,* sive *in æternum cantandum* Vulgata latina explicare videtur; nunc verò communiter reddunt interpretes *præcentori*, sive musices præfecto? aut cur *pro victoriâ* inscriptus est Psalmus luctûs et querelarum plenus propter Hierosolymam eversam, et actos in exilium Judæos? Facessat ergo opus spurium atque apocryphum.

Ad divisionem Psalmorum quod spectat, divisio in quinque partes, seu libros ab Hebræis quibusdam excogitata potiùs quàm à Psalmorum coactoribus meritò existimatur. Ita autem fermè partiuntur Hebræi libros : primum Psal. 40 finiunt; secundum Psal. 70; tertium Psal. 88; quartum Psal. 105; quintum Psal. 150. Hieronymus enim præfatione in Psalmos ait : *Nos Hebræorum auctoritatem secuti, et maximè Apostolorum.... unum asserimus Psalmorum volumen.* Quare antiquam divisionem illam, dicat quis quantùm velit, vulgatam tamen, et probatam Hebræis omnibus fuisse non efficiet. Apostoli *librum* Psalmorum appellârunt, non *libros* : in Ecclesiæ Scripturis libro uno Psalmi omnes concluduntur. Fateamur ergo, ut unum volumen est, ita unum semper fuisse.

Etsi autem nulla sit libri divisio, est tamen quædam Psalmorum, ut Hebræi alteros disjungant, quos Græci et Latini conjungimus, alteros uno colligent, quos nos dispertimus in duos. Psalmus apud Latinos 9 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo....* in duos tribuitur in codicibus Hebraicis. Decimi verò à vers. 22 exordium est : *Ut quid, Domine, recessisti longè....* inde usque ad Psal. 113, psalmorum numerum uno majorem notant Hebræi, quam nos soleamus; propterea qui nobis decimus est, trigesimus, centesimus, ipsis sit 11, 31, 101, quam numerandi rationem sequuntur et hæretici. Cùmque iterùm psal. 113: *In exitu Israel de Ægypto* in duos secent, novumque Psalmi exordium faciant in eo nono versiculo : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;* iterùm fit ut noster 114 sit 116 in Scripturis Hebraicis. Redeunt tamen nobiscum ad eumdem numerum antequàm psalterium absolvatur. Nam duos alios quos nos dividimus 114. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus;* et 115 : *Credidi propter quod locutus sum,* componunt in unum; uti ex duobus altero 146 : *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus;* altero 147 : *Lauda, Jerusalem, Dominum,* unum faciunt in Psalmo 148; ex quo fit, ut tandem in numerando simus pares. Quæ potior ex his duabus partitionibus sit, quis unquàm definiat? Credibile certè non est Græcos septuaginta Interpretes novam distinctionem invexisse contra veterem consuetudinem cùm Psalmos Græcè reddiderunt. Conjicimus autem Psalmos Esdræ temporibus eo ordine dispositos, quo aut fortuitò reperiebantur, aut pro variâ festorum dierum celebritate, vertente anno, concini in templo solebant, satis apertum distinctionis indicium præ se non tulisse; atque inde factum ut diversa dividendi et conjungendi ratio in Hebraicis et Græcis codicibus iniretur.

Accedit ad hæc quæstio de libri auctore. Quæritur nimirùm Psalmine omnes Davidi tribuendi sint, an aliis etiam prophetis atque cantoribus. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, Cassiodorus, Augustinus Psalmorum omnium auctorem unum Davidem faciunt. Contra auctor Synopseos, Hilarius, Hieronymus, Eusebius Cæsariensis, Isidorus varios fuisse censent, eos videlicet omnes qui nominantur in titulis, Davidem, Salomonem, Asaphum, Idithun, etc. Nobis certissimum videtur maximam Psalmorum partem Davidis esse : nam in fine Psalmi 71 legimus : *Defecerunt laudes David filii Jesse.* Lib. 2 Reg., cap. 23, v. 1 : *Dixit David... egregius Psaltes Israel.* Lib. 2 Paralip., cap. 1, v. 6 : *Stabant levitæ in organis carminum Domini quæ fecit David rex ad laudandum Dominum.* Pro comperto quoque habemus, plerosque ex iis qui titulo carent, Davidis esse. Psalmus enim 2 sine titulo est; attamen Actor. cap. 4, v. 25, Apostoli affirmant à Davide fuisse compositum. Sic et 94 caret titulo apud Hebræos; Apostolus tamen ad Hebr. cap. 4, v. 7, eum Davidi tribuit.

Verùm omnes Psalmi Davidi attribui vix possunt. Primò ob styli differentiam : nam Davidici faciliore et leviore venâ fluunt, attico veluti sapore conspersi; Asaphici verò obscuriores sunt, styli strictioris, vehementis, tristis interdùm et lugubris. Deinde ex lib. 2 Paralip., cap. 29, v. 30, discimus præcepisse Ezechiam Levitis *ut laudarent Dominum sermonibus* (id est

Psalmis) *David et Asaph videntis.* Ergo Asaph non fuit cantor, sed propheta; vel si cantor fuit, fuit quoque psaltes et propheta. Nihil igitur impedit quominùs ipse sit auctor quorumdam saltem Psalmorum ejus nomine inscriptorum. Tertiò, si hæc inscriptio, *Psalmus David*, vel *ipsi David* significat Davidem auctorem esse Psalmorum, in quorum titulo ipsius nomen scribitur, vel saltem ex ipsius formulâ et exemplo eosdem lucubratos, ut nonnulli putant, cur altera, *Psalmus Asaph* non significabit Asaphum esse illorum compositorem, quibus Asaphi nomen præfigitur, vel ad ejus imitationem fuisse cusos? Certè hic titulus Psalmi 61 : *Pro Idithun*, *Psalmus David*, idem sonare dicitur ac Psalmus à Davide compositus, et cantandus ab Idithun; ergo et titulus Psalmi 76 : *Pro Idithun*, *Psalmus Asaph*, idem est ac Psalmus ab Asapho compositus, quem canendum tradidit Idithuno.

Nec diffitemur Davidem vulgò haberi auctorem libri Psalmorum; nimirùm quia plerosque ipse composuit, et mos obtinuit rem à majore parte denominari. At dubitari vix potest quin Davidicis alii multi posteriorum scriptorum et temporum accesserint, addente scilicet Esdrâ vel alio prophetâ, vel magnâ Synagogâ majorem numerum. Nam Salomon dicitur quinque millia carminum composuisse : nullane ex iis ad usum templi fuerint à sapientissimo rege destinata, nulla in Psalterium nostrum digesta? Jeremiam pariter, Ezechielem, Esdram, Haggæum, Zachariam carmina edidisse ut populum reprehenderent, docerent, consolarentur verisimile admodùm est, eosque cantica servitutem Babylonicam, ab eâque liberationem spectantia scripsisse nihil prohibet affirmare. Profectò res Davidicâ ætate posteriores multis in Psalmis narrantur; et Psalmum 136 scriptum fuisse tempore captivitatis Babylonicæ, et 125 aliosque nonnullos in ipso reditu, aut reditu imminente, aut paulò post reditum, non solùm ex ipso argumento probabilissimum est, sed etiam certum videtur. Davidis igitur ii non sunt, sed posteriorum prophetarum. Iis enim qui dicunt Davidem prophetarum more prædixisse, quæ servitutis Babylonicæ tempore eventura erant, libertatem à Cyro concedendam, populi regressum Babylone, templi secundi ædificationem, murorum Hierusalem restaurationem, atque hæc omnia cecinisse carmine, cùm nullâ cogente necessitate, atque ultrò id dicant, nulla ratio cogit assentiri.

Hoc loco rogabit quis : Quandonam, et quis prophetarum Psalmos collegerit, omnesque in unum volumen retulerit. Verùm jam innuimus auctorem collectionis et ordinis quem Psalmi nunc habent Esdram esse, qui sacros hymnos incompositos, et pro scriptorum ac temporum diversitate dispersos in unum librum contulerit, à quâ sententiâ non distant qui aiunt doctores Judæorum, aut Synagogam magnam istud opus digessisse. Nos non semel factam fuisse Psalmorum collectionem, nec eam quam habemus primam omnium conflatam crediderimus. Ezechias lib. 2, Paralip. cap. 29, v. 30, dicitur curâsse ut Psalmi Davidis canerentur. Nehemias, lib. 2. Machab., cap. 2, v. 13, constituisse bibliothecam, congregâsse *de regionibus libros Prophetarum et David.* In fine Psalmi 71, hæc verba leguntur : *Defecerunt laudes David filii Jesse;* manifestum ergo est, jam aliquam fuisse Psalmorum collectionem, priusquàm hæc nostra sive ab Esdrâ, sive à Synagogâ magnâ, seu à sapientibus fieret. Quicumque autem sit qui Psalmos 150 congesserit, certè non fuit ei cura servare temporum ordinem, quem historiæ leges desiderant; sed exscribere et cogere quidquid legentibus utile noverat.

Non esse scilicet Psalmorum ordinem accommodatum tempori, quo scripti sunt, nemo est qui nesciat. Satis enim constat Psalmum 3, eo tempore esse scriptum, quo David Absalomi filii sui persecutionem fugiebat: Psalmum vero 50 multò antea, quando idem David ob duplex adulterii et homicidii crimen fuit à Nathane prophetâ reprehensus; et Psalmum 141, iis circiter temporibus quibus David in speluncâ ob Saulis metum delituit: Psalmum quoque 143, cùm David cum Goliatho gigante pugnaverat. Denique probabile est, ne dicam certum, Psalmum 71 esse omnium Davidis postremum ordine temporis, scriptumque in Salomonem aut mox regnaturum, aut inter ipsa regni primordia; post quem Psalmum ea quæ sæpè commemoravimus, verba ponuntur : *Defecerunt laudes David...* Videmus tamen huic Psalmo non ultimum locum, sed medium propemodùm inter Psalmos constitutum.

Tandem de Psalmorum titulis gravior esset disputatio, si affatim causam expedire susciperemus. Verùm satis erit in medio ponere quid hâc de re plerùmque interpretes sentiant. Et quidem ex titulis quos nunc habemus in capite plurium psalmorum, alii leguntur cùm in textu hebraico, tùm in versionibus græcâ et latinâ: alii in fonte non habentur; sed tantùm in græco et latino rivulo; aliorum denique pars aliqua legitur in hebraico codice, pars verò altera in solis versionibus. Titulos, quos hodiè in fonte non legimus, inde excidisse temporum injuriâ censent aliqui; sed verisimilius est, quos Hebraici Psalmi non præferunt, maximâ saltem ex parte græcæ versioni fuisse inscriptos sive à Septuaginta viris, sive à Judæis Hellenistis græcâ versione vulgò utentibus, sive etiam à Christianis quibusdam, cujusmodi ille est Psalmi 65: *Canticum Psalmi resurrectionis.* Hebraicorum verò titulorum omnium non videtur esse eadem ratio, neque auctoritas. Nam quidam rem indicant et historiæ et argumento planè contrariam, ut Hilarius animadvertit præfatione in Psalmum 59, qui totus, si titulum spectes, deberet esse plenus hilaritatis, quippe pro victoriâ à Davide relatâ adversùs Idumæos; cùm tamen contra totus mœstitiam tristitiamque spiret. Pariter Psalmus 89, vel in Hebraicis exemplaribus Mosi tribuitur; verùm Augustinus inquit credendum non esse Psalmum à Mose compositum, qui nullis ejus litteris inditus est; nisi velis ab aliquo ex posteris Mosis esse conscriptum, qui Mosis progenitoris sui nomen usurpaverit. Quamobrem non absurdè quidam interpretum putant, Hebræos Esdrâ recentiores, cùm viderent quibusdam Psalmis præpositum titulum, aliis non-

nullis qui carebant, pro arbitrio suo et pro argumento quod sibi pertractari videbatur, titulos præfixisse; quos cùm septuaginta Seniores in codicibus invenerint unà cum reliquo Psalmo verterunt; vel etiam fortassè Psalmorum lectorem margini olim pro captu suo, et intelligentiâ inscriptiones apposuisse, quæ ab imprudentibus Scribis deinde ita sunt confusæ, ut sit uni Psalmo affixum quod alteri præmitti debuisset.

Itaque percunctanti, an Psalmorum tituli divinæ sint auctoritatis; judicio nostro, sine erroris periculo responderi potest: Si constaret à viro prophetâ vel à divino auctore scriptos fuisse, nec dubitandum fore quin divinam fidem facerent; sed cùm suspicio gravis sit, qui sunt in Hebraicis codicibus, re non satis accuratè consideratâ fuisse positos; qui verò ab iis absunt, extraneam rem interdùm continere, exspectandum esse apertius Ecclesiæ judicium, ut de omnibus liquidiùs judicetur. Interim quousque genuinorum à suppositis distinctio non fiat, tanquàm à re incertâ definiendâ, esse abstinendum. Quâ enim de causâ putemus sacrum scriptorem uti voluisse titulis, nisi ut explicaret Psalmi materiam et argumentum? Quòd si tituli omnes litteræ et historiæ non respondent, cur Spiritûs sancti operâ scriptos omnes credemus? Si præterea credidissent Patres et interpretes quidquid in titulo est à Deo esse profectum, liberiùsne addidissent nonnulla, detraxissent, pro arbitrio mutâssent, exposuissent, quod tamen in suis commentariis fecerunt? Prætermitteretne Ecclesia in Psalmorum recitatione titulos legere, si canonicam eam partem ad Psalmos spectantem existimaret? aut sineretne tantam scriptoribus opinandi licentiam? aut fierine posset, ut tantam varietatem et dissensionem non modo inter Hebraicos et Græcos, verùm etiam inter Latinos eosdem Vulgatæ nostræ atque antiquiores Codices deprehenderemus?

Sed inquiet quis: Vulgata nostra titulos omnes delectu quolibet et discrimine remoto exhibet; unam ergo eamdemque singulis tribuit auctoritatem; præsertim cùm authenticam Scripturam quoad omnes suas partes Tridentinum concilium declaret. Imò verò aptissimè reponitur, quoniam nullam titulorum distinctionem fecit sancta synodus, visa est divinam auctoritatem non dare omnibus, cùm verisimile non sit divinos declarare voluisse, quos et abesse et abfuisse semper à primigeniis textibus, quosve summo Patrum consensu historiæ ac litteræ repugnare novimus. Authentica quidem est Vulgata nostra; sed titulos Evangeliorum, Epistolarum apostolicarum, et veteris Fœderis librorum capitibus præfixos divinos præterea nemo dixerit. Hinc tamen absit à nobis, ut quicumque demùm ii tituli sint Ecclesiæ mandatu Psalmis inscripti, quorum multi ad Psalmorum intelligentiam non parùm conferunt nihili faciamus. Suum etiam iis est propter vetustatem pretium. At nullâ ratione vel auctoritate conficitur, divinos absque discrimine esse habendos.

Articulum eram de manibus jam depositurus; sed priusquàm id facio, venit in mentem inopportunum non fore, si de nostro Latinæ Ecclesiæ Psalterio pauca subjecero. Antiquioribus seculis, quæ Hieronymi ætatem antecesserunt, utebantur Latini editione Psalmorum, quam *antiquam*, sive *Italam* appellamus; obtinebat autem ea jam fermè ab Apostolis; sed unum non erat Ecclesiarum omnium exemplar: imò verò paria omninò vix reperisses duo; tantaque erat varietas, ut quia alter Psalterio suo quædam addebat, alter demebat, alter etiam novam ex Græco interpretationem moliebatur, tolerari non posset. Hieronymus Romæ agens anno ferè 382, rogatus est à Damaso Pontifice, ut latinam Psalmorum editionem, quam in pluribus constabat à suo exemplo distare, emendaret, atque ad Græcorum codicum fidem exigeret. Recensuit Hieronymus, et magnâ ex parte correxit; sed cursim, ut ipsemet scribit in Epistolâ ad Paulam, ubi tamen et fatetur, *plus antiquum errorem, quàm novam emendationem valere;* nam partim populus veteri editioni assuetus neglexit sancti doctoris castigationes, partim, quod ipse sanaverat, scriptorum vitio rursùs depravatum est. Quamobrem, cùm Bethlehemi degeret anno 384, duæ matronæ pietate insignes, Paula et Eustochium petierunt iterùm à doctissimo viro, ut novam Latinam translationem juxta Senes septuaginta aggrederetur. Suscepit opus S. Doctor summâ diligentiâ, perfecit, notavitque obelo seu veru, et quasi expunxit, quod ab Hebraico textu aberat, Senes verò septuaginta habebant; apposuit autem notam stellulæ, atque adjecit ex Theodotionis traductione sumens, quod in Hebraicis codicibus repererat. De tertiâ interpretatione, quam totam ex Hebraico fonte hausit, cujusmodi inter ejus opera exstat, nihil dico, quippe quam Ecclesia neque in divinarum litterarum canonem retulit, neque christiano populo in publicis cœtibus usurpandam tradidit.

Jam verò altera ex duabus S. Hieronymi aut emendata aut novè suscepta Psalmorum editio, est Vulgata nostra, quam tenemus: nam Italæ seu antiquæ supersunt tantùm quasi fragmenta in Patrum libris: sunt et in Romano Breviario vestigia in Psalmum *Venite exultemus*, in antiphonis et responsoriis; sunt et quidam Missarum introitus, gradualia et tractus inde excerpta; siquidem magnam antiquæ partem transtulerat in suam primam Romanam Hieronymus. Hæc autem Romana certè non est illa vetus quæ apud nos in usu est: etsi enim Romæ adhibita sit, atque in sacris conventibus in Italiâ longo seculorum decursu; in aliis tamen orbis Ecclesiis non adhibebatur; tandem verò Pius V, pontifex maximus etiam in urbe Româ ejus usum suppressit, jussitque Vulgatam suscipi. Retenta tamen consuetudo est Romanæ editionis in Æde Vaticanâ, in alterâ S. Marci Venetiarum, atque in Ecclesiâ Mediolanensi. Itaque veteres nostri Latini Psalmi, ipsi utique Tridentinorum Patrum auctoritate probati, non possunt esse nisi alterius Bethlehemiticæ editionis, quos S. doctor ex Senibus septuaginta expressit, *quorum*, ait ipse in Epistolâ ad Sophronium, *translationem diligentissimè emendatam olim linguæ meæ hominibus dedi.*

ARTICULUS XII.

De libro Proverbiorum.

Salomon Davidis filius, cùm uberrimum à Deo sapientiæ et intellectûs donum accepisset, tria millia Parabolarum, sive sententiarum est locutus, ut lib. 3 Reg., c. 4, v. 32, traditur, quarum illustrem partem in hoc volumen Proverbiorum dictum conjectam esse sine ullâ dubitatione tenemus. Nam initio totius operis præmissum est : *Parabolæ Salomonis filii David Regis Israel.* Capite 10, redit eadem inscriptio : *Parabolæ Salomonis.* Capite rursus 25, repetitur consequentes etiam sententias ejusdem Salomonis esse; sed à delectis regis Ezechiæ scribis sapientibus viris congestas, exscriptas, inque unum volumen relatas : *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda.* Hujusmodi tituli primum toti libro ; tum cap. 10 et 25 inscripti satis superque indicio sunt Salomonem has sententias locutum ; alterum verò scriptorem easdem complexum uno volumine conclusisse : imò verò diversis temporibus factam fuisse sententiarum Salomonis conquisitionem et collectionem. Quid enim opus fuisset ab Ezechiæ viris recens transferri, id est, conferri in unum, si omnes Salomon ipse sententias uno libro edidisset? vel cur repetitum est cap. 10 : *Parabolæ Salomonis,* si Salomon idem erat omnium auctor et scriptor, eodemque tempore posteriores cum prioribus congesserat? nonne abundè in totius libri capite significabatur Salomonem et ipsas ad morum institutionem composuisse ? Hæc igitur una esse potuit novæ inscriptionis et repetitionis causa, ut intelligeretur, qui parabolas invenerit, Salomonem esse ; alium verò, qui descripserit ; et rursùs alium qui olim descriptis collectas recens, agnitasque ejusdem sapientissimi Regis gravissimas sententias addiderit. Et hanc quidem variorum temporum, atque hominem scriptionem probat etiam tam multa earumdemmet sententiarum repetitio, quam certè devitâsset, qui unâ perpetuâque scriptione omnes in unum contulisset. Quocirca ante Ezechiæ tempora quoddam erat vulgatum Parabolarum Salomonis volumen, et fortassè jam erat volumen volumini additum ; tum Ezechiæ temporibus nova ejus præceptorum conquisitio facta est ; tandem ab Esdrâ Scripturarum reliquias colligente, quidquid sententiarum in eumdem scopum inveniebatur, est in hodiernos codices compactum.

Et de omnibus quæ toto 29 capite continentur sententiis, non dubitamus affirmare Salomonicas esse ; at utrùm et quas posteriora duo capita exhibent, eidem auctori tribuere debeamus, res est propter inscriptionis diversitatem multò obscurior. Caput 30 ita incipit : *Verba congregantis filii vomentis.* Trigesimum primum verò : *Verba Lamuelis regis. Visio, quæ erudivit eum mater sua.* Quis unquàm erit iste Congregans vomentis filius ? Plurimi interpretum Salomonem eumdem esse respondent, qui et Ecclesiastes, sive *Concionator* est appellatus, quòd populum in concionem ad audienda vitæ præcepta vocaret, et sententias accommodatissimas morum institutioni colligeret ; vomentis autem filium dictum, quia plenus erat adeò sacræ doctrinæ, ut redundaret, et quasi evomeret ; aut quia filius Davidis erat, quem è corde verbum bonum eructâsse legentibus Psalmos est exploratum. Neque aliter, aiunt ipsi, ea verba accipere possumus, quàm appellativa, non propria. Ecclesia enim Proverbiorum librum, librum esse Salomonis perpetuò tenuit, nec unquàm credi potest Synagogam permisisse aut fuisse permissuram, ut cum sapientissimi regis parabolis aliæ ignoti auctoris conjungerentur.

Verùm è contrario plures admodùm cum interprete Syro, et Chaldæo putant, quemdam virum prophetam nomine *Agùr* filium *Jakè* ætate Salomonis floruisse, lectissimas et ipsum sententias proferentem, dignas, quæ Salomonicis adjungerentur ; eas verò duobus discipulis et familiaribus suis *Ithièl*, et *Uchàl* inscripsisse, qui ipsum interrogârant. Enim verò Hebraica quæ in Vulgatâ nostrâ sic redduntur : *Verba congregantis filii vomentis. Visio, quam locutus est vir cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus*, in hunc alterum modum vertenda esse dicunt : *Verba Agùr filii Jakè, visio* (sive prophetia gravis, difficilis intellectu, sublimisque sententia) *quam dixit vir ad Ithielem et Uchàl.* Hanc, quæ multorum Hebræorum sententia est, non pauca confirmant. Primò, quare unquàm voluisset Salomon, qui in reliquo libro se Salomonem esse apertè prodit, in fine nomen suum allegoricis et metaphoricis vocibus *Congregantis*, et *Vomentis* celare? Deinde styli patens diversitas est, et sermonis inæqualitas, et admodùm dissimilis reliquorum Proverbiorum locutio in 30 capite ; ibi est visio et prophetia, suntque ænygmata ad institutiones morum pertinentia ; cùm tamen Salomon nihil visionis gravis neque prophetiæ sententiis suis complectatur. Tertiò, auctor, cap. 30, v. 2 et 3, hæc loquitur : *Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, et non novi scientiam sanctorum.* Et vers. 8 : *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi ; tribue tantùm victui meo necessaria.* Sed quomodò se ignorantem dicere potuerit Salomon divinâ sapientiâ instructissimus? aut petere ut æquè à mendicitate et divitiis distaret rex potentissimus? Neque modestiam Salomonis quis prætendat hoc loco ; nam propter modestiam, quantacumque fuerit, negari agnita veritas non debuit ; neque efficit modestia, ut contraria iis dici possint, quæ Salomon de se profitetur Ecclesiastis cap. 1, à v. 13, usque ad finem de prudentiâ scilicet, de doctrinâ, de sapientiâ, de omnium rerum investigatione ; quoniam et tum modestissimus erat, cum librum Ecclesiastis scripsit.

Ad prioris autem opinionis causas facilis responsio est. Ecclesia divino Proverbiorum libro perpetuum honorem testata est, eumque sententiis Salomonis constare perpetuò docuit, quin tamen caput 30 Salomonis esse declararet ; sicuti totum Pentateuchum Mosi adscribit, quanquàm ultimum Deuteronomii caput Mosi non asserat. Quare modò fateamur totam in libro Proverbiorum expositam doctrinam à Dei afflatu effluxisse, maximamque ejus partem à Salomone esse traditam. nunquàm credidero admodùm sollicitam

fore Ecclesiam sive Aguri, sive Salomoni caput 30 tribuatur. Cur verò Synagoga passa non fuerit Salomonis parabolis alias accedere, quas pariter Dei numine in Sapientis et Prophetæ animum immissas pro certo tenebat? Agebatur de brevibus sententiis, familiaribus, solidis, acutis, vibratis, facilè in animum fluentibus, ad prudentiam, ad sapientiam, ad œconomiam, ad totius denique vitæ summam compositis, inter quas et locum habere poterant Aguris dicta. Quare non potuerint ad calcem Salomonicarum locari, præfixo præsertim auctoris nomine, ut illæ ab his internoscerentur, et suis auctoribus laus esset?

De capite 31, quod in fronte gerit: *Verba Lamuelis regis. Visio quâ erudivit eum mater sua*, non tanta dissensio est, cui auctori sit tribuendum. Etsi enim sint cum Grotio, qui Lamuelem Ezechiam esse censeant à matre suâ Abiâ filiâ Zachariæ sapientis utique viri eruditum; communiùs tamen Salomonem ipsum à matre Bethsabæâ prudenti matronâ optimis vitæ præceptis imbutum indicari conjicitur. Porrò Salomon fatetur, cap. 4, hujus libri, v. 3 et 4, se à patre et matre edoctum. *Rabbi Nathan* in *Avod* ait, Salomonem à matre Bethsabæâ להיאך *Lamuelem* dictum: Lamuel prætcrea Hebraicè significare potest, *cui est Deus*, seu *cum quo est Deus*, quod singulare Salomonis nomen esse Hebræi agnoscunt, ipsum appellantes et ידידיה *Deo dilectum*, quæ omnia videntur apprimè conjecturam facere credibiliorem. At sive affirmetur sive negetur Salomoni caput istud 31 adscribi debere, parùm refert. Procul dubio totum librum divinæ auctoritatis esse tam Synagoga quàm Ecclesia ab Apostolorum temporibus docuit, confirmatque damnans Theodorum Mopsuestenum in synodo Constantinopolitanâ II, œcumenicâ V, naturali atque humanæ prudentiæ tantùm et doctrinæ Salomonis Proverbia tribuentem; quam sententiam non cogimur pluribus communire: sunt enim levissima quæ opponuntur, et absurdissima. Quis autem moveatur ineptiis dicentium Salomonem ex antiquis gentilium sapientibus doctissimis sententias collegisse, easque suo nomine evulgâsse? Quis pravâ interpretatione illâ versiculi 23, cap. 24, *hæc quoque sunt sapientum*, probari putet è sapientum ethnicorum libris doctrinam quæ sequitur, significari depromptam? Nam ita objiciunt, qui novas opiniones probant. Primum enim malignorum hominum objectum esse, ex Salomonis ætate conficitur, qui multùm præcessit sapientum philosophorum tempora, ut propterea ab iis nihil potuerit mutuari. Satis articulo 2, parte primâ hujus nostri operis explicatum est, Græciæ sapientes omnium celeberrimos, primosque qui opinione doctrinæ floruerint, post hominum memoriam longè à Salomonis temporibus distare. Secundum verò refutatur et à Septuag., et à Symmacho, Aquilâ, Theodotione, et à Syro, Arabe, Chaldæo interpretibus, qui omnes in hunc sensum vertunt: *Hæc autem dico vobis sapientibus: Cognoscere personam in judicio non est bonum;* quibus verbis præceptum sapientibus et judicibus à Salomone datum de fugiendâ personarum acceptione intelligit quilibet præjudicio vacuus rem considerat. Quanquàm si vellemus Salomonem dixisse, viris quoque sapientibus semper esse visum nullius personam accipi in judicio debere, nihil incommodi in causam hanc nostram inferretur.

ARTICULUS XIII.

De libro Ecclesiastis.

Liber qui Græcis et Latinis *Ecclesiastes* est, scilicet *concionem habens;* Hebraicè est *Koheleth*, *congregans* feminino genere, quòd sapientiæ tributum censetur cœtus quasi ecclesiasticos congreganti: est enim complexio sermonis cœtui habiti, ut Græci Latinique Patres sunt interpretati. Et communibus quidem Hebræorum atque ecclesiasticorum scriptorum suffragiis probatum est, Salomonem librum hunc scripsisse: tot enim illius auctoris characteres liber præ se fert, ut etiamsi apertè nomen Salomonis non gerat, ei non adscribere planè non possimus. Capite 1, v. 1, dicitur: *Verba Ecclesiastis filii David, regis Hierusalem* (id est, regis Israel in Hierusalem, ut cap. 1, v. 12); vers. 16: *Locutus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientiâ qui fuerunt ante me in Hierusalem; et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici.* Cap. 12, v. 8 et 9: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas; cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit quæ fecerat, et investigans composuit parabolas multas.* Hæc quippe omnia aptissimè Salomoni conveniunt, eique soli accommodantur in alium non transferenda. Solus ipse est qui reges omnes Hierosolymis imperantes sapientiâ doctrinâque superaverit, Deo ipso id lib. 3 Reg., cap. 3, v. 12, testante: *Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantùm, ut nullus ante te similis tuî fuerit, nec post te surrecturus sit.* Ipse est quem Scripturæ commendant multarum parabolarum auctorem.

Nihilo tamen minùs Thalmudistæ in cap. 1, *Bavâ Bathrâ* Regem Ezechiam auctorem Ecclesiastis judicant, *R. Kimchi* Isaiam, Grotius Zorobabelem. Verùm hæ omnes conjecturæ nullam ex ipsomet libro auctoritatem obtinent. Non nego quasdam apponi notas, quæ in Ezechiam pariter cadunt. Hujus generis illæ sunt, Ecclesiasten dici filium Davidis, Davidis scilicet nepotem, divitem, potentem, quæ et Ezechiæ conveniunt. Has verò ipsas Ezechiæ cum Salomone communes esse, inquam: imò verò Salomoni congruere meliùs, pluresque è contrario Salomonis adeò proprias describi, ut alienæ omninò sint ab Ezechiæ personâ. Sit filius Davidis Ezechias latiore modo, pressiore certè est Salomon. Fuerit quoque ille dives et potens; at Salomon longè fuit ditior, et opibus potentior non modò regibus Juda; sed et Orientis totius, quod non est opus multis demonstrare. An potuit verè de se Ezechias dicere, postquàm multis divitias suas exaggeraverat: *Et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hierusalem*, quod Ecclesiastes de se narrat cap. 2, v. 9? num et se cunctis regibus sapientiorem verè prædicâsset? Unum est, quod Ezechiam propiùs designare videretur, estque titulus *regis Hie-*

rusalem, qui post decem tribuum secessionem inventus creditur, cùm antea *Israelis* reges appellarentur. Attamen Salomon quoque se Hierosolymorum, urbis scilicet principis, in quâ fixam sedem habebat, regem meritò nuncupavit, ut se nominabant Damasci, Babylonis reges.

Porrò neque in Isaiam, neque in Zorobabelem hæc posterior regis Hierosolymorum appellatio quadrat, qui non nisi sumpto alieno regis nomine librum componere potuissent, ut eum sibi titulum arrogarent, quod necesse nobis non est confingere habentibus tot clariores notas Salomonem ipsum auctorem indicantes. Pastor autem de quo sermo est cap. 12, v. 11 : *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno*, non intelligo quare debeat esse potiùs Zorobabel, uti somniatur Grotius, qui mandatum dederit magistris, ut verba sapientum colligerent, et sub personâ Salomonis evulgarent, quam Ezechias, Esdras, Nehemias. Cùm enim ex nullo Scripturarum loco habeatur Zorobabelem colligendis sapientûm dictis incubuisse, inconsideratè locus iste de Zorobabele explicatur; et multò inconsideratiùs quàm si ad Ezechiam, ad Esdram, ad Nehemiam detorqueretur, quos saltem ex scripturis accipimus operam suam in illustrium sententiarum et sacrorum Librorum coactionem contulisse. Si ergo pastoris nomine hominem quempiam significari velimus aliorum utilitati collectis sapientûm verbis consulentem, nemo plusquàm Salomon pastor fuit; si contra Deus sub eo vocabulo exprimitur, totum Grotii argumentum perit. Sensus autem ejus loci plerùmque ab interpretibus iste exponitur. Etsi plures sapientes sint, plures qui consilium dent, plures qui doceant; tamen unus Pastor est, omnis videlicet doctrinæ et sapientiæ fons et auctor, unus Deus est, unus Spiritus sanctus.

Gravius argumentum, quod fortassè dubitationem injicere posset an Salomon Ecclesiastis librum composuerit, sumitur ex usu verborum quorumdam Chaldaicorum, quæ auctor adhibere non potuit, nisi post captivitatem Babylonicam; verba enim quædam sunt ab Esdrâ, à Daniele, à Chaldæis interpretibus usurpata, et Judæis, stante ipsorum regno, incognita, quæ probant auctorem ne Salomonis quidem ætate floruisse. Huic et argumentum aliud subjicitur, in c. 8, v. 2, scriptum esse : *Ego os regis observo*, id est, regis mandata perficio, quod Salomonem dixisse non est consentaneum.

Hæc tamen à meris et ipsa conjecturis pendent, nec quidquam efficiunt. Primò enim non constat Chaldaicane an Hebraica sint potiùs ea vocabula, suntque demùm numero paucissima, quæ in medio Grotius ponit, non prætermissurus certè plura, si reperisset. Nunquàm ab auctore ullo nobis cognito purum Hebraicum sermonem scribente adhibita quidem illa fateor; at si nulla fuit adhibendi opportunitas, cur adhibuissent? Non enim ex quibusdam verbis, quæ facilè ex Hebraicâ in Chaldaicam linguam affinem transferuntur, judicari potest illa ipsa esse Chaldaica, aut scriptori familiare fuisse Chaldaicum idioma; sed ex stylo et majore externorum vocabulorum copiâ et inflexione definitur librum ullum ab aliquo extranei sermonis perito esse conscriptum, vel alteri tribuendum, quàm cui vulgò tribuitur, propter peregrinarum vocum uberiorem admixtionem. Sed detur jam voces quasdam esse omninò Chaldaicas, detur et Arabicas in Hebraicâ Ecclesiastis locutione inspersas. Salomon ipse uti vocabulis illis potuit, qui multam cum mulieribus Ægyptiis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Sidoniis consuetudinem habuerat, ab iisque externum loquendi genus hauserat. Nam Hæbræorum judicium est Salomonem adolescentem Cantica, virum Proverbia, senem Ecclesiastis librum scripsisse, in quo et vitæ ante actæ se pœnitere ostendit. Profectò ex libro ipso dignoscitur, auctorem jam multos annos regnâsse, jam nobiles magnificasque domos exstruxisse, jam vitæ voluptatibus fruitum, jamque mulierum amores ex animo deposuisse. Secundò, plus apud nos valent septuaginta Interpretes, Syrus, atque Arabs, et Chaldæus Paraphrasta, qui vertunt : *Ego* (supplent autem, *dico*, vel, *moneo*), *os regis observa* : id est, moneo, ut regis verbis, præceptisque pareas. Certè in Hebraico exemplari est, observa, imperandi modo. Facillimum autem fuit in Vulgatam Latinam unius immutatione litterulæ mendum irrepsisse. Quòd si quis vellet cum Hieronymo regis nomine Deum significari, nihil omninò esset cum Salomonis majestate non conveniens.

Auctore comperto, planius erit et divinitatem libri tueri contra quorumdam hæreticorum, et Lutheri præsertim calumnias, ab iisque defendere. Nam jure nostro sumimus ex Synagogæ, totiusque Ecclesiæ auctoritate divinum esse librum, cujus præstantiam divinamque doctrinam in descriptis canonicorum Librorum indicibus agnovêre Melithon, Origenes, auctor Synopseos, concilium Laodicænum, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Hilarius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Innocentius I, Concilium Carthaginense III; Gelasius I, in synodi Romanâ, Joannes Damascenus, Eugenius IV, et synodi Tridentinæ Patres. Certè quidem, referente Hieronymo in fine commentarii in cap. 11 Ecclesiastis, accipimus priscos Hebræos fermè deliberâsse librum hunc ex numero sacrorum expungere, quòd in eo omnia vanitatis accusentur; videantur esus et potus, et temporaria corporis voluptas rebus omnibus anteferri; atque homines ad belluinam ferè vitam agendam incitari; sed libri, fine considerato, inter divinos retinuisse, in quo auctor unâ absolutissimâ sententiâ totum opus concludit : *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo; et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato* (Hebraicè נעלם *abscondito*) *sive bonum, sive malum illud sit.*

Quod Hebræis maximè negotium facessebat, eosque, credentes immortalitatem animæ et corporum revocationem ad vitam, ancipites tenuit de libri divinitate, statim occurrit legenti. Sunt enim quædam dicendi formulæ ab auctore usurpatæ non undequaque cum

his duobus fidei capitibus consentientes. Porrò quàm malè hæc audire videtur sententia cap. 3, v. 19 : *Idcircò unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio :* Et iterùm vers. 21 : *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursùm, et spiritus jumentorum descendat deorsùm?* Ex quo id auctor colligit vers. 22 : *Et deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius.* Rursùm cap. 9, v. 5 : *Viventes enim sciunt se esse morituros; mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem; quia oblivioni tradita est memoria eorum.* Et vers. 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* His autem sententiis Epicurei abutuntur, ut negent omnia spiritalia, animamque post solutionem à corpore vivere; sicut et alterâ capitis 2, v. 24, quæ ad fruendum corporeis bonis incitat : *Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis?*

Hæc haud dubiè intellecta perperàm, magnum etiamnùm aperiunt aditum contemptui libri Ecclesiastis. Sed quis cognito comprehensoque auctoris instituto non videat, has veluti caligines, et nebulas veritati offusas dispelli et dissipari, cùm ille sub operis finem ex animo atque ex sententiâ loquitur? De hominis enim morte ait cap. 12, v. 7 : *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Vel unum hujus sententiæ lumen disjicit quidquid obscuritatis et tenebrarum occupat alios locos, in quibus auctor non explicat quid ipse sentiat; sed quid de hominis fine venire in quæstionem possit, aut ab aliis utique plumbeis et sensuum judicia sequentibus conclusum sit. Unde et cùm inquit homines ac belluas uno interitu interire, eamdem affirmat esse coagmentati corporis partium dissociationem, et quod ad externam speciem attinet, eamdem utrorumque abitionem hinc, et migrationem videri. Et cùm dubitantis instar ignorari ait an hominis spiritus attollatur; belluarum verò defluat, non probat hanc ignorantiam; sed voluptuarii hominis, et sensuum illecebris irretiti futurarum rerum ignorationem describit; quin imò et negligentiam pessimam, quâ prætermittit inquirere, quid sit post mortem eventurum. Uno verbo si paululùm diligentiæ, operæ, studii in Ecclesiastis lectione et meditatione quis posuerit, quantulùmcumque illud sit, intelliget voluisse auctorem in opus suum conjicere cogitationes, opinationes et judicia, quæ in hominum mentes cadebant de mundi bonis ac malis, de hominis conditione, ac fine, ipsumque ad operis calcem certam sententiam pronuntiare, ubi concludit totam hominis felicitatem Dei timore, divinorumque præceptorum observatione contineri : quia Deus quidquid boni, ac mali gestum ab homine fuerit, in judicium adducet.

Ista operis totius absolutio est; altera verò velut in disputatione sunt posita, et pro variis hominum vel stultorum vel perditissimorum sententiis agitata in omnem partem. Investigat auctor, quâ in re hominum felicitas collocetur; in quo sanè maximè semper vel graviorum Philosophorum dissensio fuit. Plures in medio opiniones ponit, nihil tamen certi in earum ullâ reperit, et quas modò approbare videbatur, rejicit; et quò penitiùs quæstionem ingreditur, eò fit certior, à nullâ re creatâ beatum fieri hominem posse Prætermittit tandem quæstionem agitare diutiùs, cui nullum unquàm fecisset finem, si omnia quæ dici possent, persequi voluisset, atque in primâ sententiâ seipsum confirmat, nempe cuncta quæ in mundo sunt, vana, fluxa, mobilia, caduca esse, nihil solidi, nihil stabilis, sed unum Deum colendum, ejusque præceptis obtemperandum.

Sunt tamen et qui velint Salomonem suas semper sententias elocutum; nihil autem in ullâ inesse pravitatis, si benè intelligantur. Interdùm enim loqui eum volunt de solâ hominis specie; interdùm de mortuis, qui nihil utique sciunt, quod ad hanc vitam attineat; nullam mercedem actionum obtinent, quia nihil agere possunt, quo quidpiam promereantur; nullam suî memoriam relinquunt, quia ætas, quâ viventes cognoscebantur, illicò præterit. Et verè quidem illud cap. 3, v. 21, dictum, quod malè adeò auribus sonat, Hebraicè nihil omninò habet offensionis : *Quis cognoscit spiritum filiorum hominis? Ascendit ille sursum, et spiritus bestiæ descendit ille deorsùm in terram.* Vel etiam : *Quis novit spiritum filiorum hominis eum esse, qui ascendit sursùm?... quis considerat? pauci profectò...* Verùm de hâc quorumdam interpretum opinione in universum susceptâ judicent alii. Certum est sententias esse plures quæstioni inspersas speciem quamdam habentes mali, quas sano modo possis interpretari, cujusmodi est ex supra allatis postrema. Non enim ibi voluptates corporis cæteris bonis anteponuntur; sed comparatione factâ inter eum qui pecuniis congerendis inservit, cibo et potui parcit, qui propter ingentem habendi cupiditatem noctes insomnes ducit, atque alterum, qui moderate comedit, bibit, partisque labore suo bonis fruitur, stultum illum, hunc feliciorem pronuntiat ac si dixisset : nonne vanissimum est bona multa colligere, se torquere, in doloribus et ærumnis dies transigere, per noctem mente revolvere, in quo laborandum sit interdiù, omnibusque his curis susceptis incerto hæredi omnia relinquere? Utatur ergo homo honestè bonis divinâ benignitate concessis sibi et anxietatem omnem ex animo deponat. In hâc verò sententiâ quid est quod vel in sanctissimo viro reprehendas?

ARTICULUS XIV.
De Cantico canticorum.

Canticum canticorum tertium est ex Salomonis operibus, cujus nomen in textu Hebraico et Græco inscribitur; et quanquàm à Thalmudistis Ezechiæ auctori tribuatur, à recentioribus tamen Rabbinis agnitum, probatumque est Salomonem, qui dicitur, lib. 3 Reg., cap. 4, v. 32, quinque et mille carmina composuisse, hujus cantici inter multa quæ perierant, superstitis inventorem fuisse. Reverà Salomon in plu-

ribus Cantici locis primas agit partes, isque sæpè suo se nomine appellat; ex quo injuriâ dubitârunt Thalmudistæ, utrùm ejus ætate, atque ab ipsomet sit volumen illud litteris consignatum. Quod tamen pro certo habuêre adeò veteres recentioresque Rabbini, Patres omnes atque interpretes, ut iis ne in suspicionem quidem venerit alium auctorem quærere.

Liber iste in Hebraicis exemplaribus titulum habet *Canticum canticorum*, id est, nobilissimum canticum, excellentissimumque, sive epithalamium in quo loquentes inducuntur sponsus et sponsa, et quotquot inde amici et amicæ sponsum sponsamque prosequebantur. Sponsus et sponsa amatorio sermone utuntur, eoque vividiùs ac vehementiùs ultrò citròque animi ardorem exprimente; idque in causâ fuit, cur Judæi eos qui ætatis maturitatem atque annos 30, nondùm attigissent, cantici lectione prohiberent; quod et in Ecclesiâ olim retentum diù est. Persuasum tamen illis semper fuit, librum hunc non esse nudam, nuptiarum gratiâ, compositam cantilenam maritales Salomonis amores spirantem, sed et allegoricè explicandam. Neque enim credendum, inquiebant, eo Cantico rem tantùm profanam quæ sanctitatis nihil habeat, contineri: in catalogum quippe sacrorum Librorum nunquàm Synagoga Canticum retulisset, nisi excellentissimum quid esset, sublimiores spiritales sensus occultans sub cortice litteræ.

Ab hâc Hebræorum persuasione recessêre interpretes quidam, inter quos Grotius (nam Theodorum Mopsuestenum, hæreticos à Philastrio commemoratos atque Anabaptistas mitto), qui putavêre Salomonem unicè intendisse de amoribus suis erga sponsam, vel Abisag Sunamitidem vel Pharaonis regis Ægypti filiam scribere. Hoc autem argumento ducuntur. Litteram nihil sonare, nisi teneriores animi affectus viri atque uxoris mutuo amore calentium: librum verò non modò non abundare ullis aut morum, aut religionis præceptis, sed ne respersum quidem ullibi esse, et ubique Dei nomen sileri. His alii omninò contraria sentiunt, qui arbitrati nihil nisi allegoricum et spiritale in Cantico reperiri, negant Salomonem vel minimùm de suis nuptiis aut maritali amore cogitâsse; solum purissimum Dei amorem, aiunt, erga Synagogam, in Judæorum sententiâ ibi declarari; multò verò clariùs, juxta omnes Catholicos, summam Christi Jesu benevolentiam sive adversùs Ecclesiam, quam sibi sanguine suo acquisivit, sponsam, sive adversùs animam præditam sanctitate, quam sibi in fide et charitate consociat. In hujus sententiæ patrocinium afferunt locos omnes cantici, qui si ad litteram accipiantur, profanum amorem inspirant; imò et cupiditates accendunt. Afferunt quoque locutiones multas sæpè occurrere, quas neque ad Salomonem, neque ad sponsam, quæcumque ea sit, possis accommodare; v. g., Salomonem esse regem, pastorem, fratrem sponsæ, electum de millibus, florem campi, lilium convallium, efficientemque accubitu suo, ut sponsæ nardus odorem suum spiret; sponsam verò esse vinearum custodem atque ovium juxta pastorum tabernacula, filiam vinitoris spoliatam ab excubitoribus, et vulneratam; ergo omnia allegorica sunt.

Has duas utrinque opiniones deserendas esse putamus, in quarum neutrâ nobis planè satisfacimus; et quemadmodùm nunquàm in animum nostrum inducemus, librum semper pro divino habitum ad humanas solùm animi affectiones, etsi innoxias exprimendas et excitandas compositum fuisse, ita et nunquàm iis assentiemur qui in hoc opere nihil de Salomonis nuptiis actum defendunt. Nam, ut à primâ exordiamur, quare unquàm Canticum in canonicis libris ab Esdrâ recensitis locum haberet, si præter profanos, terrenos et periculosos legentibus amores nihil exhiberet? quid haberet boni liber, qui neque ad morum compositionem conduceret, neque ad fidei dogmata tuenda adhiberi posset, nec divinas virtutes justitiam, misericordiam, sanctitatem, potentiam animo lectoris objiceret? quid haberet boni, ut in sacrorum numero censeretur? imò verò quid non haberet mali, si profanis oculis, et corde minùs casto legatur? Errat enim Grotius, inquiens librum canonicum haberi potuisse, modò spirituali sensu intelligi queat et explicari; etiamsi spiritale illud auctor non spectâsset. Nam deceptam primum Synagogam, tam Christi Ecclesiam, et maximo errore lapsam dicere cogeremur, quæ ut divinum commendat librum, nihil tamen nisi connubiales amores complectentem; tum verò et Ecclesia ipsa falsa traxisset nos in errorem probans Canticum tanquàm divino afflatu conscriptum, quod totum humano ingenio inventum per se atque ex instituto eos flagrantioris amoris igniculos excitaret, quos fovere conjugi adversùs conjugem liceret, at probus alter quilibet exortos teneretur extinguere.

Aliorum verò opinio, qui omnia allegoricè in Cantico, et figuratè, nihilque historicè scriptum volunt, non cohæret cum ipsius argumento, in quo planissimum est auctorem nuptias Salomonis celebrare voluisse. Nam Salomonis nomen, opes, potentia, strata, uxores, concubinæ, stipatores aliquid innuunt et historicum, et præsens, nempe nuptias quarum oblatâ sibi occasione animum auctor scribendum appulit. Cap. 3, v. 7 et seq.: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi; uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.... Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.* Et cap. 6, v. 7: *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.* Hæc enim omnia nuptias Salomonis cum regis Ægypti filiâ Sunamitide ex Salomonis nomine appellatâ ita apertè ostendunt, ut sine causâ negetur historicum omnem sensum prorsùs abesse. Neque scirem ullo modo explicare, cur hìc sexaginta reginæ et octoginta concubinæ tantùm numerentur, cùm lib. 3 Reg., cap. 11, v. 3, reginas septingentas et concubinas (ju-

stas uxores quidem, at servas, non heras, vel secundi ordinis, sine instrumento dotali ac solemnibus sponsalibus ductas, ut inquiunt Hebræi) tercentas habuisse Salomon legatur, nisi cum interpretibus dicerem à rege sapientissimo Canticum fuisse elaboratum, et nuptias celebratas, cùm tantam uxorum multitudinem sibi nondùm adjunxerat.

Quamobrem duos jungendos esse sensus sine ullâ cunctatione asserimus, historicum alterum, alterum spiritalem à Spiritu sancto ambos intentos, quos appellari litterales ambos non modò non repugnamus; sed etiam atque etiam assentimur, et volumus, quorum utrumque auctor spectavit, alterum in altero conclusum de Christi et Ecclesiæ, sanctarumque animarum beato conjugio castisque deliciis. Ad sensum hunc utrumque discernendum facillimè adducemur, si primùm persuasum animo habuerimus in sacris Litteris sub casti et divinitùs instituti conjugii imagine individuam Christi Dei atque Ecclesiæ conjunctionem notari; ac sponsi sponsæque nomina ad Deum, atque Ecclesiam Ecclesiæque membra stabili fide cum Deo juncta transferri. Quam rem et Apostolus Paulus, cap. 5, ad Ephes. v. 32, docuit, asseverans viri et mulieris conjugium *Sacramentum magnum* esse *in Christo et in Ecclesiâ;* et beatus Joannes in Apocalypsi Sponsam Christi et agni non semel Ecclesiam nominans. Itaque Salomon Christi Domini typus, de quo dixerat Deus lib. 2 Reg., cap. 7, v. 14: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium....* cùm Pharaonis filiam sponsam Ægyptiam duceret, quæ pariter figura erat Ecclesiæ ex alienigenis et gentibus coituræ, Psalm 44, v. 11 et 12, carmen festivum edidit, in quo non tam castos suos amores suamque fruitionem boni canebat, quàm sanctissimas Christi Jesu cum Ecclesiâ, justisque animabus nuptias in suo illo conjugali fœdere adumbratas. Et quia epithalamicon illud carmen ad nuptiales Hebræorum festivitates accommodari decebat, quibus cum sponso et sponsâ delecti juvenes, adolescentulæ virgines, et comitum turba intererat; idcircò omnes Salomon in scenam veluti induxit, omnibus suas partes, omnibus varias personas attribuit, quo et splendidius, et mirâ varietate elegantius, et festiviùs drama videretur. Atverò ut in omni suo colloquio, et amoris significatione, in votis, suspiriis, exspectantis sponsæ languore, et potientis deliciis, in comitum dictis atque actionibus, in omni florum, fructuum, hortorum, fontium, lactis, vini, odoramentorum sumptâ similitudine humani amoris motum et vim, atque innocuas voluptates mirificè descripsit; sic Dei benevolentiam et studium adversùs Ecclesiam, animarum divinâ charitate flagrantium cùm gemitus, tùm gaudia, divinique amoris incitamenta, ubertatem, divitias prædicare sibi proposuit.

Nempe Salomon divini Spiritûs plenus cernens illo amoris et connubii sui symbolo cœlestes amores et spiritales Christi nuptias præsignari, mentem sustulit, easque, dùm suasmet celebrabat, Cantico complexus est prophetarum more, qui rebus præsentibus futurarum typis ad novæ legis mysteria prænuntianda utebantur. Quâ occasione ita usus est rex sapientissimus, ut positâ historiæ basi significationem vario, nobili, elegante et figurato stylo ad Christum Dominum Ecclesiæ, et fidelis animæ diligentissimum, ut sancti Patres interpretantur, transtulerit, atque ipsius beneficia, gratias, amorem adversùs Ecclesiam, animasque justorum vivum expresserit. Hâc de causâ Ecclesiæ Patres visi sunt, nullâ historici sensûs ratione habitâ, in spiritali altero unicè versari, quem primùm à Spiritu sancto intentum, et cujus gratiâ epithalamium suum, figuram epithalamii Christi Domini composuisse Salomonem crediderunt. Sed etsi mysticos sensus tantùm scrutati sint, et docuerint Cantica mysticè intelligenda, historicum tamen à litterâ inseparabilem de amoribus et nuptiis Salomonis, quem verba præ se ferunt, non negàrunt, qui et sub nuptiarum apparatu amorem cœlestium inspirari dixère. Quisnam verò erit iste nuptiarum apparatus in cortice litteræ, nisi apparatus nuptiarum Salomonis?

Istâ duorum sensuum historici et mystici non tam distinctione quàm complexu nos ab omni eorum invidiâ liberamus, qui Canticum quoquo modo reprehendunt, aut Salomoni non convenire tenaciùs pugnant. Non enim, quod primo loco à Grotio afferebatur, verum est, molliores tantùm atque ardentiores viri et uxoris affectus in Cantico describi; cæteroquin castas aures potiùs læderet, nec unquàm sacris Libris fuisset accensitum. Sanè littera amores Salomonis in sponsam suam refert; sed voluntas Christi erga Ecclesiam sponsam suam ostensa; sed spiritalis sanctarum mentium voluptas; sed casti jucundique animorum complexus, morum concordia et affectuum consentanea in alterum charitas; sed sanctæ nuptiæ intelligendæ sunt, eòque erigendus est animus, non grammatico sensui adhærendum. Falsum pariter est neque componendis moribus, nec Religioni tuendæ Canticum prodesse. Quis enim altiùs mentem elevans ad Dei amorem erga homines, quem sub allegoriâ epithalamii Spiritus sanctus prædicat, non sentiat se ad mutuum amorem Deo rependendum accendi et inflammari? aut quis inde cognoscens propensissimam Dei voluntatem, bonitatem, misericordiam, pro quâ nos beneficiis amplissimis cumulare paratus est et studet, de sublimissimis rebus ad Religionem spectantibus non erudiatur? Hos in se non experitur animi motus, neque hanc doctrinam percipit, qui profanus est, non ignoro; verùm numquid nostra perversitas ratio erit, quâ sacra et profana metiamur? Denique licèt Dei nomen taceatur, falsum est præteriri Deum; quia sub imagine sponsi, fratris, amici, dilecti, Salomonis regis pacifici, Deus ipse exhibetur Ecclesiæ, et animæ justi præsentissimus. Hæc autem nomina conciliant magis amorem sibi, quàm si divina alia adhiberentur.

Neque è contrario ex locis quibusdam Cantici profanos amores redolentibus, si ad litteram intelligantur, aptè concluditur ad Salomonis amores nihil referri; imò verò si institutum argumentum totum usquequàque spiritale esset, et nihil de Salomonis nuptiis ageretur, sub quarum imagine et cœlestes venirent, nun-

quàm illos dicendi modos auctor usurpasset. Quia Salomon sponsæ amore incensus erat, affectus suos aliquantò vehementiùs, et quasi audaciùs expressit, quæsitis similitudinibus et metaphoris, quas naturæ, atque ingenio hebraici sermonis, et Orientalium consuetudini admodùm ab usu nostro remotæ, concedi necesse est; personæ tamen quam sponsus gerebat in Cantico, modò pastoris, modò regis, modò fratris accommodatis. Nostrates amatores vulgò solis, lunæ, auroræ, stellarum, ocelli, corculi et præcordiorum, si velitis, et vitæ, aliisque id genus nominibus sponsam vocant, ejusque pulchritudinem commendare, suumque amorem testari ex quâdam harum fermè rerum specie solent. Hebræis verò sua peculiaris erat et amoris sui declarandi, et pulchritudinis sponsæ celebrandæ ratio: ab eâ non discessit Salomon pro gentis suæ more, eaque Christi et Ecclesiæ laudes dicere voluit. Quòd si molliores quidam dicendi modi legentium aures offendere videantur; ideò evidentius fit ad res divinas sub humanis figuris latentes animum esse avocandum, et aliud planè studium ponendum in hujus libri lectione, quàm ad Græcorum ac Latinorum molliora epithalamia legenda afferatur. Quocirca, cùm epithalamium istud ad diversam multo normam compositum sit, ac græca et latina scribantur, nemini mirum esse debet, si plura neque Salomoni, neque sponsæ conveniant, et tam variæ inducantur veluti in scenam personæ. Nam sæpè scriptores sacri veteris Testamenti figuram et typum deserunt, et ad rem significatam illicò rapiuntur, ex quo fit, non omnia quæ scribunt in typum et figuram quadrare. Sic de Davide, de populo Hebraico, exempli gratiâ, cùm sermo haberi cœperit, extemplò ad Messiam, ad novam legem transfertur, et ita translatus typo aptè non convenit. Sed sicut ab re quis inde colligeret Davidem, aut populum Hebraicum figuram non esse Messiæ et Christiani populi, nihilque in litterâ de iis haberi; ita immeritò in re nostrâ negatur conjugium Salomonis typum esse conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, et Salomonis nuptias omninò præteriri silentio.

Iterùm in epithalamiis Hebraicis non orationis unitas quærenda est, quam in Græcis et Latinis postulamus; sed in Hebraicis latiùs vagatur, et excurrit oratio; et sponsus, ac sponsa varias personas assumunt ad majorem argumenti venustatem et elegantiam. Cujus rei causâ affertur et epithalamium Hebræorum non uno constare cantico (unde et Cantica sancti Patres dicunt), sed pluribus, septem scilicet partibus, quæ septem diebus respondeant celebrandæ maritali festivitati ex consuetudine constitutis. Quare sponsus modò regis, modò pastoris, modò fratris, modò vinitoris sub specie exhibetur sponsam alloquens; et vicissim sponsa reginæ pascentis oves, sororis, virginis rusticulæ personam induit, et colloquia inter se miscent loco, tempori, officio consentanea. Utrumque ergo consistit, et Christi, Ecclesiæque conjunctionem mysticè, et Salomonis nuptias historicè in Cantico prædicari.

ARTICULUS XV.

De libro Sapientiæ.

Duplex de hoc argumento gravis est, altera conjunctis Catholicorum viribus contra hæreticos de libri divinitate, altera inter Catholicos etiam ipsos interpretes de auctore mota controversia. At quia properandum nobis est, sermonem, quantùm fieri poterit, contrahemus. Itaque quoad primam quæstionem eadem est de Sapientiæ libro, ac reliquis deutero-canonicis ratio, ut quanquàm à vetere Synagogâ probatus non sit, multis divinum esse ostendatur. In novo enim Testamento multa Apostoli ex Sapientiæ volumine deprompsêre, quæ, ne prolixiores hìc simus, et in Daniele Huetio, prop. 4, et in Natali Alexandro Hist. eccles. vet. Testam. dissert. 6, art. 6, prop. 1, legi possunt. Exemplo inter plurima illud sit Epistolæ ad Rom., cap. 9, v. 21: *An non habet potestatem figulus luti ex eàdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* quod à Sapientiâ cap. 15, v. 7, acceptum est: *Sed et figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad usus nostros unum quodque vas, et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter, quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus.* Sit et alterum ad Hebr. cap. 1, v. 3, de filio Dei, *qui cùm sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus....* quod sumpsit Apostolus à Sapientiæ cap. 7, v. 26, de Sapientiâ ipsâ scriptum: *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Cætera prætereo.

Clarior verò atque efficaciór est sanctorum Ecclesiæ Patrum auctoritas, qui testati quanto in pretio in suis Ecclesiis Sapientiæ liber haberetur, se à traditione suam de libri divinitate doctrinam hausisse eo ipso significant. Quomodò enim credamus sanctos viros sine duce et magistro ejus libri laudes prædicâsse, eoque usos ad fidei veritates explicandas? Dionysius, lib. de Divin. nominib., cap. 4: *Scripturæ sacræ institutionibus invenies quemdam hæc dicentem de divinâ Sapientiâ, amator factus sum pulchritudinis ejus*; quæ cap. 8 Sapientiæ, vers. 2, in nostris Bibliis habentur: *Amator factus sum formæ illius.* Justinus Martyr, in Dial. cum Tryph., illud Sapientiæ, cap. 2, v. 12, objicit: *Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris.* Origenes lib. 7, in epist. ad Rom. ait; *Hoc et Sapientia per Salomonem dicebat; quia corruptibile corpus aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem*, Sapient. cap. 9, v. 15; Cyprianus, lib. de Mortalit., illud Sapientiæ, cap. 4, v. 11 et 14: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.... placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*, Spiritûs sancti doctrinam esse affirmat. Et Clemens Alexandrinus lib. 1 Strom., alterum cap. 3, v. 2: *Visi sunt oculis insipientium mori*, à divinâ Sapientiâ dictum de martyribus scribit. Idem, ut paucis multa complectamur, veritati testimonium præbent Tertullianus, de præscr

Hæret., cap. 7; Eusebius, in lib. Præpar. Evang.; concilium Sardicense in epistolâ synodicâ apud Theodoretum, lib. 2 Hist. Eccles., cap. 8; Basilius lib. 5 contra Eunom.; Hilarius, enarrat. in Psal. 127; Epiphanius, hæres. 76; Optatus Millevitanus, lib. 4; Ambrosius, serm. 8 in Psalm. 118; concilium Carthaginense III, can. 47; Innocentius I, in epist. ad Exuper.; Gelasius I, in Synodo Rom., aliique à Natali Alexandro commemorati, quos mitto, ut D. Augustini, quem præterire nequeo, argumento utar.

Augustinus libro præsertim de Prædestinatione sanctorum, cap. 14, cùm scripsisset S. Cyprianum posuisse, in lib. de Mortalit., illud Sapientiæ: *Raptus est ne....* quod à se quoque positum repudiabatur à fratribus tanquàm non de libro canonico adhibitum, pergit dicere: *Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesiæ Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longâ annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione divinæ auctoritatis audiri.... qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet, ut istum librum Sapientiæ, ubi legitur; raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, omnibus tractatoribus anteponant, quoniam cum sibi anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crediderunt.* Argumentis hisce ducti Tridentini Patres, scilicet consideratis divinitate doctrinæ, prophetico scriptoris spiritu, atque universali Ecclesiarum omnium, et Christiani nominis societatum approbatione, quæ seculorum lapsu obtinuit, in sacrorum Librorum canonem Sapientiæ librum retulère: quorum decretum nulla convellere hæreticorum perversitas poterit.

Jam generales hæreticorum cantilenas contemnimus, quas ut supra præoccupavimus, librum nempe Sapientiæ à canone Hebræorum abesse, et primis Ecclesiæ seculis ab Ecclesiâ usquequàque diffusâ pro divino non habitum. Quid enim hæc prohibeant publicam divinæ auctoritatis existimationem ei libro nunc accessisse? Hebræi licèt in canone librum hunc nunquàm habuerint, tamen, ut S. Epiphanius, lib. de Pond. et Mens., et S. Joannes Damascenus, lib. 4 de Fid. orth., cap. 17, inquiunt, *utilem et fructuosum crediderunt, et extra arcam conservârunt ad eorum distinctionem, quos Esdras in canonem recensuerat.* Ignotum profectò non fuisse Synagogæ volumen Sapientiæ, imò verò à Judæis laudatum, accepimus ex *Rabbi Moyse Bar Nachman*, qui in prooemio Pentateuchi laudat, et Syriacè atque Hebraicè recitat illud ex magnâ sapientiâ Salomonis à se exscriptum: *Optavi, et datus est mihi sensus; invocavi, et venit in me Spiritus Sapientiæ, et præposui illam regnis et sedibus....* quod Sapientiæ cap. 7, v. 7, legimus. Primis verò Ecclesiæ seculis ab omnibus Patribus sacer liber non est habitus, neque ab Ecclesiis omnibus probatus canonicus propter causas, quas librum Tobiæ explicantes protulimus. Neque Calvinistæ consentiunt sibi, dum hæc opponunt: nam et epistolam ad Hebræos, et Apocalypsin Joannis, aliasque epistolas habent pro canonicis, quanquàm primis Ecclesiæ seculis de earum divinitate à quibusdam sit dubitatum. Si ergo in novi Testamenti libris certò dignoscendis aliquod iis argumentum suppeditatum est, quod nonnullas olim Ecclesias latuit, cur Ecclesia Christi certiora habere argumenta non potuerit definiendi Sapientiæ librum esse divinis adjungendum?

Singularia quæ Calvinistæ exaggerant ad Sapientiæ auctoritatem labefactandam sumpta ex eodem libro, hæc sunt quibus responderi est operæ pretium. Sapientiæ, cap. 10, v. 14, dicitur, à Sapientiâ allatum Josepho regni sceptrum; et vers. 15 et 17 Hebraicum populum justum fuisse in Ægypto, et inculpatum, propterea que laborum suorum mercedem ei redditam. Verùm neque Josephus potitus est unquàm regno, aut imperium tenuit, nec populus secutus est justitiæ præcepta, cujus idololatriam in Ægypto Ezechiel, cap. 20, v. 7 et seq., arguit. Præterea, cap. 14, v. 15, narratur, patrem acerbo luctu dolentem citò sibi rapti filii fecisse imaginem, et tanquàm Deo divinos honores habere cœpisse, unde idololatria dimanavit, quod falsum maximè est: nam idololatria initium non habuit à defunctorum cultu, tum verò priùs à filiis defuncti parentes coli cœperunt, quàm parentes filios mortuos divinis honoribus prosequerentur. Tertiò, cap. 16, v. 18, significatur mitescentem flammam, quæ in Ægypto ceciderat, animalibus à Deo in impiorum pœnam immissis pepercisse: quare debuissent muscæ, ranæ, pediculi, aliaque hujus generis molestissima animalia post ignis grandinem adhuc subsistere; quod repugnat capitibus octavo et nono Exodi, ubi dicitur ranas omnes interiisse de domibus, villis, agris, et remansisse tantùm in flumine: muscarum verò ne unam quidem superfuisse vel antea quàm grando et ignis mixta pariter Ægyptios percussissent. Eodem cap. 16, v. 20, manna, quo vescebatur in deserto populus, describitur tanquàm esca angelorum, et panis de cœlo præstitus omnem in se habens saporis suavitatem, et uniuscujusque voluntati serviens, conversus in quod quisque volebat. Quibus contraria Moses loquitur cap. 11 Numer., v. 6 et 8, explicans, fractum molâ, aut tritum in mortario, coctumque man in ollâ reddidisse saporem quasi panis oleati, id est, placentæ oleo subactæ, et captos fastidio Hebræos cibum illum despexisse. Demùm, cap. 17, v. 3 et 4, scriptum est fuisse perterritos spectris, phantasmatibus, tristibus apparentibus personis triduo cæcæ noctis Ægyptios; cap. 19, v. 7, profundum maris Rubri apparuisse campum germinantem; et vers. 11, maximam coturnicum copiam, non secùs ac ranas et muscas in Ægypto, recens creatam, et demissam in desertum: de his verò, quæ omninò fabulam subolent, nihil Moses tradidit; non habet ergo Sapientiæ liber auctoritatem.

Hæc, quæ magno hiatu hæretici contradicunt, quemadmodùm veteres Ecclesiæ Patres à commendandâ libri Sapientiæ divinitate non removerunt; ita neque

nos deterrent. Duplici enim viâ in genere ad has ineptias respondetur : vel enim quidam Sapientiæ locus in speciem contrarius est alteri sacro, et ab omnibus probato libro; vel nonnulla reperiunt hæretici in Sapientiâ, quæ in aliis sacris Libris non attinguntur : si primum, multis modis componi sententiæ, specie tenùs invicem repugnantes, possunt : quâ ratione alii omnes sacri scriptores concordes effici solent contra Spinosæ, Hobbesii, aliorumque incredulorum aggressiones : si secundum, levissimis et ineptis argutatoribus citiùs satisfit respondendo, traditionis viâ recenti scriptori illud innotuisse, quod primus non tradiderat litteris : in quo, quid est, quod sit minùs consentaneum veritati ? Moses, exempli gratiâ, unde accepit multa quæ ipsius ætatem præcesserunt, et monumentis consignavit ? nonne sine scripto à majorum suorum præceptis et disciplinâ ? cur ergo auctor libri Sapientiæ non potuerit et ipse de multis erudiri non conscriptis à Mose? Non enim puto dicturos Calvinistas, nihil omninò à Mose prætermissum, quod aut suis, aut majorum suorum temporibus acciderit : multò minùs auctoritati libri Geneseos detracturos quidpiam, etiamsi solâ traditione illud didicerit quod scripto ipse retulit. Auctoritas quippe firmissima non à dicto vel scripto pendet, sed à Dei auxilio non sinentis errare et falli eum qui ex aliorum auditu dicit vel scribit. Cùm ergo Moses singula rerum à se narratarum adjuncta non sit prosecutus, et libri Sapientiæ auctor à majoribus fide dignis quædam acceperit, habueritque, ut jure nostro nobis sumimus habuisse, adstantem Spiritum sanctum, ne aberraret, quid unquàm facessat nobis negotii, si Mosaicæ historiæ quædam addidit, et distinctiùs, et accuratiùs prodigia divina descripsit ?

Sed veniamus brevissimè ad singula. Scimus Josephum regiam dignitatem summumque imperium in Ægypto non tenuisse, proptereane à Sapientiâ dici nequivit ei datum sceptrum ? Pharao, Gen. cap. 41, tot honoribus, tantâ potestate Josephum auxerat, dum ad ejus oris imperium populum omnem parere jussit, annulum dedit, et pollicitus est, ipso non annuente, ne manum quidem aut pedem in totâ terrâ Ægypti à quopiam motum iri, ut rex Josephus esse videretur. Quâ de causâ, cap. 45, v. 26, ibid., Jacobo patri filii renuntiant : *Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in omnem terram Ægypti* : in manu scilicet Pharaonis sceptrum erat; sed et domesticam Pharaonis, et publicam Ægypti rem unus gerebat Josephus, eamque ipse arbitratu suo, ac si solus juberet, sceptroque uteretur, otioso rege, administrabat. Quod erat plusquàm satis, ut regem fuisse, præsertim Hebræorum loquendi more, et sceptro à Sapientiâ donatum dicerent.

Populus verò Hebræus in Ægypto justus, et semen sine querelâ appellatur, non eâ justitiâ, eâque innocentiâ, quæ faceret acceptum Deo; sed quæ regum Ægypti, aut populi iram ullo peccato in se non provocaret, ut inde intelligatur injuriâ ab Ægyptiis fuisse tot angustiis pressum. Etsi enim in Deum peccaverit à cultu idolorum non recedens, ut non modò Ezechiel, verùm et prophetæ cæteri sæpè Dei nomine conqueruntur, objicientes nepotibus patrum scelus ; erat tamen coram Pharaone et universâ Ægypto innocens, nec dignus gravissimâ pœnâ quam sustinebat. Erat præterea semen justorum, quorum gratiâ Deus ipsum à durâ servitute eripuit.

Idololatriæ non una origo est, ut unum non erat apud omnes idololatriæ genus, quod et auctor Sapientiæ notat cap. 13, v. 2, inquiens, homines scientiâ Dei vacuos igni, spiritui, aeri, stellarum gyro, aquæ, soli, lunæ divinitatem, et orbis terrarum administrationem concessisse. Ex multis autem idololatriæ initiis unum hic in capite decimo quarto afferre Sapientiæ auctor sibi proposuit, immoderatum parentum amorem in liberos, qui effecit, ut quos morte sublatos pater præsentes habere non posset, imago exhiberet; cui cùm primùm sacra facta essent, paulatim deinde falsa religio crevit. Quam etiam idololatriæ causam inter cæteras eruditi probant commemoratione antiquitatis, et prolatione exemplorum.

Inter plagas quibus Deus Ægyptios populo suo graviter injuriosos affecit, fuit ranarum, muscarum et sciniphum sive pediculorum immissio. Ranas et muscas oratione suâ Moses Dominum pro Ægyptiis rogans omnes depulit, easque depulisse legitur, Exod. cap. 8, v. 13, et 31; at sciniphes omninò abactos fuisse non constat ex vers. 16, 17 et 18, in quibus de plagâ sciniphum Moses loquitur. Hæc ergo animalia quæ superfuerant, quando postea Deus ignem de cœlo pluit, comburere ignis non potuit, qui tamen omnia absumit : unde non perversitate naturæ, sed judicio Dei se exagitari Ægyptii cognoscerent. Vel dicito iis verbis Sapientiæ : *Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia*, non ignem notari, qui mixtus grandini post cætera mala ad ulciscendos Ægyptios de cœlo decidit, sed quem prius Ægyptii succenderant, ut omnia animalia, muscas, ranas, pediculos comburerent, et experirentur, pressi ne essent naturæ maleficio, an irato Deo pœnas darent.

Mannæ sapor per se is erat singularis, quem habuisse Moses narrat; sed præterea divino beneficio sapiebat, quod quisque voluisset, non quidem impius et obmurmurans, sed pius et timens Deum, ut explicat Augustinus. Josephus, lib. 3 Antiq. Jud., cap. 1, ait, eos, qui mannâ vescebantur, cibum adeò suavem et exquisitum et delectabilem saporem sensisse, ut nihil præterea cuperent. Ob id in Deuter., cap. 2, v. 7, scribit Moses : *Et nihil tibi defuit.* Pro his Judæis Deo dilectis poetico quodam et figurato sensu man erat esca angelorum in cœlo parata, quam scilicet vel angeli manducâssent, si uspiam angeli cibo vesci potuissent, aut soluissent. Quanquàm et pro omnibus, quemcumque saporem reddidisset, dici potuit angelorum esca, et panis de cœlo præstitus, quia angelorum ministerio in excelsâ aeris regione parabatur.

Tandem, quæ in opposito argumento sequuntur,

nihil habent momenti aut gravitatis. Cur Deus Ægyptiis tam longâ nocte metuendos pavores non incusserit, quia Moses id reticuit? Potuerunt sane reipsà monstra quædam Ægyptiorum oculis obversari, atque illa per subitos ignes identidem instar fulgurum micantes deprehendi: potuerunt solùm in perturbatâ et terrore perculsâ Ægyptiorum phantasiâ monstra apparere, eorumque animos magis prosternere. Cùm fieri id potuerit, factumque esse auctor Sapientiæ affirmet, cur negemus? Rursùs in fundo Rubri maris herbas virentes germinâsse, et pratum visum fuisse non repugnat. Nam historici referunt in pluribus maribus, et Rubro præcipuè, herbas, virgulta et arbores succrescere. Neque repugnat recens creatas coturnices, etsi à vehementi vento in desertum importatas Moses scribat. Non est tamen necessariò ita ad litteram explicandus uterque hic locus; sed figuratè potest accipi, ut ostendere primò voluerit auctor Sapientiæ facile, planum, paratumque iter ingressos fuisse Hebræos in maris fundo, ac si in amœno prato mollibus herbis vestito graderentur: secundò, coturnices repentè visas fuisse, optantibus quidem, sed insperantibus Hebræis, novi saporis, novæ magnitudinis, pinguedinis novæ, quarum similes nunquàm antea populus viderat. Hæc de libri divinitate quantum satis est ad confutandos Calvinistas.

Ad quæstionem alteram transeamus, quæ, etsi parùm conferre, imò nihil ad prioris confirmationem videatur, explicanda tamen est, ne ejus ignoratio difficultatem augeat prioris, et catholicam veritatem defensuro noceat. Itaque inquiritur quisnam Sapientiæ librum auctor scripserit? Salomonem esse multi aiunt; ut plurimùm Philonem Judæum, unum fortassè ex septuaginta Interpretibus ab Eleazaro ad Ptolomæum missis, quorum singulis Ægyptius rex solvendas graves quæstiones attribuerat; Philoni verò sigillatim jusserat explicari sibi æquam administrandi regni rationem à prudentiâ præscriptam: nam in has sententias plerùmque abierunt sancti Patres et interpretes. Si quæ enim aliæ in mentem ulli scriptori venerunt, ut Augustino, qui primùm dixerat Jesum filium Sirach, Gregorio, qui suspicatus est Isaiam esse, obscuriores manserunt, nec ullam obtinuêre approbationem.

Verùm dum has sententias attentè considero, non invenio quo aut mihi, aut alteri satisfaciam: graves adeò difficultates ab omnium assensu retrahunt. Nunquàm adducar primùm, ut credam Salomonem multa jam honestæ vitæ præcepta suis aliis voluminibus complexum, easdem omninò magno numero sententias in novo libro iterùm scripsisse. Quorsùm enim id fecisset rex sapientissimus? Stylus pariter, et scribendi ratio auctoris Sapientiæ à Salomonis instituto admodùm aliena est, quam diversam esse sine cunctatione dignoscet quisquis vel parùm in sacris Litteris versatus. Auctor Sapientiæ sermonem totum colligat, sententias cum sententiis nectit, continuâ oratione utitur; Salomon verò in Proverbiis, in Ecclesiaste dissutas sententias habet, abruptas, nullo nexu conjunctas. Huc facit illud Hieronymi in prologo galeato affirmantis in ipso stylo Græcam eloquentiam cerni: *Ipse stylus Græcam eloquentiam redolet*; cùm certè Salomon Græcæ eloquentiæ luminibus nullis orationem distinxerit.

Præterea, quod gravissimum est, nunquàm apud Hebræos exstitit Hebraicum autographum, sive apographum libri Sapientiæ, atque ut testatur ibidem Hieronymus majorem silentio motus, *apud Hebræos nusquàm exstat*. Periissetne Salomonis liber, si uspiam exstitisset? aut ignorâssetne Esdras sacrorum voluminum diligentissimus compositor, Sapientiam à Salomone fuisse conscriptam, aut permisissentne Judæi eximium adeò et pretiosum opus in tenebris jacere? Non erat profectò Salomon velut alter ignotus scriptor, cujus opera, Esdræ ætate, in Judæorum manus nondùm pervenissent: neque admitti negligentia tum potuit in conquirendis Salomonis scriptis, Salomonis, inquam, regum sapientissimi, totique Judaico populo ob doctrinam divinitùs acceptam spectatissimi. Cur ergo Hebraicus canon librum Sapientiæ non exhibet, si Salomoni tribuitur? Multa denique continentur in Sapientiâ partim ab Isaiâ, partim à Jeremiâ, nempe prophetis Salomonis ætatem consecutis expressa, partim à fabulis deprompta, atque à Græcorum moribus, cujusmodi illud est cap. 2, v. 8: *Coronemus nos rosis*; partim cum summâ pace ac libertate non cohærentia, quâ populus, Salomone imperante, fruebatur, uti alterum capitis 15, v. 14, inimicos populi Dei eidem populo imperare. Quæ omnia fidem omninò detrahunt opinioni quam primo loco posuimus.

Qui vero Philonem auctorem libri Sapientiæ secundo loco defendunt, non constant sibi, neque ex pluribus scriptoribus, quos Philonis nomine appellatos volunt, in uno deligendo consentiunt, ut vel ex hoc ipso eorum confutationi locus satis pateat. Alterum Philonem seniorem vocant Ptolomæo Philadelpho regnante scriptorem; alterum Alexandrinum, sive Judæum pluribus scriptis insignem ablegatum Romam à Judæis Alexandriæ ad imperatorem Caligulam primo Ecclesiæ seculo, anno æræ christianæ ferè quadragesimo. Sunt qui et tertium Philonem nominent auctorem libri de Animâ, stante secundo templo, in vivis agentem, de quo in libro *Juchasìn*, seu *Genealogiarum* est memoriâ proditum

Verùm inter Philones istos Sapientiæ auctorem non dignoscimus. Senior ille, quem plures laudant, fortassè nusquàm exstitit, aut saltem extitisse nullo certo argumento, nullo veteris scriptoris testimonio persuadetur. Aristæas, si ille quidem scripsit historiam, Interpretes septuaginta ab Eleazaro Alexandriam missos suis nominibus singulos compellans Philonem nullum nominavit. Neque Josephus, lib. 1 contra Appionem, vel Eusebius, lib. 9 Præpar. Evang., cap. 20 et 24, auctorem libri de Hierosolymis Philonem vocantes, argumentum suppeditant, quo seniorem illum exstitisse affirmetur, atque scripsisse. Imò verò de ethnico scriptore potiùs locutum utrumque non immeritò conjicimus. Josephus enim scribens ethnicos scriptores Græcos Demetrium Phaleræum, et Eupolemum

res quoque Judaicas historiis Chaldæorum, Syrorum, Phœnicum interspersisse, cum iis et Philonem conjunxit, omnes æquè reprehendens, et hallucinationis accusans propter Hebraicæ linguæ ignorantiam, cujus causâ Hebraicos libros intelligere, eorumque sensum assequi non potuerunt. At senior, si qui fuit, non ethnicus dicitur, sed Judæus; non ignarus Hebraici sermonis, sed eloquentissimus. Non ergo antiquiorem Philonem scripsisse quidquam confirmavit, sed Græcum alterum nobis ignotum.

Errâsse Josephum, si Demetrium quidem, Eupolemum, Philonem scriptores ethnicos putavit : errâsse pariter, quando sacræ linguæ et Scripturæ imperitos dixit, quidam suspicantur : idque præsertim colligunt, quòd lapsus ibidem Josephus Demetrium Phaleræum à Demetrio Judæo non distinxerit, in quo patentior, inquiunt, error est. Verùm primùm errâsse demonstretur, non suspicione nudâ obtendatur. Licèt alter fuerit Demetrius Phaleræus à Judæo; Josephus tamen Phaleræum ibi nominat, Græcum certè scriptorem, ejusque scripta, ait, sacris interdùm Litteris discordare. Tum et Clemens Alexandrinus in lib. 1 Strom., adnotavit Philonem ab Eusebio commemoratum non consentire cum Demetrio in regum Judæorum historiâ; et satis constat ex fragmentis apud Eusebium ambos historiam ex sacris Libris, veterumque Hebræorum commentariis non texuisse; ambos sensum sacrorum Librorum non assecutos, ut ait Josephus. Ex quo neutrum usum fuisse Hebraico exemplari colligitur, prætereaque neutrum ex Hebraico genere, neutrum Hebraicarum litterarum peritum.

Quòd si daretur etiam Philonem aliquem Judæum circa ætatem Ptolomæi Philadelphi historiam Judæorum mandâsse litteris, unde haberemus ipsummet ad tradenda moralia præcepta acquirendæ sapientiæ accommodatiora animum appulisse? Num ex S. Hieronymo præfatione in libros Salomonis scribente de Sapientiæ libro; *Nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant?* Sed hæc dubitanter à S. Hieronymo de paucis veteribus dicta nullam fidem conciliant sententiæ quam explodimus. Quæ si intelligantur, ut multi volunt, de juniore Philone Judæo Alexandrino, multò minùs valent ad inveniendum auctorem Sapientiæ, ut pergimus dicere : nam Philonem Byblium licèt vetustiorem scriptorem poneremus, quàm reipsâ sit (composuit enim librum de Adriani imperio, sub quo vixerat, teste Suidâ), ne commemorandum quidem putavimus, qui ex gentibus cùm esset, quibus certè eloquia Dei non sunt credita, Spiritûs sancti instinctu moveri ad scribendum non potuit.

Philoni verò Judæo, sive Alexandrino paulò post Christi Domini mortem celebri scriptori tribui non posse Sapientiæ volumen multò evidentiùs efficere nos posse confidimus. Insignis est discrepantia styli Philonis ab auctore libri Sapientiæ : turgidus ille est, copiosus, magnificus, vividior, allegoriis redundans; gravis iste et sententiarum plenus. Etsi vero uterque in iisdem ponendis sententiis conveniat, numquid non potuit Philo à Proverbiorum, Ecclesiastici, Machabæorum, quin et à Platonis libris principia eadem atque sententias in suum institutum derivare? Eusebius prætereа et Hieronymus in catalogo librorum Philonis describendo diligentissimi Sapientiam inter eos non collocant. Iterùm Sapientiæ liber ad veteris Testamenti Scripturas pertinet; pertineret autem ad novum Fœdus, si post Christi Domini mortem esset à Spiritu sancto dictatus. Hinc multa diximus à Sapientiæ fonte in novum Testamentum ab Apostolis translata, ejusque locos Clemens Romanus in Epistolâ ad Corinthios usurpat, qui procul dubio scriptoris Judæi suorum temporum auctoritate uti noluit.

Quomodò deinde prophetarum more prædicere capite secundo potuisset futuros dolores, futuram ex Judæorum nequitiâ et perversitate acerbissimam Christi Jesu mortem scriptor qui post absolutum redemptionis nostræ opus, post insignem Christi de morte triumphum, post captivos, ipso præeunte, in æternam libertatem assertos scribere suscepisset? an non historiam tradere potiùs debuisset? Quam sanè sive prædictionem Christi dolorum et mortis, sive descriptionem dicere quis velit, dùm animo intuemur, multò magis Philonem ea scribentem agnoscere non possumus. Judæumne hominem pertinacem, obfirmatumque animo atque Evangelicæ legi repugnantem credamus Spiritûs sancti organum fuisse ad institutionem Ecclesiæ, quo tam graviter, accuratè, disertè Christi cruciatus describerentur, atque impii ausus Judæorum justum persequentium ac opprimentium?

Nam quod aiunt Eusebius et Hieronymus de Philone, eum in secundâ legatione ad Claudium imperatorem cum sancto Petro consuetudinem habuisse; Photius verò, Codice 105, Christianum factum à Christianorum instituto postea descivisse, vix à nemine nostrâ hâc ætate probatur; atque etiamsi probaretur, nihil valeret ad nostram hanc controversiam dirimendam. Teneamus ergo Philonem Alexandrinum perperàm à quibusdam scriptorem Sapientiæ prædicari. Hactenùs aliorum sententias confutavimus, quo uno contenti sumus; nihil enim suppetit, quod negatis cæteris affirmetur, nisi ignotum scriptorem esse. Certè quidem illum ex Hellenistis Judæis post versionem septuaginta Interpretum scripsisse, in scriptis philosophorum et poetarum Græcorum fuisse versatum, prope à Machabæorum ætate floruisse, conjecturâ auguramur, cætera ignoramus.

Quæ primo loco à nobis librum hunc Salomoni non tribuentibus dicta sunt, contradicuntur ex ipsomet auctoris sermone. Scriptor enim, cap. 7, v. 7, ait optâsse se, sibique datum esse sensum, ac Sapientiæ spiritum; in cap. 9, v. 7 et 8, se à Deo electum regem populo jussum *ædificare templum in monte sancto*, quæ non modò aptissimè ad Salomonem, sed ad solum Salomonem referre possis. Unde permoti Græcus, Arabs, Syrus interpretes librum *Sapientiam Salomonis* inscripserunt, ut auctorem apertiùs notarent. Insuper Ecclesiæ Patres Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, aliique tam propter auctoris testimonium,

quàm libri doctrinam doctrinæ Salomonis simillimam *librum Salomonis* appellârunt. Idque adeò certum erat primis Ecclesiæ seculis, ut Eusebius lib. 4 Hist. eccl., cap. 22, scribere non dubitaverit, Rufino interprete : *Ægesyppus et Irenæus et omnium antiquorum chorus librum qui adtitulatur* Sapientia, *Salomonis esse dixerunt, sicut et Proverbia.*

Infirmum verò contra hanc antiquitatis fidem est argumentum depromptum à præteritione libri Sapientiæ in Hebraico canone, ac si divini omnes libri Esdrâ vetustiores in Canonem essent relati, vel nullum volumen Hebræi per summam nequitiam ab Esdrino abrasissent, nullum periisset. Etenim primò, vel Hebræi ipsi librum Sapientiæ Salomonis esse non diffitentes, quare absit à Canone, causam inveniunt. Nam cùm Rabbi Moses Bar Nachmàn in præfatione suâ ad interpretationem Legis scripsisset *vidisse se librum Chaldaicum dictum Sapientia magna Salomonis*, ex quo et locos quosdam decerpserat Rabbi Azarias lib. *Imrè binàh*, cap. 57, de eo Rabbini Mosis testimonio loquens ait : *Sibi videri, nisi ille quidem liber ex Hebraico sermone translatus sit, compositum esse à Salomone linguâ Chaldaicâ, ut ad quempiam regem in finibus Orientis mitteret.* Esdram autem sacerdotem certè operam suam non posuisse nisi in consecrandis libris, quos prophetæ composuerant in Spiritu sancto, et linguâ sanctâ, id est, hebraicâ : Sapientes verò suos consultò et prudenter libros tantummodò ab Esdrâ consecratos in canonem recepisse. Igitur nihil prohibet Salomonis esse volumen in Esdræ canone non descriptum. Secundò, Hebræorum rationibus conducebat librum illum deleri et projici, in quo disertissimè prædicebatur mortem illatum iri Messiæ, quòd ipse populum reprehenderet, seque ab ejus viis et operibus abstraheret. Quid igitur vereamur dicere hebraicum sapientiæ volumen scriptum quidem à Salomone sed Judæorum perfidiâ abjectum ?

In hunc quidem modum nobis opponitur ; sed tantum hæc non habent momentum, ut assentiri aut debeamus, aut possimus tutò. Unum est ex verbis libri Sapientiæ elicitum argumentum, quod nos movere fortassè posset : verùm prisca Scriptorum consuetudo et Augustini judicium nos confirmat. Nempe scriptor Hellenista, dùm librum Sapientiæ conficeret, personam Salomonis induit, ac sustinuit, ita scribens ac si Salomon ipse scriberet, quem loquentem inducebat, servatâ eâdem præceptorum ratione, quam ipse tradiderat. Ita veteres multi insignium virorum nomen, quos præstitisse sapientiâ constabat, libris suis inscripsêre, quòd in eorum personâ loquerentur ; idque potissimùm, si in eo scribendi genere illi claruissent, aut ex illis sententiæ promerentur, ut Plato Socratis, Cicero Bruti atque Hortensii, Xenophon Cyri. Hanc ipsam Augustinus, lib. 17. de Civit. Dei, cap. 20, visus est afferre causam, cur Salomoni liber adscriberetur : *Alii duo*, inquit, *quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo ; non autem esse ipsius, non dubitant doctiores* ; quæ et lib. 2 de Doct. christ., cap. 8., et in Speculo iterùm scribit ; id est, quia Sapientiæ auctor loquitur ac si Salomon esset, et præcepta tradit à Salomone deprompta, et Salomonicorum simillima, mos invaluit, ut Salomon esse putaretur. Quocirca, et S. Thomas Augustini doctrinam secutus primâ secundæ, quæst. 113, art. 3, inquit ex Salomonis personâ dici Sapientiæ cap. 8 : *Optavi, et datus est mihi sensus.* Regem Salomonem ergo in scribendo Sapientiæ libro allaborâsse sententiæ quædam ejus nomine dictæ non declarant.

Occursum jam est hâc responsione nostrâ et testimoniis Patrum, qui propter unam eloquii similitudinem, præceptorum scilicet, quæ in Proverbiis æquè ac in Sapientiâ inveniuntur, Salomoni istud opus attribuerunt. Quidam enim ex illis quos nobis opponunt, tres tantùm libros, nempe Proverbia, Ecclesiasten, et Canticum canticorum Salomonem composuisse tradiderunt, ut Origenes in Expositione primi Psalmi apud Eusebium lib. 6 Hist. eccl., cap. 25 ; Hilarius Præfatione in Psalmos, quibus adjungimus et Basilium, homil. 12, in Proverbia, et Gregorium Nissenum, homil. 1, in Cantica, et Nazianzenum in Carm. ad Seleucum et concilium Laodicænum, can. ult., et Hieronymum pluribus in locis, et Augustinum sæpè, et Theodoretum Præfat. in Cantica, et Joannem Damascenum, lib. 4, de Fid. orthod., cap. 18. Quid ergo præterea ex Patrum scriptis colligatur, nisi Salomonis dici Sapientiæ librum, quia auctor Salomonem imitatus visus est Salomon alter vitæ benè instituendæ rationem docuisse ? Nec si quis videatur apertiùs contradicere, assensum nostrum extorquet.

Primò enim Patres Patribus contraria sentientibus opponimus. Deinde cùm veteres de Proverbiorum libro loquentes cum appellâssent Sapientiam ; posteriores quoque aut Sapientiam nominando dicere volebant Proverbia, aut falsò crediderunt illud ipsum opus, de quo præsens est quæstio, à majoribus Sapientiam nuncupatum ; ex quo factum est, ut Salomoni librum Sapientiæ adscribentes, putarent se veterum traditionem sequi. Melitho in Epist. ad Onesimum apud Eusebium lib. 4, cap. 26, in hanc credulitatem consequentes Patres traxit, inquiens : *Salomonis Proverbia, quæ et Sapientia ;* traxit et Ægesyppus et Irenæus in memorato libro 4 Eusebii, cap. 22 : *Non solùm autem ipse* (Ægesyppus), *sed et Irenæus et omnes antiqui Proverbia Salomonis vocârunt Sapientiam omnium virtutum præcepta continentem.* Quo in loco falsus est Rufinus verba Eusebii aliter interpretatus ac Græca verti oporteret : Οὐ μόνος δὲ αὐτὸς ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, δὲ ὁ πᾶς τῶν ἀρχαίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τὰς Σαλομῶνος παροιμίας ἐκάλουν. Cùm enim Eusebius antiquos omnes cum Ægesyppo et Irenæo Salomonis Proverbiis nomen Sapientiæ ad virtutum omnem perducentis dedisse scripsisset, falsò transtulit Rufinus Salomonem semper creditum auctorem cùm Proverbiorum, tùm Sapientiæ. Græcum verò, Arabem, Syrum interpretes nisi id significârint, quod exposuimus hactenùs, tanti non facimus freti S. Hieronymi judicio, qui præfatione in Salomonis libros jam ademerat iis interpretibus auctoritatem scri-

bens : *Alius ψευδεπίγραφος* (falsò inscriptus) *qui Sapientia Salomonis inscribitur.*

Denique in aliâ fortassè causâ, hujus tamen admodùm dispari, dubitare possemus an periisset Hebræorum negligentiâ aut temporum injuriâ Hebraicum divini ullius libri exemplar; in hâc autem temerè dubitatur, ut supra advertimus. Judæos enim ab immani scelere, quo datâ operâ corruperint, deleverint, aut suppresserint sacros Libros, jam alibi defendimus. Illùc adde nihil fuisse profuturum cæcis hominibus autographum perdere; Græca verò exemplaria, unde et veritas oraculi, et ipsorum impietas proderetur, omnia non dilacerare.

Utinam verò Hebræi omnes cum Rabbi Mose Nachmanide, et Rabbi Azariâ consentirent editum esse à Salomone Sapientiæ librum; nollemus profectò ultra contendere, aut quæstionem hanc, quasi dixero, scholasticam adversùs eosdem urgere. Nostrum esset deinde ostendere Sapientiam fuisse in canonem sacrum traducendam, seu quod et Chaldaicus sermo locum jam in canone habeat, seu quod *in Spiritu sancto* scriptum esse oporteret librum, qui manifestam prophetiam exhibet eventu omninò comprobatam. Sed iniqui homines mentiuntur, dùm regem quempiam Syrorum conjiciunt à Salomone habuisse præcepta virtutis in Chaldaicum librum digesta. Nullus erat Hieronymi ætate autographus Sapientiæ liber Chaldaicus, uti et nunc nullum esse scimus; versionem utique Chaldaicam, sive Syriacam etiamnum ex stantes Rabbi Moses vidit ex Græco adornatam : Græco verò idiomate usum in scribendo Salomonem nullus Hebræorum assentietur. Interim si Chaldaicæ illi scripturæ credunt, quam ipsorum Majores primùm Græcam ad nos detulerunt, fateantur à suis occisum esse Christum, qui, ut erat, Dei filium se faciebat; sin autem ei libro credere detrectant, explicent quomodò Scriptor Machabaicis temporibus antiquior, qui duobus seculis Jesu Mariæ filii ætatem antecessit, sine Spiritûs sancti afflatu potuerit de divinis rebus tantâ cum dignitate loqui, et tam explicatè describere Judæorum conspirationem contra Christum Jesum, eorumquemet verba referre, dùm de innocentissimo et justissimo homine supplicium sumerent?

Non prosequimur eorum afferre ratiunculas qui Philonem Alexandrinum Sapientiæ scriptorem esse defendunt, cùm enim ipsorum argumenta præoccupaverimus omnia confutando, quid est opus sermonem producere?

ARTICULUS XVI.

De libro Ecclesiastici.

Quæ nuperrimè de libro Sapientiæ explicata controversia est, eadem de libro Ecclesiastici tractanda proponitur: nempe an divinæ auctoritatis sit doctrina hoc volumine comprehensa; quisve auctor tam salutaria præcepta collegerit. Redeunti quæstioni difficile non est protinùs respondere, Ecclesiastici librum, licèt ab Hebræorum canone absit, divini auctoris esse : istum verò esse Jesum filium Sirach, ut non tam in libri proœmio, quàm in ipso opere indicatur; tutò autem definiri non posse, aut saltem gravem contentionem esse, auctorne idem sit ac hebræus scriptor Ben Sira apud Thalmudistas celebris, an ab eo diversus; tempus denique scriptionis certò non constitui. Experiamur hæc omnia illustrare partim, partim et exponere.

Librum Ecclesiastici à Græcis Πανάρετον, *omnium scilicet virtutum complexionem et doctrinam* et ipsum appellatum neque veteres Hebræos, neque primos Ecclesiæ Patres, qui Scripturarum canonem descripserunt, in canonicorum ordine collocâsse damus ultrò vel non rogati. Sed propterea quòd in canone à Judæis compacto, eodemque à Patribus, qualem ab Hebræis acceperant, transmisso ad Ecclesias non concludatur Ecclesiasticus, sæpè repetitum est, libri dignitati non obesse : quoniam omnibus æquè deuterocanonicis ea ab initio auctoritas defuit, quam demùm Ecclesia compertam habuit ex indiciis in unum collatis, unde ad divinos libros censendos significatio et demonstratio datur. Enimverò ipsimet ex Patribus, qui Ecclesiasticum non posuerunt in canonem propter cohibitum usque tum Ecclesiæ judicium, divinam Scripturam nominant, si quando ejus libri sententiis utuntur.

Origenes, homil. 10, in Ezechielem ab Ecclesiastici cap. 10, v. 9 et 10, verba repetens habet : *Quid enim ait Scriptura? « Quid superbit terra, et cinis? et in vitâ « ejus projecit interanea ejus. »* Clemens Alexandrinus lib. 1 Pedag., cap. 8 eos qui libro Ecclesiastici cap. 21, v. 7, contradicunt, tanquàm Scripturæ repugnantes objurgat : *Neque Scripturam audientes, quæ sic dicit :« Et qui timet Dominum, convertetur ad cor suum. »* Athanasius, lib. de Virgin., illud Ecclesiastici cap. 13, v. 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, et qui communicaverit superbo, induet superbiam,* sacræ Scripturæ tribuit inquiens : *Non cœnabis cum feminis superbis, neque habebis mulierem arrogantem tibi familiarem : ait enim sacra Scriptura, qui attingit picem.....* Cyrillus Alexandrinus, homiliâ quæ legitur inter Acta concilii Ephesini, muniri animum oportere sapientiâ docens, ejus comparandæ rationem à sacrâ Scripturâ Ecclesiastici cap. 2, v. 1 et 2, petendam esse indicant : *At quibus rationibus comparetur, divina nos Scriptura edocet : « Fili, accedens ad servitutem Dei præpara animam « tuam ad tentationem, dirige cor tuum, et constans esto. »* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 6; Epiphanius in Anchorato, cap. 12, Augustinus, lib. ad Horosium contra Priscillianistas, Gallicana, et Germanica Ecclesia in concilio Francofurtiensi congregata an. 794, in Epistolâ synodicâ affirmant Scripturæ divinæ, sanctique Spiritûs præceptum esse illud Ecclesiastici cap. 3, v. 22 : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* Basilius in Regulis brevioribus interrog. 104, concilium Ephesium actione 7 pronuntiant gravissimam esse divinitùs inspiratæ Scripturæ sententiam : *Fili, sine consilio nihil facias*, Ecclesiastici cap, 32, v. 24, Cyprianus lib. de Oper. et Eleem.; Optatus Millevitanus lib. 3 contra Parmenianum, Maximus Taurinensis homil. 1, de Eleem., confirmant in divinis

Scripturis Ecclesiastici cap. 3, v. 33, Spiritum sanctum dicere : *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum;* Ambrosius, lib. de Bono mortis, cap. 8., et Joan. Damascenus, lib. 1 de Dormit. Deiparæ egregium Scripturæ oraculum prædicant : *Ante mortem ne laudes hominem*, Ecclesiastici, cap. 11, v. 30.

Similia cæteri tam Græcæ quàm Latinæ Ecclesiæ Patres ab Ecclesiastico, ut sacræ Scripturæ libro, testimonia depromunt, ubi res postulat. Tertullianus, de Exhort. castit., Gregorius Nyssenus, homil. 3, in Ecclesiasticum; Nazianzenus, orat. 1 contra Julianum; Joan. Chrysostomus, homil. 13 et 15, ad populum Antioch., Ephrem Syrus lib. advers. improb. Mulier.; Fulgentius, lib. 1 de Remiss. peccat. cap. 12; Hieronymus, ut tandem omnia expediamus, Epist. 34 ad Julian., cujus hæc sententia est : *Divina Scriptura loquitur : Musica in luctu intempestiva narratio*, Ecclesiastici cap. 22, v. 6. Certè nullus est Scripturæ sacræ liber, cujus auctoritati Patres suffragentur magis, tametsi publico decreto Ecclesia universa nondùm eam sanxisset; adeò verum est, omnium singularum Ecclesiarum traditione divinitatem libri constitisse, ut et Concilium Carthaginense III, can. 47, et Innocentius I, in Epist. ad Exuper., et Gelasius I, in synodo Romanâ, et concilii Toletani Patres, præter Ephesinos et Francofurtienses supra allatos testimonium jam perhibuerant, longè antequàm à concilio Tridentino tandem Ecclesiastici libro divinitatis decernerentur honores.

Ob id hæretici sinceriores fatentur à vetere Ecclesiâ susceptos ut sacros libros quosdam qui absunt ab Hebraico canone atque Ecclesiasticos dictos. Unum profero testem Joan. Drusium doctum atque eruditum Belgam; is libro de Quæsitis per epistolas, Epist. 10, ad Paulum Scovartum Busanvallium, cùm nominâsset *historiam sacram Tobiæ* subdit : *Sacram voco, non quòd canonica sit (loquor de canone Hebræorum); sed quia ex eo genere librorum apocryphorum est, quos Ecclesia vetus, recepit et Ecclesiasticos vocat.* Item Epist. 107, ad Danielem Dedieu : *Inter apocryphos, quando latè id nomen sumitur, sunt etiam Ecclesiastici, sic à majoribus appellati, quod ab Ecclesiâ recepti inter libros sacros publicè in eâ legerentur. Hi omnes hodiè ad vetus Testamentum spectant, inter quos Sirachides peculiariter hoc nomen sibi vindicat, vulgò Ecclesiasticus dictus. Reliqua sunt Sapientia Salomonis falsò inscripta, Tobias, Judith, Machabaici.* Vetus ergo Ecclesia priscos quosdam libros etsi in canonem Hebræorum non relatos pro sacris habuit, interque eos Ecclesiasticum, de quo disputamus : quod satis nobis est, qui majorum nostrorum fidem tueri, officio atque honori ducimus.

Nihil propterea causæ nostræ metuendum est (quod etsi alibi jam docuimus, ineptum tamen non est iterùm dicere) si plures Patrum in Canone ab initio Ecclesiasticum non incluserunt, et S. Hieronymus, cujus magna est in Scripturarum sanctarum rebus laus et auctoritas, pronuntiavit Præfat. in libro Salomonis ad plebis ædificationem valere, et legi, *non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Nam quia ab Hellenistis, non autem à totâ Judæorum Synagogâ libros quosdam Ecclesia, eosque Græce tantùm scriptos acceperat, in quorum sacrâ dignitate tuendâ non omnes consentiebant; ideò Patres, tradentes canonem indubiæ fidei ab omnibus probatum, libros à Judæorum Synagogâ non susceptos non descripserunt, descriptionem hanc eò usque differendam rati, quo Ecclesia Christi re perpensâ controversiam dirimeret. At ipsi, ubi opportunum erat, Ecclesiarum suarum fidem secuti, ut Scripturæ oracula in medium attulerunt quæ de Ecclesiastico sumebant; atque attulerunt quidem non ad solam plebis ædificationem, verùm etiam contra hæreticos ad catholicæ fidei veritatem stabiliendam. Quid enim contra Aetium Epiphanius, hæresi 76, utramque Sapientiam cùm Salomonis, tùm Jesu filii Sirach unà cum veteris et novi Testamenti libris opponebat, si ad hæreses profligandas Ecclesiastici auctoritas non valuisset? quid Augustinus, lib. 2 de Grat. et lib. Arb., ex Ecclesiastici cap. 15, liberum arbitrium assereret? quid S. Prosper contra Collatorem num. 40, ageret ex Ecclesiastici sententiis, nisi ex iis fidem affirmari posse intelligeret? Demùm, quod notissimum omnibus est, S. Cyprianus in causâ rebaptizationis illum Ecclesiastici locum urgebat sub nomine Salomonis, cap. 34, v. 30 : *Qui baptizatur à mortuo, et iterùm tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* eique loco studiosissimè respondebant Catholicæ sententiæ defensores ; adeò ab antiquâ traditione constabat Ecclesiastici librum ad confirmanda fidei dogmata justè adhiberi.

Quia verò Hieronymus testis consuetudinis universæ suorum temporum in toto orbe receptæ exponebat quæ in ecclesiis omnibus fierent, nemine dissentiente, idcircò ad morum institutionem, non ad confirmationem dogmatum publicâ Ecclesiæ auctoritate adhiberi Ecclesiasticum scripsit. Omnes enim fatebantur utilem esse ac fructuosum, ut Epiphanius, lib. de Pond. et Mens, ait : Omnes præclarum, et elegantem librum, ut Joan. Damascenus, lib. 4 de Fid. orthod., dicit, idcircò legebant omnes. Sed quia librum illum unà cum cæteris canonicis veteris Testamenti uno volumine Hebræi non compegerant; quia Ecclesia aliis negotiis occupata in eumdem censum ac reliquos canonicos non retulerat, dogmatum suorum veritatem ex eo non comprobabat, quoniam et hoc libro prætermisso Catholicam doctrinam satis tuebatur ex aliis certò utique divinis argumentorum promptuariis; divinum nihilominùs procul dubio librum Ecclesiastici credebant vel iidem Patres qui visi sunt minorem reliquis sacris ei auctoritatem tribuere. Ad quid enim ii ipsi alibi dixissent Ecclesiastici sententias eloquia esse Spiritûs sancti, divina oracula, divinas Scripturas, si humano ingenio, à viro licèt instructo multæ doctrinæ præsidiis librum editum credidissent?

Attamen non est Salomonis, quanquàm ab aliquibus Patrum illustri ejus nomine vocetur; quod nemo jam dubitat, qui easdem hùc transferat rationes negandi, quas in nuperrimè absoluto articulo afferebamus. Qui

bus et ea gravissima accedit, insignes Synagogæ viros Eliam, Elisæum, Ezechiam, Isaiam, Josiam, Jeremiam, Ezechielem, duodecim Prophetas, Zorobabelem, Jesum filium Josedeck, et Simeonem Oniæ sacerdotis magni filium Salomone longè posteriores in Ecclesiastico celebrari, quos omnes ille solùm scriptor laudibus extulit, qui omnium ætatem in scribendo est consecutus. Nec verò debemus multam operam ponere, ut verus libri auctor constituatur. In præfatione operis, licèt ad Scripturam sacram ea non pertineat, magnæ tamen auctoritatis interpres ait : *Avus meus Jesus, postquàm se ampliùs dedit ad lectionem Legis et Prophetarum... voluit et ipse scribere aliquid horum quæ ad doctrinam et sapientiam pertinent.* Capite verò 50, v. 29, auctor de seipso affirmat : *Doctrinam sapientiæ, et disciplinæ scripsit in Codice isto Jesus filius Sirach Hierosolymita, qui renovavit Sapientiam in corde suo.* Iterùm initio capitis 51 : *Oratio Jesu filii Sirach*, in quâ itinera, peregrinationes, considerationem multam atque orationem ad obtinendam sapientiam à se susceptа et adhibita perinde describit ac in cap. 34, v. 12, ut inde constet ejusdem viri preces esse, cujus est sermo reliquus. Igitur Jesus filius Sirach librum composuit; quod apertiùs in Præfatione alterâ quibusdam editionibus Græcis præfixâ ex Synopsi Athanasii depromptâ continetur, in quâ et Jesus ipse sectator Salomonis dicitur propter sapientiam atque eruditionem, traditasque posteris non minùs utiles benè vivendi institutiones. Ex quo et ratio patet, quæ multos Patrum adduxit ut adscriberent opus Salomoni, quem Jesus propè est imitatus, nonnullis quoque ab eo excerptis, quæ repetita, et lectori iterùm exhibita ad sapientiæ amorem vehementius accenderent.

Quamobrem arbitramur graviter eos falli qui Jesum filium Sirach interpretem esse crediderunt, non operis compositorem. Ubi enim relictum unquàm exemplum est, prætermisso auctoris nomine, interpretis nomen operi præfigi, aut inseri in mediam auctoris orationem? Duos prætcrea viros isti operi manum apposuisse deprehendimus, avum et nepotem, quorum alter inventorem se Hebraico idiomate scribentem, alter traductorem Græcè reddentem Hebraica se prodit. Si ergo auctor ab interprete distinguitur; si liber apud Græcos titulum habet : *Sapientia Jesu filii Sirach;* si auctor est haud dubiè Jesus, frustra nepoti adscribitur, quod nonnisi ab avo est labore et studio multo excogitatum. Nepotem utique ut plurimùm eodem ac avi nomine dictum, et Sirachidem utrumque ferunt : at multò incertiùs fingunt interpretem fuisse Jesum alterum filium Sirach, quàm judicetur compositor eo nomine vocatus.

Jam nolo illud disputare : an iste Jesus filius Sirach sit idem ille *Ben-Sirah* apud Hebræos clarissimus Proverbiorum scriptor. Equidem si Hebræorum testimoniis, et judicio res ageretur, dubitandum non foret quin ipse esset : David enim Ganz auctor libri *Germen Davidis* ad annum mundi 3448, scribit : *Ipse Jesus filius Sira composuit librum (Ben Sirah) qui linguâ Romanâ vocatur Ecclesiasticus, qui totus est verba disciplinæ et sapientiæ.* Addit Hebræus ille chronologus verba hæc digna, quæ notentur : *Et in Thalmude tract. Bavà Kamà cap. achovel Rabbini magistri nostri complectuntur librum Ben Sira in classe agiographorum, cùm dicant ipsi : Et repetitur tertiò in agiographis : Omne volatile cum specie suâ habitabit, et sic homo cum simili sui... et verè versiculus iste reperitur in eo libro cap.* 13. Legimus autem sanè hunc ipsum in Ecclesiastico, cap. 13, v. 20 : *Omnis caro* (עוף pro גוף) *ad similem sibi congungetur, et omnis homo simili suî sociabitur.* Pergit dicere multas libri Ben Siræ sententias commemorari, et in tract. *Jevamòth*, cap. 7, et à *Ramban* præfatione suâ ad commentarium legis, quæ reperiuntur capitibus 3, 6 et 26, cujusmodi illæ sunt : *Multi sint quærentes pacem tuam... Uxor bona donum bonum est... quod supra captum tuum est, ne quæsieris...* quæ omnia apud Ecclesiasticum exstant, ut ille notat, cap. 6, v. 6, nimirùm : *Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille.* Cap. 26, v. 3 : *Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Cap. 3, v. 22 : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.*

Prætcrea cùm R. Ghedalià Aben Jachyà, auctor libri *Salscèled Akkabbalà* scripsisset : *Librum Ecclesiastici dicunt composuisse Josue filium Saruk;* Rabbì Azarias in libro *Meòr Enàim*, seu, *lumen oculorum*, cap. 21, corrigit ponens *Jesum Ben Sira;* capite autem 22, refert in libro *Ben Siræ* sub finem laudes celebrari inter Prophetas et sapientes cæteros Simeonis justi secundi, satis ostendens Jesum illum Sirachidem à suis Ben Sira appellari. Etenim inquit : *Nonne vides in libro Temporum Philonis Alexandrini Simeonem justum secundum filium Oniæ secundi, qui fuerunt ambo prognati Oniâ et Simone justo primis... Etiam in fine libri Ben Siræ, quem scis non repelli à sapientibus nostris nisi unâ manu, inter multos prophetas et Sapientes potentes virtute, quos magnificè retulit cum laude, memoria est hujus Simeonis justi, filii Oniæ, qui fuit Israeli sicut lumen Veneris* (stella matutina), *et qui in causâ iis* (Judæis) *fuit liberationis et multiplicavit gloriam Dei nostri. Et ipse Ben Sira composuit librum tempore illius Simeonis ut scribit Eusebius in suis tabulis.* Nolumus tamen librum Proverbiorum Ben Siræ, cujusmodi nunc est, esse ipsummet Ecclesiasticum. Nam à Judæis Hierosolymitanis, à scribis, à Rabbinis multa mutata, detracta, adjecta libro Ben Sira putamus, quod sibi licere in libro non canonico crediderunt. Atverò nepos summâ fide avi librum interpretatus est.

Hæc indicàsse sufficiat, quæ et opportuna esse disputanti contra Hebræos possunt : plura autem contendere non interest, sive idem scriptor sit Jesus Sirachides et Ben Sira, sive alter ab altero differat. Procul dubio Jesus Ben Sirach Hebraico eloquio, sive Chaldaico, usus est in scribendo, ex quo ejus nepos in Ægyptum profectus, ubi Græca eloquentia obtinebat, Græcum librum fecit; tum verò Hebraicus textus cœpit obsolescere, ac tandem interiit. Quamobrem deinceps primigeniorum exemplarium loco habiti sunt Græci codices; à Græcis Latinus interpres Latinè

vertit, unde Vulgatam nostram habemus. Quisnam iste sit, ignoramus : neque enim est Hieronymus, sed alter multò antiquior, cujus versio jam in Ecclesià usurpabatur ante Hieronymi ætatem. Et Latina quidem isthæc interpretatio hodierno Græco exemplari discrepat, estque in istâ aliquantò fusior oratio, quam rem cui causæ assignemus non constat. Fortassè Latino interpreti alter lectus est Græcus codex, ac qui ad nos devenit; atque hæc verior videtur ratio. Nam et alia ferebatur Augustini et Hieronymi ætate Latina interpretatio hodierno Græco convenientior, quâ et Augustinus et alii Latini Patres usi sunt. Fortassè etiam Latinus noster majoris explicationis causâ dilatavit, quæ Græcus jejuniùs dixerat : quæcumque tamen causa sit discrepantiæ, certè dignitatem interpretationis latinæ antiquitas commendat.

Sed quâ tandem ætate Jesus filius Sirach librum confecit? quod est alterum quæstionis membrum ab initio propositum. Res est in disputatione posita, distractis in duas partes chronologis, qui ad duo diversa tempora, pro duarum sententiarum varietate scriptionem Ecclesiastici referunt. Quidam constituunt Sirachidem scripsisse temporibus Ptolomæi Philadelphi regis Ægypti, qui legis interpretandæ causâ septuaginta Seniores accivit, cùm sacris Judæorum præesset Eleazarus : quidam verò scripti ætatem revocant ad consequentia tempora, quando Antiochus Epiphanes tenebat Syriam, atque Onias III, Simonis secundi filius, Hierosolymis sacerdotio fungebatur. Ut lucem huic disputationi afferamus, necesse est cùm regum Ægypti, tùm summorum Pontificum catalogum ponere.

Itaque in Ægypto regnârunt post Alexandrum Magnum Ptolomæi, quos ex cognomento distinguimus. Primus regnavit Ptolomæus Lagi filius, qui successorem habuit Philadelphum; Philadelpho successit filius Evergetes, Evergeti Philopator, Philopatori Epiphanes, Epiphani Philometor, Philometori frater Evergetes alter, alio nomine Physcon, id est ventrosus, postquàm cum fratre conjunctum imperium aliquot annos habuisset. Utrumque gravi bello lacessivit Antiochus Epiphanes, Judæis infensissimus, qui Syriam occupaverat; compulsus verò à Romanis Ægypto discedere, hostili animo Hierosolymam irrumpens octoginta hominum millia interfecit; quadraginta millia captivos abduxit, totidemque venundedit, lib. 1 Machab., cap 1 et 4. Hæc series est regum Ægypti, quod ad nostram hanc causam attinet. Ad summos autem pontifices ut veniamus, Jaddus Alexandrum Magnum Hierosolymam ingredientem summus pontifex excepit; post Jaddum pontificatum gessit Onias I, Oniam Simon justus, sive Simeon, Simeonem Eleazarus, Eleazarum Manasses, Manassen Onias II, Simonis justi filius, Oniam II, Simon II, Simonem secundum Onias III in sacerdotali officio consecutus est.

Ex hâc regum Ægyptiorum et pontificum Judæorum serie quæstionem esse dirimendam interpretes consentiunt, iis luminibus hùc admotis, quibus et auctor librum et interpres prologum consperserunt. Atverò iisdem prorsùs adhibitis causis omnia concludunt contraria. Primæ opinionis defensores ita argumentum instituunt. In Prologo scribit nepos, se reperto avi sui Jesu filii Sirach libro in Ægypto *in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolomæi Evergetis regis*, ejus interpretationem suscepisse. Auctor verò capite 50 summis laudibus prædicat Simonem Oniæ filium, qui pro lege et populo multa præclarè gessit, eumque commendat ætati suæ propiorem tanquàm paulò antè vitâ functum, cùm illustrium virorum ad sua usque tempora laudes diceret : *Simon Oniæ filius Sacerdos Magnus, qui in vitâ suâ suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.... qui curavit gentem suam, et liberavit eam à perditione*, vers. 1 et 4. Igitur necesse est Sirachiden scripsisse post pontificatum Simonis, Oniæ filii ante Ptolomæi Evergetis ætatem. Jam si hæc cum temporibus Ptolomæi Philadelphi regis Ægyptiorum et summi Judæorum pontificis Eleazari componantur, eoque regnante fixum sit, Jesum filium Sirach in Ægypto librum confecisse, nihil erit quod non aptissimè conveniat.

Nam postquàm Philadelphus triginta octo integros annos post patris mortem imperium tenuerit, et Evergetes filius Ægypto potitus est, eo imperante illùc se contulit nepos Sirachidis, ibique avi sui Jesu librum *temporibus Ptolomæi Evergetis regis* est interpretatus. Avus verò, qui Simonem Osiæ filium viderat pontificem ante Eleazarum, opportunè omninò sacerdoti sibi cognito præconium operum et laboris tribuit. Itaque Sirachides temporibus Philadelphi paulò post mortem Simonis justi librum composuit; quoniam spatio interjecto Simonis sacerdotium et Evergetis regnum necesse est scriptorem collocare. Præterea Aristeas, in historià septuaginta Interpretum, Jesum quemdam inter eos nominat, qui ab Eleazaro missi operam suam in Hebraicorum codicum interpretationem contulerunt; verisimillimum autem est, illum ipsum esse Jesum filium Sirach auctorem Ecclesiastici. In hunc modum plurimi interpretum disputant.

Verùm iisdem positis principiis concludunt alii, regnante Ptolomæo Epiphane in Ægypto, vel sub initium regni Philometoris propè finem vitæ Oniæ III, quando et Antiochus Epiphanes Syriam tenebat, librum esse editum. Aiunt enim Simonem Oniæ filium à Sirachide celebratum, non primum illum Simonem esse justum dictum, fratrem Eleazari, filium Oniæ I, sed Simonem II, Oniæ II, filium, qui Antiocho Magno Syriæ, et Ptolomæo Philopatore Ægypti regibus templo præfuit. Evergetem autem in Prologo nominatum, Evergetem II, esse affirmant Physconem, cujus anno trigesimo octavo Hebraici autographi in Græcas litteras facta translatio est. Et iste quidem Simon templi ministerium suscepit anno mundi secundùm calculum Usserianum 3785, et viginti annis pontificatum tenuit; Physcon autem Evergetes regno potitus est solus, vitâ functo fratre Philometore ann. 3859. Quamobrem post annum 3805, imò verò propè annum 3829, quando magna orta erat in republicâ Judaicâ perturbatio, et reges gentium malè Judæos affecerant,

sub Oniâ III, summo pontifice, scriptorem libri Ecclesiastici floruisse arbitrantur.

Confirmant id totum verbis auctoris in cap. 36, ubi humilitatem, angustias, clades Judaicæ genti illatas, atque alienigenarum principum immanitatem deflet, Deum rogans, ut populum suum ab oppressione eripiat, seque illius Deum et Dominum esse potentem omnia perditis inimicis ostendat: *Miserere nostrî, Deus, omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum, et immitte timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te ut, cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua. Alleva manus tuas super gentes alienas, ut videant potentiam tuam.... Glorifica manum et brachium dextrum. Excita furorem, et effunde iram. Tolle adversarium, et afflige inimicum... Contere caput Principum inimicorum dicentium: Non est alius præter nos... Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum; et Israel, quem coæquâsti primogenito tuo. Miserere civitati sanctificationis tuæ Hierusalem, civitati requiei tuæ.* Dicit insuper cap. 51, gratias agens Deo pro divino auxilio sibi præstito, se quæsitum ad necem, non esse derelictum in tempore superborum, se à perditione liberatum, ereptum à rege iniquo, et à linguâ injustâ, se à calumniis impiorum hominum evasisse. Demùm et cap. 50, inter cætera egregia Simonis opera commemorat vers. 4, eum gentis suæ curam habuisse, eamque à perditione liberâsse: atqui hæc omnia ad tempus referri nequeunt, quo Ptolomæus Philadelphus Ægyptiis imperabat, aut Eleazarus sacerdotio fungebatur. Tunc enim omnes sive Hierosolymis, sive in Ægypto et Syriâ Judæi altissimâ pace fruebantur; nullus ethnicorum regum injuriis populum Dei lacessiverat, nullus Judæam vexabat, nullus odio Religionis acerbo jugo premebat; imò verò gentium reges sanctam civitatem et templum omni honore prosequebantur; neque benevolum animum mutârunt, nisi multò post, quando Simon II res sacras administrabat; tum verò maximè, cùm Onias III, pontificatum gessit.

Nam anno mundi 3786, Simone II pontifice, cùm Ptolomæus Philopator, Ægypti rex, jussisset pro se offerri Deo in templo sacrificium eucharisticum pro relatâ insigni de Syris victoriâ, velletque oblato sacrificio Sancta sanctorum ingredi, quo soli summo sacerdoti semel in anno intrare licebat, prohibitus sacri loci aditu extrema cùm populo, tùm templo minabatur; sed fusis ad Deum precibus à Simone, sedata tunc est regis ira; quapropter verè dixit Sirachides gentem suam Simonis operâ ab excidio liberatam. Idem Philopator postea animo reputans injuriam quam Hierosolymis accepisse sibi videbatur, ultionem spirans Judæos Alexandrinos elephantum pedibus proteri jussit; quod pœnæ genus etsi sumptum non sit, tamen Judæis in vitæ discrimen adductis quantum terrorem incusserit, non est qui non cogitet. Deinde verò omnia in pejus ruere cœperunt, postquàm Onias III per aliquot annos sanctam civitatem in summâ tranquillitate rexisset, et sancti loci retinuisset dignitatem. Tum missus est anno mundi 3828, à Seleuco filio Antiochi Magni rege Syriæ (qui tamen usque tum sumptus sacrificiis necessarios ex regio ærario suffecerat) Heliodorus, qui depositas in templo pecunias, sacri loci majestate contemptâ, diriperet; tum cædes fieri cœperunt; tum summus pontifex calumniis appetitus est, et proditionis apud regem accusatus. Postea Antiochus Epiphanes omnium regum pessimus Oniam sacerdotio pepulit anno mundi 3829, impio Jasone suffecto, qui pecuniâ sibi pontificiam dignitatem emerat. Jasoni Menelaus, Menelao Lysimachus eodem scelere, nempe majori argenti pactione, regiâ auctoritate sacerdotium eripuerant: Lysimachus ut pactam pecuniam solveret, templi ærarium diripiebat, quam ob causam lapidibus confectus in templo est. Tunc rex ex internis sacerdotum discordiis occasionem vexandi populum nactus crudelissimè sæviit, atque in tantâ rerum perversitate compellebat Judæos relictis patriis ritibus ad Græcorum mores, instituta et sacra transire, ut fusiùs lib. 2 Machabæorum.

Nempe ab his malis quorum partem jam viderat scriptor Ecclesiastici, quando in summum pontificem Oniam iniquiùs agi cœptum est, rogabat Deum, ut populum et templum eriperet, regesque iniquos perderet; rogabat autem in Ægypto, quò se receperat, interea dùm Hierosolymis divina omnia atque humana jura pervertebantur. Igitur ex scripto judicatur æquius non Ptolomæo Philadelpho regnante, librum Ecclesiastici esse descriptum anno mundi ferè 3730, sed Syriæ et Judææ ad Syriam adjectæ imperante Antiocho Epiphane prope Machabæorum tempora, toto seculo lapso, postquàm septuaginta Interpretes Græca Biblia fecerunt. Ad hanc opinionem confirmandam illud quoque accedit, interpretem Græcum Ecclesiastici anno trigesimo octavo Evergetis regis sumpsisse librum interpretandum (persuaderi enim nobis non potest trigesimum octavum annum dici ab interprete, ex quo librum ejus avus composuerat; non verò trigesimum octavum annum regni Evergetis); quod non nisi sub Evergete II, Physcone fieri potuit. Nam primus Evergetes ad summum 26 annis imperavit in Ægypto, Polybius, lib. 2; Justinus, lib. 29, cap. 1; Eusebius, Chron. Alexand.; Epiphanius, hæresi 24; Physcon autem annos 53, solus quidem post fratris Philometoris obitum annos 29, Ægypti principatum tenuit; atverò primum ab anno regni fratris duodecimo erat in regni societatem vocatus, et annos 24 partim in Ægypto, partim Cyrene regnaverat. Quamobrem ipso trigesimum octavum annum regnante ab exordio regni cum fratre initi, nepos Sirachidis dicere potuit se interpretationem edidisse, anno scilicet 3870, pontifice Joanne Hircano Simonis Machabæi filio. Hanc sententiam, si ulla tenenda est, retinendam puto, quæ ex rebus in Ecclesiastico scriptis, non illis quidem propheticè visis, neque in genere tractatis, sed auctoris ætate cognitis hauritur, et tota cohæret cum Machabæorum libris, in quibus gravissimas populi Judaici angustias propter Ptolomæi Philopatoris, Seleuci atque Antiochi Epiphanis tyrannidem quasi oculis cernimus.

ARTICULUS XVII.

De quatuor Prophetis majoribus, et primum de Isaiâ.

De propheticis libris dicere aggredientes non versamur in eâ cognoscendorum auctorum difficultate, quàm sæpè in superioribus capitibus experti sumus, quando invenire qui scripsissent difficile erat, cùm ob rei obscuritatem, tùm ob interpretum dissensionem. Libri enim quos tractare suscipimus, præfixum habent nomen Scriptoris certâ adeò atque indubitatâ inscriptione, ut nemo non habeat fidem, qui non sit morosus, neque animo occupato præjudiciis. Isaiam, Jeremiam, et cæteros sacros prophetas aut scripsisse affirmamus, aut jussisse scribi, nixi potissimùm perpetuitate et constantiâ doctrinæ tam Judæorum quàm Christianorum omnium, quorum consensioni vetustissimæ qui seris temporibus repugnaret, næ ille aut summam stultitiam aut summam arrogantiam proderet. Itaque constitutâ Scriptorum veritate, de ipsorum genere, ætate, scriptis aliisve istiusmodi causis pauca explicamus.

Prophetas, ut plurimùm, in duos ordines sive Græci, sive Latini distribuimus : primum eorum quorum prolixior oratio est, et major dictorum copia, quos hâc de causâ *majores* vocamus; alterum eorum qui pauciora scripto tradiderunt, appellati *minores* ex brevitate sermonis. In Græcis quidem Scripturis primum locum minores prophetæ tenent, quia, quantùm conjecturâ consequi possumus, ætatem majorum prophetarum plures ex minoribus ætate suâ superant; Latini contra, quod spectabilius sit opus majorum, majoribus primas deferunt. Hebræi prophetas, qui majores vocantur, tres tantùm numerant, Isaiam, Jeremiam atque Ezechielem; expungunt enim è prophetarum numero Danielem, quem et in locum à prophetis cæteris separatum rejiciunt contra Græcorum et Latinorum consuetudinem, qui Danielem quartum ad tres priores adjungunt.

Majorum prophetarum primus est Isaias, isque præstantior cæteris est atque excellentior, in quo præter claritatem generis major quoque emicat visarum rerum sublimitas conjuncta cum puritate sermonis. Amosum patrem habuit, quem imperitè quidam ab Amoso prophetâ inter minores recensito non distinguunt. Propheta Amos pastor erat et rusticus; Isaias verò ex regiâ stirpe ortus. Erat enim pater prophetæ Amosus filius regis Joas, frater Amasiæ regis; unde et Isaias filiam Manassi regi nuptum dedit, ut Hebræi et Hieronymus tradiderunt; ex quo facile est intelligere, cur in eloquio nihil habuerit ejus rusticitatis, quæ in Amoso Prophetâ apparet. Iterùm Amosum prophetam anno 23 Oziæ prophetare cœpisse exploratum est : Isaiam autem cœpisse anno 25 ejusdem regis tenet vulgatior opinio, quam consideratiùs probavit Hieronymus. Quod si verum sit, alter certè alteri ætate non præstitit, nec potuit alteri vitâ functo alter in officio successisse, ut illi arbitrantur, qui Amosum Amoso non secernunt. Propheta Amos præterea Hebræis est עמוס; Amos verò pater Isaiæ אמוץ : quæ diversa scribendi ratio diversitatem et nominum et personarum probare solet. Amosum quidem Isaiæ patrem prophetam, et ipsum fuisse nonnulli Rabbini censuerunt judicantes prophetam non nisi à prophetâ natum, ad quorum opinionem et S. Hieronymus accessit vertens duos Isaiæ locos in cap. 37 v. 2, et 38 v. 1 : *Ad Isaiam filium Amos prophetæ.... Isaias filius Amos prophetæ.* Verùm Græcus interpres, et Vulgata Latina legunt : *Filium Amos prophetam.... filius Amos propheta*, ut prophetandi munus filio non patri attributum intelligamus. Reverà Hebraicum textum nitidiùs commodiùsque explicamus, si ad Græcam et Latinam interpretationem accommodemus.

Quo tempore vixerit, divinâque legatione ad populum functus sit, sub ipsum libri initium notatur : *Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Hierusalem in diebus Oziæ, Joathan, Achaz et Ezechiæ regum Juda.* Primo vel altero anno Manassis regis Juda creditur vitam finiisse, ideòque octoginta et octo ferè annos ad reges, et ad populum mandata Dei pertulisse; atque ita quidem, ut eorum sententia est, qui cum Hieronymo tenent ab anno 25 Oziæ prophetam legationem gessisse : nam qui arbitrantur suscepisse quo anno obiit Ozias, 60 ferè annos ante initium regni Manassis prophetæ munere functum tenent. Mortis genus perpetua traditio est sustinuisse atrocissimum sectionis per medium ligneâ serrâ jussu Manassis regis impiissimi, quem propheticâ libertate impietatis arguebat. Ab Hebræis id summo consensu traditum est, confirmantibus Origene, Justino, Tertulliano, Ambrosio, Hieronymo, Basilio, Augustino, quibus nemo habet probabile quod opponat. In usu fuisse apud Hebræos illud supplicii genus, quis neget? Isaiam verò eo non affectum contra tot veteres Patres atque Hebræos potissimùm scriptores, quos nulla speciosa causa impulit majores suos fingendo tanti criminis accusare, quâ ratione unquàm ostendatur? quomodò etiam illud Apostoli Pauli de sanctis veteris Testamenti Dei ministris fide vivâ munitis, et cruciatus acerbissimos propter legis observationem perpessis, quod communiter ad Isaiam refertur, *secti sunt*, Epist. ad Hebr., cap. 11, v. 37, non de Isaiâ pronuntiatum, sed de altero prophetâ pugnabimus?

Temerè igitur communem sententiam infirmare, multòque magis contemnere sibi sumpsit Tostatus, levem illam causam proferens, non usque ad Manassem regem oracula edidisse Isaiam, qui omnia ad Ezechiam usque patrem Manassis concluserit, ut ipse testatur. Quòd si nullum oraculum regnante Manasse propheta dixerit, nullam quoque esse potuisse Manassi causam, cur S. Prophetam medium diffindi juberet. Nam primò ignoratur an sub Manassis regno vaticinia desierit Isaias; non scripsit quidem, si quas pronuntiavit, prophetias, quas scribere solebat jussus; verùm nihil prædixisse Tostatus non efficiet. Tum aliud est vaticinari, aliud vitam moresque hominis reprehendere : in exordio regni Manassis regem mala initia regno facientem liberrimè de improbitate objurgavit : ob id captus est affectusque supplicio, ante-

quàm quidquam aut vaticinaretur aut scriberet. Numquid cum ratione pugnat hæc tota narratio, ut repugnandum quoque sit Patrum traditioni? Ita enim sentimus, dùm veterum Patrum doctrinam recipimus.

Prophetiarum autem Isaiæ hæc distributio ut plurimùm esse dicitur. Primis quinque capitibus prophetiæ continentur sub Oziâ rege editæ : quod capite sexto visum scribitur, sub Joathane visum est, ut commentariis *in Isaiam*, cap. 6, affirmavit Hieronymus, ubi et correxit, quod in epistolâ ad Damasum scripserat, nihil à prophetâ prædici cœptum esse, donec Ozias moreretur. Quæ ad finem usque capitis 14 exstant, Achazo regnante evenerunt ; reliqua ad finem libri ad Ezechiæ tempora pertinent. Præter istud prophetiarum volumen, in separato codice descripserat res gestas à rege Oziâ, quod lib. 2 Paralip., cap. 26, v. 22, indicatur : *Reliqua autem sermonum Oziæ priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos, propheta*, sed inter alia multa prophetarum opera et istud injuriâ temporum periit, quod si ad nos pervenisset, procul dubio ut divinitùs afflatum, quippe prophetæ sacri, reciperemus. At librum *Ascensionem Isaiæ* vulgò dictum, quem Hieronymus et Epiphanius nominant ; alterum titulo *Visionis Isaiæ* evulgatum : tertium quoque nomine *Celebrem*, de quo Origenes in Epistolâ ad Julium Africanum scribit, probare non possumus. Ut enim Isaiæ prophetias certâ auctoritate ad posteros transmissas impium est non suscipere ; sic imprudens stultumque obscuros atque ignotos libros sine ullo dignitatis suæ testimonio in lucem extractos pro sacris habere. Impietatis idcircò et ignorantiæ Spinosam arguimus canonico Isaiæ libro, pro more suo, ut reliquis sacris detrahentem, ac si ex fragmentis quibusdam chronicorum regum Juda atque Israelis male digestis, nullamque inter se connexionem habentibus inconsultò quis librum compegerit Isaiæ tributum ab Ecclesiâ. Quam hominis arrogantiam tum alibi semper, tum manifestiùs in hâc causâ cognoscimus ex iis locis ubi narratur prophetam scribendi mandatum à Deo accepisse cap. 30, v. 8, et res Ezechiæ ab Isaiâ esse litteris traditas, lib. 2 Paralip., cap. 32, v. 32, quas quidem in capitibus Isaiæ 36, 37, 38 et 39, habemus.

Sed quas tandem causas profert incredulus ille philosophus sententiæ quæ novitatem habet? ineptissimas prorsùs. Sexto, inquit, capite Isaias fatetur se usque tum obmutuisse propter labiorum pollutionem ; seque tum primùm vocem Domini audivisse deliberantis quem mitteret : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.... Et audivi vocem Domini dicentis : quem mittam?.... Et dixit : Vade....* Itaque nullum antea verbum Isaias protulerat, neque divino mandato ad regem Oziam vel populum fuerat ablegatus : prima propterea quinque capita Isaiam auctorem non habent. Inscitè omninò. Primò enim, qui Isaiam, nisi quo anno mortuus est Ozias, missum non putant in propheticum munus, consequenter ponunt quinque priora libri capita res complecti à Prophetâ visas, Joathane rege ; idcircò et loco suo dimota esse, atque si ordo temporis et ratio habeatur, post sextum caput collocanda. Quid autem dici potest ineptius, quàm non esse Isaiæ vaticinia aut scripta, quia alium locum convenientiùs tenerent, quàm in quo sita sunt? Tum verò capitum ordinem non mutemus, malè concluditur Isaiam nihil vidisse usque ad illud tempus, nihil scripsisse. Ait Propheta vers. 5, et dolet se tacuisse visionem ab initio capitis descriptam, Domini sedentis in solio, et Seraphinorum ; ait se visum illud, postquàm sibi apparuerat, non retulisse ; deinde verò mandatu à Deo accepto, id ipsum enuntiâsse cum reliquis, quæ pariter dici Dominus imperaverat. Ex capitis illius lectione res manifesta est, detorqueri Prophetæ verba in alium sensum, quàm reddant, si de perpetuo usque tum silentio, primâque suâ legatione explicentur.

Neque verò præterire possum quod ignorare non debuit disputator argutus, septuaginta Interpretes illud, *quia tacui*, vertisse, ὅτι κατανένυγμαι, *quia dolore punctus sum*, quod est deplorantis infirmitatem suam et doloris sensum exprimentis, quia dignus non sit, propter oris impuritatem, visum tam eximium narrare : Targum Jonathan : *Væ mihi quia peccavi, quoniam vir peccator sum ad increpandum ;* Syrum interpretem ; *stupens sum ;* Arabem : *Audax sum*, id est, fui correptus stupore, et nesciens loqui ; vel etsi immundo sim labio, audeo dicere à me visum esse Dominum ; Hebræos plerùmque interpretari, נדמיתי, *hei mihi, quia excisus sum*, id est, perii, actum est de me ; peccator enim et pollutus Dominum vidi ; quibus verbis propheta fortassè popularem opinionem attingebat credentium continuò moriturum, qui Deum vidisset ; peccator præsertim, et qui inter peccatores versaretur. Propterea et Manue Pater Samsonis Judic. cap. 13, v. 22, viso angelo Dei, *dixit ad uxorem suam : Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Verius autem, cùm ob vehementiam vocis Seraphim clamantium vidisset propheta superliminaria cardinum templi commoveri, totamque sanctam domum crasso fumo oppleri, eoque signo intellexisset Deum templo, quod populi sceleribus contaminabatur, excidium parare, moxque divinæ iræ ignem effusum iri, timore gravissimo perculsus ex peccatorum suorum consideratione, ac gentis suæ perversitate, putavit se quoque Dei judiciis tanto apparatu sibi declaratis unà cum indigno populo interceptum, apud quem parùm adeò hortationibus suis profecerat. Hanc potissimùm interpretationem qui probat, expeditior est illicò ab argumento, quod ab unâ nudâque voce pravo sensu intellectâ pendet.

Multò minùs nos premunt quæ subjicit, primis quinque capitibus materiam de Hierosolymitano excidio temporibus Oziæ non convenire ; aut Isaiam in libris Paralipomenon rerum ab Oziâ gestarum scriptorem dici ; nihil verò de gestis Oziæ in primis quinque capitibus haberi ; aut nullam esse partium voluminis conjunctionem, nullum ordinem ; credi propterea non posse disertum, et in litteris versatissimum virum, qualis erat Isaias, tam perturbatam orationem edidisse.

Enimverò Hierosolymitanam cladem prophetico spiritu providit Isaias sub Oziâ, eamque futuram de-

nuntiavit; non verò illatam historicè exposuit. Nihil pariter de rebus ab Oziâ gestis quinque priora capita exhibere ultrò damus; sed Oziæ rerum historiam separatim mandatam litteris jam diximus : initio autem prophetici voluminis referri visiones in diebus Oziæ animo prophetæ objectas. Denique aliud est eruditum virum historias scribere, rerum memoriam complecti, contextos casus, cohærentes, sibique invicem succedentes perspicuâ oratione persequi; aliud divino spiritu abreptum prophetias edere, abstrusa, obscura, futura ab eventibus explicanda, sicco, et gravi dicendi genere, abruptis sermonibus, et sententiis involvere. Unum imò istud est ex indiciis, unde colligatur, auctorem, ut divino spiritu agebatur, cùm loqueretur, ita et eodem plenum fuisse, cùm scriberet : utque inter res ipsas, quæ pro divinâ voluntate menti prophetæ obversabantur, vix ulla erat distributio; sic et sermonis continuitatem et colligationem ullam in vaticiniis scribendis vix esse servatam. Cæterùm quis unquàm prophetarum explicatiùs de Judaico populo, de vicinis gentibus, de occupatione urbis Hierosolymæ, de Babylonicâ captivitate, deque reditu in patriam locutus est unquàm? quis de gentium vocatione ad fidem, de Judæorum reprobatione, de Christi Domini vitâ, doctrinâ, cruciatibus, supplicio, regno, Ecclesiæ constitutione, ac stabilitate copiosiùs aut manifestiùs vaticinando disseruit ut, Hieronymi judicio, non tam ventura providere quàm præterita narrare, atque Evangelistæ potiùs quàm prophetæ munus explere videatur? Si hæc indicia sunt hominis multa sine delectu et partium nexu infarcientis, dicat jam Spinosa, unde eruditum scriptorem et scientem litterarum judicabimus?

ARTICULUS XVIII.

De Jeremiæ Prophetiâ, Lamentationibus et Epistolâ.

Isaiæ visiones consequitur liber prædictionum Jeremiæ filii Helciæ de genere sacerdotali, viculo Anathoth propè Hierusalem in terrâ Benjamin. Vaticinari sanctus vir cœpit adhuc adolescens anno 13 Josiæ regis, an. mundi 3375, secundùm Husserium, perrexitque Deus virum docere, eique eventura ostendere, Joachazo, Joachimo, Jechoniâ et Sedeciâ regnantibus; tum post urbis excidium, et populi captivitatem nec modò contra Hierosolymam et Judaicum populum, sed et contra Ægyptios, Philisthæos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, et Babylonios vaticinia edidit : ad hujusmodi enim officium, antequàm è matris utero exiret, Deus ipsum destinârat, et veluti consecraverat. Non fuit autem propheta cum cæteris Babylonem deportatus; sed cùm in Judæâ mansisset terræ exitium ploraturus, abstractus inde est contra Dei voluntatem à Johanane cum populi reliquis proficiscente in Ægyptum, ubi tristia et lugubria Ægyptiis cecinit, et suorummet, quos graviter reprehendebat, invidiam subiit; quamobrem lapidibus oppressus dicitur interiisse : quò fortassè spectavit Apostolus Paulus, epist. ad Hebr., cap. 11, v. 37, dicens de veteribus Dei nuntiis inter cætera : *Lapidibus cæsi sunt.* Virginem semper fuisse Patres tradiderunt, inter quos Ignatius, epist. ad Philad., et Hieronymus in prologo confirmavit, inquiens : *Virginitate suâ evangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicans :* quam sententiam videri possunt sumpsisse ex cap. 16, v. 2 : *Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii, et filiæ in loco isto.*

Usus est Baruchi operâ in conscribendis prophetiis, cùmque jam multa ille scripsisset, librum projectum in ignem rex Joachim absumpsit, ut cap. 36, v. 23, legitur. Verum propheta jussu Domini sermones eosdem Barucho notario suo iterùm dictavit, additis et amplioribus et acrioribus, conjunxitque deinde cum iis omnia quæcumque post captivitatem, et in Ægypto prophetavit, vers. 27 et seq. Prophetia capitis 50 et 51, est idem ipse liber per Saraiam Neriæ filium ad fratres Babylone captivos missus, in quo Jeremias mala omnia Babyloni minaciùs denuntiaverat. Caput verò 52 scriptor alter cum prioribus connexuit, ut verbis caput 51 finientibus monemur : *Huc usque verba Jeremiæ.* A Barucho caput istud subnexum quidam judicant : alii veriùs ab Esdrâ repetente dicere compendio excidium Hierosolymæ, atque ea quæ Babylone usque ad Jechoniæ obitum evenerunt ex libro 4 Regum in hoc caput translata, ut prophetiæ Jeremiæ lux afferretur, et lamentationibus præcipuè, quæ olim unicum cum prophetiâ librum efficiebant. Quid enim fuisset causæ cur Jeremias, aut amanuensis Baruchus casum Sedeciæ iterùm narrarent prolixiùs, quem in capite 39 jam satis narraverant?

Dempto capite 52 totum prophetiarum volumen sine dubitatione ullâ tribuendum est Jeremiæ prophetanti, et Barucho discipulo excipienti magistri verba, ac commendanti litteris. Iniquior esset, qui rem hanc adeò manifestè in toto sparsim libro iteratam proterviùs negaret. Cap. 36, v. 1 et seq. : *Factum est verbum hoc ad Jeremiam à Domino dicens : Tolle volumen tibi, et scribe in eo omnia verba quæ locutus sum tibi adversùm Israel, et Judam, et adversùm omnes gentes à die quâ locutus sum ad te ex diebus Josiæ usque ad diem hanc.... Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ, et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri.* Iterùm postquàm combusserat rex volumen, præcepit Dominus Jeremiæ, inquiens : *Rursùm tolle volumen aliud, et scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joachim rex Juda... Jeremias autem tulit volumen aliud, et dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ, qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri... et insuper additi sunt sermones multò plures, quàm antea fuerant*, vers. 28 et 32. Et capite 45, v. 1 : *Verbum quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cùm scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ...* Tandem in fine capitis 51 : *Huc usque verba Jeremiæ.* Porrò hujus sanctissimi viri prophetias ob oculos habebat Daniel, cùm cap. 9, v. 2, ait se ex libris numerum annorum intellexisse, de quo sermo Domini ad Jeremiam prophetam factus est. Easdem memoriâ retinebat Esdras, cùm initio libri primi inquit Deum suscitâsse spiritum Cyri Per-

sarum regis, ut compleretur Domini verbum ex ore Jeremiæ : quod et auctor libri 2 Paralip. ad calcem monuerat. Itaque audaciùs negaretur prophetias Jeremiæ divinum esse librum ejus auctoris, cui Synagoga atque Ecclesia semper adscripsit.

Quocirca nulla esse potest sententiarum aut secum ipsis in eodem Jeremiæ libro discrepantia, aut cum aliis sacris Scriptoribus, quam se animadvertisse Spinosa jactat, eò magis cæcus, quò videri vult oculis acrior. Frustra ait in 37 capite causam unam afferri, cur in carcerem Judæi prophetam detruserint : in capite autem 38 alteram planè dissimilem. Ipse contradicendi cupidior non distinxit raptum bis esse prophetam in custodiam, et cùm è primo ergastulo esset exemptus, rursùm conjectum in lacum, novâ principum conjuratione. In capite 37, v. 12 et seq., narratur exeuntem Hierosolymis Jeremiam à portâ Benjamin à Jeria portæ custode suspicato eum ad Chaldæos abire comprehensum, atque in carcerem in domo Jonathan scribæ præpositi carceris conclusum; sed inde à Sedeciâ sublatum, atque in vestibulo carceris manere jussum. In capite autem 38, v. 6, iterùm demissum funibus in lacum Melchiæ rogantibus principibus prophetam interfici, quòd ex carceris vestibulo populum ad Chaldæos profugere suaderet, atque ita viros bellatores verbo suo debilitaret.

Frustra iterùm ex malè perceptis verbis capitis 22, v. 28 et 30, ubi dicitur *Jechonias vas fictile atque contritum, vas absque omni voluptate abjectum cum semine regni experte, et projectum in terram : vir sterilis atque improsper*, frustra, inquam, accusat historicum sarcinatorem, qui ignoraverit Jechoniam summis honoribus exceptum ab Evilmerodacho Nabuchodonosoris filio Babyloniorum rege, lib. 4 Reg., cap. 25, v. 27; ex ejus autem filiis fuisse Salathielem et Phadaiam patrem Zorobabelis, qui populo præfuit post captivitatem, regiæque potestatis jure in Judæos est dominatus, lib. 1 Paralip., cap. 3, v. 17 et 18. Imò ignorantior Spinosa, qui crediderit Jechoniam non potuisse dici *vas contritum, fictile, sine voluptate*, etiamsi maximis honoribus in captivitate afficeretur. Quid calamitosius, quidve tristius accidere poterat regi, quàm regno, bonis, libertate, patriâ spoliari, atque in alienâ terrâ esse captivum? Hâc sollicitabatur curâ, hoc dolore tangebatur Jechonias, cujus gravitatem nulla data ab Evilmerodacho honoris significatio levabat: nihil enim est quod regium honorem amissum compenset; abjectus ideò, qui solitudinem suam tam tenui consolatione sustentaret. Sterilis quoque, id est, ut hebraica referunt exemplaria, *nudus, vacuus*, sive *exterminatus*, ut aiunt Septuaginta, fuit Jechonias, qui quantumlibet genuerit liberos, neminem ex iis in regio throno sedentem reliquit, ut dixerat Dominus : *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur, neque enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Hierusalem.* Etsi verò Zorobabel, solutâ captivitate Babylonicâ, dux Judaici populi fuerit, tamen super solium David patris sui non sedit, nec unquàm dignitatem obtinuit quam majores sui amiserant. Adde alium plerùmque videri Zorobabelem Judæorum ducem à nepote Jechoniæ, quod ex diversitate paterni nominis, atque ex diversis filiorum nominibus in Paralipomenon libro et Matthæi evangelio descriptis colligitur.

Perperàm etiam omninò ex 24 capite Jeremiæ opponit prædici à prophetâ moriturum in pace Sedeciam, non gladio; cui tamen extractos oculos fuisse vel ex eodem libro compertum habemus. Nam in pace quidem mortuus est carens oculis, non violentâ morte è vivis ereptus. Numquid in pace migrare hinc non potest, nisi qui lucem continuò aspexerit? Filii quidem in pace non obierunt, quos in conspectu patris transfossos, Jerem. cap. 39 et 52, novimus. Inde orbatus est utroque lumine pater : at ei datum est vivere, ejusque obitus, utpote naturâ ei obveniens, cum immaturâ filiorum morte ac nece comparatus, pacificus ac tranquillus certè videri debuit. Nulla igitur sententia est in Jeremiæ scripto, quæ cum inferioribus et superioribus non constet, aut cum aliis sacræ historiæ libris dissentiat. Sed urget vaticinationes prophetæ suo loco esse dimotas, nec potuisse orationem confici nisi ab ignorantibus hominibus, et suis quidque locis distribuere non valentibus. Non repugnamus quædam extra proprias sedes, perturbatâ temporum ratione, inveniri, et primum occupâsse locum in scripto, quæ postremis regum diebus congruunt : sed fortassè datâ operâ Baruchus maluit eam scribendi rationem sequi, etsi priora cum posterioribus confunderentur; quia primùm quæ ad res judaicas, deinde quæ ad se, postremò quæ ad nationes exteras attingebant, disponere sibi visum est. Fortassè cùm incompositè scripsisset, morte præventus non potuit res sparsim notatas in ordinem redigere. Fortassè amanuensium incuriâ confusum est quod continuâ ac fluente oratione Baruchus litteris mandaverat. Fortassis incomposita et indigesta prophetiarum collocatio à perturbatis olim voluminibus, sive foliis originem habuit.

Nunc de reliquis prophetæ Jeremiæ operibus. Præter prophetiarum volumen, Lamentationes, græcè θρῆνος, tum Epistolam in nostrâ Vulgatâ editione subnexam prophetiæ Baruchi Jeremias scripsit. Præterea et funebre Carmen ac lugubre in morte Josiæ regis, de quo auctor libri 2 Paralip., cap. 35, v. 24 et 25, loquitur; et Descriptiones, quas scriptor libri 2 Machab., cap. 2, v. 1, commemorat : *Invenitur autem in descriptionibus Jeremiæ prophetæ....* Verùm Threnos atque Epistolam habemus; Carmen autem et Descriptiones interciderunt. Genuinos Threnos esse nemo hactenùs dubitavit : nempe styli unitas, eadem phraseon et locutionum usurpatio in Threnis et Vaticiniis, eadem dictionis brevitas eumdem utriusque operis Scriptorem probat, qui dum urbis calamitatem deflet, injurias quoque sibi à populo illatas queritur, Thren. cap. 3, et fatetur Dei beneficio se à lacu extractum : inimicos verò suos gravem pœnam dedisse : quæ unus Jeremias dicere poterat. Præfatiuncula pariter inscripta Threnis in editione septuaginta Interpretum, totiusque Ecclesiæ auctoritas persuadet eumdem aucto-

rem, qui prophetias scripsit, Threnos quoque scribere suscepisse. Threnos claudit Oratio Jeremiæ, quâ Deum rogat, ut inflictis pœnis placatus, et premere desinens, furore deposito, in pristinam libertatem populum suum restituat. Ea in Hebraico exemplari, in Græcâ interpretatione, in versionibus Chaldaicâ, Syriacâ, Arabicâ, atque apud S. Hieronymum à præcedentibus Threnorum capitibus non disjungitur, ut incompertum sit, quâ de causâ Theodoretus Threnorum explanator commentaria in Orationem scribere prætermiserit.

Genuinam quoque esse Jeremiæ epistolam, quæ inter Baruchi capita sextum locum occupat, ex eâdem orationis conformatione atque argumento, rebusque ætati Jeremiæ, et instituto convenientibus tutò credimus. Hanc habebant Judæi Hierosolymitani, et Jeremiæ esse agnoscebant. Neque enim aliò spectare, neque aliud indicare, nisi hanc epistolam tanquàm partem Jeremiæ descriptionum voluit auctor libri 2 Machab., cap. 2, v. 1, 2 et 3, cùm inquit in Jeremiæ descriptionibus inveniri.... *ut mandavit transmigratis. Et dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, et ut non exerrarent mentibus videntes simulacra aurea, et argentea, et ornamenta eorum. Et alia hujusmodi dicens hortabatur, ne legem amoverent à corde suo.* Versatur enim tota hæc epistola in ostendendâ idolorum vanitate, et Judæorum animis ab eorum cultu retrahendis. Quocirca in pluribus exemplaribus traductionis septuaginta Interpretum, et translatione Arabicâ ex iis Græcis adornata continuò post Threnos exstat; quia et post dirutam Hierosolymam scripta creditur ad confirmandos in Dei lege fratres mox Babylonem transmigraturos. Sunt et Patres qui Jeremiæ esse epistolam confirment : Cyprianus, lib. de Orat. Domin., testimonium ex hâc epistolâ proferens à Jeremiâ, inquit, se petere : *Per Jeremiam quoque et eadem Spiritus S. suggerit, et docet, dicens : In sensu autem tibi adorari debet Deus.* Istud verò præceptum in Vulgatâ nostrâ sic latum est : *Adorantes dicite in cordibus vestris, te oportet adorari, Domine;* Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 4 in sanctis Libris numerat *Jeremiam cum Baruch, et Threnis, et Epistolâ;* idemque facit Laodicæna synodus; S. Athanasius quoque in epistolâ festali de quibusdam sacris Libris locutus subdit : *Post hos numerantur Isaias, Jeremias, Baruch, Lamentationes, Epistola.* Eadem est Hilarii sententia in prologo explanationis in Psalmos scribentis : *Vaticinia Jeremiæ unà cum Threnis et Epistolâ* unum efficere librum ex viginti duobus, quibus Testamentum vetus concluditur : quod primum Origenes apud Eusebium lib. 6, cap. 25, testatus erat. Quæ omnia maximo argumento sunt canonicam haberi oportere epistolam, qualem Ecclesia semper habuit.

Deest quidem, fatemur, in Hebraicis codicibus epistolæ hujus exemplar, eamque pseudoepigrapham appellat Hieronymus, Proœmio commentar. in Jeremiam : ergone ab Ecclesiæ sententiâ discedemus, et titulum Latinæ editioni inscriptum : *Exemplar epistolæ quam misit Jeremias*, falsum putabimus? Hebraicam esse orationem, locutionem totam Hebraicam, etiam nobis tacentibus epistola ipsa loquitur; exciderit ergo ab Hebraicis Bibliis propter brevitatem suam atque exiguitatem, quâ fugit librariorum operam. Atverò Epiphanii ætate non carebant Judæi epistolâ Jeremiæ, si benè intelligimus S. Patris verba lib. 1 advers. Hæres., num. 6, ubi de hæresi Judæorum : *Ac quod ad Judæos istos attinet*, inquit Epiphanius, *ad illud usque tempus, quo ex Babylonicâ servitute reversi sunt, hos et prophetas, et prophetarum libros habuerunt. Primus est Genesis.....* tum libros omnes recenset, quos Hebraicus canon complectitur; ad Jeremiam autem cum pervenisset, ait : *Jeremias propheta cum Lamentationibus et Epistolis tam ejus quàm Baruchi.* Et quidem cùm in multis Græcis Septuaginta reperiatur, nescio, quæ causa esse possit, cur in Hebraicis desideretur, nisi dicam excidisse : præsertim cùm officio et muneri Jeremiæ eam dare epistolam conveniret. Quòd si in quibusdam Græcis editionibus non superest, epistolæ brevitati assignandum est; atque etiam, ut conjecturâ assequitur Huetius, diversæ in antiquioribus exemplaribus collocationi. In quibusdam namque epistola subjiciebatur libro Threnorum, in aliis prophetiæ Baruchi. Si quis igitur librarius ex uno Scripturarum volumine Threnos scripsisset, in quo epistola post vaticinium Baruchi collocaretur : Baruchum verò ex alio, in quo epistola post Threnos jam fuisset apposita, necessariò consequi debuit ut epistola prætermitteretur. Hieronymus verò pseudoepigrapham, seu *falsò inscriptam* dixit, quia cùm in Hebraicis codicibus non reperisset, videretque Græcum tantùm illius exemplar Græco Baruchi exemplari adjunctum : in suspicionem autem ei jam venisset eâ de causâ Baruchi liber, unâ sententiâ utrumque opus complexus est, negans ad canonem pertinere. Damnandi tamen essemus, si ob unam hanc Hieronymi auctoritatem gravissimos alios Patres, et rationem ipsam desereremus. Nec multùm puto Hieronymi verbo movebitur, qui sciat S. Doctorem ad Rufinum, apolog. 2, fateri se non tam quid sibi, quàm quod Hebræis videretur, interdùm de his rebus scripsisse. Quemadmodùm et malè argumentaretur, qui ex consilio Theodoreti exponentis prophetias Baruchi, silentis verò de consequente Jeremiæ epistolâ, concluderet epistolam visam non esse Theodoreto canonicam. Si enim diversissimum est epistolæ argumentum à Baruchi vaticinio, quid miremur, isto exposito, illam non attigisse? Tum verò liberum est interpretibus pro arbitrio suo edere commentaria, atque unâ libri parte explicatâ, aliò operam suam convertere : quod fecerat alibi Theodoretus, ut nuper dicebamus, qui Threnis expositis visus est negligere orationem Jeremiæ, eamque commentariis illustrandam non putavit quanquàm toti Ecclesiæ probatissimam.

Redeamus jam ad Threnorum argumentum, sive ad miseram fortunam quam doluit propheta, et luxit lugubri illo carmine. Mortem Josiæ regis Threnis suis deflevisse Jeremiam, ipsumque carmen esse quod dicitur in Paralipomenis cecinisse, Josephus primùm lib. 10, Antiq. Jud., cap. 6, tum Hieronymus, proœmio in Lament., credidit, quibuscum quidam interpre-

tum se junxerunt. Verùm à communi et probatiore sententiâ recedunt, qui alterius mali incursum præter urbis cladem deplorari putant. In Josiæ morte stabat urbs, templum non erat succensum igni, populus Hierosolymis non depulsus, neque eas tulerat propheta à populo injurias, quas queritur sibi factas in cap. 3; attamen in Threnos hæc omnia scriptor congessit, vastitatem, excidium, præsentem desolationem, invidiam populi, pessimamque contra se voluntatem deplorans. Commonstrat apertius argumentum hoc præfatio Græcis et Latinis Scripturis præmissa, quam licèt divinus scriptor non ediderit, fidem tamen maximam habere omnes probent: *Et factum est, postquàm in captivitatem redactus est Israel, et Hierusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, et planxit lamentationem hanc in Hierusalem, et amaro animo suspirans et ejulans dixit.*

Eadem apponimus cuicumque senserit lugeri Jechoniam in servitutem abductum. Non enim unà cum Jechoniâ populum Nabuchodonosor Babylonem traduxit, neque urbem succendit, quemadmodùm postea, capto Sedeciâ, populum libertate privavit, urbemque direptam subvertit, quæ propheta vehementer lamentabatur, postquàm facta ipsa sunt, quæ futura providerat. Lamentatus est autem eo cantici genere, quod apud prophetas tum in usu erat, versibus nimirùm juxta alphabeti ordinem dispositis, quorum initium ducebatur à singulis alphabeti litteris, quod carminum genus ἀκρόστιχον Græco vocabulo, atque *alphabeticum* Latini nominant. Hinc effectum est ut in Græcis, Latinisque interpretationibus Hebraica elementa..... אבגד ab initio apponerentur nudæ notæ carminis in primigeniis exemplaribus adhibiti, ut in psalmo etiam apud nos 118, ad octavos usque recurrentes versus alphabeti littera interponitur ad metri solius, non ad ullius mysterii significationem.

ARTICULUS XIX.

De prophetiâ Baruchi.

Prophetia Baruchi filii Neriæ, qui et discipulus fuit Jeremiæ, et amanuensis ab ipso ad scribendum adhibitus, olim in unum librum cum magistri prophetiis congesta erat. Baruchum ex illustri genere ortum Josephus, lib. 10, Antiq. Jud., cap. 11, scribit, eumque patrii sermonis peritissimum, quem duodecim annis post Hierosolymæ excidium Babylone mortuum et sepultum Thalmudistæ in tract. *Meghillàh*, et R. Abraham Zacuth in libro *Juchasìn*, seu *Genealogiarum* prodiderunt. Epistolam Babylone scripsit, ut in libri exordio significatur, quæ et ipsa prophetia est, de quâ agere pergimus, misitque Hierosolymam ad Joachim sacerdotem, omnemque populum ibi relictum, postquàm coram Jechoniâ rege ac toto populo legerat. Ut locum, ita et tempus, quo data epistola est, versus 2, cap. 1, indicat quidem: *In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Hierusalem, et succenderunt eam igni*: verùm à quo exordio quintum captivitatis annum repeti oporteat, in disputatione est, atque interpretes variant. Nam bis capta urbs est à Nabuchodonosore, primùm regnante Jechoniâ, tum Sedeciâ, quando et diruta est.

Ut plurimùm dicitur Baruchum non migràsse Babylonem, nisi post obitum Jeremiæ magistri sui, cum quo conjunctissimè versabatur, ab ejus latere nunquàm recessurus, dum vita maneret, propter summam adversùs magistrum benevolentiam, atque obsequium: annum ergo quintum à Sedeciæ deportatione supputandum, et Hierosolymitanâ clade. Hujus sententiæ verior alia causa profertur, quod incensam jam, exustamque Hierosolymam declaret apertis scripta verbis oratio: *Et succenderunt eam igni.* Incensa autem est tum solùm urbs, atque absumpta flammis, cùm captum Sedeciam totius populi Judaici casus, et ruina consecuta est: quamobrem annum quintum à captivitate Sedeciæ numerari conveniebat, quando litteras Baruchus misit.

E contrario Maldonatus, Calmetus, aliique annum quintum à Jechoniæ migratione repetunt. Aiunt enim anno 4 regni Sedeciæ, qui et quartus erat captivitatis Jechoniæ, misit Sedecias legatum Sarajam ad regem Babylonis, Jerem. cap. 51, v. 59, cum quo et ipsius frater Baruchus profectus est, attulitque ad captivos epistolam Jeremiæ, in quâ Babylonici regni excidium prædicebatur; sequente verò anno Baruchus prophetiam edidit: etenim antequàm urbs et templum omninò subverterentur, debuisse hanc Baruchi epistolam conscribi, rectè ita probari videtur. Commemorat Baruchus templum, altare, holocausta, cap. 1, v. 10: *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, et thus, et facite manna, et offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri.* Commemorat summum pontificem, et sacerdotes, et populum, vers. 7: *Et miserunt in Hierusalem ad Joachim filium Helciæ filii Salom sacerdotem, et ad sacerdotes, et ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Hierusalem.* Commemorat vasa quæ fecerat Sedecias, cum priora Nabuchonosor sustulisset, vers. 8: *Vasa argentea quæ fecit Sedecias filius Josiæ rex Juda.* Potuissentne hæc omnia adhuc dici Hierosolymis exstare, si anno 5 à migratione Sedeciæ suscepisset propheta Hierosolymitanis fratribus suâ illâ epistolâ consolationem adhibere? Cur etiam Baruch ad aures Jechoniæ filii Joachim regis Juda librum suum legit, vers. 3, non autem ad Sedeciæ aures, si tum Babylone erat Sedecias?

Verùmtamen de his post pauca. Interim canonicum et divinum librum esse defendamus. Et primò quidem Daniel scribens se in Jeremiæ libris numerum annorum intellexisse, præclarum quoque libri Baruchi testimonium dedit. Verba enim ac sententias hausit ex Baruchi capite 1, v. 15, et capite 2, v. 7, atque in caput suum 9 traduxit. Daniel quippe triginta annis post quintum à captivitate Sedeciæ, cùm jam Darius Medus Babylonicum imperium occupaverat, providit, quæ in 9 capite prophetiæ suæ complexus est. Patres verò Ecclesiæ, Clemens Alexandrinus, lib. 1 Pædag., cap. 10; Cyprianus, lib. 2 Testimon. adversùs Judæos, cap. 6; Hilarius, lib. 5 de Trinit.; Augustinus, lib. 18 de Civit. Dei, cap. 33, quæ Baruchi sunt, sub Je-

remiæ nomine commendant, seu quòd Baruchi epistolam inter Jeremiæ opera collocatam Jeremiæ esse crederent; seu quòd opus discipuli adscriberent magistro, cujus tempori et personæ congruere videbatur: certa adeò eorum animis sententia insederat, epistolam illam, Deo afflante, fuisse descriptam. Item canonicum librum Athanasius in Epistolâ festali declaravit, ut supra vidimus; Basilius autem lib. 4 contra Eunomium; Joannes Chrysostomus, oratione: *Quod Christus sit Deus;* Ambrosius, lib. 1 De fide ad Gratianum sententias ex eo libro sumptas, quicumque demùm, eas scripsisset, se ex canonicis et divinis litteris petere dixerunt. Tum verò qui Baruchum auctorem, et scriptorem epistolæ nominant, et ipsi non dubitant, quin ejusdem par auctoritas sit, ac cæterorum divinorum, librorum. Ex iis est Eusebius Cæsariensis, lib. 4 Demonstr. Evang., cap. 19, Cyrillus Hierosolymitanus, Cyrillus Alexandrinus, qui et lib. 10 contra Julianum inquit: *Addam et beatum Baruch Isaiæ verbis suffragantem; dixit enim ipse alicubi* (c. 3, v. 36), *hic est Deus; non æstimabitur alius adversùs eum; adinvenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo, et post hæc super terram visus est, et cum hominibus conversatus est.* Ac Theodoretus, qui et commentaria in Baruchum edidit, et *divinam Scripturam* appellavit in capite secundo. His omnibus gravissimis Patrum judiciis Eugenius Papa IV, in decreto pro instructione Armenorum, et Tridentini Patres æquissimè suffragium, judiciumque suum absolutissimum adjunxerunt, à quo licet nemini dissentire.

Contra hæc acriter pugnavit Hugo Grotius; sed quàm irrito conatu videamus. Inquit ipse in canone sive Hebræorum, sive prioris Ecclesiæ librum Baruchi desiderari: neque enim Hebraicum exemplar ullum exstat, aut exstitit: neque Melitho, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Innocentius I, aut concilium Laodicænum, Carthaginense III, Romanum sub Gelasio Papâ librum Baruchi in canonem retulerunt; defuit ergo argumentum, quare nuper in sacrorum Librorum catalogum conjiceretur. Auctor præterea libri Judæus quidam erat Græcè sciens, qui excogitavit quæ dicere et scribere Baruch potuisset exulum Judæorum nomine cum Jechoniâ captivorum Babylone. Nam si Hebraicè scripsisset, nusquamne Hebraicus codex comparuisset? Quamobrem miscuit scriptor ignarus temporum, quæ in captivitate Jechoniæ quæque in alterâ Sedeciæ contigerunt, omniaque confudit, perinde ac si mala quæ postea in populum Hebraicum et urbem sanctam inducta sunt antea evenissent. Incipit dicere anno 5 post deportatum Jechoniam Judæos epistolam in Hierusalem misisse, atque hoc ipsum in orationis cursu magis explicat loquens de templo, de altari, de vasis, de sacrificiis, quod temporibus Jechoniæ captivi regnante Hierosolymis Sedeciâ, congruebat; inconstans autem sibi ibidem succensam Hierusalem dicit, cùm epistola illa daretur. Repugnant ista secum ipsis. Vel enim anno 5 post Jechoniam Babylonem abductum scripta sunt; et tum Nabuchodonosor urbem non delevit incendio; vel post Sedeciam captum, eversamque urbem litteras misit Baruch; et tum prostratum erat solo templum, destructa ara, nullusque sacrificiis relictus locus, nullus sacerdos Hierosolymis manserat, sed agrestes homines quidam agricolæ, vinitores, qui tellurem exercerent; unde et Daniel, qui longè post urbis vastitatem prophetavit, quando reparari commodiùs lapsu temporis ruinæ potuissent, conqueritur cap. 3, v. 38, nihil omninò populum habere solatii ex Religionis officiis: *Et non est in tempore hoc .. neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te.* Auctor ergo epistolæ Barucho tributæ satis compertam non habuit præteritorum temporum rationem. Addit Grotius ex Danielis libro Græcum scriptorem mutuatum esse multa, ut hâc etiam de causâ esse Baruchus nequeat qui Danielem ætate præcessit. Addit et comma illud 38 capitis tertii: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, recenter à Christiano quodam insertum Epistolæ, ut incarnatio Unigeniti filii Dei tanquàm ex vetere vaticinio probari posset; quem locum etiam Theodoretus deceptus ad Christum Dei filium humanâ specie indutum retulit.

Perperàm hæc ab acuto cæteroquin viro, ac Religionis inimico, assumuntur ad reprehensionem canonici libri. Non exstat in Hebraico canone Baruchi Epistola, quemadmodùm et multa aliorum scriptorum opera, quæ supra vindicavimus, desunt, quia vel temporum injuriâ vel negligentiâ librariorum, vel aliâ de causâ periit. Græca tantùm versio ad nos, sive ad Ecclesiam pervenit, quam non Christiani fabricati sunt, sed à Synagogâ acceperat, apud quam primigenium exemplar periisse necesse est. Et olim quidem sub Jeremiæ titulo locum habebat, ut adnotabamus sive ex Danielis libris, sive ex sanctorum Patrum testimoniis, qui Baruchi sententiam adhibentes Jeremiæ patrocinio se fretos dixerunt. Cæterùm miramur Grotium credere potuisse Græci scriptoris, qui se Baruchum simulare voluerit; non autem Hebræi epistolam esse. Hebraicus totus est orationis color, quem illinire non potuit, nisi qui Hebraicè multum didicit. Quòd si hebraicè peritus erat, quoniam se Baruchum fingebat, cur non potiùs Hebraicè scripsit, ut credibilius mendacium faceret? Si igitur Hebraicum necessariò fateri debet Grotius exemplar Baruchi, afferat jam causam, quare exemplar illud nusquàm visum sit, eâque nos utemur ut doceamus ex Jeremiæ operibus, quibus inserebatur, excidisse. Cur autem SS. Patres in canonicorum Librorum catalogo Baruchum non sint complexi, aperta ratio est, quia scilicet Jeremiæ adjudicabant Baruchi Epistolam; quia Jeremiâ nominato, et Baruchum, qui pars erat, nominâsse satis sibi videbantur; quam legem semper secuta est Christi Ecclesia; neque aut Eugenius aut Tridentini Patres canonicum Baruchi librum distinctè recensuissent unquàm, nisi hæretici compulissent sigillatim Baruchi meminisse. Ideò etiam nunc Ecclesiæ usus obtinuit, ut quæ Baruchi sunt, in horis canonicis, et in Missâ vigiliæ Pentecostes, eadem sub Jeremiæ nomine legantur. Etenim ex iis Patribus

quos Grotius opponit, librum Baruchi in sacrorum catalogo non descripsisse, alii divinum esse alibi significârunt, ut Hilarius et Gregorius Nazianzenus; alii explicatè recensuerunt, ut Epiphanius et concilii Laodicæni Patres, quos paulò ante commemoravimus. Et Hieronymus quidem, videns Hebræos Barucho carere, suspectum librum habuit, cumque prætermisit. Quamobrem et Latina nostra interpretatio vetustioris interpretis est, non Hieronymi; sed præterquàm quòd scripsit S. doctor, quod videbatur Hebræis, quam ipse deesse auctoritatem putavit, Patres alii asseruerunt.

Nulla quoque aut temporum aut locorum perturbatio in totâ Epistolâ est, si animo præjudiciis vacuo divinum verbum legamus. Quam rem dùm exponimus, quæstionem etiam de scriptionis tempore ab initio propositam expedimus. Itaque anno 5 à Sedeciâ capto, et Hierosolymitano incendio scriptam epistolam statuimus, ut ea verba vers. 2: *In tempore* (id est, *à tempore*, ut consentit etiam Calmet) *quo ceperunt Chaldæi Hierusalem, et succenderunt eam igni*, dubitare non sinunt. Non enim placet eorum interpretatio, qui explicant *in tempore*, id est, *illâ tempestate, eo temporis tractu*, quo Hierosolymam Chaldæi occupârunt, ut notetur totum captivitatis spatium, quo et capta urbs est et igne succensa. Quî enim si toto sexennio, antequàm urbs caperetur, et incendio flagraret, misit Baruchus Epistolam ad fratres Hierosolymis relictos, fieri potuisset ut initio sermonis succensam urbem diceret fratribus, quam stantem atque illæsam ipsi incolebant? Tolerabilior nobis non est Junii conjectura suspicantis, cùm, regnante Jechoniâ, urbem cepit Nabuchodonosor, ignem pariter admotum; sed et statim restinctum incendium et urbem servatam, quòd ille se, urbem et regnum victori tradiderit. Si restinctum protinùs incendium est; non ergo quemadmodùm obtinuit urbem rex Babylonis, ita et succendit. Sed clariora, si opus esset, captæ atque incensæ jam urbis indicia oratio ipsa facit. Capite 2, v. 2 et 3, Propheta inter cætera mala deplorat comestos à genitoribus filios: *Ut adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo, quemadmodùm facta sunt in Hierusalem..... ut manducaret homo carnes filii sui, et carnes filiæ suæ.* Verùm id in ultimâ Hierosolymorum vastatione luctuosissimum fuit, ut Thren. cap. 2, v. 20, habemus: *Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ?* (Id est, adeò ut devorarent mulieres fœtus suos infantes palmi magnitudine.) Cap. 4, v. 10: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei.* In deportatione verò Jechoniæ ad tantam immanitatem à matribus processum non est. Iterùm vers. 26 capitis ejusdem secundi, Baruch prostratum templum luget: *Et posuisti templum..... sicut hæc dies* (id est, templum redegisti, quò videre est hodiè). Non est autem eversum templum ante undecimum Sedeciæ annum; igitur annus quintus, quo data Epistola est, Sedeciæ captivitatem est consecutus.

Legit autem propheta Jechoniæ regi epistolam, antequàm mitteret, non Sedeciæ; quia Sedecias perduellis captus orbatusque oculis, detrusus in carcerem necatisque filiis spem omnem amiserat vel reditûs in patriam, vel regni, neque poterat ullum ex posteris relinquere imperio olim potiturum, si Deus ulli potiri dedisset; Jechoniam contra tanta clades non presserat: imò Chaldæorum gratiam sibi captaverat deditione suâ, filios in captivitate genuerat, omniumque Judæorum spem ad se attraxerat. Sedeciam verò tum Babylonem jam perductum, cùm Baruch scriberet, ea ostendunt quæ sibi favere per errorem putant adversarii dicta de argenteis vasis à Sedecia factis, et Hierosolymam ad fratres tunc restitutis, vers. 8, cap. 1: *Cùm acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in terram Juda decimâ die mensis Sivan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Josiæ rex Juda.* Nempe cùm accepisset Baruch à Chaldæis vasa argentea per Hebræorum ditiores pretio redempta missurus Hierosolymam, et in sacrificiorum usum restituturus, argentea, inquam, quæ Sedecias initio regni facienda curaverat, tunc et Epistolam scripsit; abstulerant ergo Chaldæi jam de templo non tantùm Jechoniæ temporibus aurea vasa nunquàm deinceps templo reddita, verùm etiam argentea in priorum locum suffecta à Sedeciâ, quæ urbe incensâ, et abducto Sedeciâ, de domo Dei Babylonem exportaverant. Omninò igitur probari non debet quinto captivitatis Jechoniæ anno ante urbem vastatam Baruchum scripsisse. Quemadmodùm neque probari alterum potest, à Sedeciâ ablegatum esse Baruchum cum Saraiâ Babylonem, unde ad fratres scribere tunc Propheta potuerit; quoniam ejus Baruchi profectionis cum Saraiâ neque Jeremias mentionem habet, cap. 41, neque Baruchus ipse cùm scripsit Epistolam, nominavit Saraiam.

Quid igitur aram, sacrificia, thus, sacerdotes nominat Baruchus, si incenso unà cum urbe templo nihil horum supererat? Planè inter templi reliquias et rudera in atrio, ex. gr., eversi templi, levi opere ac tumultuario utcumque instaurato, post Chaldæorum discessum erigere clam potuerunt Judæi aram, in quâ Religionis munia clam obirent; illamque erexisse ad privatos saltem usus, ut in Religionis officiis se consolarentur, non modò verisimillimum est, sed ex hâc Baruchi Epistolâ manifestissimum. Nam etsi conflagrâsse templum dicatur, et æquatum solo; non tamen putandum est partes omnes adeò exustas, ut ne murus quidem aut tugurium flagrationi superstes fuerit; atque etiamsi daremus flammis absumpta omnia, quinque tamen annorum spatio à templi urbisque incendio vinitores atque agricolæ ad terræ culturam relicti ut casas excitare potuerunt in urbis ruinis, ita et in templi ruderibus aram struere in quâ Deum venerarentur, ejusque iram placarent. Ita altare habuerunt Hebræi, antequàm Mosaicum tabernaculum construeretur. Quin imò vel duobus mensibus postquàm exusta Dei domus est, *mense* nimirùm *septimo*, ut narratur Jeremiæ cap. 41, v. 5: *Venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samariâ octoginta viri rasi barbâ, et scissi vestibus, et squalentes; et munera, et thus habebant in manu,*

offerrent in domo Domini. Igitur vel tum altare esse debuit in templi eversi ambitu, ubi munera et thus offerrentur. Quo in loco deinde haberi commodè potuerunt Hebræorum sacri cœtus diebus solemnibus tanquàm in templo, etsi dirutum esset. Idque denotant Baruchi verba, cap. 1, v. 14 : *Et legite librum istum.... in templo Domini, in die solemni.*

Sacerdotum verò quare nemo fuerit Hierosolymis post templi ruinas? Homines multi remanserant ad exercendam terram, quos dimiserat Nabuzardan magister militum, Jeremiæ c. 39, v. 10; senes verò, et ad omne opus ineptos non erat, cur Babylonem transferret. Præterea ex cap. 40 Jeremiæ, apparet non paucos Judæos fuisse, qui ex finitimis regionibus ad Godoliam se receperant à rege præfectum terræ Juda, vers. 11. Cum Godoliâ Jeremias pariter *habitavit in medio populi, qui relictus fuerat in terrâ;* Godoliæ *viros, et mulieres et parvulos*, qui non fuerant translati, commendaverat rex Babylonis. Jam verò inter viros relictos in Judæâ, aut eos etiam qui post Chaldæorum abscessum Hierosolymam redierant ex Ægypto, Idumæâ, etc., quo secesserant, priusquàm gravissima tempestas cooriretur, quis neget fuisse et Joachim sacerdotem? quem cùm Baruchus summum sacerdotem non appellet, neque nos appellamus. Credendum tamen est clariorem fuisse inter sacerdotes qui ministrabant, et principem præstantemque pontificis munera, dùm nemo erat tantâ dignitate præditus. Ex quo et apertiùs intelligitur sacra fieri à sacerdotibus, thura adoleri, munera offerri, atque agi solemnia ad aram Domini opportunè potuisse post cladem omnium maximam. Quarum rerum causâ scribit Baruch, vers. 10 : *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, et thus, et facite manna* (id est, *oblationem*), *et offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri.*

Nec verò Daniel, dùm capite 3 queritur neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblationem, neque incensum esse coram Deo, huic nostræ explicationi repugnat. Loquitur ipse primò, sive loquuntur tres pueri in mediis ignibus de miserâ fortunâ, quæ in se incurrerat Babylone, ubi nullo Religionis signo testari poterant pietatem suam, atque in fide constantiam. Quamobrem rogant Deum, ut contritum animum atque humilitatis spiritum sacrificii loco suscipiat. Deinde ut indicent miserrimè, pauperrimè, tenuissimè, rarissimè sacrum fieri, negant ullibi offerri sacrificium solemne, et publicâ auctoritate permissum, cujusmodi profectò non erat sacrificium illud quod Hierosolymis in abjecto et quasi furtivo altari offerebatur. Siculi, quanquàm in hæreticorum urbibus in aliquâ subinde domo sacrum fiat; quia tamen clam id fit, et contra publicas leges, meritò dicimus sacrificium non esse, publicum scilicet catholicæ Religionis officium. A Daniele pariter auctorem Epistolæ Baruchi quædam hausisse, supra demonstravimus opponi perperàm.

Perperàm quoque objicitur illud capitis 3, comma 38, *Post hæc in terris visus est...* tanquam à Christiano homine reliquis superpositum. Primò enim Grotius, qui pro more suo historica omnia, nullum in vetere Testamento declaratum novæ legis mysterium videt, Prophetæ verba legens potuisset interpretari Deum ipsum olim post traditam disciplinam Jacobo atque Israeli in signis, in portentis, in lege datâ in monte Sinâ, in nebulâ, in angelorum personâ, in tabernaculo, in templo tanquàm in statione, in solio, in majestate, in gloriâ quasi videndum se hominibus præbuisse, atque inter homines esse versatum. Similia ferè legimus in Proverbiis, in Ecclesiastico, in Sapientiâ, ubi dicitur delicias Dei esse cum filiis hominum versari, divinam sapientiam cum hominibus, cum electis esse, cumque iis laborare; neque tamen Proverbiorum locos, et Sapientiæ et Ecclesiastici à Christiano homine appositos dicit Grotius; itaque nec fingere debebat Christiani hominis manu alterum Barucho fuisse affictum. Deinde verò quid unquàm incommodi est, si dicatur virum Dei prophetam vaticinio suo ad Christum Dominum spectâsse, ejusque inter homines vitam? Si non nihil de sententiâ suâ decederet Grotius, quæ tota hebraica est; si in Prophetis spiritum Dei agnosceret futura, arcana, et spiritalia monstrantem; si æquo animo pateretur vinci se à vetustissimis et sapientissimis Patribus, qui sacras litteras scrutati sunt penitiùs, mirum ei non videretur, veterem Prophetam de Deo homine facto expressiùs fuisse locutum. Etenim præter Cyprianum, Hilarium, Augustinum, Basilium, Ambrosium, Eusebium, Cyrillum Alexandrinum in locis, quos nuper commemorabamus, Irenæus advers. Hæres. lib. 5, cap. 35; Tertullianus contra Praxeam, cap. 6; Gregorius Nazianzenus, de Theologiâ, orat. 4; Chrysostomus de incomprehensibili Dei Naturâ, orat. 5, aliique in Barucho, in Jeremiâ, in Prophetâ, in divinis Scripturis de filio Dei dictum esse affirmârunt : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Quare arrogantiùs novus interpres seris temporibus scripsit, locum illum piâ fraude esse ab homine Christi Jesu fide imbuto assutum. Sed mos est ille intemperantioris critici, qui pari temeritate, pari et inconsiderantiâ senserat prophetiam de Christi Jesu nece, quæsitâ à Judæis causâ, cap. 2, Sapient., suppositam fuisse post Salvatoris mortem.

Quæ cùm ita sint, planè constat nullam esse causam cur Baruchi epistolam rejiciamus, quam Canonicam esse gravioribus argumentis ostensum est. Alteram quidem epistolam nomine Baruchi inscriptam Syriacè exstantem, nullo auctoritatis testimonio munitam refellimus. Ea certè novitatem sapit, estque Barucho adscripta à quopiam Syro à primis Ecclesiæ seculis, ne videretur Propheta decem tribuum trans Euphratem deportatarum oblitus, qui fratrum Hierosolymis degentium meminerat. Apertior est de supremo judicio et futuræ vitæ pœnis sermo, quam ut Baruchi ætati conveniat. Inepta præterea multa et nugatoria de angelis à Deo missis, qui Hierusalem everterent, et vasa templi à pollutione Chaldæorum subtraherent, narrat auctor, qui per otium, insulsitatem atque insaniam ea se excogitâsse demonstrat.

ARTICULUS XX.

De prophetiâ Ezechielis.

Ezechielem è Leviticâ tribu filium sacerdotis Buzi unà cum Jechoniâ, et præcipuo militiæ ac regni robore Nabuchodonosor, urbe deditâ, Babylonem traduxit. Cœpit ipse anno captivitatis suæ quinto, ætatis verò, ut plerùmque creditur, trigesimo vaticinari, et viginti integros annos prosecutus est futura prædicere. Nam initio prophetiæ ait, se visiones Dei vidisse anno trigesimo: *Et factum est trigesimo anno... ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachim*, quem annum trigesimum alii à jubilæo, alii à solemni fœderis instauratione sub Josiâ rege post inventum in templo ab Helciâ summo pontifice Legis librum, alii à Nabuchodonosoris aut nativitate aut inito regno, alii denique à Nabopolassare Nabuchodonosoris patre, qui novum Chaldaicæ monarchiæ initium fecerat, victo Saraco, sive Chinaladane Assyrio ducendum putant; at verisimile admodùm est, quòd et probat Hieronymus præfatione in Ezechielem, trigesimum ætatis Prophetæ annum notari, quo ex legis instituto sacerdotii munera filii Levi inibant. Interfectum esse ferunt à nationis suæ principe, quem acriter de lege desertâ, et lapsu in idololatriam reprehenderat. Obscuritate et caligine prophetias suas involvit, in principio potissimùm, et fine operis; quam fortassè ob rem Ezechielis lectione interdixerunt Judæi nondùm trigesimum annum assecutis, ut et de Canticis canticorum legendis decreto pariter caverant.

Inprimis cùm se vocatum à Deo dixisset ad prophetæ munus, prænuntiavit captivitatem populi, atque urbis excidium, ut verbis Jeremiæ augeret fidem et vanam spem quam pseudoprophetæ fecerant populo, à Judæorum animis depelleret. Prædixit deinde graves angustias vicinis Gentibus adventuras, populi sui reditum in patriam, templique instaurationem, quibus subliniore sensu Messiæ regnum, gentium vocatio ad fidem, atque Ecclesiæ constitutio significatur. Prophetarum omnium eruditissimus, atque acutissimus meritò habetur, quod gravibus sententiis, ænigmaticis visionibus, metaphoris, figuris, similitudinibus, profanâ scientiâ atque arithmeticæ cognitione præ cæteris plenior sit atque abundet. Quod ad stylum attinet, S. Hieronymus nec satis disertum, neque admodùm rusticum, sed inter medium et ex utroque temperatum censuit, ut hominem decebat inter Chaldæos agentem, utentemque stylo eorum familiari. Visiones vidit numero 22, easque ex ordine temporum, quibus visa apparuerunt, omnes digessit; unde intelligendi difficultatem maximam res ipsa parit, non temporum confusio.

Hunc, quem habemus, viri divino spiritu afflati propheticum librum canonicum et germanum esse ostendit cùm ipsa argumenti et rerum futurarum ratio, quarum cognitionem non nisi Deus in animum scriptoris immisit, tùm veterum omnium consensus comprobat. Quam ob rem nullis præterea armis egemus ad Spinosam adversarium atque obtrectatorem perpetuum repellendum; nec desiderandum ultra esset quidquam, quo nos munire magis deberemus, etiamsi validiora is haberet causæ suæ præsidia; quantò magis cùm afferat infirmiora. Negat ille, qualem scriptis reliquit Ezechiel ad nos devenisse librum, sed tantùm operis fragmentum superesse; quia incipit in nostris libri reliquiis sermo ab iis verbis conjunctionem cum alio superiore significantibus: *Et factum est in trigesimo anno;* priora ergo desunt, quæ propheta præscripserat, quia ab anno trigesimo nunc exordium prophetiarum ducitur. Ubi verò est epocha, unde annus iste repetatur? vel ubinam describuntur visiones ante illum annum habitæ? quia Josephus, lib. 10 Antiq., cap. 10, scribit inter Ezechielis vaticinia et illud exstitisse de Sedeciâ nunquàm visuro Babylonem, scribit et duos prophetiarum ab eo relictos libros; nunc autem in Ezechiele legimus cap. 17, v. 12 et 20, futurum ut Sedecias Babylonem adduceretur, nuspiàm verò ut Babylonem non videret; atque unum tantùm Ezechielis volumen habemus, quod quidem Synagogæ magnæ viris Thalmud cap. 1, Bavà Bathrà, attribuit, non Ezechieli.

Quis hæc, et si quæ sint horum similia, vim quamdam habere putet? *Et factum est*, invenimus initio libri Josue, prophetiæ Jonæ, historiæ Machabæorum, quæ fragmenta non sunt majoris operis. Miror hominem, qui videri velit Hebraicè peritus, ignorare voculam *et* nihil omninò efficere hoc loco præter mutationem verbi è futurâ significatione in præteritam; vel sæpè solius ornatûs gratiâ, atque ex usu dicendi apud Hebræos familiari in narrationum exordio adhiberi. Annum trigesimum unde repetere quis possit, supra docuimus, cujus epocham, quanquàm ea ignota nobis esset à scriptoris ætate remotissimis, exploratam tamen habebant ejus ætatis homines probè docti, unde tempus à prophetis indicatum supputaretur. Ante annum verò illum trigesimum visiones nullas Propheta viderat; vel si quas vidit litteris non prodidit.

A quo scriptore didicerit Josephus vaticinatum Ezechielem de Sedeciâ Babylonem non visuro, non satis assequi possum. Si tamen verum est et istud oraculum prophetam edidisse, vel solo sermone fudit, vel ad regem misit, qui id nuntiaret, vel per epistolam in prophetiarum librum nunquàm relatam de verbo Dei ad se facto certiorem fecit, potuitque sine ullâ orationis dissimilitudine utrumque asseverare, et adductum iri Sedeciam in Babylonem, et urbem regiam Chaldæorum nunquàm ab eo visum iri, quia dùm dilaberetur, captum in itinere, effossisque oculis in urbem Chaldæi deportârunt. Duos verò exstitisse Josephi ævo prophetiarum Ezechielis libros nunquàm assentiar: fieri enim non posset ut eorum alter omninò intercidisset ex sacris omnium nationum codicibus, ad quas Scripturarum interpretatio manaverat. Siquidem ante Josephi tempora duplici volumine Ezechielem opus suum complexum, eorumque alterum periisse nemo alius tradidit. Rectiùs interpretamur Josephi sententiam de hoc ipso Ezechielis libro ad nos delato, qui olim in duas partes distribueretur, primam

capitibus 39 constantem; alteram reliquis facilè divisibilibus, propter novum veluti argumenti genus, quippe ad descriptionem urbis et templi, tribuumque distributionem spectantibus. Conflatum ex ambabus hisce partibus totum prophetiarum Ezechielis corpus efficit librum unum, quem ignorantiâ et levitate hebraicâ somniantes Thalmudistæ tribuunt operæ magistrorum Synagogæ magnæ, quia futurarum rerum præsensio extra terram sanctam scribi eorum arbitratu non poterat. Synagogam magnam recensuisse, mendis purgâsse, evulgâsse nitidiora Ezechielis exemplaria non repugnamus; primum exemplar descripsisse nemo unquàm persuadebit.

ARTICULUS XXI.

De prophetiâ Danielis.

Nabuchodonosor, Babyloniorum rex, anno primo regni sui, expugnatis Hierosolymis, et acceptis à Joachimo, Judæorum rege, servitutis conditionibus, pueros de semine regio formâ et ingenio præstantes, institutos liberaliter educatione, doctrinâque puerili, instructosque sapientiâ et disciplinâ traduci Babylonem jussit, qui regi in aulâ ministrarent, postquàm Chaldæorum litteras et sapientiam didicissent. Inter eos et Daniel adolescentior ex regiâ stirpe natus in captivitatem raptus est, ibique prophetiæ dono illustratus scripsit multa prædicendo usque ad Cyrum Persarum regem, qui defuncto Dario Medo, alio nomine in Scripturis Astyage nuncupato, Babyloniorum quoque regnum obtinuit. Cœpit junior Propheta ab impudicorum senum calumniis vindicare innocentiam Susannæ castissimæ conjugis Joachimi, eamque à falso populi judicio liberavit, quod maximam gloriam adolescenti videnti acutè, et Dei spiritum habenti apud omnes peperit. Deinde Nabuchodonosoris somnium ex animo jam deletum de statuâ partim aureâ, partim argenteâ, æreâ, ferreâ, testaceâ divinitùs cognitum cùm aperuisset, est interpretatus: quamobrem auxit rex honoribus amplissimis hominum sapientissimum, à quo rei cujuslibet cognitio et scientia perquireretur, eumque omnibus Babylonis provinciis et magistratibus præfecit: ad quem sic adibatur, ut ad ipsum de omni regni negotio referretur.

Ob id Nabuchodonosoris successoribus acceptissimus etiam fuit, cui propter sapientiam, quâ omnium, maximè abundabat, nihil dignitatis atque officiorum diminutum est. Multa præterea egit summis laudibus celebranda ad religionis defensionem; idolum Beli contrivit, draconem Babyloniis pro Deo habitum compositâ offâ disrupit, et solum verum Deum coli oportere doctrinâ, exemplis, re probavit. Ab inimicis sæpè expetitus ad necem, atque in invidiam regum adductus, bis in lacum leonum conjectus est, unde tamen, Deo protegente, incolumis evasit inimicorum non tantùm vituperationi quàm detrimento gravissimo. Provectus ætate, cùm Cyrus summam imperii obtinuisset, Susis creditur obiisse. Nam, etsi ejusdem regis beneficio Judæis omnibus concesso reverti commodè in patriam posset, maluit tamen in exilii loco apud Babyloniorum regem in officio manere, quo faciliùs tueretur publicam fratrum suorum causam, si fortè, quod erat maximè metuendum, invidi tempestatem aliquam adversùs fratres commovissent.

Quod verò nostræ disputationis argumentum est, descripsit ipse visa sua non modò, sed et actiones quas rerum Babylonicarum narratione intexuit, quantùm ad suum institutum opus erat, omniaque in unum librum inclusit. Librum istum in duas partes distribuere optimè possumus, alteram historicam, quâ Nabuchodonosore, Balthasare, Dario summum imperium gubernantibus, quæ sibi Babylone evenerant, persecutus est sex capitibus; alteram in duodecimo capite desinentem, ubi, quæ providit, nempe multorum regnorum interitum, Messiæ adventum et mortem, Judaici regni ruinam, Propheta eleganter tractavit. Quibus apposita sunt ejusdem prophetæ duo postrema capita duas singulares historias complectentia, alteram Susannæ, alteram Beli et Draconis. Primum caput totius operis, cujusmodi in Hebraicis codicibus nunc exstat, et versiculus usque quartus secundi capitis Hebraicè scripta sunt; deinceps Chaldaicus est sermo, qui octavo capite desinit. (Sed in capite 3, à vers. 24 ad 90, trium puerorum Canticum et Orationem Azariæ Hebraicum exemplar non habet, quæ ex solis Græcis Scripturis in Vulgatam nostram derivata sunt.) Rursùs verò Hebraica redit locutio per totum duodecimum caput continuata, quo apud Hebræos Prophetæ liber absolvitur. Nam historias duobus ultimis capitibus descriptas Græci tantùm codices exhibent, unde Latini sumpsimus. Genus orationis neque tam amplum est, neque tam ornatum figuris, quàm cæterorum prophetarum esse soleat; ad historicum magis inclinat, clarius et pressius.

Hæc quæ postremo loco posuimus, sunt majore copiâ rationum confirmanda. In disceptationem enim quæstionemque primò illud vocatur: Danielne ipsemet librum scripserit Babylone captivus; an verò Hebræus aliquis legis studiosus propè Machabæorum tempora finxerit Danielem olim scripsisse? Rursùs Prophetisne accensendus sit Daniel, an is scriptoribus quos agiographos vocant? Tertiò, an historiæ Susannæ, Beli, et Draconis, uti et Azariæ Oratio, et trium puerorum Canticum veritate nitantur, et canonicam dignitatem jure obtineant? Quartò, an earum scriptor Daniel sit, uti et reliquarum partium, quæ solæ apud Hebræos supersunt? Hæc enim omnia vel infideles, vel Hebræi, vel heterodoxi in disputationem adducunt, ut convellant aut dubia faciant quæ pro scripti antiquitate, pro dignitate Danielis, pro historiarum veritate et auctoritate divinâ, pro scriptoris unitate nos religiosissimè stabilimus

Itaque primò constituimus Danielem auctorem esse libri suo nomine inscripti contra Porphyrii, Spinosæ, Hobbesii deliramenta, quorum primus absurdè existimavit temporibus Antiochi Epiphanis Judæum quempiam scripsisse; alter, septem priora capita consignata litteris post restitutum à Judâ Machabæo templum; tertius, affirmari non posse Danielem

fuisse vaticiniorum suorum scriptorem. Etenim, quan quàm nomen Danielis in capite Prophetiæ positum non sit, ex multis tamen locis, ubi de se ipso loquitur, colligimus Danielem conscripsisse, et scribendi mandatum accepisse à Deo, cui an paruerit, nefas est dubitare. Capite 7, v. 1, legitur : *Anno primo Baltassar regis Babylonis Daniel somnium vidit : visio autem capitis ejus in cubili suo : et somnium scribens brevi sermone comprehendit, summatimque pertingens ait : Videbam in visione meâ, nocte....* Capite 8, v. 1 : *Anno tertio regni Baltassar regis visio apparuit mihi. Ego Daniel....*, et vers. 26, narrat se jussum tegere, id est, ænigmaticè proferre visionem : *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. Et ego Daniel langui...* Rursùs cap. 12, v. 4, eadem repetit ob novum sibi factum mandatum apponendi quasi sigilli libro, ne intelligerentur quæ scripserat, antequàm advenissent : *Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum....* Ex quibus intelligi potest ita rem se habere ut proposuimus. Contra hæc verò, quibus Synagoga atque Ecclesia semper adhibuerunt fidem, quid tandem increduli homines afferunt? Clariora, inquiebat Porphyrius, sunt usque ad Antiochum Epiphanem, quæ Danielis vaticinia dicimus, quàm conveniat esse prophetis : imò narrationes potiùs sunt præteritarum rerum quàm futurarum vaticinationes.

Porphyrium hoc modo disserentem copiosè olim confutaverant Methodius, Eusebius, Apollinarius, ut Hieronymus refert, quorum quidem Patrum operibus jamdiù caremus. Verùm potestne quidquam dici absurdius, quàm à Porphyrio dicatur? Dixisset pariter auctorem Antiocho Epiphane recentiorem esse, si intellexisset, quæ Daniel prædixit futura post Antiochi ætatem. Nam rerum eventu atque intellectione illuminantur quæ erant obscura, et fiunt historica quæ prophetice provisa sunt. Imò verò saniùs argumentari debuisset philosophus, Danielis pectus divino Spiritu fuisse completum, quippe historiæ omninò consentanea sunt Danielis vaticinia. Cùm essent Reges ii Babylonii Nabuchodonosor, Baltassar, Darius, erat profectò et Daniel, cujus sapientiæ, doctrinæ et justitiæ testimonium dedit Ezechiel cap. 14, v. 14, et cap. 28, v. 3. Exstant Hebraica exemplaria in canonem post Babylonicam captivitatem inserta, antequàm septuaginta Senes Scripturas Græcè redderent, in iisque Daniel se locutum, se scribere aggressum profitetur. Quid plura quærimus, si ratione quidem duci amemus, non abripi negandi cupidine?

Verùm neget jam Porphyrius, si potest, à Christo Domino, Matth. cap. 24, v. 15, Danielis prophetiam commemoratam et vaticinium de irreparabili Judæorum excidio Danielis appellatum? *Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto....* Neget Josephum lib. 10 Antiq. Jud., cap. ult, cùm multa alia de Daniele dixisset, illustria hæc de tanto viro adjecisse? *Quoscumque libros à se conscriptos reliquit Daniel, leguntur etiamnum apud nos, atque ii nobis certam fidem faciunt, Danielem cum Deo colloquia habuisse.* Neget eumdem Josephum, lib. 11, cap. ult., loquentem de Alexandri Magni profectione Hierosolymam atque ingressu, inter cætera meminisse ostensi Alexandro libri Danielis, in quo Græcum quemdam debellaturum Persas significabatur, cùmque rex se illum ipsum esse interpretaretur, lætum permisisse Judæis, ut patriis legibus viverent, et septimo quoque anno tributorum immunitas daretur? Si harum rerum scientiam aut negligit aut spernit Porphyrius, veriùs jam ipsius calumniam et negligamus et spernamus.

Spinosæ quoque refutata opinio est, qui proprio ingenio et pertinaciâ tempus definivit editionis priorum capitum libri Danielis à templi purgatione per Judam Machabæum indictâ. Quid enim? Si Matathias Judæ pater migraturus è vitâ studium legis filiis commendans, promissâ divinâ procuratione, et eorum proponens exempla, qui adjutorem Deum olim erant experti, ereptos ait ab angustiis Ananiam, Azariam, Misaelem, Danielem, ut in Danielis libro narratur? *Ananias, et Azarias, et Misael credentes liberati sunt de flammâ. Daniel in suâ simplicitate liberatus est de ore leonum*, lib. 1 Machab., cap. 2., v. 59 et 60. Quare autem hæc potiùs ex chronicis Chaldæorum libris, quàm à Daniele capitis 3 et 6 et reliquorum scriptore sumpta temerè conjicit Spinosa? An quia, ut inquit, priora capita Chaldaico sermone complexus est alter, qui Danieli fecit additamenta? Sed quid mirum Danielem Babylone commorantem, regiis muneribus functum, Chaldaicis litteris instructum, res Chaldæorum vel tum præsentes, vel futuras, atque ipsâ etiam Regis verba, et edicta diligenter exhibentem, usum Chaldaico idiomate, sermonem Hebraicum tantisper intermisisse? Deinde quàm insulsum est dicere septem priora Danielis capita ex annalibus Chaldaicis esse excerpta, si non nisi post Matathiæ obitum extracta ponit Spinosa : Matathias autem moriens allegat, quod ex ipsis capitibus expromptum est? Numquid et senex ille fortissimus à Chaldæorum scriptis sumpserat? Cur etiam mavult prima capita septem à reliquis discerpi, ut alter primam, postremam partem Daniel, quam præstaret, seposuerit? Cùmque Daniel, quid sibi anno tertio Baltassaris apparuerit, narret capite octavo, non etiam narrare in superioribus, quid anno primo Baltassaris viderit? Quam interpretationem propositis sibi ænigmatibus attulerit? quam vitam Babylone captivus egerit? Eædem confutationes valent et contra Hobbesium; quibus concluditur, dilucidè probari gravissimis momentis scriptorum Danielis germanitatem. Nec verò Thalmudistarum opinionem curamus, quos secutus videtur Isidorus Hispalensis, lib. 6 Origin., cap. 2, perperàm sentientes Synagogam magnam in componendo Daniele elaboràsse. Nam fieri quidem potest, ut de Ezechiele dicebamus, Synagogæ magistros librum disposuisse, ut nunc habemus ; at primos litteris tradidisse, non nisi Rabbini somniari potuerunt.

Primâ expeditâ ad alteram causam progredimur ;

Prophetane fuerit Daniel, unde et librum Danielis propheticum nominari oporteat? quam fortassè præteriri sine præjudicio potuisse quis crediderit, quòd solo nomine Hebræis discrepamus; quippe ipsi licèt à Prophetarum consortio Danielem seponant, atque ad calcem Scripturarum ejus librum conjiciant; canonicum tamen et divinum esse non diffitentur. Verùm Christi Domini pronuntiatum Danielem prophetam appellantis, nos compulit hanc causam suscipere, eò saltem profuturam, ut faciliùs omnes intelligant arbitrariam esse Librorum sacrorum distributionem ab Hebræis factam, atque in re manifestissimâ Hebræos sibi non constare. Enimverò nobiscum ii sentiunt exstare in Danielis libro oracula et vaticinia de futuris populi Dei, aliarumque nationum, et regnorum rebus divinitùs inspirata Danieli: Prophetam autem vocare nolunt, quia in aulâ regiâ vivendi modum non est secutus, quem alii prophetæ tenuerunt; quia eunuchus erat: eunuchos autem ab Ecclesiâ, et populo Dei arceri jubet Deus, Deuter. cap. 23; eunuchum verò fuisse arbitrantur, seu quòd præposito eunuchorum traditus sit custodiendus, seu quòd Isaias cap. 39, v. 7, prophetaverit egressuros de Ezechiâ viros qui eunuchi Babylonio regi serviissent: *De filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis;* quæ optimè in Danielem quadrant; quia nusquàm dicitur Dominum ad Danielem verba habuisse, quæ sæpè cum cæteris Prophetis fecisse legitur; quia somnia potiùs sunt, quàm revelationes, quotquot Daniel scripto retulit; quia prophetia tum in animum suggeritur, cùm quis abalienatus animo est, suasque cogitationes pro arbitrio suo non intendit quo vult: in pacatam autem Danielis mentem illapsus fuit inspirans Deus; quia denique nemini Judæo extra terræ sanctæ fines prophetandi munus concessum est. Hæc sunt argumenta propter quæ refugiunt Hebræi prophetam Danielem nuncupare.

Bella hæc sanè et digna studiis Synagogæ! Non potest non esse propheta, qui futura providet, intelligit, interpretatur; qui divino numine incensus remotissima in solius Dei voluntate posita, atque uni Deo cognita intuetur; qui tempus, numerum annorum, locum præfinit rei eventuræ omnium maximæ, Christi videlicet Servatoris hominum; qui Babyloniorum, Ægyptiorum, Syrorum regum lapsura imperia et prænovit, et apertè prædixit; cui Deus aspiciendam proposuit aliarum rerum vicissitudinem, aliarum stabilitatem, quæ modò ad politica, modò ad sacra negotia referuntur. Horum verò omnium magnam copiam Daniel Deo plenus tradidit, docuit, scriptam reliquit. Quid ergo ei deerit, quominùs prophetam appellemus plura complexum quam prophetæ singuli facere solerent, reliquis ob id insigniorem? Præclarè in hanc rem Josephus à recentiorum Hebræorum præjudiciis solutus lib. 10 Antiq. cap. ult., æternum Danieli præconium tribuit: *Omnia ipsi incredibiliter, ut uni ex maximis prophetis concessa sunt, omnique vitæ tempore honorem et gloriam et apud reges et apud populum est assecutus.... Non enim futura solùm prædixit, quemadmodùm alii prophetæ, sed et tempus quo eventura erant, præfiniit; cùmque alii prophetæ mala prænuntiarent, propter eaque regum et vulgi odium in se concitarent, bonorum prænuntius his fuit Daniel.* Præclarè etiam in Thalmudistarum libro Meghillah, cap. 1, cæteris prophetis Jeremiæ, Aggæo, Zachariæ, Malachiæ prophetis probatissimis annumeratur: *Baruch filius Neriæ, et Seraia filius Maasiæ, et Jeremias filius Helciæ, et Daniel vir desideriorum, et Mardochæus Bilsan, et Aggæus, et Zacharias, et Malachias, omnes ii prophetârunt anno secundo Darii.* Quid igitur causæ esse potuit, cur R. Maimonides in Morè Nevochìm adeò repugnet prophetam appellari Danielem, nisi fortè illa Rabbinis odiosissima, quia apertiùs cæteris Christi Domini adventum significando latebram omnem hebraico errori pertinaciùs tuendo præclusit?

Nam quas investigârunt causas abjudicandi Danieli prophetici muneris, ineptas esse illicò cernit qui tantummodò adspexerit, et quodam quasi naturali sensu judicat, quin necesse sit multâ arte argumentum perpendere. In aulâ regiâ vixit Daniel; at vixit multò magis David aulicorum more, vixit et Samuel, vixêre et Abraham et Moses prophetarum officio clarissimi; vivendi igitur ratio neque prophetam quemque efficit, neque è prophetarum choro ejicit, dummodò hoc constet, quod præcipuum est prophetæ, præstitisse et vitæ sanctitate excelluisse.

Eunuchum fuisse Danielem, etsi Origenes primùm postea Hieronymus aliique dederint, ex nullis tamen Scripturæ locis efficitur. Equidem illud Ezechielis cap. 14, v. 14 et 16: *Etsi fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, et Job.... nec filios, nec filias liberabunt,* Hieronymus ex hypothesi dictum explicuit, ac si dixisset Ezechiel: Viri isti tres Deo charissimi, etiamsi filios haberent in periculo positos, liberarent se quidem ab angustiis, filios autem non eriperent. Quare inde non urgemus admodùm Danielem genuisse filios, et virum se præstitisse, susceptis liberis. Verùm neque quod eunuchorum præposito educandum rex tradiderit, neque quòd Isaias futuros ex regiâ stirpe apud regem Babylonis eunuchos præscierit, Danielem semivirum probat. Notum satis est, nec opus id habet exemplis, apud nationes barbaras eunuchum officii nomen esse, non generis, et cubicularium vel aulicum interdùm significâsse, aulæ ministerio præfectum, non exsectum; quia etsi plerùmque munus illud in spadones conferebatur, quibus major habebatur fides, interdùm tamen et viris tribuebatur probatæ virtutis arctiore regum amicitiâ conjunctis, et regi obsequentioribus. Sanè multos ab approbandâ Origenis et Hieronymi sententiâ de Danielis conditione removet summa illa existimatio, in quâ suismet Hebræis Daniel erat: quando è contrario apud eosdem probro fuisset, si spadonem esse accepissent: omnes enim exsecti odio habebantur et contemptui à Judæis. Sed fuerit necne Daniel eunuchus, in medio relinquamus. Illud jure negatur, eum qui vi et tyrannorum injuriâ abscinderetur corpore, fuisse segregatum ab Ecclesiâ et Dei populo. Cur enim nullam cum fratribus habere societatem posset, qui tantam mutilationis injuriam

ab hoste pertulisset? Quòd si in Spiritu sancto locutus est Daniel, ut Hebræi fatentur, etiamsi prophetis non adnumerent, necesse est, quem volunt eunuchum fuisse fateantur cum Ecclesiâ, et Dei populo societate conjunctum. Quanquàm non ingredi Ecclesiam Domini, Deuter. cap. 23, idem est, ac non frui amplissimis in Synagogâ muneribus, atque inter cætera præcipuè carere omni jure ducendarum in uxores filiarum Israel, quo jure utique Daniel caruisset, si fuisset abscissus junior.

Etsi verò nunquàm dicatur Danielem cum Deo collocutum, vel somnia tantùm vidisse legatur; insipienter inde quidquam colligitur, quod Rabbinorum nugis patrocinetur. Commentitium omninò est prophetiam in verbis à Deo prolatis positam putare, quæ in signis profectò, et in quibusvis rerum futurarum declarationibus sistit. Et Samuel quædam per somnium cognovit, vel ut Theodoreti verbis utamur in Præfatione suorum Commentariorum in Danielem, per quædam, quemadmodum Daniel, sibi interdiù divinitùs revelata, prænoscendi, intelligendi, prædicendi munere donatus est. Quòd si de Samuelis laudibus detrahere non audent, cur Danieli calumniam inferunt? Stultè etiam postulant, abstrahi quempiam debere à sensibus, et quasi dementem fieri, ut propheta evadat. An existimant, cùm olim Deus in hominum mentes illaberetur, eosque impelleret ad dicendum, alios esse debuisse, qui animo essent omni agitatione vacuo, alios, qui æstu quodam perciti, alios, qui vehementiore impetu abrepti, atque abstracti futura vel in audientium aures effunderent, vel legenda conscriberent, atque hos solum postremos prophetiæ gloriâ non caruisse, cæteros verò inferiore gradu collocandos? Sed quàm insulsa est hæc partitio ad dignoscendos prophetas! Spiritus ubi vult, et quomodò vult spirat, idemque manens prophetas pariter efficit, quomodocumque eorum mentes moveat deque venturis rebus instituat. Daniel, ut prophetæ cæteri, in somnis vidit; ut cæteri, cogitationem removit à sensibus; ut cæteri, abalienato animo interdùm fuit; et vicissim cæteri, quomodò Daniel, tranquillius interdùm, neque facti agitatiores prophetârunt. Quid ergo inter Danielem et reliquos intererit? Sed et tædet jam et pudet hæc argumenta diutiùs versare, quod eò inanius fit, quò plus ingredimur. Ezechiel Babylone extra Israeliticæ terræ limites prophetam egit; Jeremias in Ægypto multa est vaticinatus, ibique propheticam dignitatem non amisit; neque Deus ullo adstringitur loco, ubi sanctorum hominum animos invadere debeat, ut propheticum munus accipiant. Itaque Daniel exsul à patriâ potuit eximius esse propheta, et reverà fuit propheticâ doctrinâ excellens.

Cùm de duabus primis partibus celeriter quidem, sed satis dictum sit, tertiam sumamus de historiâ Susannæ, Beli, et Draconis, oratione Azariæ, triumque puerorum cantico, an verè ac divinitùs sint commendata memoriæ. Dubitandi causa nascitur ex Hebræis codicibus, ubi desunt hæc omnia, non defutura, ut heterodoxi putant, si divinitùs scripta Hebræi credidissent; multòque magis, si Daniel ipse in propheticum suum librum congessisset. Verùm alterum de additamentorum Danielis auctore deinde; nunc illud de veritate et canonicitate tractemus. Veritatis ac divinitatis harum historiarum, cantici atque orationis testis est antiquissima græca editio, in quâ ordine temporum servato, à Susannæ historiâ capit initium liber Danielis, quòd illa admodùm puero Daniele contigerit, quando ipse florere doctrinæ et sapientiæ divinæ gloriâ cœpit. In optimâ autem Sixti V editione græcâ versus ille postremus capitis 13: *Rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum ejus*, cum reliquâ historiâ Beli et Draconis conjungitur; quod argumento est in veteribus Scripturis post exposita Danielis visa narratum fuisse Beli et Draconis exterminium. In editione verò Theodotionis caput 12 desinit: *Et rex Astyages appositus est ad patres suos....., et erat Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos ejus*, quod est planè 14 capitis initium; ex quo intelligi potest voluisse Theodotionem indicare Susannæ historiam 13 capite exhibitam non suo esse loco à se collocatam, et rerum ordinem postulare, ut 12 capiti 14 illicò subjiciatur. Ideò autem in nostris Bibliis ad calcem conjecta sunt hæc omnia, quia in exemplaribus Hebraicis desiderantur. Oratio autem Azariæ, et trium puerorum canticum in omnibus Græcis et Latinis codicibus suum locum obtinent; ex quo planè intelligimus, ista duo partem olim fuisse narrationis quâ traditum est pueros illæsos à flammis, Deo servante, exiisse. Unde enim factum esset, ut in omnes Græcas, et Latinas editiones pervasissent isthæc quæ vocant Additamenta, et vel à septuaginta Interpretum ætate Græcis Scripturis inessent, nisi et approbata fuissent in universâ Scripturarum emendatione quam Esdras perfecit? Quamobrem à Syris, ab Arabibus, ab Ægyptiis omnibus et leguntur et probantur.

Huic non conjecturæ modò, sed certæ veritati ex Ecclesiæ Patribus major accrescit fides tanquàm sacras et divinas Scripturas commendantibus has libri Danielis partes, quas canonicas esse defendimus. Irenæus lib. 4 contra Hæres., cap. 44, hæc habet: *Et audient eas, quæ sunt à Daniele prophetâ, voces: Semen Chanaan, et non Juda, species seduxit te*, quæ verba sunt Danielis ad impudicos senes, cap. 13, v. 56. Iterùm ibidem Irenæus, cap. 2, scribit Danielem prophetam Cyro interroganti quare non adoraret Bel, dixisse: *Quoniam non colo idola*, quod relatum est in capite 14 Danielis, v. 3 et 4. Clemens Alexandrinus, lib. 4 Stromat. de Susannâ ait: *Taceo enim Susannam, et Mosis sororem: illa verò per summam honestatem vel ad mortem usque procedens, cùm ab intemperantibus condemnatur amatoribus, persistit firma, et constans testis pudicitiæ.* Tertullianus, lib. de Jejun., cap. 7: *Aspice Danielis exemplum circa somnium regis Babylonis, et si Deo miserabilis, leonibus in lacu fuerat horribilis.* Et cap. 9: *Sicut Danieli in lacum leonum esurienti prandium metentium exhibitum est.* Et de Coronâ milit.,

cap. 4 : *Et Susanna in judicio revelata argumentum velandi præstat.*

Origenes verò, epistolâ ad Jul. Africanum historiæ Susannæ refragantem, scribit manifestè non tam historiam Susannæ, quàm Beli et Draconis, orationemque Azariæ, et puerorum hymnum *in Ecclesiis omnibus circumferri.* Homiliâ 8 in Leviticum deinde apertiùs docet canonicam historiam esse : *Sed tempus est nos adversùs improbos presbyteros uti sanctæ Susannæ vocibus, quas illi repudiantes historiam Susannæ de catalogo divinorum voluminum desecârunt; nos autem et suscipimus, et contra ipsos opportunè proferimus.* Rursùm commentario in Matth. : *Usi sumus hoc Danielis exemplo non ignorantes, quòd in Hebræo positum non est; sed quoniam in Ecclesiis tenetur, alterius est temporis requirere de hujusmodi.* Cyprianus, epist. olim 4, nunc 45 : *Ne ætas vos eorum nec auctoritas fallat, qui ad duorum presbyterorum nequitiam respondentes, sicut illi pudicam Susannam corrumpere et violare conati sunt.* Iterùm epist. olim 56, nunc 58 : *Sic et Daniel cum compelleretur adorare idolum Bel, in asserendum Dei sui honorem plenâ fidei libertate prorupit, dicens : nihil colo ego, nisi Dominum Deum meum, qui condidit cœlum et terram.* Addatur et liber de Oper. miseric. : *Danieli in lacu leonum ad prædam jussu regis incluso prandium divinitùs apparatur.* Conjungere cum his Patribus possumus et Ignatium martyrem, epist. ad Magnes., Athanasium, epist. ad Serapion., et Marcellum, Ambrosium, lib. 3 de Spiritu S., cap. 3; Dydimum, lib. 1 de Spiritu S., et 3; Hilarium in Psal. 25; Basilium, Comment. in cap. 3 Isaiæ ; Gregorium Nazianzenum, orat. 27; Severum Sulpitium, lib. 2 Hist. Sacr. ; Augustinum, serm. 343, de Susannâ et Joseph ; Fulgentium, quæst. ad Ferrandum. Hi enim summâ consensione historias ipsas ab heterodoxis in controversiâ positas partem esse sacri textûs judicârunt ; quoniam alii verba, ubi opus erat, à Susannâ, à Daniele usurpata adhibuerunt; alii totam historiam ut à Spiritu sancto descriptam attulerunt in exemplum virtutis humanæ et tutelæ divinæ.

Deesse in Hebraicis exemplaribus isthæc fragmenta vident omnes Hebraicè periti, et nemo negavit hactenùs ; sed desunt et alia multa quæ divina esse et canonica sparsim in hoc opere validioribus rationibus ostendimus ; sed hebraismi, ut aiunt, multi occurrunt in oratione, ex quibus eruditus quilibet perspicit, olim ex verbis hebraicis orationem fuisse confectam ; sed Theodotio Christianorum hostis capitalis, atque Hebraicæ veritatis tenax, anno ferè æræ vulgaris 185 ista omnia Græcè reddidit summâ fide ; reddiderant autem multis antea seculis et septuaginta Seniores ; quemadmodùm et alii duo Ecclesiæ Christi inimicissimi Aquila circa annum 130, et Symmachus anno fermè 200, qui utique ex Hebraicis litteris Græcas interpretationes fecerunt. Olim igitur additamenta Danielis in Hebraicis quoque codicibus exstabant; exciderunt autem lapsu annorum, maximis reipublicæ judaicæ temporibus. Quomodò id acciderit, quis in tantâ locorum et temporum distantiâ arbitretur, se certò consecuturum? Origenes quidem in Epistolâ ad Africanum conjicit Hebræos datâ operâ historiam Susannæ suppressisse, ne apud posteros probrosiora impuritatis seniorum suorum judicum atque injustitiæ monumenta restarent. Sed non placet doctissimi viri conjectura, quam auctor libri Genealogiarum infirmat : *In diebus Sedeciæ fuit quoque Susanna filia Helciæ, uxor Joachimi, cum quâ duo seniores judices concumbere volebant, minantes, si noluisset, criminaturos eam concubuisse cum altero adolescente; at verò ipsa noluit; Daniel autem in sapientiâ suâ liberavit eam per inquisitionem, quia non consentiebant testimonia eorum.* Eccur verò trium puerorum hymnus, oratio Azariæ, historia Beli et Draconis in Hebraicis Scripturis pariter desiderantur, quæ nulli ex proceribus Judæorum infamiam creant, imò verò ad Judaicæ nationis gloriam summoperè conferunt? Multò satius est dicere, malè acceptis, mutilatis, jacentibus in situ et squalore Hebraicis libris, Hebraicoque populo incendiis, ruinis, cædibus perculso infeliciter partes quasdam libri Danielis periisse, quæ apud Hellenistas Alexandrinos, Ægyptios earum lectione mirificè delectatos in Græcis litteris incolumes manserunt. Illud demùm hâc in re validius est Origenis ejusdem responsum ad Africanum, maximam exemplaribus, quibus semper usa Ecclesia est, præbendam esse fidem quanquàm ab Hebræorum libris aliquâ in re discrepent. Non enim ad arbitrium nostrum codices formamus et fingimus, neque jacentes sustollimus ; sed in Ecclesiâ semper adhibitos tanti facimus, quanti fieri ab omnibus catholicæ Ecclesiæ auctoritas et consuetudo debet.

Auctoritatis hactenùs propositæ pondus non elevant alterius Ecclesiæ Patris privata opinio, alterius dictum specie contrarium, alterius verò silentium, tum cùm maximè loqui et affirmare debuisse videbatur, si quod sentimus, ipse sensisset. Ii sunt Julius ille Africanus Scripturarum peritissimus, qui hæc Danielis fragmenta contempsit, Eusebius et Apollinarius, qui Porphyrio canonicam auctoritatem historiarum Susannæ, Beli et Draconis non opposuerunt, cùm commodè potuissent, Melitho, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Innocentius I, Gelasius, aliique qui in catalogo sacrorum librorum recensere historias Danielis prætermiserunt, Theodoretus, qui in Danielem commentaria scribens, easdem neque exponendas neque illustrandas suscepit ; denique Hieronymus, qui sæpe fabulas nominando, ne fide quidem dignas narrationes judicavit.

Nam Julius Africanus, Hebraicos codices insistens, arbitratus est quidem Græcos homines ad voluptatem machinatos esse has narratiunculas; confutatus autem optimè est ab Origene, qui omnium Ecclesiarum testimonia produxit. Condonandum iis temporibus Africano erat suum illud judicium, quando canonicas libri Danielis partes omnes Ecclesia nondùm sanxerat : nunc contra et impudentissimus haberetur, et societatem cum Christi Ecclesiâ dirimeret, quisquis Julii opinioni contumax accederet.

Eusebius verò et Apollinarius graviore causâ con-

tra Porphyrium institutâ de veritate prophetiarum Danielis consultò abstinuerunt canonicas dicere historias à majore Ecclesiarum parte certè admissas; at propter discordem Hebraicum textum Porphyrio dubitabiles, neque ullo generali et publico decreto, quasi Ecclesiæ sigillo, obsignatas. In quo laudandi ii sunt, qui certa cum disputabilibus non conjunxerint, ne adversarius aliò causam traduceret, non reprehendendi quòd majoris auctoritatis Ecclesias sibi patrocinari tacuerint. Responderunt tamen, ut testatur Hieronymus prooemio Comment. in Danielem, partem esse prophetiæ Habacuc, ut post pauca dicemus.

Melitho, Cyrillus, Innocentius, Gelasius, et cæteri quotquot catalogo sacrarum Scripturarum confecto prætermiserunt de Susannæ, de Beli et Draconis historiâ, de Azariæ, et trium puerorum laudationibus mentionem habere, nihil causæ nostræ officiunt. Cùm enim Danielis librum recensuerint, partes quoque singulas, cujusmodi legebantur in Ecclesiis, recensuisse credendum est. Aliquid fortassè negotii facesserent, si quidpiam non divinum in Danielis libro excepissent, quod divinum esse affirmamus : verùm quoniam nullam omninò exceptionem habent, quis putet nobis esse contrarios? unde et omiserit Theodoretus locos istos Danielis explicare : quid inde incommodi? in primo Scripturarum canone, in Hebraico videlicet deerant.

De Hieronymo sigillatim agendum est, qui Hebraico textui, neglectis Græcis et Latinis editionibus, visus est plus cæteris primas deferre. Ipse præfatione in Danielem sic loquitur : *Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli Draconisque fabulas, quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru anteposito, easque jugulante subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncâsse.* Post multa verò contra libri veritatem objecta à magistro quodam Judæo historiarum Susannæ, Beli et Draconis derisore, concludit : *His et talibus argumentis apocryphas in libro Ecclesiæ fabulas arguebat. Super quâ re lectoris arbitrio judicium derelinquens, illud admoneo....* Hæc loquendi ratio vehementer Rufino displicuit, qui et lib. 2, adversùs Hieronymum abrasas ab eo Scripturas criminabatur : *Quis ergo in istâ virorum eruditorum copiâ ausus est Instrumentum divinum, quod Apostoli Ecclesiis tradiderunt, et depositum sancti Spiritûs compilare? Annon est compilare, cùm quædam quidem immutantur, et error dicitur corrigi? Nam omnis illa historia de Susannâ, quæ castitatis exemplum præstabat Ecclesiis Dei, ab isto abscissa est, et abjecta, atque posthabita, trium puerorum hymnus, qui maximè diebus solemnibus in Ecclesiâ Dei canitur, ab isto et loco suo penitùs erasus est.* Verùm non tulit diutiùs Hieronymus, se malè adeò accipi à Rufino, sed Apologiâ 2 se omnibus purgavit, Rufinumque lacessivit, inquiens se Hebræorum sententias protulisse, non suam, et brevitatis causâ eorum argumentis non respondisse : *Quòd autem refero quid adversùs Susannæ historiam, et hymnum trium puerorum, et Beli Draconisque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi : quorum opinioni, si non respondi in prologo brevitati studens, ne non præfationem, sed librum viderer scribere, puto quod subjecerim : dixi enim : de quo non est hujus temporis disserere.*

Jam ex hâc Hieronymi et Rufini concertatione habemus copiosissimè quid ad argumentum à Hieronymo petitum respondeatur. Fabulas ergo appellat non suis, sed Hebræorum verbis, quos refutâsset utique, nisi sibi in eo loco consulendum fuisset brevitati : quo satis ostendit, se ab approbandis illorum calumniis alienum esse. Utile videbatur S. doctori exponere in Prologo reprehensiones, in quas incurrunt illæ Danielis historiæ, ut aliorum studia excitaret ad veritatis defensionem ; reprehensiones autem illas refellendi is locus non erat. Reipsà, lib. 5 Comment. in Jeremiam ad cap. 29, historiam Susannæ à Daniele scriptam ne dubitans quidem, verba Danielis ad duos impudicos senes dicta usurpat, et ex totâ historiâ locum Jeremiæ secundùm Judæorum sententiam interpretatur. Commentariis verò in Danielem ait se de iis quæ in Hebraico canone non exstant, id sensisse quod Origenes, quod Eusebius, quod Apollinarius, qui de iis Prophyrio respondere non debere se dixerunt. Atqui tres ii, licèt apertè non dixerint canonicas esse historias, propterea quòd jus certum non erat, neque ullius edicti verbis expressum; de historiarum tamen veritate nunquàm dubitârunt. Itaque nec dubitavit Hieronymus, neque appellare consequenter fabulas in suo sensu potuit : nisi fortassè historias auditu jucundas, et ad animorum delectationem aptas vocaverit fabulas, ut Bellarminus et Sixtus Senensis explicârunt.

Argumenta cætera, quæ contra harum historiarum veritatem urgeri magis possunt, tractavit Africanus, quo nemo acriùs obstitit; ab ipso igitur sumamus. Opponebat ille Origeni illud cum veritate cohærere non posse, quod de Joachimo Susannæ marito dicitur, ædem atque hortos amplissimos habuisse, atque affluxisse divitiis. Quomodò enim captivus homo bonis omnibus spoliatus splendidas incoleret domos, in quas insigniores alii captivi convenirent honoris gratiâ, et viridarium arboribus consitum ad oblectationem possideret? Iterùm : quâ ratione componatur dura servitutis conditio cum auctoritate, quam seniores impudici, et populus retinuerunt judicandi, et decernendi reis supplicii, ut in Susannæ historiâ narratur? Credibile enim non est, aut suos ex propriâ gente Hebræis fuisse judices, aut Danielem, vel populum à Daniele revocatum ad judicium jus vitæ et necis habuisse, ut primò innocens matrona morte damnaretur, postea senes, jubente populo, pœnam sceleris, et calumniæ darent. Deinde Danielem puerum adhuc, omnisque auctoritatis expertem non audîsset populus contra judicum senum testimonium, qui ætate atque existimatione officio partâ clamores Danielis ab initio repressissent. Sed ne puerum quidem tum fuisse Da-

nielem constat uspiam. Nam Ezechiel anno 6 à deportatione Jechoniæ, id est, novem ferè annis post Danielis servitutem, cùm paulò ante, ut fertur, Susannæ historia contigisset, de Daniele loquitur viro ætate majore; æquat enim Danielem Jobo et Noe, qui filios et filias non liberarent justitiâ suâ. Denique silet omninò Josephus de totâ illâ historiâ, silent Hebræi: imò verò et pernegant quidquam eorum accidisse, quæ in Danielis additamentis leguntur.

Julio Africano responderat Origenes, ut monuimus; quare si adversarium alterum disputantem produximus, patronem alterum adhibeamus. Joachim Susannæ maritus, quicumque is fuerit, sive ex regiâ stirpe, sive ex aliis nobilioribus captivis, potuit in captivitate suis uti fortunis, domum, ac prædium vicinum possidere, Judæos ad se confluentes honestè recipere. Quot unquàm in utrâque captivitate et Assyriacâ, et Babylonicâ istâ rebus omnibus ad vitæ commoditatem necessariis abundârunt! In primâ Tobias fuit, ejusque nepos Achiacharus, alter profusâ in Israelitas liberalitate, et largis eleemosynis clarissimus, alter regiis muneribus. In Babylonicâ Mardochæus, et Nehemias apud Regem gratiosissimi: quare ergo et Joachim Susannæ maritus non potuerit splendidè vivere, cùm præsertim ignoremus an amplior domus esset, et pomarium magnificentius, quàm conveniret Judæo paulò ante traducto Babylonem? His accedit Deum jussisse ut captivi in Babylone domos ædificarent, plantarent hortos, fructus comederent, filios filiasque gignerent, pollicitum prosperitatem, Jerem. cap. 29, vers. 5; at si omninò fortunis omnibus Babylonii Judæos spoliâssent, quomodò obsequi divino præcepto potuissent? quid autem dici æquius potest, quàm Joachimum primis captivitatis suæ annis ad fundos acquirendos se applicuisse?

In eâ servitute jus vitæ et necis Judæos retinuisse, non est adeò creditu difficile. Solent enim victores subactis populis interdùm permittere, ut suis legibus vivant, suisque tribunalibus utantur, quod quidem neque insciis reipublicæ magistratibus fit, neque licentiùs agi conceditur; sed vel dissimulatione, vel approbatione est in usu, cùm legum est percepta ratio, quibus captivi reguntur. Ita Romani permiserunt Judæos à se superatos suas et leges et consuetudines sequi. Judæis Romanus imperator rebellionem acriùs exprobrabat, ut Josephus scribit, de Bello jud., lib. 7, cap. 13: *Leges servavimus patrias, et vivere vos non solùm discretos, sed cum aliis etiam vestrâ voluntate concessimus.* Reverà cùm multi inter captivos nobilitate, fortunis, gratiâ potentes essent, quid obfuerit, cur potestas judicandi damnandique reos populo illi eriperetur? Chaldæi et ipsi in adulteros igne animadvertebant: quocumque ergo mortis genere Judæi crimen illud vindicarent, non admodùm intererat Babyloniorum.

Daniel verò non ætate, aut nominis existimatione, aut famâ sapientiæ, aut disciplinæ studiis fretus se opposuit senioribus; sed à Spiritu sancto excitatus, qui ut ipsi vim maximam tribuit, sic et ad eum animos auresque convertit populi vix satis persuadentis sibi scelus admissum: *Cùmque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*, cap. 13, vers. 45. Puer profectò tum erat Daniel, neque Ezechielis testimonium contra est. Nam Ezechiel anno 6 à deportatione Jechoniæ, Danielem cum Jobo et Noe comparavit; Daniel autem anno ferè 4 captivitatis judicium de Susannâ fecerat, in quo et sapientiam suam populo probavit. Si ergo commendatus est ab Ezechiele annis fermè sex, postquàm innocentem mulierem à periculo liberaverat, idemque puellus migraverat Babylonem, non seniori, neque adulto, sed juniori tribuit Ezechiel præconium. Comparatur autem cum Noe et Jobo sive propter ejus justitiam exploratam omnibus, et compertam, sive propter famam, quam ex Susannæ liberatione, et somniorum regis interpretatione sibi acquisierat, quæque in juniore adhuc ætate par erat natu majoribus.

Silentium Josephi, et Hebræorum contradictio probat solùm Judæos, quia historiam in canone suo non habebant, habuisse suspectam. Josephus enim, cùm in Hebræo nihil eorum reperiret, siluit rem fratribus odiosam. Cæterùm non modò supra nos docuimus ex auctore libri *Juchasin*, seu *familiarum* cognitam esse Judæis Susannæ historiam, verùm et S. Hieronymus commentariis in Jeremiam nuper commemoratis refert ex Hebræorum sententiâ Achabum et Sedeciam frixos à rege Babylonis in sartagine, Jerem., cap. 29, v. 23, *esse presbyteros, qui fecerunt stultitiam in Israel, et mœchati sunt in uxores civium suorum, quorum uni loquitur Daniel inveterato dierum malorum*........ Addit illos prætexuisse libidinem suam, ut Hebræi putant, generatione Messiæ, quem ex se oriturum dicebant mulierculis, ut corpora sua præberent quasi futuræ Christi matres: eosdem et castitati Susannæ insidiatos, *et convictos quidem esse à Daniele; sed latam in eos sententiam à rege Babylonis, qui in captivos et victos habebat imperium.* Igitur Susannæ historia non erat Judæis omninò incomperta, quanquàm in quibusdam factum variarent. Historiam verò Beli destructi, Draconis occisi, sacerdotum interfectorum, à vers. 27, cap. 14, ad postremum usque Chaldaicè descriptam habemus in *Berescith Rabbà* à Raymundo Martini in Pugione fidei, p. 3, dist. 3, c. 23, art. 7, relatam, quam qui Latinè reddit, ne verbum quidem mutat ex iis quæ legit in nostro Daniele. Quomodò igitur negent omninò Judæi, quod in suis commentariis usquequàque probatis et vulgatissimis descriptum reperitur?

Quartum nunc restat de Danielis prophetæ personâ quærendum: an ipsemet innocentiam Susannæ vindicaverit, ejusque historiam, et cætera quæ in Hebraicis Bibliis desunt, perinde litteris tradiderit, ac prophetias, quas ipsummet conscripsisse demonstravimus? Planè sanctorum Patrum testimoniis confecta jam res est. Qui enim totum volumen Danielis divinas esse Scripturas tradiderunt, ii et totius pariter scriptorem Danielem affirmârunt. Magnam huic sententiæ

vim tribuunt vetustissimæ græcæ editiones, in quibus exorditur Danielis liber ab historiâ Susannæ, ut temporis ratio servetur: unde primùm ingentem sibi famam peperit ille ipse, qui postea se somniorum regis interpretem, et futurorum cognitorem clarissimum præstitit. Cùm autem in eodem libro contineatur Beli et Draconis contriti atque interempti narratio, quid dubitemus Danielem ipsum, et horum mirabilium effectorem, et rerum à se gestarum scriptorem agnoscere? Conferamus decimi quarti capitis initium cum sexto capite, in quibus de gratiâ, quâ apud regem valebat, sermo est; profectò eumdem esse virum inveniemus, non duos, alterum alterius dissimilem: *Erat autem Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos ejus*, cap. 14, v. 1; *Daniel superabat omnes principes et satrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo. Porrò rex cogitabat constituere eum super omne regnum*, cap. 6, v. 3 et 4. Atque hæc satis superque sunt pro re nostrâ.

Haud ignari quidem sumus Hieronymum proœmio commentariorum in Danielem duo dicere, quæ dubiam admodùm hanc rem faciunt: alterum est, Apollinarium, et Eusebium Porphyrio respondisse Susannæ, Beli, et Draconis fabulas *partem esse prophetiæ Habacuc filii Jesu de tribu Levi*: alterum verò, secundùm septuaginta Interpretes in titulo ejusdem Beli fabulæ inscribi: *Homo quidam erat sacerdos nomine Daniel filius Abda*: ex quibus utrumque, quod posuimus, labat. Nam si Habacuc ea scripsit, falsò Danielis nomen supponitur; quemadmodùm si idolum Bel à Daniele sacerdote, sive à viro Leviticæ tribûs subversum est, non Daniel propheta subvertit, qui è tribu Juda, atque ex regio genere ortum habuit.

Verùm hujus quæstionis explicatio pendet ex judicio Ecclesiæ de eâ interpretatione, quæ vulgò septuaginta Interpretum dicebatur. Quâ de re antequàm quidquam disseramus, eumdem doctorem Hieronymum præfatione in Danielem loquentem audiamus: *Danielem prophetam, juxta septuaginta Interpretes, Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione: et hoc cur acciderit, nescio; sive enim quia sermo Chaldaicus est, et quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat, noluerunt septuaginta Interpretes easdem linguæ lineas in translatione servare; sive sub nomine eorum ab alio, nescio quo, non satis Chaldæam linguam sciente editus est liber; sive aliud quid causæ exstiterit, ignorans: hoc unum affirmare possum, quòd multùm à veritate discordet, et recto judicio repudiatus sit.* His positis: si interpretatio illa Danielis, quæ in editione Septuaginta circumferebatur, multùm discordat veritati, quomodò approbationem habebit in illis quæ de auctore quarumdam libri partium, et de Danielis personâ in quæstionem venire possunt? Item, si ambigitur, an ignotus interpres Chaldaici sermonis imperitus editioni Septuaginta versionem suam mendosam inseruerit; quid is valebit contra probatissimas interpretationes Græcas, contra sanctorum Patrum chorum, contra Eusebium ipsum hoc loco nobis oppositum, qui in vitis prophetarum agnovit librum Danielis à Susannæ historiâ exordiri?

Nunquàm profecto credam septuaginta Interpretes viros et doctrinâ et fide illustres peccâsse adeò, atque ab Hebraicâ veritate discordâsse in prophetâ Daniele vertendo, quemadmodùm et Origenes observavit editam eorum nomine interpretationem esse vitiosam, atque ab Hebraico exemplari discrepantem, ut propterea in Hexaplis, ubi Hebraicum etiam textum hebraicis scripserat, et Græcis characteribus, Danielem ex septuaginta Seniorum interpretatione prætermiserit, ne in eâdem paginâ esset in oculis omnium tanta diversitas. Quapropter et Hieronymus, comment. in Danielem, cap. 4, iterùm monens *judicio Magistrorum Ecclesiæ* repudiatam editionem in volumine Septuaginta descriptam, eamque Theodotionis susceptam, *quæ et Hebræo, et cæteris translationibus congruit*, repetit se nescire quâ ratione in illo septuaginta Seniorum volumine tam multa prætereantur: ideò utique, quia falsò eorum conscriptam nomine suspicabatur. Itaque non aberrârunt à vero, qui tradiderunt, ignotum interpretem nimium sibi arrogantem quod vidisset in historiâ Beli et Draconis, Habacucum nominari, credidisse ab eodem quoque historiam illam in scripta relatam, quoniam solebant prophetæ, quæ sibi accidebant, memoriæ prodere. Cùm verò primùm id sibi in animum induxisset, rem pro certo tenuisse, et capiti illi, ubi historia narrabatur, falsum titulum præposuisse.

Quid ergo Eusebii atque Apollinarii judicium metuamus, qui et falsos codices secuti, calumnias atque ictus Porphyrii declinare tantummodò quæsierunt et quæ Septuaginta de Beli et Draconis historiâ scripserant, ipsi ad Susannæ historiam quoque plus æquo traduxerunt? Quod verò spectat Danielem sacerdotem appellatum in versione Septuaginta, quando ea versio auctoritatem obtineret, facillimè à sciente Hebraicam linguam explicaretur. Nomen enim *Choen*, quod ut plurimùm *sacerdotem* significat, interdùm *princeps*, *satrapa*, et *Rabà* cum Chaldæo paraphrastâ reddi debet. Sic lib. 2 Reg., cap. 8, v. ult., Vulgata nostra habet: *Filii autem David sacerdotes erant*: at septuaginta Seniores, Chaldæus interpres, Syrus, atque Arabs, *principes, optimates* consultò reddiderunt. Non significatur ergo eo vocabulo *sacerdos nomine Daniel* Danielem Beli et Draconis subversorem de Levitico genere fuisse, sed aulicis muneribus functum.

Colligunt denique in unum omnia, qui auctorem quemdam Græcum alium à Daniele propheta arbitrantur historiarum Susannæ, Beli, et Draconis scriptorem. Primò, autographum esse debuisse Græcum codicem; neque potuisse ex Hebraico fonte historiam traduci Susannæ, lusus demonstrat ille Græcorum tantummodò verborum, in quibus lusit auctor ex χίνου et πρίνου inferens, quæ pœna maneret impudicos calumniatores. Cùm enim unus ex adulteris presbyteris roganti Danieli respondisset à se visam Susannam cum adolescente turpiter agentem sub arbore *schino* (lentisco), Daniel ad nominis illius etymolo-

giam alludens ait: *Angelus Dei* χίσει, id est, *scindet te medium* : cùm verò alter accusâsset sub *prino* (ilice), ait Daniel: *Manet enim Angelus Domini gladium habens ut*, πρίσῃ, *secet te medium*. Lusus autem ille in Hebraicis aut Chaldaicis verbis fingi nequit; Daniel ergo ea non scripsit, sed Græcus poeta fabulæ inventor, qui arbores à senioribus dictas cogitavit, quarum nomina ad secandi et scindendi significationem transferret. Secundò, Habacuc propheta, qui dicitur cap. 14, v. 35, ab angelo prehensus capillis, atque ad lacum leonum Babylonem delatus, temporibus Manassis regis Juda floruit, jamque è vivis excesserat, nec poterat prandium messoribus paratum Danieli esurienti in lacu apponere; igitur figmentum Græci hominis est chronologiam negligentis, modò narratione suâ oblectet. Tertiò, ut cavillabatur apud Hieronymum magister ille Judæorum : quis credat tantum fuisse otii tribus pueris, ut in camino æstuantis incendii metro luderent, et per ordinem ad laudem Dei omnia elementa provocarent? aut ubi exstat in tot scripturis exemplum cujusquam sanctorum gravi corpore volantis, et puncto horæ tanta terrarum spatia prætereuntis? Non potuit ergo Daniel ineptias istas conscribere.

Primum horum grave quibusdam videtur; verùm nobis parùm negotii facit. Etenim antiquissimis captivitatis Babylonicæ temporibus potuerunt hebraica aut Chaldaica secandi et scindendi nomina esse similia vocabulorum significantium *lentiscum* atque *ilicem*, cujusmodi similitudinem in Græco idiomate reperimus: nunc verò quòd nullas habeamus voces Hebraicas præter Biblicas, nullæ suppetunt ampliùs ad illum verborum lusum. Esse tamen potuerunt in Hebraico exemplari vocabula aliud arboris genus significantia, quibus pœna à Daniele denuntiata alluderet : sic v. g., si alter senex dixisset visam à se in flagitio Susannam תחת תרזה *sub Thyrsa* (cupressu), alter תחת אלה *sub Haala* (quercu); respondisset autem alteri Daniel: *Angelus Domini* ירזה *emaciet te*, *et subita tabe conficiat*; alteri יאלה *maledicat tibi*, *et diris omnibus devoveat*, fuisset utique quædam soni similitudo in verbis sensu dissimilibus. Atverò Græcus interpres cùm ad sensum, non ad verba spectaret, invenire potuit arbores alias, in quarum nomine pariter jocaretur. Atque etiamsi in codice Hebraico nullus fuisset in verbis jocus, quemadmodùm neque est in nostrâ Vulgatâ; voluit tamen Græcus translator vel usus libertate interpreti non insolente arborum nomina mutare ut acutiùs luderet, vel verbum verbo fideliter reddens eam invenire in Græco paranomasiam, quæ in Hebraico non resonabat. Accusandusne fuisset latinus interpres commenti et fictionis, si occasione captâ vocum *lentisci* atque *ilicis* loquentem ita Danielem induxisset; alteri, *non lentè ergo, sed subitò peribis;* alteri, *illico ergo secaberis*, ut certè facere potuit? vel si earum arborum loco posuisset sub arbore *malo*, sub *cedro*, ut protinùs subjiceret : *abeas in malam rem : cædat te carnifex?* Hæc igitur tanta non sunt, ut de rei veritate, aut scriptore dubitemus.

Incertum est deinde, quâ ætate Habacuc propheta vixerit; ut inde pateat quàm leve sit argumentum à re multùm controversâ petitum. Veriùs quidem, ut et suo loco notabimus, Habacuc, qui inter minores prophetas octavus est, sub initium regni Joachimi, futura prædicebat : præsentem enim, aut proximam saltem Hierosolymorum, et Sedeciæ cladem, cap. 1, et Nabuchodonosoris primùm intolerandam potentiam, post ad ferinum statum dejectionem vaticinatur; nihilque est in totâ viri Dei prophetiâ, ex quo consequatur ante Manassis captivitatem locutum Dei nomine. Quare æqualis utique fuit temporum Danielis, ut Epiphanii, Hieronymi, aliorumque Patrum sententia est, in quâ et fuit Clemens Alexandrinus, qui lib. 1. Strom. habet : *Prophetabant autem etiam tempore Sedeciæ Jeremias adhuc, et Ambacum* (sic enim vocatur à Græcis propheta)...., *tunc propter Draconem Daniel injectus in lacum leonum ab Ambacum divinâ providentiâ nutritus septimo die servatur.* Si tamen daremus sub rege Manasse vixisse, alter is esset ab Habacuco δισκοφόρῳ, id est, patinas Danieli in lacu ferente : nam qui prandium ad Danielem detulit, erat tribus leviticæ, ut paulò ante opponebatur; qui Manasse, ut aiunt, regnante vaticinia scripsit, à Simeone habuisse originem creditur. Adderemus quoque nihil absurdi esse, si poneretur Habacucum prophetam omnibus cognitum plus quàm centum et triginta annos vixisse, et juniorem sub Manasse edidisse vaticinia; senem verò Danieli cibos ministrâsse.

Reliqua ab Hebræorum præceptore allata hominis sunt non Danielis scripturam modò, sed blasphemi accusantis Deum. Illæsis flammâ pueris divino beneficio gaudium erupit, et divinarum laudum prædicatio, in quâ versari diutiùs potuerunt curis omnibus soluti; potuerunt et metro ludere, utpote litteris eruditi, ut lusisse sæpè creditur David vel in magnis doloribus : quanquàm ignoremus solutâne, an strictâ oratione cecinerint. Si inter medios cruciatus, Deo avocante animum à sensibus, martyres illustria divinæ virtutis testimonia dederunt; quidni pueri Hebræi nullo dolore perculsi divinarum laudum præcones fuerint? Hebræi, qui insigne quodcumque miraculum solebant publicis laudibus celebrare?

Etsi verò non exstet in vetere Testamento exemplum hominis corpore abrepti, *attamen immensa est, finemque potentia cœli* non habet, et quidquid voluerit Deus, peractum est. Ne dæmoni quidem Hebræi vim negant arripiendorum hominum, et ferendorum per aeris spatia; quod ergo angelo malo permittunt, id bono non concedunt? Verùm non ignorant Hebræi Eliam in altissimos locos subitò abreptum, et Enochum translatum à Deo nuspiàm apparuisse. Quod plus quàm satis est ad recentiorum Hebræorum perversitatem retundendam, ne plura adjiciantur.

ARTICULUS XXII.

De duodecim Prophetis minoribus.

Duodecim minores Prophetas unico articulo complectimur, quemadmodùm in unicum volumen olim apud Hebræos omnia eorum opuscula includebantur,

ut Origenes et Hieronymus affirmant : atque etiamnùm præfixus omnibus titulus duodecim prophetarum declarat nullam inter eos distinctionis notam interfuisse. De his autem decrevimus pauca dicere, quantum satis est, ut ea notio habeatur vetustatis oraculorum, quæ quisque edidit : nam de rei divinitate quid opus est loqui? Quid enim potest esse divinius, quàm res futuras providere, animo cernere, pronuntiare, quod est argumentum certissimum divini Spiritûs mentem moventis? quid autem ineptius, et indignius philosophis, quales se jactant Spinosa, Hobbesius, Peyrerius, quàm phanatica pertinacis animi præjudicia sequi ; firmissima verò antiquitatis præsidia, quibus unicè munimur, diruere? Itaque non de divinâ vi minores prophetas incitante, sed de cæteris adjunctis ad eorum ætatem, patriam, cognationem, ad prophetiarum materiam, ad vitæ genus pertinentibus restat inquirendum, ut harum rerum memoria suppetit : quam sanè vetustate multùm evanuisse fatemur ultro, ne quis plura à nobis postulet, quàm præstare suscipiamus.

Ordo prophetiarum, et distributio aliter in Hebraicis codicibus, aliter in græcâ septuaginta Interpretum traductione reperitur. Hebræorum, quem secutus est Latinus interpres, hic ordo est : Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias et Malachias. Græcorum verò, quibus accessit Eusebius : Osee, Amos, Michæas, Joel, Abdias, Jonas, Nahum et reliqui : non enim præterea ulla differentia est ab Hebraicis Bibliis. Ex his duobus prophetarum ordinibus neuter est, judicio nostro, in quo servetur ratio temporis, quo quisque vaticinari cœperit, etsi multi in eadem tempora inciderint, et vix alter alteri ætate præstiterit. Si enim ad chronologiæ leges dispositio propheticorum librorum exigatur, arbitramur rectiùs ductum iri initium à Jonâ, deinde Osee, ut in decursu indicabimus. Sed quicumque demùm prophetarum sit, qui reliquis officio prophetandi antecesserit, non est à latinis codicibus recedendum in vitâ, factisque eorum duodecim ordine dicendis, in quorum agmine ideò primus Osee describitur, quod initio prophetiæ sit : *Principium loquendi Domino in Osee.*

Itaque Osee filius Beeri primum inter minores prophetas locum obtinet, quem fuisse ex tribu Issachar, urbe Belemoth, pseudo-Epiphanius, et pseudo-Dorotheus retulerunt incertâ prorsùs fide. Quo tempore oracula ediderit, initium operis demonstrat, sive illud propheta ipse, sive Esdras apposuerit : *Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel.* Cùm ergo nomen libro præfixum sit, et propheta de seipso sæpè loquatur, injuriâ quæreretur an auctor prophetiæ esset Osee. Ista enim adnotatio nos monet Osee filium Beeri, licèt cum Isaiæ ætate convenerit prophetias Isaiæ prævertisse. Nam cùm Osee cœperit sub Jeroboamo futura prænuntiare ; anno verò 27 Jeroboami, qui annos quadraginta Israelem tenuit, regni initium habuerit Ozias, sequitur Oziam nondùm annos 14 imperii attigisse, quando Osee res futuras providit. At Isaiam supra explicantes diximus pariter anno Oziæ 25, Isaiam prophetâsse ; Isaias igitur est Osee propheta posterior.

In Samariâ vixit Osee, ibique prænuntiavit multa cùm ad Judam, tùm ad Israelem spectantia. Utramque Israelis captivitatem prædixit, alteram quatuor tribuum abductarum per Teglathphalassarem, alteram omnium, quâ extinctum omninò regnum Samariæ est per Salmanassarem. Synagogam repudiatum iri à Deo, non modò verbis, sed et factis significavit, propterea accitis ad Dei cultum gentibus interituram idololatriam Israelitico populo objecit, excidiumque minatus est scelerum pœnam ; in iis tamen malis ad levandos animos injecit spem liberationis ab angustiis, solatii et felicitatis, si imploratâ criminum veniâ ad Dominum reverteretur. Equidem mandatum à Deo factum prophetæ ducendæ uxoris adulteræ, et suscipiendi ex eâ liberos, videtur et Dei majestate indignum, et à prophetæ officio alienum ; sed cum Basilio, Augustino, plurimisque Patribus explicandum est de ducendâ muliere olim adulteriis pollutâ, futurâ deinde castâ viri uxore post nuptias, quo indicaretur gentiles olim ignorantes Deum, ad Deum accessuros, ex iisque constituendam Ecclesiam sponsam Christi, quæ æternum fœdus servâsset. Stylus Prophetæ pressus est et vehemens, commovendis animis aptus, et gravium sententiarum plenus, nullâque hilaritate conspersus.

Osee prophetam Joel consequitur filius Phatuel, quem è tribu Ruben, seu potiùs Gad genus duxisse, ut plurimùm sancti Patres conjiciunt. Quòd à prophetiæ capite abest temporis nota, ignoratur quibus temporibus ageret : quocirca Patres atque interpretes dissident. Hieronymus facit Osee prophetæ parem ; quia, inquit, in Hebraico textu libri Prophetarum eum inter se ordinem servant quo auctores vixerunt ; cùm verò nulla Prophetarum libris est temporis inscriptio, tum quibus temporibus prophetavit, qui proximè antecessit, ad ea pertinet et sequens. Verùm quis S. doctorem certiorem fecit, servato ætatis ordine, in Hebraicis codicibus dispositos esse Prophetarum libros? Certè Græcis interpretibus hæc non insedit opinio, qui ab Hebræorum exemplis non recessissent, neque ordinem perturbâssent inversâ distributione, si cognitio temporum ex librorum cognitione pependisset. Sed et Jonæ prophetia quinto loco descripta, cùm Amos sit tertio, totam S. Doctoris rationem convellit : nam Amosus indubitato post Jonam prophetiæ munere floruit.

Lyranus et Vatablus aiunt, propè tempora Jorami filii Achab, regis Israel, Joelem vixisse, quia famem prædixit, quæ Joramo regnante populum in maximas angustias adduxit ; sed annonæ inopiam sub Joramo septem annos perdurâsse compertum est ; quam verò prævidit Joel, uno, vel altero anno erat perduratura, si aliis credimus. Hebræi in *Sedèr Olàm* in tempora Manassis tempus vitæ Joelis conferunt ; alii in Josiæ annos propter causam nuperrimè notatam ; quia

scilicet, Josiâ regnante, terra nullos dedit fructus, ut initio capitis 14 loquitur Jeremias, quod ipsum est à Joele dictum sub finem primi capitis de terræ vastatione, tritici charitate atque animantium interitu, deficientibus pascuis. Imò verò id probat potiùs ignorari, utrùm Joel terram Judæ, an Israelis premendam sterilitate significare voluerit; non autem Joelem Manassis, aut Josiæ fuisse æqualem. Deinde Jeremias vitio et maleficio naturæ vacuitatem fructuum tribuit: Joel autem hostium incursioni ciborum omnium egestatem; non ergo videtur casus idem prædici ab altero prophetâ, ab altero narrari. Husserius, et Pezronus è contrario ponunt Joelis ante Amosi Prophetæ oracula: nam et Amos, cap. 4, exprobravit perversum populum, ne gravissimâ quidem penuriâ (penuriâ utique quam minatus erat Joel) eruditum, ut reverteretur ad Dominum. Optimum id quidem, si semel tantùm famis flagello cæsus fuisset populus vel Juda vel Israelis: sed cùm bis, et tertium plagas acceperit, hærebimus semper in incerto, quam potissimùm Joel denuntiârit.

Denique recentiores interpretes ut plurimùm putant certò colligi posse Joeli Deum adfuisse post eversum Samariæ regnum; quoniam et nusquàm de Israelis regno sermo est in totâ prophetiâ, et Israelem jam in servitutem arreptum, caput 3, vers. 2, evidenter innuit iis verbis: *Disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate meâ, Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt.* Neutra tamen ex hisce duabus causis effecit, quod volunt. Nam primò incertum est, an nihil verborum Joelis ad Israelis regnum referatur: est enim positum in controversiâ, an Deum populo Israelis iratum dicat, paratumque pœnas fame repetere. Secundò verò potuit Propheta, ut solent sæpè homines prophetico spiritu acti, futuram Israelitici populi dispersionem tanquàm præteritam commemorare.

Quamobrem non video quâ certâ ratione definiri ætas Prophetæ valeat, quanquàm conjecturis utrimque certetur. Contenti igitur simus dicere mala multa Joelem Judæis denuntiare; hortatorem esse, ut à peccatis recedentes planctu, jejunio, oratione Deum sibi devinciant; præsens divinum auxilium affuturum polliceri, quo amplissimis tam animæ, quàm corporis bonis abundent; ulturum Deum injurias gentium in filios Juda; æternumque Dei regnum è monte Sion constituendum atque amplificandum: ista verò omnia Prophetam describere orationis genere vivido, incitato, figurarum pleno. Cujus rei monumentum est oraculum contra Judæos à quatuor potentissimis nationibus opprimendos, sub symbolo *erucæ, locustæ, bruchi et rubiginis;* quorum primum Assyrios, Babylonios, Chaldæos; alterum Medos, et Persas; tertium Macedonas, et peccatricem Seleucidarum progeniem; quartum Romanos urbi et templo ultimum excidium illaturos significat, ut explicant Judæi, et Hieronymus ipsorum interpretationem probans. Divinæ illustrationis, quâ Prophetæ mens perfusa est, testimonium habemus ex Apostolo Petro, Act. cap. 2, v. 16 et 17, et Paulo, Epist. ad Rom., cap. 10, v. 13; ille dona Spiritûs sancti in novâ lege effundenda confirmat auctoritate Joelis: *Dictum est per Prophetam Joel: Et erit, in novissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ...* Joel. cap. 2, v. 28; iste omnium gentium salutem contineri divini nominis invocatione docens Joelis verbis: *Et erit: Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, ibid., v. 32.

Joelis oracula excipit Amos propheta, pastor ex vico Thecue, in tribu Judâ, si Eusebio, Hieronymo, Theodoreto aliisque assentimur. Verùm, cùm in Bethel primùm fuerit Dei Spiritu excitatus, nempe regno Israelis, atque illinc eum Amasias sacerdos Bethel abegerit, quòd ille Jeroboam atque Israelis populum liberrimè reprehenderet, et gravissima mala minitaretur, non est omninò à vero absimile, quod pseudo-Epiphanius ait, à Theeuâ tribus Zabulon, aut Theeuâ tribus Aser, ut visum est Cimchio, Prophetam originem habuisse; à regno vero Israelis depulsum, sedem in terram Juda transtulisse. Dixit enim Amasias ad Amos cap. 7, v. 12 et 13: *Qui vides, gradere, fuge in terram Juda; et comede ibi panem, et prophetabis ibi. Et in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes; quia sanctificatio regis est, et domus regni est.* Cur autem non dixisset: *Abi in domum tuam, unde venisti*, siquidem è terrâ Juda prophetatum venerat? cur exprobratum ei non est, nihil ad se advenam pertinere terram Israelis? Sed sive in Judâ, sive in Israelis regno natus sit, certè regnante Jeroboamo II in Israel atque Oziâ in Judâ dùm gregem sequeretur, à grege abstractus ad populum Israelis ablegatus est à Deo, biennio antequàm terra motu concuteretur, ut ipsemet sub prophetiæ initium narrat. Terræ autem motus, quo conterrita Hierusalem est, dicitur à Hieronymo, Josepho et veteribus communiter, ac recentioribus interpretibus in ea Oziæ tempora incidisse, quando thus adolere Domino, et sacerdotalibus officiis fungi audacter rex attentaverat. Verùm ab aliis ad primos annos regni Oziæ cum postremis Jeroboami annis concurrentes refertur concussio terræ; quod idem consentit maximè cum initio prophetiæ, quod innuimus.

Hinc tamen apparet Amosum antiquum prophetam fuisse, Osee atque Isaiæ ætate parem. Tota ejus prophetia versatur circa decem Israeliticas tribus, quas perniciem regni ac populi servitutem minaciùs monet, etsi asperitatem sermonis ante finem dicendi emolliat, jubeatque eas benè sperare futuram à malis levationem, et felicitatem; non aliam sanè, nisi quam Messias attulisset. Prophetæ sermo rusticior est, sumptis exemplis à pastoritio munere atque instrumentis artis quam noverat, ut alibi cum Hieronymo adnotavimus. Non est autem minùs divinus, quod futurorum cognitio satis probat; nec minùs certum est Amosum ipsum prophetias suas scripto reliquisse: ex quibus intelligimus eumdem, qui à Deo accitus erat ad Israelitici populi reprehensionem, et imagines sibi propositas viderat, fuisse et visarum rerum scriptorem.

De Abdiâ nihil habemus certioris quàm virum fuisse

divinæ voluntatis interpretem; patrem, patriam, tribum, unde genus duxerit, ignoramus. Hieronymus ad Hebræorum sententiam accedit à dispensatore regiæ Achabi domûs prophetam non distinguens de quo lib. 3 Reg., cap. 18, v. 3 et seq., sermo est. Ipse à Jezabelis furore centum prophetas quos impia mulier neci destinaverat, subtractos, absconsosque aluit. pseudo-Epiphanius, et pseudo-Dorotheus aiunt esse Abdiam illum Proselytum Pentacontarchum ab Ocoziâ missum ad Eliam post duos centuriones igne absumptos, quem sua pietas ab omni offensione liberavit. Alii Abdiam eum esse malunt, quem Josias operibus templi præfecit, lib. 2 Paralip., cap. 34, v. 12. Alii post eversam Hierusalem cum Jeremiâ atque Ezechiele comparant, colligentes ex Prophetæ scriptis incursiones Chaldæorum, et urbis vastitatem jam evenisse. Verùm cur non dicamus vixisse, Achazo regnante, quando Idumæi conjunctis armis cum Israelitico populo tribum Juda bello lacessiverunt, siquidem prophetia eventurum Idumæis malum complectitur?

Sequitur Jonas filius Amathi ex urbe Geth prope Dio-Cæsaræam, Tribûs Zabulon in Galilæâ, qui vaticiniis claruit, regnante Jeroboamo II, quin et ejus patre Joazo rege Israelis, atque Oziâ sive Azariâ rege Juda. Supervacaneum propterea est Rabbinorum deliria confutare, vel in medio ponere, qui somniantur Jonam vel à Prophetâ Abdiâ genitum, vel filium Viduæ Sareptanæ, quem Elias à morte suscitaverat, vel filium mulieris Sunamitidis ad vitam revocatum precibus Elisæi. Quid enim juvat ullam versare quæstionem, cùm Scriptura sacra, lib. 4 Reg., cap. 14, v. 25, omninò eam dirimat, ubi de Jeroboami victoriis agitur à Jonâ prævisis? *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.* Unde colligimus Jonam fuisse ante prophetas cæteros, quorum opera ad nos devenerunt, licèt fortassè prophetiam suam scripto non tradiderit, nisi quando Osee suas pariter edidit. Nam conveniunt interpretes Jonam, imperante Joazo patre Jeroboami, vaticinium de amplificatione Israelitici regni dixisse. Itaque Osee, qui Jeroboamo jam regnum tenente cœpit prophetæ munus agere, Jonam habuit se superiorem.

Nemo prophetarum revocationem Christi Domini ad vitam atque Evangelii veritatem gentibus annuntiandam illustriùs præsignavit, quàm propheta Jonas, qui in se Christi Domini imaginem prætulit, et Ninivitas cum Hebraico populo nihil commune habentes ad pœnitentiam adduxit, quod est totius prophetici libri argumentum. Jusserat enim Deus Jonam in Niniven proficisci, et urbis subversionem denuntiare. Ægrè tulit propheta mandatum Domini, quod fugiens in Tharsis declinavit. At coortâ tempestate, jactisque sortibus, cujus causa commoveretur, dejectus in mare est, quem immanis piscis ore prehensum, absorptumque post triduum in littus ejecit. Rursùs Dominus mandatum dedit ingrediendi itineris in Niniven; abiit Propheta, subversum iri urbem dixit; sed territum regem, et cives pœnitentia admissi peccati subiens ab imminenti certoque exterminio tum liberavit. Quare doluit Propheta se vaticinatum frustra, visumque somniatorem potiùs quàm Dei nuntium; sed novo exemplo ostendit Deus imperitè esse conquestum. Historiam hanc contigisse sub Assyriorum rege Phul Sardanapali patre, qui regnabat in Ninive viri eruditi conjiciunt: hanc et Christus Dominus confirmat, non nisi signum prophetæ Jonæ se daturum dicens, Matth. cap. 12, v. 39, 40 et 41, quo et libri Jonæ auctoritatem prædicavit, quam impiissime quis contemneret. Mortis genus et locum migrationis adnotare prætermittimus, quippe incerta omnia putamus.

Sexto loco Michæas Prophetarum catalogo insertus est, propheta è vico Morasthi, sive Moresceth prope Eleutheropolin ad meridiem urbis Hierosolymæ in tribu Judâ, ut Hieronymus docet. Hujus vaticinia prolata sunt sub Joathane, Achazo, et Ezechiâ regibus Juda, Mich. cap. 1, v. 1, post alios jam memoratos Prophetas; est igitur alter à Michæâ, qui viventibus Achabo, et Josephato regibus Israel et Juda, prophetâsse traditur lib. 3 Reg., cap. 22. Michææ nostri exemplo se tuebatur Jeremias, cap. 26, v. 18, quando designatus ad necem à Joachimo, quod populum minacibus dictis terruisset, ita se parato supplicio subduxit: *Michœas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Juda... dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: « Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem in « acervum lapidum erit, et mons domûs in excelsa sylva« rum,* » Mich. cap. 3, v. 12. *Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, et omnis Juda?* Vidit iste contra Samariam, et contra Hierusalem mala, utriusque populi abductionem in servitutem, et terræ desolationem prænovit. Sed et unde futura esset absoluta utriusque liberatio per Jesum Christum spectans animo, spiritales animarum angustias apertè monstravit iis præcipuè verbis capitis 5, quæ vel sacerdotes et Scribæ de Messiâ scripta intellexerunt et retulerunt ad Herodem interrogantem, ubi Christus nasceretur, Matth. cap. 2, v. 5. Stylo utitur sublimi, non tamen difficili ad intelligendum.

Propheta Nahum Elcesæus dicitur initio prophetiæ vel ab Elcesai parvulo Galilææ vico, ut ait Hieronymus, vel à patrio genere et nomine: utrinque enim interpretes repetunt illud Prophetæ agnomen. Tempus vitæ pariter ignotum est, neque licet ex prophetiæ argumento illud judicare. Agitur ibi præsertim de Ninivitarum superbiâ coercendâ, qui, quod populum Dei vexaverint, et à sceleribus non recesserint, pœnas dabunt clade urbis et regni excidio. Verùm ista nihilo doctiores nos faciunt de Prophetæ ætate. Josephus, Antiq. Jud., lib. 9, cap. 11, in fine, sub Joathane rege Juda prævisam à Dei viro Ninivitarum cladem ait, centum et ampliùs annos, quàm sub Josiâ inferretur. Hieronymus, Theodoretus, et Theophylactus post captivos abductos Israelitas à Salmanassare Nahumum prophetam egisse sentiunt sub Ezechiâ; alii sub Manasse ejus filio. Unum id constitui potest ex vaticinii

materiâ Prophetam fuisse Josiâ antiquiorem : nam ut Hieronymus inquit præfatione in Jonam : *Quantùm ad historias tam Hebræas, quàm Græcas pertinet, et maximè Herodothum, legimus Niniven, regnante apud Hebræos Josiâ, et Astyage rege Medorum, fuisse subversam.* Prophetæ oratio figuris est et similitudinibus abundans.

Ignoratur similiter tribus, et patria, unde ortus sit Habacuc propheta, atque ætas quâ vixerit. E tribu Simeon loco Bethzac, inquiunt pseudo-Epiphanius et pseudo-Dorotheus. Hebræi scriptores paulò ante captivitatem Babylonicam, Manasse vel Joachimo regnante tempus vitæ Habacuchi constituunt. Epiphanius dicit Sedeciæ et Jeremiæ æqualem ; Hieronymus eumdem esse Habacuchum in historiâ Beli et Draconis postremo Danielis capite commemoratum putans, mavult Danieli coævum. Verisimile sanè est ad Josiæ, vel Joachimi ætatem referri oportere prophetiæ Habacuchi initium. Novit enim Deo revelante jamjam imminere Judæ regno Chaldæos ad ulciscenda scelera Manassis, quod visus est primis versiculis capitis 1, indicâsse : *Quia opus factum est* (*Septuaginta*, ποιεῶ, *facio*; Symmachus γενέσεται, *fiet*), *in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur. Quia ecce ego suscitabo* (hebr. *inenì mechìm*, *ecce ego suscito*) *Chaldæos, gentem amaram, et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua*, vers. 5 et 6. In libro autem 4 Reg., cap. 23, post celebratam summis laudibus Josiæ regis pietatem vers. 26 et 27, auctor adnotat : *Verùmtamen non est aversus Dominus ab irâ furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam, propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses. Dixit itaque Dominus : Etiam Judam auferam à facie meâ, sicut abstuli Israel...* Hujus prophetæ vaticinia obscura sunt et intellectu difficilia.

Sophoniæ ætas, et parentes primo vaticinii versiculo notantur : *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ in diebus Josiæ filii Amon regis Juda.* De tribu verò et patriâ non nisi incerta omninò sunt, quæ pseudo-Epiphanius tradidit, virum fuisse Simeonitam è monte Sarabatha. Probabile tamen est Prophetam vaticinatum esse antequàm Josias studuisset Dei cultui et legis observationi, omnesque à Manasse inductas sacrilegas abominationes sustulisset. Nam contra idololatriam, reliquias scilicet Baal, et cultores militiæ cœli, et sacerdotes domum Domini complentes iniquitate ac dolo vehementem habet orationem, propter quæ Dominum irâ succensum homines et urbem exterminaturum prædicit.

Tres consequentes prophetas Aggæum, Zachariam et Malachiam posteriores reliquis temerè R. Isaacus Abravanel choro prophetarum depulit, quòd ad Synagogæ magnæ corpus pertinerent, unde non prophetæ, sed sapientes populo dabantur. Numquid enim prophetæ munus cum sapientis officio repugnat, ut qui unum sustinuerit, fungi altero nequeat? An non lib. 1 Esdræ, cap. 5, v. 1 : *Aggæus propheta, et Zacharias filius Addo prophetantes ad Judæos* dicuntur? Quomodò deinde duodecim prophetas posteriores numeraret hebraicus canon, si eo numero isti tres non includerentur? aut quomodò futura et remota providissent, cognitione futurorum sublatâ? Prophetæ igitur sunt non inferiores reliquis, nisi quia illi ætate præstiterunt.

Primus horum Aggæus est, quem ignoramus quis sit atque unde venerit : nihil enim Scriptura exhibet. Post solutam captivitatem Babylonicam verbo suo Deus Prophetam docuit, instruxit, armavit *in anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die unâ mensis...*, cap. 1, v. 1, ejusque operâ usus est ut Zorobabelem filium Salathiel ducem Juda, et Jesum filium Josedech Magnum sacerdotem urgeret ad templi ædificationem, quæ usque tum prætermissa famem terræque sterilitatem induxerat. Populi dux, et magnus sacerdos, et populus hortatione commoti, manumque operi admoventes die decimâ quartâ, confirmati magnoperè sunt à Prophetâ die vigesimâ primâ mensis sequentis majorem futuram priore gloriam illius domûs, etsi non esset ornatior, neque auro argentoque distinctior; quia præsentiâ suâ *desideratus cunctis gentibus* eam cohonestâsset, fecissetque gloriosiorem : quo apertissimè monebantur Messiam venturum, priusquàm domus illa collaberetur. Iterùm die vigesimâ quartâ mensis noni Aggæus, sterilitate depulsâ, annonam abundare divino beneficio cœpisse ostendit populo, ex quo templi fundamenta jaciebantur : unde certior fieret, charitatem negligentiæ pœnam fuisse. Demùm Zorobabeli affuturum Deum pollicetur. Dilucida est Aggæi prophetia atque historiæ similis.

Darium regem, cujus anno secundo Aggæus ducem, sacerdotem, populum ad inchoandum domûs Dei ædificium accendit, esse filium Hystaspis, quartum à Cyro Persarum rege, cum Josepho, Clemente Alexandrino, Hieronymo, Theodoreto atque interpretibus communiter nobis placet, ut Chronologiæ ratio postulat; non autem Darium Nothum dictum, filium Artaxerxis à Cyro rege nonum, ut Scaliger est opinatus. Enimverò, cùm loquebatur Aggæus, cap. 2, v. 4, aderant qui priùs templum aspexerant, et testes esse poterant, ad prioris formam posterius construi : *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloriâ suâ primâ? et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* quomodò verò præsentes adhibere testes potuisset Propheta, si sub Dario Notho scripsisset, qui plus quàm centum septuaginta annos attigisse debuissent? nam à Cyro ad Darium Nothum centum quadraginta anni effluxerunt. Judæi verò initio regni Cyri plus quàm annos triginta durâ jam servitute premebantur. Scaligeri autem causam non juvat Esdræ testimonium, lib. 1, cap. 4, v. 6 et 7, in quo mentionem facit Assueri et Artaxerxis majorum Darii, quos esse putat Xerxen atque Artaxerxen Longimanum, qui Darium Nothum antecesserunt. Etenim qui Scripturarum lectioni assueverunt facilè intelligunt nomina Assueri et Artaxerxis omnibus Persarum regibus esse communia, ut facilè iis compellari potuerint Cambyses, et falsus Smerdis, vel Cyrus ipse et

Cambyses, vel etiam unus Cambyses, cui Scriptura duplex nomen tribuit.

Zacharias pariter, qui anno secundo Darii filii Hystaspis prophetabat, ad templi instaurationem Judæos cohortatur, monens simul ne idololatriam, vitia, duritiem patrum imitentur. Affirmat Deum propitium futurum populo et benevolum; mala cæteris gentibus parata minatur, et bona è contrario, quibus Messias est Dei populum cumulaturus, amplissima pollicetur : quæ omnia visis, figuris et ænigmatibus primùm involuta ipsemet explicat. Initio prophetici libri se *Zachariam filium Barachiæ*, *filii Addo* appellat; contra Esdras, lib. 1, cap. 5, v. 1, de ipso loquens Zachariam simpliciter ait : *Zacharias filius Addo*. Verùm quin frustra contorqueamur distinguendo Prophetam *naturâ* Barachiæ; *lege* verò, aut *adoptione* esse filium Addo, planius est dicere ab Esdrâ filium pro nepote, et patrem pro avo accipi, ut sæpè fit in Scripturis. Avus iste à Hieronymo putatur ille Addo esse, quem Deus misit ad Jeroboamum sacrificantem in Bethel, lib. 3 Reg., cap. 13, v. 1; sed major est ejus Addo ab hoc Zachariâ distantia quàm quæ inter avum et nepotem intercedere possit. Zacharias verò noster inconsultò ab altero Zachariâ filio pariter Barachiæ non distingueretur, cujus mentio est in Isaiæ libris, cap. 8, v. 2, propter longius intervallum inter Achazum regem Juda, ad cujus tempora ille pertinet, et Darium filium Hystapis, quo permittente construi templum, iste prophetavit. Eâdem de causâ non potest esse alter Zacharias, qui Joasi regis mandatu in atrio templi lapidibus oppressus interiit, lib. 2 Paralip., cap. 24, v. 21.

Utrùm verò Zachariam prophetam iis verbis Matth. cap. 23, v. 35, dicere voluerit Christus Dominus : *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi*, *usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare;* ac propterea violentâ morte perierit Propheta, magna dissensio est. Hieronymus, cùm videret genus mortis cum Zachariâ filio Joiadæ, de quo in Paralipomenis narratur, convenire, eum à Christo commemorari censuit, neque dubitavit quin legendum esset apud Matthæum, *usque ad sanguinem Zachariæ filii Joiadæ* (nec mirandum est si permutata sint nomina, atque unum pro altero positum : nam Barachia dem valet ac *benedixit Dominum*, Joiada *Dominum novit*: atverò benedicit Dominum qui novit, et novit qui benedicit), ut in Nazaræorum Evangelio legitur : *In Evangelio quo utuntur Nazaræi pro filio Barachiæ filium Joiadæ reperimus*, lib. 4 Comment. in Matth., cap. 23. Contra affirmat Origenes, post quem multi Patres abeunt, Zachariam prophetam inter templum et altare crudelissimè à populo necatum, quod perspicuè Christus dixerit Zachariam, qui illud mortis genus pertulit, esse filium Barachiæ. Quis enim dicere audeat vel mente lapsum Evangelistam mutâsse nomen patris, vel in Græcos codices et Vulgatam Latinam mendum irrepsisse? Falsum deinde est historiam à Christo paucis indicatam apertè ad Zachariam filium Joiadæ referri, quod S. Hieronymus confidenter assumpsit. Non fuit ille inter templum et altare occisus; *sed in atrio domûs Domini*, in atrio utique populi. Debuit et Christus, ut à primo justo per summam nequitiam occiso exorsus est, ita in ultimo prophetarum desinere, ut complecteretur sanguinem omnem justorum effusum, cui gravissima pœna erat constituta; at post Zachariam Joiadæ filium, multi alii prophetæ et justi viri trucidati sunt à Judæis; non ergo Zachariam filium Joiadæ, sed prophetam nostrum Christus Jesus nominavit.

Pondus suum habent hæc argumenta, non dissimulamus; verùm adeò facit ad defendendam Hieronymi sententiam exemplum Christi Domini, ut planè de historiâ Zachariæ filii Joiadæ, locutus Salvator noster videatur. Zacharias iste moriens inquit : *Videbit Dominus, et requiret*, id est, ulciscetur injuriam Dominus. Hæc autem verba præcipuè Christus spectavit, significans tempus propè adesse, quo Deus pœnam totius mali nuntiis suis irrogati repeteret. At nusquàm legimus ullum justum Zachariam nomine à Judæis interemptum pro Dei honore et Religionis zelo, aut ullius Zachariæ sanguinem esse vindicandum, nisi unius filii Joiadæ. Præterea Christus historiam attingit procul dubio compertam omnibus, aque in Hebræorum libros perinde relatam ac Abelis homicidium. Quamobrem si neque Scripturæ, neque, quod minùs est, ullius veteris probati auctoris testimonio traditum est, Zachariam Prophetam pro Deo sanguinem deperdidisse; imò verò in pace quievisse Isidorus, Epiphanius, Dorotheus affirmant, de hoc prophetâ sermonem Christus habuisse non videtur. Ego verò non solùm moveor auctoritate Isidori, Epiphanii, Dorothei affirmantium Zachariam prophetam in pace quievisse; verùm etiam vix induci possum ut credam aut Judæos paulò ante duræ servitutis vinculis exemptos, cujus recentissima erat memoria, prophetis addictos, templi ædificio strenuè incumbentes tantum scelus admisisse, quo divinam iram iterùm provocarent; aut Malachiam minorum criminum reprehensorem dissimulâsse cùm cædem nefariam, tùm sacræ ædis vix à fundamentis inchoatæ profanationem. Itaque non immeritò sentitur cum D. Hieronymo Zachariam Joiadæ filium à Christo Domino indicari.

Planioribus quidem verbis in Græcis, Latinis, cæterisque orientalium linguarum translationibus legimus, *usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ;* sed vel Joiadas binomius erat, aliter et Barachias appellatus; vel sensu retento, mutatâ solùm litterâ vocavit Christus re Joiadam, qui verbo est Barachias, ut fieri solebat apud Hebræos : (nam *Joiada*, agnoscens Deum; *Barachia*, verò benedicens Deum redditur, quæ verba rem eamdem possunt significare) vel, ut in Nazaræorum Evangelio reperiebatur, *Joiadæ*, non autem *Barachiæ* Matthæus scripsit. Ita responsione verisimili Hieronymus graviori argumento occurrebat. Nam cætera, quæ Origenes vel Origenianæ sententiæ defensores urgent, commodiùs expediuntur. Lapsum memoriâ S. Matthæum temerarius esset qui diceret, et Spiritui sancto Evangelii principi auctori injuriosus.

In Latinos, Græcos cæterosque codices errorem manâsse non affirmamus, ut priores responsiones duæ nuperrimè positæ demonstrant; at si affirmaremus, non Matthæi esset error, sed interpretis qui Hebraicum Matthæi Evangelium Græcè reddidit; sed amanuensis qui Græcum exscripsit; quod Evangeliorum veritati ac dignitati nihil officit. Nonne unius codicis lectionem multis interdùm anteponimus, quando et ea videtur planior, et nulla suspicio est, locum illum datâ operâ fuisse corruptum? quid autem credamus unquàm impulisse Nazaræos, ut hoc in loco Matthæi lectionem corrigerent, seu potiùs depravarent aut emendarent exemplaria, et loco *Barachiæ* Joiadam ponerent? numquid sectæ suæ præjudicio ducebantur, quo mallent Joiadæ esse, quàm Barachiæ filium Zachariam in templo interfectum? quid ergo peccati erit in hoc Matthæi versiculo legendo, Hebraicos Græcis et Latinis codicibus anteponi?

Quoad alterum non minùs Hieronymi quàm Originis sententia difficultatem incurrit. Nam Zachariæ prophetæ temporibus, inquit Hieronymus, vix ruinæ templi supererant; non ergo Zachariam prophetam interfectum Christus Judæis exprobravit. Etsi verò *in atrio domûs Domini* lapidibus obrutus sit Joiadæ filius, dici tamen optimè potuit *inter templum et altare* à Judæis cæsum animam expirâsse. Nam templum vocamus totum murorum ambitum, in quo prima pars nomine *atrium* concluditur, ubi altare holocaustorum constructum erat, ut sacra fierent in oculis omnium. Si quis igitur per vim opprimatur in spatio aram interjacente et januam, eam præsertim, quâ ad interiora templi aditus patet, is æquè *in atrio domûs Domini*, ac *inter templum et altare* occisus dicitur. Posterior machina jam disjecta est. Christus voluit rem exploratissimam in Scripturis traditam, argumentum immanis crudelitatis et perfidiæ Judæorum objectare Scribis et Pharisæis, quo nullum in Scripturis seriùs ætate filii Joiadæ describitur.

Tandem Malachias quemadmodùm in canone postremum locum occupat, sic post cæteros prophetam egit. Scriptorem istum veteris Testamenti libros veluti clausisse Hebræorum traditio est, sive ipse cum Esdrâ, et Synagogæ magnæ viris condendo sacrorum Librorum catalogo allaboraverit, sive postea clauso canoni suum addiderit; quâ de re disputatur. De ejus tribu et patriâ quid dicamus, tacente Scripturâ? Unus pseudo-Epiphanius ex oppido Jopha tribûs Zabulon fuisse memorat, incertis planè conjecturis. Post Aggæum et Zachariam, constructo jam templo, Deus verbi sui præconem Malachiam delegit. Non enim, ut illi, de negligentiâ in curando ædificio populum accusat; sed divinorum beneficiorum memoriam revocat, et memoris animi significationem reposcit, legem observari, et puris hostiis litari Deo jubens, quod opere domûs Dei absoluto suggerendum erat Judæis ex legis incuriâ peccantibus. Deinde quæ Nehemias, eadem et Malachias vitia reprehendit in populo, ut hinc ad ætatem eamdem pertinere utrumque intelligamus. Quia verò usque ad Christum Jesum non erat Deus prophetam alterum suscitaturus, vaticiniis suis finem facit ad virtutis et legis officia Judæorum animos vehementer incitans, suadensque in traditis Israeli præceptis permanere, usque dùm dies Domini magnus advenisset, cui Deus ipse præparâsset homines, angelo suo ablegato, corda patrum cum filiorum cordibus conjuncturo; quæ de Joanne Baptistâ, et Christo Jesu manifestè dicta quisque videt.

Non juvat prolixiores esse in refellendis eorum opinionibus qui Malachiam angelum sub hominis specie latentem, vel eumdem esse hominem atque Esdram inanibus de causis tradiderunt. Ideòne quia *Malachi* Hebraicè idem sonat atque, *angelus meus*; Malachias homo non erit similis cæterorum? ergo neque *Joel*, id est, *Dominus Deus*; neque *Josue*, id est, *Deus Salvator*; neque *Jona*, nimirùm *columba*; neque reliqui prophetæ homines erunt, ut probè inquit Hieronymus? Nomen angeli, officii nomen est, non naturæ, aiunt Patres; quocirca qui mandata Dei ad homines perferunt, licèt ipsi sint homines, angelorum nomine interdùm in Scripturis vocantur. Quo sensu ea Malachiæ verba: *Ecce ego mitto angelum meum*, de Joanne Baptistâ dicta esse in Evangelio monemur; et Malachias ipse cap. 2, v. 7, sacerdotes omnes divinæ legis interpretes Dei nuntios sive angelos appellavit: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Sed quid plura? Spiritus carne et ossibus caret; inquit autem auctor Ecclesiastici, cap. 49, v. 12, ossa duodecim prophetarum, in quibus et Malachias numeratur, de loco suo pullulare. Cur deinde alius non erit Malachias, ubique dictus propheta ab Esdrâ, qui nusquàm propheta, sed perpetuò scriba et sacerdos in sacris Litteris nuncupatur? Sed futiles adeò causæ sunt ab Hebræis veteribus, et Jonathane Paraphrastâ allatæ (eas autem Hieronymus persequitur contentus recitâsse), ut ne censeam quidem dignas audiri; multòque æquius erit illicò de postremis omnium veteris Testamenti libris, in quibus multa cognitu et dignissima et difficilia pertractantur, disputare.

ARTICULUS XXIII.

De libris Machabæorum.

Ad postremum librorum veteris Testamenti dicendo pervenimus, in quo nobilissima Mathathiæ filiorumque facinora, atque immanitas Ægyptiorum Syrorumque regum adversùs Judæos fusâ oratione describuntur. In duas partes liber dispertitur *Machabæorum* inscripto titulo, cujus ratio primùm inquirenda est; deinde auctorum qui monumenta isthæc reliquerunt, priusquàm contra heterodoxos de librorum divinitate disseratur. Machabæorum igitur nomen apud nos libri præ se ferunt, qui alio nomine ab Hebræis *Hassamonæorum* vocarentur, quòd Mathathian, ejusque filios ac nepotes Hassamonæos appellent. Machabaicos verò olim dixerunt, quia Judæ potissimùm, qui primùm Machabæus appellatus est, amplissima gesta contra nationes Judaico generi infensas complectantur. Quare autem summus iste imperator exercitûs, qui Hebræos

ab interitu vindicavit, *Machabæi* nomen obtinuerit, quod ad cæteros quoque fratres transmissum effecit, ut Machabæorum appellaremus libros illustria facta omnium Mathathiæ familiarium continentes, multiplex afferri ratio potest.

Judam enim vocârunt hebraicè מכבי, vel quia erat *Machabè*, id est, *extinctor*, atque *inimicos cædens;* vel quia ipse dicere jure poterat *Machà bi*, id est, *per me plaga;* vel quia erat *Machè beià*, nimirùm, *percutiens in Domino*, quo agnomine notaretur hostes divinâ virtute à Judâ deletos; vel demùm quia militaribus Hebræorum vexillis primus inscribi jussit initiales litteras illius sententiæ Exodi cap. 5, v. 12: *Mi chamocha baelim Jehova : Quis sicut tu inter deos, Domine?* initiales quippe istæ litteræ י, ב, כ, מ, vocalibus interpositis, vocem מכבי, *Machabai* efficiunt, in eamque coalescunt. Hæc posterior causa nominis Judæ impositi probatur magis Hebræis, et Latinis scriptoribus, licèt firma prorsùs non sit, neque inconcussa. Hassamonæorum quoque cum Hebræis vocare possemus libros, qui gesta filiorum Mathathiæ continent. Nam et toti familiæ Mathathiæ nomen illud tributum est, seu quòd pater Mathathiæ Hassamonæus diceretur, ut Josepho atque Eusebio est visum, seu quòd tota familia à vico *Assemon* tribûs Judæ originem traxerit, seu quòd nomine *Chàsmon*, quod in genere principes viros et magnates significat, omnibusque principibus convenit, peculiari ratione Mathathias, ejusque posteri nuncupati sint propter singularia eorum in Hebraicam rempublicam merita, quasi iis rempublicam capessentibus, nemo alter princeps videretur. Hæc de Machabæorum et Hassamonæorum vulgato nomine.

De auctoribus nunc pauca. Ab uno scriptore utrumque Machabæorum volumen descriptum nemo dixerit: tanta enim occurrit et styli et rationis chronologiæ, et narrationum diversitas, ut diversos auctores fuisse manifesto indicio sit. Primum librum Hebraicè, sive Chaldaicè scriptum esse facilè nos ipsi intelligeremus ex Hebraicis locutionibus vel in Latinâ editione extantibus, quæ sunt prioris scriptionis vestigia et monumenta, quanquàm non affirmâsset Hieronymus, se hebraicè scriptum vidisse, atque habuisse præ manibus, quod in Prologo galeato testatur. Affirmaverat autem et Origenes apud Eusebium, libro 6 Historiar., cap. 25, ejus libri titulum fuisse: *Sarbit sarbanè El; Virga Rebellium Deo;* vel: *Scarbit Sar benè El; Sceptrum principis filiorum Dei;* adeò verum est Hebraicam sive Chaldaicam fuisse orationem. Alterum verò Græcè scriptum esse cùm oratio ipsa manifestè commonstrat, tum tota historia, quæ compendium est ex Græcis hominis Cyrenaici scripturis expressum. Auctor posterioris altiùs historiam repetit; prioris autem inferiora tempora attingit; ille Chaldaicam æram sequitur annos supputando exorsus numerare à mense septembri, aut potiùs octobri; iste verò Judaicam à mense martio dinumerans. Quare cùm alter post aliquot menses annum inchoet, quem alter partim defluxisse ponat, interdùm in anni supputatione inter se differunt.

Neutrius tamen auctorem cognoscere possumus, etsi quâ linguâ scriptus primùm uterque sit perspicuè constet. Quam enim rem priorum ætatum scriptores ignorârunt, necesse est et nos ignorare, quibus nihil novi hâc in re, nisi quod à veteribus acceptum est, luminis affulsit. De priore libro sunt qui velint Machabæorum aliquem, quæ sibi, et fratribus, et patri acciderant, descripsisse; alii Joannem Hircanum Simonis ex Mathathiâ natu minimi filium; multi Synagogam magnam in scribendo convenisse. Verùm id unum habemus certi Hebræum scriptorem sub Joannis Hyrcani pontificatu præclarissimæ familiæ laudes eo libro prædicâsse, et primigenio exemplari jamdudùm amisso, Græcum exemplar superesse in illius locum, unde latina editio Vulgata manavit. De posteriore volumine compertum habemus historiam esse quinque Jasonis, seu Jesu Hebræi Cyrenæensis libris perstrictam, ut præfatur auctor lib. 2, cap. 2, v. 24; nam quæ præcedunt, sunt exempla epistolarum quas Hebræi Hierosolymis degentes ad fratres in Ægypto commorantes miserant. Quapropter auctor secundi Machabæorum libri non solùm Jasonem expressit, sed ex Judaicæ reipublicæ monumentis quædam collegit, cujusmodi sunt epistolæ, adjiciens et quæ non erat Jason persecutus, qualia duobus posterioribus capitibus narrat pertinentia ad Demetrii Soteris, imò verò Seleuci regnum, cùm Jason res Judaicas Antiocho Epiphane, ejusque filio Eupatore in Syriâ regnantibus narrare tantùm susceperit, ut capite eodem secundo, v. 21, legimus. In his duobus libris quæ Judaica gens primùm Syriæ regibus serviens; deinde excusso jugo, sui juris facta, quadraginta quinque circiter annorum lapsu et gessit et sustinuit, duo auctores complexi sunt initio ducto à postremis annis regni Seleuci Philopatoris, qui templum per Heliodorum pollui jussit, usque ad postremos Antiochi Sidetis, sub quo per insidias Simon Machabæus est interfectus. Si aut certiora, aut illustriora de auctoribus ad nos pervenissent, traderemus utique; at quoniam his paucis doctrina omnis continetur, ad reliquum illicò progredimur, quod potissimùm dignum est, in quo magis versemur.

Est autem de horum librorum divinitate et canonicitate ex sanctis Patribus et Ecclesiæ decretis confirmandâ; nam veterum Scripturarum primo canone id effici non potest. Origenes, lib. 2 de Princ., cap. 1, ad institutum suum quasdam Scripturarum sententias trahens, inquit: *Ut autem ex Scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus, audi, quomodò in Machabæorum libris, ubi mater septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda martyria, ait*: « *Rogo te, fili,* « *aspice cœlum.* » Cyprianus, epist. 55 ad Cornelium Papam, præcepta Mathathiæ præcepta Scripturarum vocat: *Quando occurrat et moneat divina Scriptura, dicens, et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in stercora erit et in vermes : hodiè extolletur, et cras non invenietur, quoniam conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit,* quæ ipsissima verba sunt lib. 1 Machab., cap. 2, v. 62 et 63. Hieronymus, etsi in Prologo galeato Machabæorum libros apocryphis

annumerare videatur, pro divinis tamen habet in caput 22 Isaiæ, Macedoniæ insulas nomine Cethim significatas docens: *Hoc enim Scriptura commemorat, quòd Alexander rex Macedonum egressus sit de terrâ Cethim*, quod initio lib. 1 Machab., ita traditum est: *Alexander Philippi Macedo, qui primus* (græcè πρώτερον priùs) *regnavit in Græciâ, egressus de terrâ Cethim*. Augustinus, lib. 2 de Doct. christ., cap. 8, in Canonem Scripturarum refert et libros Machabæorum duos: tum lib. 18 de Civit. Dei, cap. 36, de his libris habet: *Quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet propter quorumdam martyrum passiones vehementes atque mirabiles*; tum lib. de Cur. pro mort., cap. 1, juvari defunctos precibus et sacrificiis inde probat: *In Machabæorum libris legitur oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquàm in Scripturis veteribus omninò legeretur....*

Possum compendii causâ colligere, Tertullianum advers. Jud., cap. 4, docuisse legem sabbati non ad perpetui temporis observantiam pertinuisse Machabæorum exemplo, qui die sabbati fortiter pugnando paternam legem defenderunt; Ambrosium Machabæorum historias commentariis suis illustrâsse; Leonem in sermone de festo Machabæorum dixisse sacræ Scripturæ lectione plenissime auditores de solemnitatis illius causâ institutos; Isidorum Hispalensem, lib. 6 Origin. scripsisse: Libros Machabæorum contra Judæorum consuetudinem Ecclesia Christi inter divinos libros honorat et prædicat; Synodum Carthaginensem III, can. 47; Innocentium I, in Epist. ad Exuper., et Gelasium in synod. Rom. in canonem Scripturarum libros Machabæorum retulisse; Cassiodorum, lib. 6, de Inst. divin. Litter., libros divinos et canonicos commendâsse; denique concilii Tridentini Patres perpetuam hâc de re majorum traditionem decreto suo certiorem firmioremque reddidisse. Nam antea, ut cæteris deutero-canonicis accidit, sua quidem erat his libris auctoritas; sed declarationis Ecclesiæ manifestius quoddam genus deesse videbatur, quod Catholicos omnes in unâ eâdemque sententiâ contineret.

Hæc persuadere satis possunt, ni fallimur, quemcumque qui iniquore animo non fuerit Machabæorum libros esse divinos. Verùm id hæreticis adeò displicet, ut nunquàm iratiùs nos mordeant, quàm dum Machabaicorum librorum dignitatem vindicamus. Primò veterum et ipsi doctrinæ præsidium quærunt, quos scimus vel omninò his libris fidem divinam non adhibuisse, vel saltem de ipsorum divinitate dubitâsse. Deinde falsitatis, inconstantiæ, repugnantiæ, ignorationis rerum historicarum, graviorumque errorum arguunt scriptorem utriusque libri Machabæorum; propterea et ambos indignos judicant qui in sacrorum numerum recipiantur.

Verùm ad primum necesse non est cumulatiùs respondere, quàm olim respondimus. Damus enim deutero-canonicos libros non omnibus omninò probatos, iis præsertim qui ad Hebraicum canonem scripta sua formabant, vel de sacris Libris universæ Ecclesiæ judicio jam susceptis, et nusquàm controversis habebant sermonem; ipsimet verò, cùm quod sentiebant loquebantur, judicabant sacros esse quos Ecclesia nondùm constituerat suscipi oportere, ut de Hieronymo alibi notavimus, quanquàm enim concilium Carthaginense III, Innocentius I, Gelasius Papa (qui librum unum Machabæorum in quibusdam editionibus, ut unum Esdræ; in aliis verò duos ponit in canone) decreto suo Machabæorum libros suscipi jusserint, tamen neque Ecclesiis, neque scriptoribus omnibus id persuaserant, quod fortassè ad omnium cognitionem definitio illa non pervenerit; fortassè decretorium totius Ecclesiæ judicium nondùm putaretur, donec accedente Tridentini concilii confirmatione nullus relictus est locus disputationi.

Alterum autem de antilogiis, de erroribus in utroque Machabæorum libro patentibus falsissimè dici perspiciunt, quotquot pertinacem animum et repugnantem veritati ad legendum non afferunt: imò verò majorem offensionem haberent multi alii sacri Libri quàm Machabaici, si difficiles et morosi esse vellemus, quod dissimulare neque hæretici possunt. Et quidem Albericus gentilis Calvinianarum partium jurisconsultus eruditus, cui multùm debere Grotium dicunt, Critic. sacr., tom. 5, in disputatione ad 1 Machabæorum inscriptâ Tobiæ Matthæo episcopo Dunelmensi canonicos libros esse pernegat, seque abfuturum quàm longissimè semper à pontificiis profitetur; attamen multa quæ Theologi, ut inquit ipse, sui contra libri dignitatem disputabant, infirmiora judicat, reque ipsâ discutit, monetque suos, ne cùm pontificios oppugnare volunt, eas argutias consectentur, quibus efficient, ut infirmi et de canonicis libris malè sentiant, quos per easdem subtilitates vident peti et ipsos posse.

Enimverò quid tandem est adeò repugnans et contrarium in his libris, quod omnem opinionem de eorum divinitate ex animo evellat? Aiunt, lib. 1 Machab., cap. 1, v. 11, Antiochum illustrem dici regnâsse anno 137 regni Græcorum; cùm tamen non Eusebius modò, sed quicumque summam subducat, annos 156, ab initio regni Græcorum facilè inveniat. Rursùs lib. 1, cap. 6, v. 16, Antiochum Epiphanem eumdem vitâ functum anno 149 æræ Græcorum; cap. verò 11, lib. 2, v. 21 et 33, Lysiam, atque Antiochum Eupatorem Epiphanis filium post patris obitum anno 148, litteras dedisse. Præterea lib. 1, cap. 4, Judæ operâ purgatum à pollutione templum uno anno priusquàm Antiochus migraret è vitâ, æræ Græcorum 148, contra lib. 2, cap. 10, biennio post Antiochi mortem purgationem factam. Iterùm lib. 1, cap. 9, Judam anno 152, è vivis excessisse; libro autem 2, cap. 1, scripsisse epistolam anno 188; quod si verum esset jam triginta sex annos post excessum è vitâ litteras misisset; quæ omnia aiunt, cùm tam malè inter se cohæreant, manifesta esse indicia falsitatis, atque his omnem conceptam de libri auctoritate sententiam ex animo aboleri.

Non negamus hæc, ut exposita sunt, in libris Machabæorum narrari: negamus verò non cohærere, si

diversa æræ Græcorum initia constituantur, et suis quæque locis facta singula aptentur. Quâ de re duo moneri oportet; alterum, Scripturas, cùm de Græcorum regno sermo est, de monarchiâ sigillatim Græcorum, atque exordio imperii Seleuci Nicatoris, qui primus in Asiâ et in Syriâ Asiæ parte regnavit, intelligi debere, ut monuit et Eusebius in chronico. Cùm enim Judæa pars Syriæ esset, à primo rege Syriæ Seleuco, non ab Alexandro totius orbis domitore, Græcos et Seleucidarum annos numerabant Judæi; quemadmodùm Macedones annos Philippæos vocabant ab initio regni Philippi patris Alexandri. Alterum, hos eosdem Seleucidarum annos in variis provinciis diversum quoque exordium habuisse : nam Syro-Græci, atque Antiocheni Judæis priùs, et Chaldæis annos Seleucidarum inchoârunt à mense Thisrì, id est, septembri, qui in octobrem nostrum incidit; Judæi verò à Nissan, sive martio consequente; Chaldæi denique, vertente eodem anno Hebræorum à mense Elul ad æquinoctium autumnale. Ita à peritissimis Chronologis accepimus, et Josepho Scaligero præsertim, qui cùm ex Ptolomæo, tùm productis clarissimis exemplis rem demonstrat, nosque ipsi in chronologicis manifestius facimus.

Hâc explicandi ratione, quæ antiquitatis studiosis exploratissima est, duo prima argumenta refutamus. Si enim ab eo qui, post divisum Alexandri imperium, primus Syriam regio nomine tenuit, et recuperatâ Babylone diadema capiti sibi imposuit, annos computemus ad regnum usque Antiochi, annus erit 137, quæ est libri primi Machabæorum numeratio; at si à devicto Dario Asiæque populis in Macedonum ditionem redactis initium ducatur, Græcorum regni annos numerabimus 156; fluxerunt quippe, ex quo Alexander monarchiâ potitus est, anni partim Alexandri vitæ, partim bellorum inter ejusdem pueros de principatu dividendo dimicantes, undeviginti, donec bello feliciter confecto Seleucus regnum tutus obtinuit. Quo semel constituto, jam ad anni initium quæstio reducitur, unde scilicet annus inchoet; cùmque non omnes Judæi eodem tempore annum exordiantur, necesse est eos non re, sed verbis, discrepare; et dùm alter minorem numerum habet, alter majorem conficit, utrumque convenire.

Etenim (ut nunc Antiochenorum æram prætereamus, quæ nihil ad hanc rem nostram facit) qui post occupatum à Seleuco imperium protinùs à martio regni annos supputant, ii cùm ad eumdem mensem redierint, decurso jam anno alterum ingrediuntur, et numerant; qui verò ab æquinoctio autumnali initium faciunt, cùm ad martium pervenerint, eodem vertente et lapso, adhùc primum annum prosequuntur. Sic dùm mensibus januario et februario à Christi Domini nativitate tempus metimur, 1772, annos fluxisse, et septuagesimum tertium annum labi dicimus; quanquàm si astronomorum verbis loquamur, labatur adhuc septuagesimus secundus, et septuagesimus tertius nondùm nisi martio ineunte, incipiat. Id porrò accidit auctoribus librorum Machabaicorum. Primus secutus est æram Judæorum à martio mense ductam, alter Chaldæorum à succedente æquinoctio; quare primus uno anno superat alterius rationes. Hinc factum est ut sex mensibus consequentibus Antiochi Epiphanis mortem anno 149, filius ejus Eupator, et Lysias præfectus exercitûs litteras adhuc ad Judæos anno 148 adscripto dederint. Nam si mense Hebræorum Nissan Antiochus obiit, procul dubio ineunte anno 149 excessit; mense autem *xanthico*, id est, aprili Eupator; Lysias verò Dioscuro, scilicet ultimo, vel intercalari labentis adhuc 148 diem litteris suis adscripserunt. Varia isthæc anni initia habuisse cùm Judæos, tùm Syro-Macedonas, cumque annum, qui alteri laberetur, alteri fuisse lapsum multis exemplis probant Scaliger, Husserius, Petavius, quæ nos brevitati consulentes prætermittimus. Imò verò ostendit Scaliger Chaldæos, sive Babylonios à secundo anno Seleuci regis annos regni exordiri; causam quidem ignorat; Husserius autem in Regum litteris supputationem Babylonicam obtinuisse demonstrat, conjicitque unde orta sit isthæc supputatio uno anno serior, ut et nos in chronologicis dicimus. Quæ si vera sunt, multò clariùs assequimur, quare Lysias imperator exercitûs Syrorum, et Anthiocus Eupator annum 148 scripserint.

Nunc ad reliqua transeamus. Quis affirmare audeat auctorem libri 2 Machabæorum aliter scribere tempus purgationis templi à pollutione, ac in primo libro notetur? Non quærimus cum Sixto Senensi lib. 9 Biblioth. sanct., evadendi latebram, duplici inventâ purgatione, quarum altera Antiochi mortem antecesserit, altera consecuta sit. Supervacanea enim est hæc purgationis repetitio in re non necessariâ; unam eamdemque dicimus utrobique descriptam. Etsi verò, narratâ Antiochi morte, auctor libri 2 purgatum templum commemoret; non dicit tamen post Regis mortem susceptum purgari. Voluit siquidem absolvere, quæ de Antiocho dicere cœperat, et tunc demùm ad Judam templique purificationem reverti. Quod autem post biennium sanctas res restauratas scribat, non ab Antiochi morte, sed à rerum administratione, quam Judas suscepit, ac principatu biennium præteriisse significat. Nam fœdaverant gentes templum atque aram abominatione erectâ anno 145, ut dicitur lib. 1, cap. 1. Mathathias mortuus est anno 146, ut habetur lib. 1, cap. 2, v. ult. Exacto deinde biennio Judas Machabæus, omni remotâ fœditate, renovavit sancta anno 148, ut lib. 1, cap. 4, exponitur. Vel si mavis, post biennium exactum à profanatione, cœpit Judas templum mundare; ad ejus autem rei absolutionem aliquot mensium tempore eguit, omniaque anno 148 perfecta sunt; rectè propterea Eusebius in Chronico, et Josephus, lib. 12 Antiq. cap. 10, in tertium annum à templi pollutione expiationem conferunt; post annos scilicet duos transactos; et rectè plures Græci codices explicatiùs habent : *Post tempus biennii et sex mensium.*

Tempus mortis Judæ Machabæi, quâ fortiter in prælio occubuit, anno 152 æræ Seleucidarum optimè

constituitur. De epistolâ verò anno 188 datâ, et Judæ nomine cum senatu et populo inscriptâ ut videtur, non eadem sentiunt interpretes. Quidam cum Ruperto Saliano et Serario non Machabæum Judam ibi nominari putant, sed alium quempiam vel Judam Essenum, qui sub Joanne Hircano magnum sibi nomen fecerat, vel Aristobulum Hircani ejusdem filium magnæ auctoritatis virum, et copiarum ductorem à Josepho nuncupatum Judam. Alii, ut Lyranus et Hugo, annos 188, initio epistolæ notatos arbitrantur more Hebræorum ab anno duodecimo Assueri, quo Esther ab interitu atque excidio eripuit populum; non more Græcorum à Seleuci regno ad Judam Machabæum. Verùm quis horum sententias probet? Anno 188, Joannes Hircanus populo Judæorum præerat, non ullus ex filiis aut vivente, aut vitâ functo patre; non Essæus, vel alter Judas. Nusquàm præterea, si unum Machabæum demas, Judas alter dux Judæorum fuit: ineptum autem est putare in epistolæ titulo unà cum populo, et senatu alterum nominari potuisse, quàm principem. Itaque Judas, lib. 2, c. 1, v. 10, ad Aristobulum scribens cum senatu, et populo alius non est à Machabæo, qui anno 152, vitâ decessit. Aliam verò æram, aliam epocham in hoc uno loco usurpatam esse præter usitatissimam Seleucidarum, nemini unquàm persuadebunt: quâ etiam constitutâ, hunc quidem scopulum fugiunt, at in graviorem incurrunt. Plusquàm ducentos annos intercessisse ab Assuero rege ad Judam Machabæum sine ullo negotio conficeremus, si esset opus. Mittamus ergo hæc, in quibus non minus graviter videtur peccari, ac potiùs existimemus annum 188 epistolæ appositum, non ad sequentem litteram, quam Judas scripsit, sed ad superiorem pertinere datam à Joanne Hircano populi principe. Neque hæc inconsultò et temerè dicta quis putet: Græci namque codices ea verba anno 188 à sequentibus apertè distinguunt interpunctione, et separant. Deinde cùm præscribi non soleant dies epistolis, sed adscribi (ut exemplo esse possint epistolæ ex lib. 2, c. 11, descriptæ cum dierum notis vers. 21, 33 et 38), verba autem illa anno 188, unius epistolæ finem, atque alterius initium sint interposita, multò æquius est, annum ad præcedentem, quàm ad consequentem epistolam referri. Certum enim est, duas esse in libri exordio epistolas, alteram versiculo decimo desinentem cum appositione temporis quo scripta est; alteram in eodem versiculo incipientem: *Populus, qui est Hierosolymis...* cujus clausula est versiculus 19 consequentis capitis sine appositione. In postremâ, quòd Hierosolymam allatum erat de adverso exitu rerum Antiochi in templo Naneæ, populus, senatus, et Judas Aristobulo, et fratribus Ægypti inter cætera nuntiàrunt.

Non sunt magis contraria veritati alia multa ex utroque libro excerpta, quæ effundunt hæretici, quæque nullâ defendi ratione posse audaciùs accusant. Alterum est, lib. 1, cap. 1, v. 1 et 7, narrari Alexandrum primùm regnâsse in Græciâ, et condito veluti testamento, convocatis pueris, qui cum ipso erant à juventute enutriti, *divisisse illis regnum suum, cùm adhuc viveret:* atqui hæc, inquiunt, falsa sunt: nam et nemo ignorat multos reges Lacedæmoniorum, Macedonum, Corinthiorum, Atheniensium præcessisse Alexandri tempora; et probatissimi historici, Justinus, Diodorus, Q. Curtius scripserunt post Alexandri mortem principes regnum inter se fuisse partitos. Alterum, cap. 8, v. 16, Romanos singulis annis uni homini committere consuevisse magistratum suum; atverò duos consules quotannis Romanus populus designabat, qui cum potestate et imperio in republicâ versarentur. Tertium est, cap. 6, lib. 1, et cap. 14, lib. 2, commendari, et celebrari laudibus Eleazarum et Raziam, qui sibi ipsis mortem consciverunt contra communem et humanitatis sensum, et fidei doctrinam vetantem homini injussu summi regis de vitæ statione decedere. Quartum, lib. 2, cap. 1, v. 19, in epistolâ haberi: *Cùm in Persidem captivi ducerentur patres nostri;* atverò non in Persidem, sed Babylonem abductos multi prophetæ testantur. Quintum, ibid., cap. 2, Jeremiam cùm incenderentur Hierosolymæ, templumque à Chaldæis diriperetur, abscondisse tabernaculum et arcam fœderis in speluncâ quâdam montis Nebo, locumque illum dixisse fore ignotum, donec Deus iterùm populum suum congregaret. Sed quì fieri potest, ut credatur Jeremiam ante urbem à Chaldæis occupatam in carcerem conclusum, totique populo odiosum, atque invisum tantum otii, et opportunitatis habere potuisse, ut instrumenta illa templo ablata in tuto collocaret? vel post captam urbem ab incendio, aut Chaldæorum manibus, et direptione subtraxisse? Deinde numquid inventus est locus, in quem tabernaculum atque arcam Jeremias intulerat, liberatis à captivitate Judæis, reversisque in patriam, quod propheta futurum promiserat? Latuit ad hanc ætatem, et latebit in posterum. Sextum, lib. eod., cap. 12, laudari Judam Machabæum, qui pro cæsis in bello orari, et sacrificium offerri jusserit, sub quorum tamen tunicis inventa erant quædam de donariis idolorum contra legem Domini, quæ habetur Deuter., cap. 7, propter cujus violationem cæsi fuerant. Quo præposteró zelo quid esse potest aut magis superstitiosum, aut supervacaneum magis, et vel ipsi Catholicorum doctrinæ contrarium, qui docent pro iis, qui certo lethali peccato obstricti decedunt, orandum non esse?

Multa quidem isthæc sunt; verùm talibus non minuitur librorum Machabaicorum auctoritatis. Regnavit primus in Græciâ Alexander totius Asiæ princeps et monarcha: primus ex Græcis, qui imperii fines usque dilataverit: primus, qui Græcorum nomen illustre reddiderit paucis antea cognitum: primus, qui potentissimos reges tantâ clade affecerit, quantæ nullum deinceps adhiberi remedium potuerit; qui splendidissima regna adeò exstinxerit, ut nulla spes superesset fore ut rursùs illucerent: primus denique, qui totam Græciam occupaverit olim inter plures reges distributam, Græcamque monarchiam, eversâ Persarum, constituerit. Neque aberrant à vero, qui putant sacrum scriptorem Græciæ nomine pressiùs Syriam et Ægyptum nuncupâsse, quæ post Alexandrum Macedonem

à suis, atque à populis suæ ditioni adjectis vocabatur *Græcorum regnum*, ut Hebræi inquiunt מלכות יון. Atque hæc una est ejus loci interpretatio, si legatur, ut exemplaria Græca plerùmque habent, ac Latina quædam : *Et percussit Darium regem Persarum; et Medorum, et regnavit* ἀντ' αὐτοῦ, *loco ejus, pro eo primus in Græciâ*. Quis enim non animadvertat Græciam hìc pro Asiâ sumi debere ? Noluisse verò à Scriptore dici primum ex Græcis regiâ potestate præditum res ipsa loquitur, cùm è Macedoniâ egressum dicat, tanquàm ex provinciâ, in quâ summâ auctoritate dominabatur, ut ditionem amplificaret. Has plerùmque probatas responsiones commodè adhibemus præter eam supra indicatam, scilicet secundùm lectionem alteram græca verba πρότερον ἐβασίλευσε vertenda esse *primum regnavit*, id est, priusquàm toti Asiæ dominaretur, jam in Græciâ regnaverat.

Alexandrum regem, cùm viveret, partitione factâ principibus, quos sibi adjunxerat, singuliss ingulas imperii partes distribuisse, eccur non credamus ? Major ne erit adhibenda fides profanis scriptoribus, iisque inter se hâc de re pugnantibus, quàm sacro? vel si id nolint hæretici, accuratiori saltem, neque partium Alexandri studioso, cujus nihil omninò intererat, sive Alexander ipse vivens de bonis, se mortuo, ad quempiam perventuris disposuisset, sive moriturus traditione annuli regii Perdiccæ, vel cuilibet alteri potestatem fecisset, partiendi pueris imperii? Etenim et is quem supra nominavimus, Albericus Gentilis in capite primo disputationis suæ, cùm scriberet, *hos libros, qui titulis amplissimis laudari à Patribus consueverunt, non debere manu profanâ de eâ possessione dejici, quàm nacti tandem in Ecclesiâ erant, et in quâ paulò ante degebant*, ejus rei causam addit : *nam et ipsi theologi nostri apocryphis his tribui oportere magis, quàm libris aliis confitentur*. Verùm et Diodorus Siculus, lib. 17, scripsit Alexandrum Rhodi testamento cavisse quid quisque suorum haberet, eamque urbem ita præ cæteris à rege cohonestatam, *ut testamentum de toto regno illic deponeret*. Et Curtius, quanquàm ejus rei famam vanam se comperisse narret, ait tamen : *Credidere quidam, testamento Alexandri distributas esse provincias*. Sed, ne hujus quidem sententiæ tenaciores esse volumus, ut pluribus contendamus, atque aliò transferamus quæstionem. Diviserit Perdiccas regnum, rege vitâ functo, meritò adhuc sacer Scriptor tradidit, ipso vivo, pueros ex divisione regnum habuisse. Nam propter potestatem dividendi imperii in Perdiccam collatam, hæreditas illa ad pueros Alexandri pervenit; perindè ergo est ac si rex ipse vivens futuris rebus providisset, singulisque divisisset, quæ bello acquisierat. Neque ob id solum, verùm etiam, priusquàm rex migraret è vitâ, principes amicos suos provinciis præfecerat, iisque administrandas concesserat, declarans quid quemque habere in posterum vellet : regiam in eâ decernendâ administratione voluntatem secutus Perdiccas, quas olim procurabant provincias, ipsarum dominium tradidit : quâ in traditione, cùm id re præstitum sit, quod antea rex constituerat, rectè visum est, non tam Perdiccæ consilio, quam liberâ regis dispositione pueros in Alexandri bona successisse. Quid verò, si cum eodem Alberico Gentili diceremus, dum viveret Alexander, significâsse, si sine liberis decessisset, aut liberi mortui fuissent impuberes, velle se, ut regnum in quasdam partes divisum pueris dignioribus cederet, ac fortioribus, atque ita divisisse, id est, dividendum reliquisse? Refert enim Justinus lib. 10, Alexandrum de suis administris dixisse : *Quos nobis sine prole decedentibus, relinquimus nostros hæredes, et totius orbis*. Quanquàm igitur Alexander ipsemet per se in pueros suos regnum partitus non sit, mendacem fuisse libri Machabæorum auctorem non consequitur, aut probatis rerum Alexandri scriptoribus contrarium.

Alterum de duobus consulibus, quos Romanus populus ad gerendam rempublicam, habendumque magistratum designabat, constans est apud omnes : at non minùs est exploratum alternis vicibus, alternisque diebus (in militiâ saltem; nam in rebus civilibus, alii aiunt, alternis mensibus) alterum gubernâsse alterius consilio non egentem, ex quo fiebat, ut interdùm temerè atque inconsultò respublica in gravissimum periculum adduceretur, cujus rei infelix Cannensis pugnæ exitus exemplum est. Inconsideratio scilicet, et temeritas alterius consulis, penès quem eo die imperium erat, Romanam aciem perdidit. Eâ de re Polybius, lib. 3, notat Lucium Æmilium Paulum et Varronem consules, dissimiles discordesque fuisse : primum rerum bellicarum peritissimum, alterum inexpertum : hunc pugnandi cupidissimum, quibus diebus sibi potestas erat, maximum patriæ exitium attulisse : *Eâ die (nam alternis imperitabant) Varronis imperium erat. Hic motis castris appropinquare hostibus maturat, indignante, ac reclamante Æmilio*. Et post pauca : *Varro, cui posterâ die sors imperii obvenerat, cum primâ luce, inconsulto collegâ, ex utrisque castris copias educit*. Deinde : *Pauci Cannusium incolumes pervenere, inter quos Varro, cui detestanda anima, ac exitiosum patriæ imperium fuit*. Illa autem alternis imperandi ratio ab ipso primo exordio consularis dignitatis instituta est, ut ait Livius libro 2, *ne si duo simul consules imperarent, exactis regibus, non remotus, sed duplicatus terror videretur*. Quamobrem, licèt duo essent consules; uni tamen commissa esse respublica videbatur ; idque animo spectans Judas, lib. 1 Machab., cap. 8, unum virum publicis negotiis præfectum dixit. Præterquàm quòd, quid unquàm peccavit sacer scriptor id narrans, quod ad Judam famâ detulerat, etiamsi cum veritate, rumor non conveniret? *Et audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus*, cap. 8, v. 1 : *Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ*, vers. 16. Quod ergo ad Judæ aures pervenit, historicus retulit.

Eleazari verò, et Raziæ sive constantia, sive audacia ea sit, quod tertium erat reprehensionis caput, non officit divinis libris, ut jamdudùm S. Augustinus docuit et in epistolâ ad Dulcitium, et in libro 2 contra epistolas Gaudentii, cap. 3, summam hanc responsio-

nis tradens, mortem horum hominum narrari in Scripturâ, non laudari; vel certè non ita laudari, quasi piè ac sanctè fecerint, quæ fecerunt, quanquàm audacter, et viriliter, fortiterque hominum judicio fecisse, negari non possit. Nollem tamen Eleazari fortitudinem et strenuitatem cum concitato Raziæ animi motu, furore, atque immanitate comparari. Vitii quidem expers Eleazari actio, et verâ laude digna esse potest, quòd se in ancipiti facinore miles objecerit gravissimo periculo, quidquid deinde eventurum foret sibi, sperans maximum toti Judaico populo emolumentum : culpâ verò vacare audax barbarumque Raziæ factum non potest, nisi fortè Deo intùs jubente vitam suam projecerit, quòd Lyrano, Francisco Victoriæ, Serario, Tirino, visum est,qui Razian ex peculiari Dei instinctu sibi vim intulisse collegerunt ex piæ et sanctæ hominis vitæ ratione, ornatæque virtutibus, ex bono fine, quem sibi proposuit in tentando facinore, ex divini nominis invocatione in vitæ exitu, atque ex laudibus, quibus Scriptor factum prosequitur. Atverò S. Augustinus et S. Thomas, 2-2, quæst. 64, art. 5, ad n. 5, ex his causis singularem Spiritûs sancti ductum in Raziâ ad inferendas sibi manus non cognoverunt. Quanquàm si proprio arbitrio intulit, atque insipienter intulit, mirum esse non debet Hebræum hominem, cùm zelo legis id faceret, putâsse se, atque eligisse laudabiliter mori, in eâ maximè festinatione, eoque timore incidendi in manus peccatorum, in quo maturæ deliberationi non est relictus locus.

Quarti argumenti explicatio facillima est. Persidem non modò eam regionem vocavit sacer Scriptor, quæ pressim dicitur Persidis, verùm etiam et finitimas, et quidquid locorum est trans Euphratem olim in Persarum regum potestate positum. Nam et lib. 1, cap. 6, v. 5, nuntius Babylonem veniens ad Antiochum dicitur ad regem in Persidem venisse. Neque iste loquendi modus insolens est, atque aliis scriptoribus inusitatus : Lucanus, lib. 3, Mamertinus, Paneg. ad Julianum, eumdem usurpat, et Joan. Chrysostomus Homil. 6 in Matthæum ait Judæos ex captivitate Persicâ liberatos.

Quintum videtur gravius quidem, at reipsà quid virium habeat, ignoro. Potuit Jeremias, sive antequàm urbs à Chaldæis caperetur, sive postquàm in eorum potestatem venit, arcam et tabernaculum in montis antrum subducere, datâ sibi opportunitate, vel Jechoniâ regnante, vel priusquàm omnia incenderentur. Enimverò, Sedeciâ post Jechoniam Judaicum imperium tenente usque ab urbis excidium, Jeremiam in carcerem conjecit populus, quòd ille tristia et lugubria non cessaret prædicere, ac suaderet deditionem Nabuchodonosori : sub imperio verò Jechoniæ solutus non modò erat vinculis, sed etiam magnæ vir auctoritatis, regique acceptissimus, cui auctor fuisse creditur, ut se regi Babylonis spontè dederet. Nam et prophetam id regi suasisse, et regem præstitisse, cap. 27 et 29, Jeremiæ legitur. Quare igitur non potuerit consensu regis arcam tabernaculumque asportare, ut in vitâ hoJecniæ sentit Epiphanius? Potuit etiam post occuatapm à Babyloniis urbem, quidquid libuisset : quippe et magnâ in existimatione erat apud Nabuchodonosorem, qui Nabuzardani militiæ principi prophetam maximè commendaverat : *Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Jeremiâ Nabuzardan magistro militum dicens : Tolle illum, et pone super eum oculos tuos, nihilque mali ei facias : sed ut voluerit, sic facias ei*, Jerem. cap. 39, v. 11 et 12. Reipsà cùm sacer scriptor neque arcæ, neque tabernaculi meminerit in 52 capite, ubi omnia quæ à templo Domini abstulerunt Chaldæi, phialas usque et mortariola nominat, necesse profectò est jam ea duo prophetam ipsum subduxisse. Quod quanquàm nuspiàm narretur in libris Regum, in quibus multa sanè prætermissa sunt, ut in compendio, atque oratione contractâ prætermitti multa solent; non minus tamen est verum.

Neque rursùm mendacii vel propheta, vel scriptor libri Machabæorum arguitur, si arcæ et tabernaculi latebras nunquàm Judæi repererint, quas dixit Jeremias cognitum iri, quando Deus populum congregâsset. Non enim tempus inventionis constituit Jeremias, tunc cùm Cyri beneficio Judaicus populus iterùm in Judæam convenisset; sed vel congregationem dixit credentium omnium propè ultimam seculi consummationem, diemque judicii, inquiens scilicet tum arcam et tabernaculum repertum iri, cùm propior erit illa dies, et populus à Deo in unam societatem colligetur, ut vult Epiphanius; vel locutus de novâ congregatione populi in Christum Dominum credituri mysticè Christum ipsum in typis arcæ et tabernaculi significatum indicavit, monens, adveniente Christo Domino, et populo in unam Ecclesiam coeunte, veram arcam, verumque tabernaculum, et altare, quæ omnia Christus est, in conspectu futurum, ut Ambrosius mavult. Idque verius puto : apparuit jam diù majestas Domini, atque apparebit illustrius, quando omnium Hebræorum animi, disjectis tenebris, luce Evangelii purissimâ perfundentur. Arcam verò materialem nunquàm è speluncæ loco, in quo abdita est, extrahendam Jeremias ipse satis declarat cap. 3 Proph., vers. 16, ubi ait, postquàm filii Israel in Sion (nimirùm Ecclesiam) introducti fuerint, iisque constituti pastores, qui scientiâ pascant et doctrinâ : *non dicent ultra : Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius : nec visitabitur, nec fiet ultra.*

De pio ac religioso Ecclesiæ instituto orandi misericordis Dei pro defunctorum animabus, quas certò non constat aut in æternam felicitatem admissas, aut in perpetuum à cœlorum regno expulsas esse, nostrum non est hic disputare. Obtrectant, scimus, hâc de causâ Catholicis hæretici, qui superstitiosam rem putant precari mortuis veniam, atque ob id unum fortassè erroris ipsorum apertius testimonium à vetere Synagogâ datum, Machabæorum libros rejiciunt : sed nos et cum Ecclesiâ Catholicâ canonicos credimus, et piam consuetudinem tenemus, et Augustinum sequimur inde colligentem, lib. præsertim de Cur. pro mort., optimum esse pro mortuis orare. De militibus autem, pro quibus præcepit Judas offerri sacrificia, certum non erat peccato lethali obstrictos hinc excessisse. Inventa sunt

fatemur, sub interfectorum tunicis idolorum donaria, à quibus lex prohibet, comburi jubens; sed vel ante pugnam, et sub ipsum vitæ exitum incenso dolore culpam expiaverant, vel prædæ cupiditate ex legis ignorantiâ, animo utique ab idololatriâ alieno, clam surripiendo, grave peccatum non admiserant. Hæc cogitavit Judas confidens milites, Deo temporariâ morte placato, misericordiam expertos in æternùm non periisse, jussitque sacrificia pro peccato fieri, ut à peccati pœnâ liberarentur. Id sonant ea verba : *Quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam;* 2 Machab., cap. 12, v. 45.

Reliqua obscura, et disputabilia in libris Machabæorum notata, quæ in Hæreticorum reprehensionem veniunt, quoniam facilè ex traditis præceptis intelliguntur et dissolvuntur, huc afferri non existimamus necessarium. Non possumus autem, quin duo adhuc tractemus, quibus propositis, atque intellectis, hanc quæstionem absolvisse meritò putabimus. Primum est magnâ de Antiochi Epiphanis morte inter auctorem libri primi et secundi : imò verò et auctoris libri secundi à seipso dissensio. Libro enim 1, cap. 6, Antiochus in Babyloniam reversus in lecto suo jacens, auditâ suorum clade à Judæis acceptâ, præ animi mœrore et tristitiâ, quòd negotia regi superbissimo ex sententiâ non successissent, dicitur obiisse. Libro verò 2, cap. 1, percussus cecidisse membratim cæsus cum suis in Perside in templo Naneæ, quo sacra expilaturus venerat, deceptus consilio sacerdotum Deæ ministrantium. Iterùm cap. 9, mortuus ex diro viscerum dolore fœtens, et scatens vermibus ex gravi corporis collisione, quod de agitato vehementiùs curru in itinere prope Ecbatanam cecidisset, vindictam spirans, animoque volvens Judaici populi exterminium. Meherclè nisi pluries mortem obierit Antiochus, inquit hæreticus, non potuit diverso mortis genere interire.

Alterum est de Machabæorum factis, quorum utriusque libri auctor est laudator effusus. Quæ autem est unquàm ita Mathathiæ, Judæ, fratrumque tanta commendatio, quòd populum Judaicum à sævâ regum Syrorum, crudâque tyrannide, à servitute liberârint? Necesse erat imperio subjectos, quales erant Machabæi, omnia potiùs mala perferre, et mortem obire, si eripere se ab eâ non potuissent, quàm principis vim apertâ vi repellere, quod nusquàm licet. Cùm verò audaciùs obstiterint, seditionem concitârint, ad arma vocârint, à rege desciverint, jugum exuerint, quâ in re pessimo exemplo sunt subditis detrectandi principis, cùm se pressos sentiunt, quis est, qui homines servitutis impatientes efferat laudibus, quasi religionis studium, et Dei honor promovere ad rebellionem honestè possit? Adde non minùs indignum esse, hominem totam spem suam in Deo collocantem, Deique præsidio munitum externa adjumenta quærere, quæ Lex vetat. Judas verò Deum adjutorem habens, ut fingitur, se in idololatrarum fidem commisit, Romanorum videlicet, cumque iis junxit iniqua fœdera, quo faciliùs Demetrio regi resisteret.

Resp. Quæ de Antiochi morte scripta sunt, si rectè intelligantur, non esse contraria; neque necesse est eorum probare sententias, qui non de eodem Antiocho Epiphane, sed vel de Antiocho Magno Epiphanis patre, vel de Antiocho Demetrii filio Sydete, alterove, quem Triphonem, seu Griphum dicunt, sermonem haberi in primo capite libri 2 arbitrantur. Itaque collectis simul omnibus, quæ de ejus morte in utroque libro referuntur, et quæ uno in loco desunt ex alio suppletis, rem ita Antiocho Epiphani accidisse puto. Antiochus cùm audivisset in Elymaidis provinciâ, sive Persepoli, in unâ scilicet ex Persarum urbibus templum esse Naneæ ditissimum, atque locupletissimum, eò se cum ingenti exercitu contulit thesauros direpturus, sive conjugium initurus cum deâ, et dotis nomine ablaturus quidquid illa divitiarum habuisset : hoc enim nomine reges quidam, atque imperatores Romani deinde templa expilârunt. Ingressus fidenter templum paucis stipatus, quomodò sacerdotes dolo suaserant, simulantes se deam tradituros in manus, et pecuniam dotalem daturos, dolo captus est. Nam protinùs occluso templo, apertoque occulto aditu (Græcè ἀνοίξαντες τὴν τοῦ φατνώματος χρυπτὴν θύραν, *apertoque laquearis occulto ostio*) pessimè exceptus est lapidibus, percussus, vulneratus vix ut, foribus fortassè inter pugnandum effractis, turpi fugâ elabi potuerit. In eo discrimine, qui cum rege sacrum Dianæ introierant, membratim divisi sunt, atque amputatis capitibus foras projecti; reliquus verò exercitus cæsus, fugatusque, multitudine ad arma ruente : at rex turpiter evaserat. Quamobrem iis verbis : *Cecidit in templo Naneæ... percusserunt ducem* (Græcè : Βάλλοντες πέτρους συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα καὶ μέλη ποίησαντες, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀφέλοντες τοῖς ἔξω παρέῤῥιψαν; fulminârunt lapidibus adversùs ducem, et membratim concisos amputatis capitibus his, qui extra erant, projecerunt) *et eos, qui cum ipso erant, diviserunt membratim*, lib. 2, cap. 1, v. 15 et 16, non occisum regem, sed suos cæsos, ipsumque profligatum significari putamus. Nam et cap. 14 Genes., Moses narrat regem Sodomæ in prælio cecidisse, quem mox viventem, atque Abrahæ occurrentem describit : et Daniel cap. 12, prædicens Romanos compulsuros Antiochum totâ Ægypto excedere, atque obsidionem, quâ premebat Ptolomæos Philometorem, et Evergeten solvere percussum iri à Romanis denuntiat vers. 30 : *Et venient super eum Trieres et Romani : et percutietur;* quia scilicet irrito conatu, fallacique spe superbientem Romani minis tantùm ab incœpto compescuerunt.

Itaque redeunti inglorio, saucio, et Babyloniam properanti occurrit nuntius, qui recta in Persiden perrexerat, ut illatam suis in Judæâ cladem nuntiaret, quo illic non reperto, circa Ecbatanam Mediæ in itinere regem convenit. Rex audito nuntio irâ percitus quòd omnes conatus irriti abiissent, præ languore in tristitiam incidit, et superbè adhuc loquens contra Hierosolymam, statuit de Judæis vindictam sumere; jubens

que currum agi properantiùs, de curru prolapsus, membrisque contusus, ingravescente morbo, è vivis ereptus est *in terrâ alienâ*, sive *peregrè in montibus*, ut lib. 1 Machab., cap. 6, et lib. 2, cap. 9, narratur, videlicet in montibus propè Ecbatanam Mediæ metropolin, cùm Babylonem reverteretur, procul ab Antiochiâ urbe regiâ vitam finiit. Non ergo concedendum est quod primo loco assumebatur, Antiochum in Babyloniâ extremum diem clausisse, quanquàm dicatur, post res in Perside malè actas : *Et reversus est in Babyloniam.* Nam Babylonem revertebatur quidem, ut in Græcis codicibus manifestiùs legitur : Ἀπῆρεν ἐκεῖθεν μετὰ λύπης μεγάλης ἀποστρέψας εἰς Βαβυλῶνα, *abscessit inde cum magno dolore Babylonem repetens;* sed nuntium in itinere accepit cladis suorum : quo accepto, cùm crevisset tristitia, et mœror, et maximæ animum angustiæ oppressissent, ægrotans periculosiùs è lapsu, iter non absolvit.

Hinc satis constare potest in tribus locis, ubi de morte agitur Antiochi, varietatem quamdam esse orationis; nullam verò repugnantiam. In primo loco sumpsit sibi auctor describere, quomodò Antiochus Eupator patri Epiphani in regno succedens res gesserit cum Judæis : eâ re et finem vitæ patris paucis complexus est, quem tristitia, timor, ira, conturbatio, conscientia maleficiorum confecerant. In secundo loco populus, qui Hierosolymis erat, Ægyptiis fratribus nuntiat Perside expulsum, saucium, vulneratum Antiochum, ac non tam mortem quàm mortis causam breviùs exponit, propter quam omnibus sit lætandum. Vel si velimus rem expedire citiùs, nosque ab omni negotio liberare, Judæi accepto simul nuntio cladis in templo Naneæ regi illatæ, et mortis, quæ cladem erat consecuta, crediderunt in Naneæ templo obtruncatum regem; et quemadmodùm acceperant, ita fratribus in Ægypto significârunt. In tertio loco separatim vix facto indicio cædis Syrorum in Persepoli, scriptor longiùs et distinctiùs pessimum Antiochi interitum pessimæ vitæ non discordem describit, nullis omissis adjunctis, quæ divinam ultionem manifestissimam facerent. Hæc tamen omnia in unam historiam conveniunt, neque alterum alteri adversatur.

Ad alterum responderi multa solent; ego verò unam hanc causam, eamque firmiorem insisto; nempe manifestè percipi ex omnibus et personarum, et rerum adjunctis, summos viros Machabæos divino instinctu, et afflatu suscepisse turpe jugum à se depellere, iisque in glorioso facinore adfuisse defensorem Deum. Neque dubitari potest fuisse utique servitutem passuros, quemadmodùm sui ipsorum patres sub Babyloniis, Persis, Syris superbissimis regibus sustinuerant, nisi Deus ipse intùs excitâsset; Deus, qui et urbem sanctam, et templum stare, et à Levitico genere Religionis officia exerceri, et populum suum neque deleri, neque patrum regionibus exterminari, neque sceptrum, qualecumque id esset, de Judâ auferri decreverat, usquedùm ipsemet totum fœdus abrogaret, urbem, et sanctam ædem exscinderet, populum perderet, postquàm contumaces Christum à se missum neci tradidissent. Itaque Mathathias primùm, inquit Cl. Bossuet, monito 5, ad epistolas Juriæi Calvinistæ, eodem spiritu impulsus, quo Phinees Israelitam Zambri filium Salomi, Machab. lib. 1, cap. 2, v. 26, Numer. cap. 25, v. 7, mucrone transfixit; quo Moses Ægyptium interfecit, Exod. cap. 2, v. 12, Actor. cap. 7, v. 24; quo Aod in viscera Eglon regis Moabitarum sicam condidit, Judic. cap. 3, v. 21; quo Jahel Sisaræ tempora clavo perforavit, atque in terrâ defixit, ibid. cap. 4, v. 21; quo Judith denique Holophernem obtruncavit, Judith cap. 13, v. 10: eodem incensus Mathathias Judæum immolantem idolis, tum virum ab Antiocho missum, qui cogebat immolare, trucidavit, Machab. lib. 1, cap. 2, v. 24 et 25, clamavitque voce magnâ : *Qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me*, vers. 27. Multi consecuti sunt virum legis observatores, præclara suæ in Deum pietatis, et fortitudinis in tuendis patriis legibus signa dederunt, jamque *prosperatum est opus in manibus eorum, et obtinuerunt legem de manibus gentium, et de manibus regum : et non dederunt cornu peccatori*, vers. 47 et 48.

Porrò in eo Mathathiæ tum consilio, tum facto non furentis animi æstum, sed mirificum quemdam divinum afflatum cernimus, cujusmodi sæpè se prodiderat in eximiis olim viris legis defensoribus. Nulla unquàm deinde fuit in justis, integris, religiosis ejus moribus dissimilitudo, retinuitque ipse toto vitæ suæ tempore eamdem animi dignitatem, quâ visus est, Deo auctore, agere veterum prophetarum simillimus, adeò ut moriens, quasi testamento præscripserit quid Deus à filiis reposceret, quæve ipsorum esset munera, delegeritque ex iis alterum præsertim qui consilium daret, alterum qui bellum gereret, divinam tutelam, felicemque rei exitum pollicitus. Nec defuêre prodigia quæ eam mentem à Deo datam Mathathiæ declarârunt. Etenim cùm pugnaret Judas, *apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis..... ducatum Judæis præstantes.... in adversarios tela et fulmina jaciebant;* cæsi autem sunt de Timothei Syrorum ductoris exercitu viginti millia quingenti, et sexcenti equites, lib. 2, cap. 10, v. 29, et seq. Iterùm rogante Judâ Deum, *ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel... apparuit præcedens eos eques in veste candidâ*, ibid. cap. 11, v. 6 et 8 : tantas verò strages hostium Judæi fecerunt, ut et Lysias intellexerit *invictos esse Hebræos omnipotentis Dei auxilio innitentes*, vers. 13. Visus est præterea Judæ in somniis propheta Dei Jeremias gladium aureum sibi porrigens dicere : *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel*, cap. 15, v. 16, reque ipsâ victoriæ à Judâ relatæ divinum visum comprobârunt, divinumque ei brachium præbitum. Ineptissimè autem dicerent hæretici, se divinis iis signis non adhibere fidem, quod narrentur in libro non canonico, de quo est controversia. Nam plus fidei, vel ipsorum judicio, ei libro tribuendum est, quàm profano ulli scripto. Deinde si ex quibus libris petunt ipsi quæ opponant, ex iisdem refellantur, justior esse non potest nostra defensio. Aut igitur historiam totam repudient, quam

repudiare certè non possunt; aut hoc pariter fateantur, Deum, qui Machabæos in potestate regis Syriæ esse priùs voluerat, voluisse posteà ereptos, iisque animum et vim, quâ se à servitute eriperent, divinitùs indidisse.

In postremo argumento non moror. Quidam fœdus Judæ cum Romanis improbant, ac notant non æquè feliciter Judæorum duci res cessisse post eam amicitiæ, et societatis conjunctionem : quinimò desertum à multis suorum in prælio cecidisse, quod primum commisit : at plerisque videtur Machabæi consilium non reprehendendum. Etverò numquid tentandus est Deus ab iis, qui spem suam in eo posuerunt, et negligenda humana subsidia, quæ divina eadem Providentia suppeditat? aut laudabile principi non erat populi sui quieti consulere, et injecto hostibus metu socii in potentissimi, qui jam Epiphanis patrem à vexandis Ægyptiis coercuerat, eorum compescere nocendi intolerabilem voluntatem? Honestissima causa erat petendæ Romanorum amicitiæ, ut Græcorum jugum auferretur : jugum, quo non tam in capite fortunisque Judæorum dominabantur, sed et veram Religionem prorsùs exstinguebant. De Romanorum verò naturali quâdam æquitate, et probitate morali magna erat apud omnes gentes opinio; nihil ergo impediebat quominùs secundùm Deum ab iis Judas auxilium rogaret. Satiùsne fuisse, dicent, aut Græcis servire, à quibus in idololatriam pertrahebatur; aut opprimi totum Abrahæ genus, quàm cum Romanis jungi societate permittentibus quemque suis legibus vivere, et de Religione molestiam exhibentibus nemini? Objurgavit quidem Hanani propheta Asa regem Juda, quòd Benadad regem Syriæ in auxilium vocaverit; sed et illud dixit : *Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo*, lib. 2 Paralip., cap. 16, v. 7. Succensuit quoque Jeremias Sedeciæ regi, qui Ægyptios acciverat, Jerem. cap. 37, v. 6, verùm et perjurus rex erat, fidemque Nabuchodonosori fefellerat, et contra explicatam Dei voluntatem nitebatur, jubentis Sedeciam se atque urbem Babyloniis dedere. In Judæ autem fœdere tale aliquid non deprehendimus, non susceptum impietatis patrocinium, non offensionem ullam, non legis interdictum. Denique in Genesi, in libris Regum legitur Abrahamum, Davidem fœdus fecisse cum infidelibus; quo exemplo tectum Judam in causâ pariter justâ nemo non videt.

Quæ ad duos Machabæorum libros attinent, hactenùs : nunc de tertio et quarto pauca dicamus, ne videamur has reliquias omninò prætermisisse. Præter Canonicos enim, de quibus dictum est, Machabaicos libros, tertius et quartus vulgati sunt eodem Machabæorum nomine. Et tertius quidem, si quam fidem haberet, et auctoritatem anteponi deberet cæteris : res enim continet à Judæis Alexandrinis fortiter pro patrum Religione gestas sub Ptolomæo Philopatore, priusquàm Judæ Machabæi nomen clarescerct : ut ex hoc quoque intelligatur nullo modo Machabæorum titulum ei libro convenire, qui neque de Machabæis, neque de rebus eorum ætate gestis quidquam habet; sed propterea Machabaicis esse librum adjectum, quod in Christianorum cognitionem tum venerit, cùm jam duo Machabæorum libri in honore ab Ecclesiis habebantur. Quartus autem, si uspiam nunc totus atque integer inveniretur, ad Machabaicos justiore de causâ pertineret : in eo enim de sacerdotio Joannis Hircani filii Simonis unius ex Machabæis fratribus scribitur : si hallucinatus quidem non est Sixtus Senensis, Græci cujusdam manuscripti laudator, et Le Jay ex Arabicâ historiâ quartum Machabæorum librum visus sibi expressisse.

Ex istis duobus libris primus in apostolico canone 84, inter sacros Libros computatur : à Theodoreto pariter in vers. 7, capitis 11, Danielis, ab auctore Synopseos, à Nicephoro archiepiscopo Constantinopolitano in fine Chronographiæ cum aliis duobus Machabaicis postmodùm ab Ecclesiâ probatis conjungitur; atque in eodem censu habetur à quibusdam aliis Græcæ præsertim Ecclesiæ Patribus. Sed latini Patres, quem nunquàm laudàrunt, visi sunt omninò librum ignorare : nunc verò uno et Græcorum et Latinorum consensu ponitur inter apocryphos, eos nimirùm, qui à Scripturarum sacrarum dignitate longè absunt, licèt humanæ historiæ fidem non amiserint.

Alter multò recentiùs Ecclesiæ innotuit : imò veriùs, ignoratur quid sibi velint eruditi, dùm de quarto Machabæorum libro disputant, qui jamdudùm ne inter apocrypha quidem nusquàm invenitur. Verùmtamen sive ignoti auctoris historiam de sacerdotio Joannis Hircani litteris reapsè traditam; sive Josephi librum *de Imperio rationis* quartum Machabæorum olim Patres nonnulli vocaverint, certè nunquàm aut Ecclesia, aut Patres separatim iis laudibus librum exceperunt, quibus reliquos Scripturarum. Eusebius enim, Demonst. Evang., lib. 8, cap. 3, et Hieronymus in Danielis caput 9, Judaicam historiam è primo Machabæorum libro ad obitum usque Simonis prosecuti, dum de Joanne Hircano scribere pergunt, quartum librum silentio prætereunt, quod argumento est, eos hujusmodi scriptum de Joannis sacerdotio latuisse. Qui verò librum de Imperio rationis pro quarto Machabæorum habuerunt, libro pluribus erroribus notato profectò divini nomen tribuere non potuerunt. Sed non vacat diutiùs de hâc causâ disserere. Et de veteris Testamenti libris satis dictum, deinceps ad novos transeamus.

DE NOVI TESTAMENTI LIBRIS.

DE VERITATE, INTEGRITATE, DIVINITATE, ET CANONICITATE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI.

Magnum cursum confecimus, expositis quæ ad veteris Testamenti Scripturas sive in genere, quod caput est omnium, sive in specie pertinebant; restat ut per singulos novi Fœderis libros diligentiùs excurramus. At quanquàm olim tractationi de Scripturarum divinitate commune initium fecerimus ad has quoque novi Testamenti accommodandum, ut videri possit

novo prooemio non egere orationem nostram, modò in hunc locum ibi dicta transferantur; supervacaneum tamen non fore censuimus, si huc iterùm pauca congereremus, quæ propiùs ad hanc rem facerent, et magis appositè ad Apostolica scripta, quantùm decet, æstimanda sigillatim conferrent. Ad hoc nos etiam movit ea auditorum præsentia, quâ anno superiore carebamus, quibus cùm institutiones illas nostras non tradiderimus, velimus autem æquè esse consultum, ratio postulat ut novis præceptis consulamus. Itaque ne in exordio sermonis ab instituto nostro abstrahamur, paucis complecti decrevimus quæ de modo quem Apostoli in scribendo tenuerunt, de veritate novæ legis, de integritate, de sinceritate, de inspiratione præmuniri est consentaneum.

Christus Dominus non modò ipsemet doctrinam suam non tradidit litteris, sed ne præcepit quidem suis, ut quidquam perscriberent. Ii verò postquàm Magistri exemplo, quæ ab ipso audierant, quæque viderant, voce et verbis docuissent, ac confirmâssent prodigiis, singulari Dei providentiâ, divinoque instinctu cùm dicta Magistri et facta litteris consignârunt, quæ et exemplo vitæ essent Christianis, et perpetuò divinæ doctrinæ testimonio, tum datâ opportunitate epistolas ad Ecclesiarum institutionem dederunt. Matthæus quidem et Joannes Apostoli, quos sibi Christus Dominus comites adjunxerat, visa, atque à Christo audita; Marcus et Lucas accepta ab Apostolis scripto reliquerunt. Iterùm Lucas de primis fidelibus, de prædicatione Apostolorum, de vitâ Petri ac Pauli potissimùm multa testatus est in historiæ suæ volumine, quæ *Acta Apostolorum* inscribitur. Præterea Paulus à Jesu Christo edoctus, non ab hominibus, atque ad Ecclesiam ex gentibus coactam Christi legatione functus plures litteras scripsit; et scribendis pariter epistolis Petrus, Joannes, Jacobus et Juda dederunt operam, ut occasio tulit: nempe Fœderis novi doctrina, et Christi Jesu præcepta istorum Apostolorum scriptis continentur; quæ omnia claudit Joannes Apostolus prophetico libro, in quem arcana divinâ ex viso in Pathmos insulâ retulit.

Etsi verò Christus ipse nihil scripserit, immeritò fides Apostolis detraheretur de Magistri factis et sermone testantibus. Quid enim? inquiebat Augustinus contra Paganos de veritate Apostolicorum scriptorum dubitantes, quòd Christus à scribendo abstinuerit, quid? Pagani de Pythagoræ, de Socratis disciplinâ verbo traditâ discipulis scribentibus credunt; nos autem abnuemus fidem præbere Apostolis, qui de Christi Jesu vitâ et præceptis scripserunt? Num suspicabimur libros ab aliis scriptoribus suppositos Apostolorum nominibus falsò inscriptis? An eosdem olim sinceros à nativâ sinceritate excidisse? aut eos, qui scripserunt, mendaces esse, partium studio abreptos, fabulosos? aut falsos esse saltem, neque assecutos veram Christi factorum, dictorumque intelligentiam, deceptosque ipsos aliorum fuisse deceptores? Hæc quippe sunt, quæ commovere nos possent, ne vera omnia putaremus, quæ in codicibus novi fœderis inveniuntur: at nihil horum sanè est, quod fidem nostram infirmet, ut paucioribus expedimus.

Primò enim fieri non potest, ut suspicemur ignobiles quosdam, et obscuros auctores falsò nomina Apostolorum Evangeliis, Actibus, Epistolis inscripsisse, nisi velimus et de librorum quorumcumque auctoribus dubitare. Etenim quis unquàm scriptorum est, qui aut vetustioribus, aut firmioribus, patentioribusque monumentis demonstretur? Testantur Apostolorum opus esse quotquot eorum ætatem sunt consecuti, cùm eos tanquàm testes adhibuerint constantissimos dictorum, atque factorum Christi Jesu, ubi eorum auctoritate indigebant: testantur Christianæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ: testantur ipsimet libri, qui nullum præ se ferunt falsitatis aut suppositionis indicium; sed notas omnes habent antiquitatis et veritatis, quas in quolibet publico certæ fidei monumento postulemus. Nihil ibi historiæ contrarium; nihil hominum vivendi rationi, moribus, atque institutis; nihil temporum adjunctis, quod sanè frustra ab illis reposcimus, qui alienam personam induunt, etsi callidos versutosque fingamus. Dubitamusne, an plures sint, qui scripserint? an ad scribendum omnes conspiraverint? At styli diversitate auctorum diversitas ostenditur, et loci quidam in specie repugnantes omnem removent conspirationis suspicionem. Prætereo in ipsis libris quiddam micare purum atque integrum, et quemdam esse veri nitorem, qui sui fidem indubiam facit. Prætereo Evangelia atque Epistolas, dum vita Apostolorum manebat, ad propiores atque remotiores Ecclesias manâsse, et rem non clam, neque in abdito, sed palam, atque in omnium oculis actam, quæ discerni facillimè potuerit. Prætereo Basilidianos, Marcionitas, Gnosticos nova Evangelia proferentes auctoritate ideò caruisse, et falsi convictos, quòd ab Apostolicis eorum scripta dissiderent. Quæ omnia si vel Religionis inimicus consideraverit, videritque sæpè de Græco, Latinoque scriptore ex unius hominis dicto, vel ex solâ styli comparatione dijudicari, non poterit, quin affirmet novi Testamenti libros ab Apostolorum manibus esse profectos, eorum dico, quibuscum Christus Jesus consilia sua communicavit.

Liceat hoc loco parumper digredi, antequàm Apostolicos libros à primâ integritate non defecisse ostendamus. Etsi enim Apostolorum Evangeliis sit inscriptus auctoris titulus, unde vel Matthæum, vel Marcum illud tradidisse monstretur; non statuimus tamen Matthæum, vel Marcum nomina sua inscripsisse; imò verò tam longè abest ut certâ ratione persuadeamur Evangelistas scriptis suis nomen præposuisse, ut potiùs prætermisisse censeamus. Cùm enim auctor ipse in operis initio se nominat; nomen in textum conjicit, quod Prophetæ et Paulus facere consueverunt, non separatim à reliquâ oratione, cujus cum titulo nomen præferente nulla conjunctio sit, ut in Evangeliorum initiis factum videmus. Præterea Marcus jam Evangelium suum exorsus ab iis verbis: *Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei*, non videtur alium

titulum præscribere voluisse *Sanctum Jesu Christi Evangelium secundùm Marcum*, ne nomine suo Evangelium vindicare sibi, quod Jesu Christi erat, videretur. Nihil de se locutos Evangelistas in capite Evangeliorum, Joannes Chrysostomus, Homil. 1 in Epist. ad Romanos, ne dubitat quidem, cùm ejus silentii causam tantummodò investiget. Ait, Mosen quinque legis librorum se scriptorem non dixisse; reticuisse nomen et cæteros post ipsum historicos; Matthæum, Joannem, Marcum, Lucam seipsos Evangeliorum initiis non compellâsse : è contrario Paulum epistolarum exordium à suomet nomine semper duxisse; excepta quam ad Hebæos dedit, ne odiosum jam nomen à lectione magis deterreret, quos maximè lectores esse cupiebat : tum hanc diversæ scribendi rationis causam esse dicit; illi scilicet præsentibus, iste absentibus scribebat, quare et iis supervacanea, et huic necessaria erat nominis inscriptio. Hinc non ex tituli præscriptione, sed ex veterum omnium Patrum atque Ecclesiarum consensu Apostolis scripta tribuimus, quarum testimonio eguissent adhuc tituli, ut facerent fidem, etiamsi ab Apostolis ipsis notatos diceremus. Nam quamvis Marcion, aut Basilides Joannis, vel Matthæi nomen Evangelio suo supposuisset, nihil tribuisset dignitatis operi, quam omnem Ecclesia Christi derogabat.

Revertamur jam ad propositum nostrum. Libros ab Apostolis acceptos integerrimè ad nos usque transmissos esse, par superioris ratio demonstrat. Nam dubio locus esse non potest quin ab ipsâ Evangeliorum, atque epistolarum apostolicarum editione Ecclesiæ illæ, apud quas Apostoli autographa deposuerant, codices nimirùm, quos propriâ manu descripserant, vel notariis adhibitis dictaverant, summâ cum religione ceu novæ legis authenticas tabulas diligentissimè servârint, eosque transcribendi copiam ultrò fidelibus fecerint. Si enim Tertulliani verba de præscriptione, cap. 36, interpretantes non fallimur, ipsius quoque ætate Apostolorum autographa ad hæreticos erroris convincendos proferebantur in Apostolicis Ecclesiis, *apud quas authenticæ litteræ eorum recitantur vocem unius cujusque sonantes.* Quòd si ex hoc loco colligi non posse videatur autographa ad Tertulliani usque tempora exstitisse (quia authenticas litteras etiam appellamus, quas publicâ auctoritate diligens notarius exscribit et signat : authenticas iterùm, et vocem unius cujusque sonantes, quæ eâdem linguâ transcriptæ sunt, quâ editæ) saltem quisque intelligit fieri non potuisse quin initio ab Apostolorum discipulis, ut inquit Eusebius lib. 3 Hist., cap. 37, à notariis, quibus id negotii commissum esset, exemplaria extraherentur ad publicos omnium Ecclesiarum usus, ac fidelium institutionem et confirmationem in fide. Illa verò ab Apostolicis Ecclesiis deprompta monumenta, si ullâ in re codicibus autographis discordâssent, quomodò aut ab Ecclesiis, unde ista manaverant, aut à fidelibus, sub quorum oculos illi venerant, ferri potuissent? Deinde quis putet amanuenses conspirare omnes in eamdem falsitatem potuisse, vel contradicente nemine, atque omnibus Ecclesiis tantam perversitatem dissimulantibus in totum orbem corrupta exemplaria vulgari, quasi aut vera exemplaria omnia jam periissent, aut communem Religionis causam omnes desererent? Quis Judæorum Ecclesiæ non objecisset doctrinæ mutationem? Quis hæreticorum temeritatem novas Scripturas comminiscentium compescuisset, nisi certò constitisset quas antiquiores Apostolorum litteras Christianus populus haberet? Quamobrem neque Apostolis viventibus, neque paulò post ipsorum excessum è vitâ potuit in sacros codices falsitas insinuari : testimonium enim veritati perpetuò perhibebant Clemens Romanus, Hermas, Polycarpus, Justinus, Irenæus, Ignatius, Athenagoras, aliique in Apostolicorum scriptorum lectione exercitati, qui ad posteros veram doctrinam ab Apostolis acceptam transmiserunt. Demum, quòd in omni causâ, in quâ de cujuspiam publici monumenti mutatione agitur, est gravissimum : majorane doctrinæ capita mutavit, qui primus sacros libros pervertit, an minutioribus quibusdam varietatem induxit? At hoc quorsùm? illud autem quomodò inter eos evenerit, qui in mediis periculis et cruciatibus cum vitæ detrimento antiquiorem Apostolorum disciplinam retinuerunt? Ex temporene, atque uno in loco; an vero temporis lapsu, locisque dissitis mutatum est quidquam? Verùm quid insolentius, quàm Christianos omnes ubique terrarum diffusos statum diem et locum constituisse, quo transmutatio fieri vellet impunè? Quidve repugnantius, quàm homines fingere locis, temporibus, vitâ, moribus, institutis, locutione distantes eodem nequitiæ spiritu percitos, qui sibi sumpserint et Apostolicos codices fœdare, et credentium animos dociles novitatis sibi paratos fore crediderint? Concludatur ergo nihil magis à rectâ ratione distare, quàm si dicatur Apostolorum scripta primam integritatis formam amisisse. Patet jam de eâ nos hactenùs locutos fœditate, quam studio, deditâque operâ, ac meditatò attulerint; non quæ inscitiâ, negligentiâ, animique avocatione ab incautis amanuensibus exciderit.

Tertiùm accedit, novi Testamenti scriptores nec de fabellis scribendis cogitâsse, nec falsos fuisse, nec aliis dolum fecisse. Non enim primò aut in suis litteris ludere, et tempus fallere voluerunt, aut otiosis scribere, ut negotium iis aliquod oblectando exhiberent. Scripta ipsa per se loquuntur, in quibus omnibus inest quidam sine ullo fuco veritatis color : sæpè repetunt vera se dicere quidquid gestum narrent, ingenuo, candido, simplici, humili utuntur stylo, qualem vera decent; non fucato, non excogitato, non arte elaborato; non poeticis pigmentis distinguere orationem student ad levandas curas, sed lectores ad res necessarias instituere, quas maximi referat non ignorari : tempus, locus, personæ, adjuncta sinceritatem quamdam exhibent ab omni fictione prorsùs abhorrentem. Neque, quod secundo loco divisimus, hallucinatio ulla cœpit Apostolos de Christi rebus, ejusque præceptis scribentes : Christi enim Jesu familiari consuetudine utebantur, ipsumque viderant, et docentem

audierant, vel ab iis saltem, quos ipse et comites, et testes sibi acciverat, quæcumque scripserunt, diligenter hauserant. Matthæus, Joannes, Petrus, Jacobus, Judas in Christi disciplinam aliquot annos se tradiderunt, quem totâ mente atque omni animo intuebantur: docti ii à magistro, ob id potissimùm ut docerent cæteros, lucemque orbi tenebris offuso afferrent, totos se adhibuerunt, ut altè animo infigerent tradita sibi præcepta; si quæ verò non essent assecuti, explanari sibi poscebant, perceptaque non patiebantur ampliùs ab animo discedere : quippe et suæ et aliorum saluti necessaria. Non poterant igitur Apostoli verba Christi Domini ignorare, veramque eorum intelligentiam non habere. Quòd si in documentis excipiendis falsi non sunt, multò minùs in errorem lapsi sunt, dùm res de factis, de miraculis erat. Potuissetne quis in eorum animum inducere paralyticis mobilitatem, et corporis usum, leprosis integritatem, claudis expeditam gradiendi vim, cæcis videndi copiam, mortuis vitam Christi virtute restitutam, Christumque ipsum è mortis vinculis propriâ vi se exemisse, nisi hæc omnia reapsè Christus effecisset? Marcum verò et Lucam, qui ab aliis didicerant oculatis testibus quidquid in eorum Evangeliis continetur, cur nemo ab errore liberavit, dum recens erat totius rei gestæ memoria, si falsa, si veritatis expertia tradiderunt? Quid porrò dicam de Paulo primùm exagitatore Christianorum acerrimo? Potuissetne vera deinceps credere, quæ priùs Christianæ legis hostis vana esset deliria, somnia, figmenta scivisset? Inepti prorsùs sunt, et indigni, quibus respondeatur, quotquot hisce argumentis reluctantur.

Paulatim eò delapsa est oratio nostra, quòd cætera hactenùs dicta complectitur, quòdque semel constitutum causam omnem veritatis librorum novi Testamenti continet, nempe ut probemus Apostolos neque voluisse, neque potuisse dolum struere posteritati, aut lectoribus imponere, iisve persuadere, quæ animo finxissent ipsimet, quæ excogitâssent, quæ ex ipsorum cerebro enata essent, cujus sceleris qui Apostolos pertinaciùs accusant, videntur nobis repugnandi libidine gravissimam insaniam insanire. Nam ut à capite exordiamur, tantæ deceptionis notam ut pluribus scriptoribus inurerent, necesse esset primùm ostendi eorum singulos dolosè aut malitiosè egisse, in iisque deprehendi indicia quædam obscuri hominis, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri, quibus vitiorum nominibus profectò nihil est in omnibus Apostolorum dictis et factis, quod opponatur magis. Etenim scripta satis declarant apertos, simplices, ingenuos, justos, bonos viros fuisse, sine dolo, simulantes nihil aut dissimulantes, nullam orationis vanitatem adhibentes, et, si licet dicere, ne tinctos quidem litteris. Item nemo improbè facit, nisi utilitatis, compendii, lucri, commodi, ambitionis, cupiditatis causâ fecerit; nisi multitudini charior esse voluerit, et popularem gratiam colligere, si fraus ad populum pertineat; nisi se impunè facturum speret et homines fraudem celaturum, ut falsa prudentia suggerit; nisi inscios et nihil mali cogitantes in errorem inducere, et fallere se posse judicaverit. Verùm nulla harum causarum fuit, quare Apostoli confingerent scribendo, et comminiscerentur. Quid enim utilitatis, aut honoris futurum sibi sperare poterant, cùm Jesu Christi historia à se conficta in omnium manus pervenisset? imò verò, quid non erat exspectandum laborum, insectationum, cruciatuum, suppliciorum? Nihil gloriosum, nihil prosperum pollicebatur Apostolis nova legislatio, quâ cupiditates coerceri, nihili fieri hominum gloriam, sperni divitias, corporis voluptates, vitæque commoda, injurias æquo animo et moderatè ferri; præ cæteris autem hominem externâ specie aliorum similem turpi morte peremptum Deum coli præcipiebatur : quo postremo odium atque invidiam suorum, gentilium, omniumque nationum contemptum in se provocabant, ut verè ipsi dixerint, Christum crucifixum Judæis scandalum esse; gentibus autem stultitiam.

Et ea quidem ipsa Apostolorum litteris comprehensa ejusmodi sunt, ut non dicam diutiùs, sed ne minimum quidem aut ignorari, aut latere potuissent, si falsa ii narrâssent. Res porrò vulgata, atque in omnium oculis posita agebatur; de prophetâ sermo erat Judæis notissimo, ac sæpè viso, qui in Judæâ palàm ad omnem populum verba de legis rebus habuerat, cujus fama omnem longè regionem pervaserat; qui insignibus prodigiis coram populo, qualem se dixerat, confirmabat; qui legis doctoribus ignorantiam legis, et violationem constanter objiciebat; qui accusatus à suis, captus, et Judææ procuratori traditus, sublatus in crucem est; paulòque post ad vitam seipsum revocans multis se videndum præbuit, seque in cœlos splendidissimâ luce circumfusus sustulit. Hæc verò nonne falsa et simulata patuissent quibus et locis et temporibus ea accidisse ferebatur, si uspiam in Apostolorum scriptis inveniretur mendacium? quâ ergo fronte, quove animo discipuli ea vulgâssent, quæ vulgi etiam judicio et testimonio refellebantur, aut putâssent se ei populo persuadere posse et docere, quem antea probè dedoctum noverant? Rursùm, credamusne plures tanti sceleris socios in eodem insinuando, et decipiendis hominibus perstituros, quin defatigatio, inedia, rerum omnium ad vitæ usum necessarium inopia, convicia, cruciatus, extremumque supplicium inde eos averterit, et de falsitatis præjudiciis ad veritatis confessionem deduxerit? Abeant increduli cum suis ineptiis.

Quid autem dico Apostolos sceleris socios ac si convenire studiosè potuissent, ut nos deciperent? Si usquàm conventum inter eos esset, nihil in narratione haberent discrepans, nulla, ne in specie quidem, sententiarum diversitas videretur, memoriæ non prodidissent nisi splendidiora quædam, et gloriosiora quæ in admirationem lectores raperent; contra verò abjectiora atque infirmiora in Christi historiâ diligenter celâssent. Cùm autem candidè, quæcumque pertinebant ad Jesum, sub oculos legentium subjecerint, vel id quod in contemptum atque in invidiam hominum à sensibus cogitationem non avocantium doctorem ejusque doctrinam adduxisset; cùm historiam eamdem

aliis et verbis et sententiis narraverint; cùmque singuli in quibusdam differre videantur, omnesque in eodem rei genere liberrimè versentur, dici potest voluntate símiles fuisse inter sese; non verò conjunctis studiis astutiam machinatos. Quanquàm Religionis natura, quam in hominum animos inspirare student, et vita, quam egerunt abstinenter, religiosè, integerrimè traditis à se morum legibus consentaneam, evidenti argumento est nullum in scribendo dolum eos fecisse. Cui rei et fidem addit immensa ab initio multitudo credentium non modò in Judæà, verùm etiam in cæteris orbis partibus, quæ susceptis divinis Libris inde legem accepit eò credibiliorem factam, et penè dixero firmiorem, quò deleri humanis offensationibus debuisset.

Mitto dicere Evangelistas mirum in modum cum paganis, cum Judæis res ejus ætatis scribentibus consentire. Non enim ab Apostolis tantùm didicimus Jesum quemdam novæ legis auctorem in Judæâ exstitisse, à Judæis postea neci traditum; sed Tacitum, Plinium, Suetonium, Lucianum ex gentilibus habemus comprobatores, et vel eos ipsos qui scriptis Christianum populum pupugerunt, hàc in re non habemus repugnantes. Procuratores verò Judææ et Principes in Novo Testamento commemoratos Josephus etiam in historiâ suâ nominat Quirinum, Pontium Pilatum, Festum, Felicem, Caipham, Herodem, Herodiadem, Agrippam. Quæ cùm ita sint, nihil esse potest causæ, cur mendacii aut calliditatis insimulemus Apostolos, qui Jesu Christi dicta et facta collegerunt. Dùm enim Apostolis testibus detrahere libido est, et de narratæ ab ipsis rei veritate litem movere, historias omnes necesse est dubias fieri, et maximarum cognitionum basin labefactari; dubitandum jam esset, an unquàm Julius Cæsar exstiterit, an Gallias occupaverit, an Pompeium gravem adversarium imperii sustulerit, an Bruti gladio ceciderit; quoniam hæc omnia non sunt ortu, vitâ, morte, factis Christi Domini testatiora. Si ergo ad veritatem velimus revocare rationem, et moralibus, ut aiunt, argumentis, de veritate librorum novi Testamenti disserere, confecta adeò res est, ut negari omninò nequeat verum esse quidquid in Apostolorum litteris traditur : quod argumenti genus si contra omnes incredulos vim magnam habet, habet certè maximam contra Judæos, qui licèt paribus argumentis, quantùm fieri potest, utantur ad veteris legis libros defendendos; non eò usque tamen illustrare causam suam valent, quò nos causæ nostræ veritatem perduximus. Quousque ergo audebunt dicere vera esse, quæ Moses, quæ prophetæ scripto reliquerunt : contra quæ Apostoli, falsa atque inania?

Jam si veritatem librorum novi Fœderis certam exploratamque habemus ex hactenùs dictis, quid restat, nisi et perspectam esse debere eorumdem divinitatem? Apostoli neque fallaciis, neque insidiis, neque dolo usi, bonâ fide, quod aliter esse non poterat ac constabat sibi, litteris consignârunt : verum ergo est, eos à Dei filio toti mundo doctores datos, à quibus iisdem homines et credendi acciperent præcepta et agendi. Verùm pariter in eorum animos Spiritum sanctum sensibili formâ illapsum ita eos divinâ gratiâ replevisse, ut in perceptâ Christi doctrinâ retinendâ firmiores essent, in eâque ad nationes cæteras traducendâ eloquentiores. Nam hæc ad eas facti res pertinent, in quibus nec fallere potuerunt, nec falli. Jesus quidem pollicitus erat se missurum veritatis Spiritum, qui omnia revocaret in mentem à se olim dicta, quique suggereret quid regibus, tyrannis, præsidibus urbium, provinciarum opus esset dici ad Religionis defensionem, cùm in judicium vocarentur. Promissis Christus stetit Pentecostis die, manifestâ adeò ratione, et signis sub omnium sensus adeò cadentibus, ut nemini dubium reliquerit, an ipse divinitùs Apostolorum mentes ageret. Delapso nimirùm Spiritu sub specie ignearum linguarum facultas loquendi diversa linguarum genera Apostolis data est, quâ in re neque ipsi, nec qui aderant ullâ opinione errare potuerunt; aderant autem magno numero, igneas flammas perspiciebant, Apostolum quemque et discipulum ignoratas antea linguas illicò edoctum mirabantur; neque nova modò idiomata loquentem, verùm etiam novam doctrinam miraculis confirmantem. Novo enim munere cumulati Apostoli, et eloquiorum sancti Spiritûs pleni constanti fervidoque animo, quidquid immissum in mentem erat, effundere cœperunt, non suum, sed Jesu Christi verbum eloqui; neque se, sed sanctum Spiritum id dicere testantes; quod et Paulus se Jesu Christi manifestatione, non hominum disciplinâ eruditum declarans multis comprobavit. Non potuisset autem accidere, ut unum esset omnium et docendi et dicendi genus, nisi ab uno divino Spiritu omnes agerentur.

In Christi ergo doctrinâ propagandâ atque edendis miraculis impulsorem, adjutorem, effectorem habuerunt Apostoli Deum : quidni igitur et Deus scribentibus adfuerit? Deseruitne Christus patrocinio suo homines à se delectos, cùm ea scriberent, quæ perpetua futura erant divinæ doctrinæ monumenta, et præscripta Christianis omnibus fidei ac morum regula? quanta consecuta unquàm fuisset in Religione perturbatio? quanta hominum vitæ allata pernicies? quàm anceps ambiguumque credentium judicium, si humano ingenio, non divino auxilio freti Ecclesiarum magistri præcepta scripto tradere suscepissent? quòve abiisset Christi promissio perstituram ad finem usque seculorum Ecclesiam? Itaque oportuit scribentes ope Dei non destitui, ne magistrorum error in errorem et cæteros abriperet; ne Ecclesia scissionis atque interitûs periculum subiret; ne Christus vana dixisse videretur. Ad hæc si petita ex ipsis libris divinitatis indicia adjunxerimus, nihil erit credibilius, nihil planius, quàm novi Testamenti libros esse, afflante Deo, conscriptos. Nempe sunt et suæ in Apostolicis libris rerum futurarum prædictiones, certissima argumenta divinæ voluntatis declaratæ scriptoribus; prædictiones, inquam, cùm antea editos fuisse libros palam sit, quàm ea evenirent, quæ eventura designabantur. Nam cùm scriptorum mors omnem rei eventum antecesserit, quis pro certo non teneat, eventa posteriora esse

editione librorum? Sunt autem illa proximum supremumque Hierosolymæ excidium, Judaici populi cæcitas, aperta vis, futura tamen irrita, infidelium contra Christianos, Evangelii propagatio in universas terras, fideique stabilitas, hæreseon futura satio tanquàm zizaniorum in agro triticeo, aliaque id genus in Apostolicis libris prædicta, quæ ut Christi divinitatem, sic Deum scriptoribus adfuisse demonstrant. De reliquâ doctrinâ libris iisdem comprehensâ non dissero longiùs; satis prædicari verbis non potest, quanta sit præstantia, dignitas, nobilitas, sublimitas, omnia philosophorum severioris disciplinæ præcepta, omnem naturæ cognitionem, omnem humanam cogitationem, et sapientiam adeò superans, ut planè quisque sentiat non modò à rudibus et ignaris litterarum; verùm etiam ne ab eruditissimis quidem sine divinâ ope ad tantum scientiæ gradum perveniri potuisse.

His omnibus de causis perpetuò vetustioris Ecclesiæ testimonio firmata est Apostolicorum librorum auctoritas. Etenim vel ab initio omnes orbis Ecclesiæ Apostolorum libris tantùm tribuerunt, quantùm divinis tribui posset, judicioque suo ostenderunt quantùm Apostoli à reliquis scriptoribus distarent, quidve ipsos ac cæteros interesset; Apostolicos quidem libros, ut totius veritatis fontes, fidei et morum regulas, auctoritate maximos, ac ne in minimâ quidem re dubitabiles susceperunt; alios verò, etsi ab eruditis piisque hominibus conscriptos pari non habuerunt in honore; adeò ut illis quidquam addere vel detrahere religio esset: his sine piaculo quædam fieret vel accessio vel ademptio. Unde tam diversum de utrisque libris manavit judicium, nisi quia alios humano ingenio, alios divino numine afflante scriptos semper crediderunt? Quod sanè Ecclesiæ judicium tanti faciendum est, ut majoris fieri nullum aut debeat aut possit. Quomodò enim, Ecclesiæ traditione sublatâ, constaret libris ullis certam fidei nostræ rationem contineri, vel ab hominibus, Dei Spiritu moderante, saluti nostræ consulentibus esse profectos? Traditio codices, Apostolorum nomine inscriptos, apostolicos esse docet; Traditio antiquiores Patres atque Ecclesias communi consensione in agnoscendis Apostolorum scriptis concordes commonstrat; Traditio singulare quoddam opus, Deo protegente, editum secernit à reliquis solâ hominum industriâ compositis: quippe cùm illud peculiare volumen Ecclesia acceperit ab iis qui compositores fuerunt, et deinceps pro sacro semper habuerit, idque Traditio testetur, in eâ nos opinione confirmat, Deum à scriptore non recessisse, cùm illud scriberet. Quod argumentum qui infirmum putat, rapitur omni vento doctrinæ, neque certum habet locum, in quo consistat. Proposuissentne Apostoli, eorumve discipuli fideli populo libros, ad quos fidem et mores suos conformaret vocem sancti Spiritûs sonantes, si in eos Spiritus sanctus nihil divinæ operæ contulisset? aut adhibuisset ne Ecclesia reverentiam traditis sibi libris ut plenis eloquiorum sancti Spiritûs, nisi testes fide dignissimi, cujusmodi erant Apostoli, vel Apostolorum discipuli de summâ doctrinæ dignitate certiorem fecissent? Frustra ergo, post diligentiam olim in probandis sacris Libris adhibitam, quis à nobis postularet probari sibi aliâ ratione librorum divinitatem.

Verùm dicet aliquis: Valerent hæc fortassè de proto-canonicis libris dicta, qui Apostolorum atque Ecclesiæ magistrorum perpetuo testimonio confirmati dicuntur; non valent autem certè cùm deutero-canonicorum causa defenditur, quos jacuisse ab initio in tenebris, vel saltem adductos in controversiam, ubi auctoritas disputabatur, ignorare non possumus. Quomodò enim epistolam Pauli ad Hebræos, epistolam Judæ, secundam et tertiam Joannis, etc., divinam esse ex perpetuitate probetur, si ad quæstionem de harum epistolarum veritate propositam traduci perpetuitas ista non potest?

Equidem, fateor, non adeò manifesta illicò fuit omnibus deutero-canonicorum librorum origo, quin comprobatione quâdam egerent; non minùs tamen lapsu temporis patuit, quàm illa proto-canonicorum ex tempore veluti patuerit. Quamobrem si proto-canonicis ideò summum honorem deferimus, quod Apostolicos esse statim, aut brevi constiterit; deutero-canonicos pariter maximo esse in honore convenit, quòd deinde compertum sit ab Apostolis omnes ad Ecclesiam pervenisse. En verò quâ ratione fieri potuerit, ut alii ociùs, alii seriùs ab Ecclesiis probarentur, quanquàm eosdem auctores habuerint. In Pauli Epistolâ ad Romanos primum ponamus exemplum. Cùm Paulus epistolam illam misit iis quidem qui acceperunt, qui aderant scribenti, qui Paulum audierunt dicentem se scripsisse, explorata res erat; cæteris autem ignorata esse tùm debuit. Deinceps sumptis pluribus epistolæ exemplis diffusa in viciniores ac remotiores Ecclesias est; quare et notior evasit, et multò plures sunt facti certiores; demùm adeò pervulgatum est Paulum scriptorem fuisse, ut ad summum perducta cognitio sit, ut ignorare nemò posset epistolam ab Apostolo datam, cui Ecclesiæ omnes testimonium perhibebant. Utique, ut certam veritatis notitiam fideles omnes assequerentur, cunctandum aliquantisper fuit, donec et nuntium, et epistolæ exemplar perferretur; quo fideliter allato desitum est vel nesciri vel dubitari. Hâc ratione proto-canonici libri dignitatem brevi obtinuerunt. Sed Epistola, ex. gr., ad Hebræos scripta, tacito scriptoris nomine, seriùs habere approbationem debuit, nec nisi post longiorem dubitationem, quæ sublata postmodum est, vulgato eorum testimonio, qui receperant, qui attulerant, qui Pauli consilium cognoverant; tum verò quia pauciorum fides erat, neque adeò publica, uti de reliquis Apostoli scriptis, rem diligentiùs atque accuratiùs perpendi oportuit, antequàm probaretur. Iterùm ejus rei notitia ociùs ad quasdam Ecclesias delata, tardiùs ad alias pervenit: igitur necesse fuit istas diutiùs in ignoratione versari, quin tamen prior ignoratio exploratæ postea cognitioni officeret.

Rursùs epistola ad singulares homines missa, cujusmodi est secunda et tertia Joannis, altera Electæ, altera Gaio inscripta neque eo celebrari modo potuit,

neque Ecclesiis propagari, quo cæteræ ad illustriores Ecclesias datæ. Tempus erat opus, et diligentia, ut privata, penè dixero, scriptura in publicam lucem prodiret, ut ab Apostolo consignata sine ullâ hæsitatione crederetur, ut omnibus pateret Ecclesiis. Neque enim tanta primùm fuit properatio et sollicitudo conquirendi quæ privatos homines quàm quæ publicam fidelium societatem spectare putabantur. Denique si locus quidam ullius epistolæ vel difficilior ad intelligendum, ut in Epistolâ ad Hebræos, in Apocalypsi Joannis, vel habens aliquid offensionis, et aliis Scripturarum locis discordans videretur, ut in Judæ occurrit Epistolâ, cohiberi assensum priùs opportunum erat, quem, re exploratâ, expeditis nodis, monumenti antiquitate manifestatâ, constitit deinde esse præstandum. Quemadmodùm enim profanorum auctorum operibus accidisse scimus, quæ dubia primùm coævo etiam scriptori visa, deinceps verò aut ex styli unitate, aut novis quorumdam testimoniis, aut veteribus manuscriptis aut illustratis obscurioribus agnita suis auctoribus certò tributa sunt; ita quædam Apostolorum scripta, non omnibus à principio Ecclesiis probata, consequente ætate recepta sunt, eoque consensu canonicam auctoritatem obtinuerunt, quam nunquàm habuissent, nisi diffusâ luce quidquid tenebricosum erat, fuisset depulsum.

In hunc ferè modum propositam sibi quæstionem dissolvit Anglus quidam scriptor in suâ Dissertatione *de Sufficientiâ revelationis* tomo 2 inclusâ operis *Propugnatio pro Religione cùm naturæ tum revelationis* inscripti, quod ante paucos annos ex Anglico in Gallicum sermonem translatum prodiit. Opponit ipse non paucos libros in novi Testamenti canone nunc describi, quos Christianæ omnes Ecclesiæ ab origine non susceperant, scilicet epistolam ad Hebræos, epistolam Jacobi, Judæ, alteram Petri, etc. Respondet autem se id non diffiteri; sed inanem scrupulum esse, non rem intricatam. Nam ut indubitatum est ex firmis probationibus, quas antiquitas suppeditat, eos libros remotissimis temporibus ab Ecclesiis, aut viris ad quos missi erant, atque in universum à totâ Græcâ Ecclesiâ fuisse susceptos; sic mirandum non est scripta quædam aut ad Christianos per orbem diffusos aut ad privatos homines datâ vel non ita citò, vel difficiliùs, vel minore consensione Christianorum omnium approbationem habuisse, quàm libros ejusdem dignitatis, quos Apostoli ad stabiles Ecclesias scripserant, ob id in publicum protinùs vulgatos. Certum pariter esse ait, Ecclesias ipsas, quæ primùm de scripti auctoritate dubitaverant, tandem in suscipiendo consensisse, quod planè non fecerunt, nisi ductæ momentis causisque gravioribus atque authenticis, quas commodum utique ipsis fuit penitiùs vestigare, inspicere atque accuratiùs expendere. Porrò si quis putaret primos Christianos sine ullâ discussione approbâsse ut divinitùs inspiratos libros quoslibet de historiis, de miraculis scriptos, modò sumi inde præcepta morum possunt, næ esset ille primis fidelibus maximè injuriosus. Etverò quo prætereà uti opus esset argumento, ut confutaretur, quàm isto ipso quod opponitur? Si primi Christi fideles plus æquò creduli fuissent, undenam factum esset, ut quædam Ecclesiæ aliquos ex nostris sacris Libris nollent in Canonem recipere? aut quare eò usque distulissent susceptionem, quò eorum originem ac dignitatem confirmare omninò possent? Hæc vir à nostrâ et Catholicorum societate sejunctus.

Veterum ergo testimonium et antiquiorum Ecclesiarum fides in causâ fuit, ut Epistola ad Hebræos, epistolæ Joannis, epistola Petri et Judæ susciperentur, eademque planè causa est propter quam recipiendos cæteros libros diximus, etsi interdùm patentior causa fuerit, interdùm ignoratior. Ut enim si cum quibusdam principiis quæ axiomata Græci vocant, necessariam conclusionum quarumdam connexionem citiùs cernas, quàm aliarum, quæ magis tum distare videbantur, postquàm, adhibitis tempore et diligentiâ, harum idem nexus deprehenditur: sic non minùs tenendum est Joannis, Petri et Judæ apostolicas esse et divinas, cùm judicaverit Ecclesia maturo judicio ab Apostolis compositas, quàm Epistolam ad Romanos, licèt hæc illicò judicium Ecclesiæ obtinuerit, illæ serò ad Ecclesiarum notitiam devenerint. Hâc ratione Hieronymus in Prologo galeato cùm dixisset Judæ Epistolam, quòd in eâ de libro Enoch qui apocryphus est, assumatur testimonium, à plerisque rejici, adjecit; *tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, et inter sanctas Scripturas computatur.* Atque hæc de novæ Legis scripturis in genere dicta sint satis.

ARTICULUS PRIMUS.

De quatuor Evangeliis in genere; et sigillatim de Evangelio S. Matthæi.

Antequàm de Evangelio secundùm Matthæum dissero, nomen Evangelii, Evangeliorum numerum, ordinemque explicandum censeo. Εὐαγγέλιον Græcè, bonum faustumque nuntium latinè redditur, quod certè nobis allatum est novi Fœderis annuntiatione. Verùm Apostoli Christique discipuli pressiùs hoc nomine facta Jesu Christi, et dicta memoratu dignissima significârunt; imò verò historiam et susceptam à se doctrinæ Christi prædicationem notare voluerunt. Primo sensu Jesu Christi vitam et præcepta dicimus *Evangelium pacis, Evangelium regni Dei;* altero *Evangelium Jesu Christi filii Dei*, ut Marcus ait, vel *Evangelium Apostolorum*, facta nimirùm et dicta, historiamque divinæ Christi Domini vitæ et præceptorum sive credenti sive agendi; unde et Evangelistarum nomen iis primò tributum est qui Christum annuntiarent veræ felicitatis bonorumque omnium auctorem, quive Christi documenta communicarent cum populo. Sic Philippus Diaconus, Actor. cap. 8, Evangelistæ cognomen habuit, et Paulus ad Timotheum 2, cap. 4, v. 5, ait: *Opus fac Evangelistæ;* deinceps verò cœptum est eos Evangelistas dici, qui historiam actorum Christi verbis, et factis constantem complexi essent, vel conciones habitas de factis et dictis Magistri, cœlestique ipsius disciplinâ scripto consignâssent. Quamobrem cùm

quatuor probatæ auctoritatis historici id agere susceperint, Evangelia quatuor ad nos transmissa tenemus, et quatuor pariter Evangelistas numeramus. Etsi enim ab initio multi scripserint quæ ab Apostolis audierant, vel quæ rumor à Hierosolymis, à Judæâ, à Galilæâ de Christo detulerat; tamen Patres atque Ecclesia, quorum semper fuit prudens, sincerum incorruptumque judicium, non susceperunt nisi quæ Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes ediderant: cætera verò, vel quòd scripta ab iis essent qui carerent auctoritate, vel quòd vitium haberent, aut nunquàm probaverunt, aut funditùs repudiàrunt. Irenæus, lib. 3 advers. hæres., cap. 11 de quatuor Evangeliis loquens, inquit: *Neque autem plura numero, quàm hæc sunt; neque rursùs pauciora*; ea verò esse quatuor firmissimas columnas, quibus inniteretur Ecclesia, et tantâ valere auctoritate ut vel ea ad tuendos errores suos hæretici abuterentur. Clemens Alexandrinus, lib. 3, Strom., Cassianum hæreticum refellens, qui sententias quasdam ab Evangelio secundùm Ægyptios sumptas objecerat, ait, se tutò posse fidem detrahere oppositis sibi sententiis, quia in quatuor Evangeliis traditione confirmatis desunt. Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et cæteri Patres quatuor ista Evangelia, inter multa quæ circumferebantur, Ecclesiam veterem agnovisse dicunt, quod istis tantùm scribendis Spiritus sanctus opem suam attulerit. Hinc Patres ferè omnes, qui sæpè solent conjecturis investigare, cur quidpiam ita sit, ut esse firmâ fide creditur, ad quaternarium numerum causas quasdam abditas accommodant. Irenæus ut quatuor partibus mundus continetur, à quarum singulis flant venti quatuor principes; ita decuisse, ait, quatuor exstare Evangelia columnarum instar et flatuum vitæ, quæ Ecclesiam sustinerent, et perpetuò animarum vitam foverent. Augustinus, ut in quatuor mundi partes Ecclesia diffunditur, sic congruere quatuor esse Evangelia. Hieronymus quatuor fluminibus è Paradiso manantibus ad irrigandam terram; quatuor angulis, ut et ansulis, quibus compacta erat arca fœderis, et suspensa, quatuor Ecclesiæ Evangelia comparat. Alii quatuor elementis, quibus res omnes corporeæ constant et coalescunt: quæ etsi allegoricè inventa et dicta, atque ad similitudinem traducta parùm soliditatis habeant ad causam numeri inveniendam, valent tamen, ut Evangelistarum, atque Evangeliorum numerus certò definiatur; quemadmodùm et symbola quatuor animantium trahentium currum Ezechieli visum, et Joanni rursùs in Apocalypsi, cap. 9, apparentium, hominis scilicet, leonis, bovis et aquilæ, omnibus sanctis Patribus ideò Evangelistæ visi sunt, quòd jam certò tenerent eo numero Evangelistas comprehendi; licèt deinde inter se non conveniant, quisnam Evangelistarum leonis potiùs quàm aquilæ speciem referat.

Libros verò Evangeliorum, quo ordine videmus in codicibus collocatos, eodem et scriptos esse creditur: quâ enim ratione alter Evangelistarum prior altero scripsit, eâ majores nostri disposuerunt Evangelia. Matthæum quidem cæteris in scribendo præstitisse tam certum est, ut vix ulla traditio esse possit certior Græcorum et Latinorum Patrum communibus sententiis probata, contra quam inconsultò Beza, et deinde Basnagius et Clericus opponunt testimonium Lucæ initio Evangelii dicentis, ideò se assecutum omnia diligenter voluisse de Christi rebus scribere, *quoniam multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum;* quo ex loco, inquit Beza, omnes ante se scriptores reprehendit Lucas tanquàm ignorantes veritatem, et pertrahentes in errorem, quorum imprudens audacia compulerat se novum opus aggredi. At profectò quis non videat ejus reprehensionis expertem non fore Matthæum, ipsumque unà cum cæteris ignorantiæ vel negligentiæ accusari, si quidem Matthæus Evangelium in manus fidelium jam tradidisset? Ergo non modo Matthæus, sed ne ullus quidem Christi discipulus ante Lucam consilium scribendi cœperat. Inconsultò, inquam, et temerè Lucæ testimonio abutitur: non enim omnibus detraxit Lucas, si ullum quidem castigare scriptorem voluit; sed iis qui imprudenter cœperant rerum historiam describere, quas non satis habebant exploratas, unde et infectam reliquerunt, vel falsis quibusdam Apostolis Paulo magistro suo contrariis, qui falsis Evangeliis per eos locos disseminatis, ubi Paulus docuerat, disciplinæ fructum perdere per invidiam tentabant. Quocirca Baronius ad annum Christi 58, ait: *Pseudo-Apostolos, et pseudo-scriptores his sugillatos verbis à Lucâ firma est Patrum sententia.* Matthæi verò et Marci Evangelio posterius esse illud Lucæ, ne rem quidem disputabilem Patres putàrunt, sed certissimam, adeò ut Maldonatus Bezam confutans non alio quàm firmæ traditionis argumento hæreticum erroris convicerit. Cæterùm iis non assentior qui, ut scriptores omnes Evangeliorum Lucæ cognitos à Lucâ reprehendi pertinaciùs defendant, in animum sibi inducunt vel Matthæi Evangelium linguâ Syriacâ scriptum nondùm Græcè redditum fuisse, vel in eos locos, ubi Fidelium rogatu suum Lucas edidit, nondùm delatum. Sed hâc de re iterùm suo loco.

Matthæus igitur, ne à proposito egrediamur, qui primus omnium Evangelium litteris tradidit, primum locum obtinet; deinde Marcus, Lucas et Joannes succedunt, quorum alterum altero prius eidem operi incubuisse traditio docuit. Hunc enim disponendorum Evangeliorum morem secutas Orientis Ecclesias ad designationem ordinis, quo quisque Evangelistarum scripserit, auctor est Origenes apud Eusebium, Histor. lib. 6, cap. 25, quem et Eusebius ex traditione acceptum probat, et Hieronymus posteà tenuit. Non fuit ista quidem una et constantissima ratio digerendi acta Evangelistarum, ut secundo loco Marcus, tertio Lucas, quarto Joannes describeretur. Nam codex Cantabrigensis, codex alter olim Hilario, item et Vercellensis Divo Eusebio magno scriptori tributus (hunc autem codicem, cùm juniores theologiæ dabamus operam non modò vidimus, sed et versavimus, et propè vindicavimus ab interitu; summâ nimirùm diligentiâ exscripsimus detritum et consumptum fermè vetustate

membranaceum librum multis jam in locis omninò corrosum, et characteres magnâ ex parte abrasos, deletos, vix apparentes extraximus; sed et oculorum nobis erat sensus acerrimus, et lineolarum vestigia, tanquàm fossulæ atque alvei, quæ sive scriptoris stylus reliquerat, sive tenacius atramentum exedendo fecerat, litterarum formam attentiùs inspicientibus indicabant. Dedimus autem exemplar iis per quos Romam ad clarissimum virum Josephum Blanchinum Veronensem, cujus rogatu opus susceperamus; deinde Mediolanum ad Iricum veterum monumentorum scientem allatum est) post Matthæum habet Joannem, deinde Lucam, sive Lucanum, postremo loco Marcum. Verùm in istis codicibus ratio dignitatis apostolicæ effecit, ut Matthæo Joannes accederet, suusque primùm Apostolis, deinde apostolicis viris esset locus; ex Apostolicis verò ille præponeretur, qui fusiorem orationem habuerat, atque alterum scripti magnitudine superaverat. Neque enim hactenùs auditus est, qui diceret Joannem Marco, et Lucæ scribendi ordine præstitisse. Induxit autem fortassè quosdam recedere à communi usu disponendi Evangelia auctoritas Constitutionum Apostolicarum, lib. 2, cap. 57, de legendis sacris Libris in Ecclesiæ conventu : *Diaconus, vel presbyter legat Evangelia, quæ ego Matthæus et Joannes vobis tradidimus, et quæ auditores Pauli Lucas et Marcus accepta reliquerunt vobis.*

Quanquàm autem Matthæum scribendo anteivisse, cæteros verò Evangelistas suo quemque ordine, ut propiùs alter alteri successit, collocatos esse compertum habeamus; certum tamen tempus quo scriptum vel suæ vel aliorum Apostolorum doctrinæ monumentum reliquerunt, omninò ignoratur. Vulgatiorem eam quorumdam Patrum sententiam video, quam notæ antiquis Græcis manuscriptis adjectæ confirmant, Matthæum anno octavo, Marcum decimo, Lucam decimo quinto, Joannem trigesimo à Christi Domini ascensione Evangelium descripsisse. Sed tantùm tribuere non possumus manuscriptorum fidei, nisi et credere vellemus notas fuisse primigeniis Evangeliorum exemplaribus appositas, quod tamen veritatis similitudine caret. Deinde illa annorum designatio non convenit cum reliquis, quæ de Marco, de Lucâ, de Joanne Patres tradiderunt. Verùm omittamus jam de cæteris Evangelistis dicere, de quibus suo loco atque ad unum Matthæum orationem convertamus.

Auctor operis imperfecti in Matthæum tradit Hebræos Hierosolymitanis ad Christi fidem traductis, antequàm Pellam secederent, cupientibus sibi scripto dari apostolicæ institutionis epitomen, Matthæum evangelicas litteras consignâsse; sed cùm inter omnes non constet quo tempore Pellam se receperint primi fideles Hierosolymitani, Nazaræi appellati, atque an unâ profectione omnes urbe excesserint, nihil ex eâ vulgò Chrysostomi opinione possumus affirmare. Irenæus, lib. 3, cap. 1, Matthæum ante Evangelistas cæteros Evangelii scripturam edidisse consentit; adjungit tamen, *cùm Petrus et Paulus Romæ evangelizarent, et fundarent Ecclesiam;* quod si verum esset, anno ferè sexagesimo secundo æræ Christianæ, aut sexagesimo tertio Matthæi Evangelium scriptum dici oporteret, quâ in re à cæteris Patribus discederemus. Nicephorus, et auctor chronologiæ Alexandrinæ anno decimo quinto à Christi Domini passione Matthæum putant historiam actorum Christi tradidisse fidelibus; verùm et id maximè egeret probatione ut approbaretur; ex quibus cognoscitur definiri non posse statum tempus quo Evangelistæ historias suas vulgaverint, atque unicè illud constare, quod et Grotius in caput primum Lucæ adnotavit, primas deferendas esse Matthæo : nam contrarium asserenti *refragatur vetustissimus librorum ordo apud omnes nationes; refragatur traditio vetus Irenæo et Tertulliano testibus suffulta.*

Nunc ad rem nostram propiùs veniamus. Matthæus Christi Domini Apostolus pro Judæis, qui in Christum crediderant, ne, ipso absente, obliviscerentur eorum quæ docuerat, fidei christianæ præcepta, et Christi Domini actiones complexus est libro, quem *Evangelium* appellârunt. Se unum ex Apostolis fuisse à Christo accitum prope Capharnaum, dùm ad telonium sederet publicanus officio, cap. 9 Evangelii sui, vers. 9, narrat : *Et cùm transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi : « Sequere me. »* Marcus et Lucas vocationem ipsam hominis conductoris publicorum, sedentis ad mensam describunt; sed alter *Levi*, alter *Levi Alphæi* nomine hominem appellant : quia verò et locus, et tempus, et adjuncta cætera narrationis sunt inter se consentanea, inde concludunt Patres duplex nomen fuisse ei vectigalium redemptori, alterum *Levi*, quo vocaretur, antequàm Christo Domino se adjunxisset, alterum *Matthæi* inditum, postquàm se in Christi disciplinam tradidit. Non enim Grotio assentiri possumus, qui à Levi Matthæum distinguit, et duos à Christo vocatos arbitratur; nam tres Evangelistæ aiunt Christum, paralytici curatione perfectâ, exiisse Capharnao ad oram maritimam : in urbis egressu, ubi esse publicanorum mensæ solebant, incidisse in publicanum sedentem ad mensam, jussisse ut se consequeretur; eum hominem vicissim, dimisso statim officio, venisse ad Jesum, rogâsse ut apud se diverteret, atque in domo suâ prandium parâsse, ad quod multi publicanorum convenerant, eâque de causâ Pharisæos murmurandi occasionem nactos eam Magistri cum publicanis et peccatoribus societatem ac familiaritatem discipulis exprobrâsse. Si ergo in reliquis omnibus summa trium Evangelistarum consensio est, atque in uno hominis sedentis nomine appellando differre videntur, satius multò est duplici nomine nuncupatum hominem dicere, quàm duos ad arbitrium homines animo fingere. Nec prodest Grotio Heracleonem antiquum scriptorem, cujus testimonio Clemens Alexandrinus usus est, id quod ipse probat, sentire; aut Origenem in libris contra Celsum negare numerari in Apostolis Levi; aut à Marco et Lucâ nullibi telonarium illum Matthæum, uti à Matthæo nusquàm Levi nominari. Nam eorum Patrum auctoritas majus haberet momentum, si aut rem diligentiùs perpendissent, aut proba-

bilioribus causis permoti suam sententiam defendissent: cùm verò sola nominis diversitas eos fefellerit, nos auctoritas non movet. Origenes sanè utrumque affirmavit, quippe in præfatione in Epistolam ad Romanos notat hominem à Marco et Lucâ appellatum Levi non alium esse à Matthæo; ex quo perspicuum est nullâ certâ ratione fretum aliter alibi sensisse. Marcus verò et Lucas Christi Apostolum veteri nomine appellare voluerunt, ejusque famæ consulere (erat enim publicanorum officium odiosissimum), reticentes Matthæum publicorum fuisse conductorem; Matthæus contra maluit et se ipsum et officium suum manifestare, ut in suâ animi demissione major esset divinæ misericordiæ prædicatio, quæ peccatorem ad se traxerat.

Matthæus iste, sive Levi Alphæi inter Apostolos cooptatus testis actionum Christi atque ascensionis in cœlos, Spiritu sancto accepto, in Judæâ priùs apostolico functus est ministerio, quàm in alias provincias sibi sorte datas migraret. Ibi annuntiato per aliquot annos Dei verbo, rogatu Judæorum, qui Hierosolymam et finitimos locos incolebant, Evangelium composuit, eâque linguâ scripsit quam incolæ loquebantur, Hebraicâ nimirùm, sive Syriacâ; idque est potissimùm, in quo versari debet oratio nostra, et latiùs excurrere. Nam gravior quæstio de Matthæi Evangelio excitata ea est: quo idiomate Matthæus scribendo sit usus. Verùm si antiquiorum Patrum sententiis et auctoritate finiatur, ut finienda sanè est, nullus dubito, quin Hebraico seu Syro-Chaldaico sermone scripserit. Papias enim, Irenæus, Origenes, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, Auctor Synopseos Athanasio tributæ Matthæum Hebraicâ linguâ locutum omnes docuerunt, ex quibus paucorum sententias seligimus, quas proferamus. Papias, qui cum Apostolorum discipulis vixit, apud Eusebium, lib. 3 Histor., cap. 39. ait: *Matthæus quidem hebraico sermone divina scripsit oracula; interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit.* Irenæus, lib. 3, advers. hæres., cap. 1: *Ita Matthæus in Hebræis ipsorum linguâ scripturam edidit Evangelii.* Origenes apud Eusebium, lib. 6, cap. 25: *Primum scilicet Evangelium scriptum esse à Matthæo, priùs quidem publicano postea verò Apostolo Jesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit.* Eusebius, lib. 3, cap. 24: *Nam Matthæus, cùm Hebræis priùs fidem publicâsset, inde ad alias quoque gentes profecturus Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illis quos relinquebat supplevit.* Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 14: *Matthæus scribens Evangelium, linguâ hebraicâ illud scripsit.* Hieronymus præfatione in quatuor Evangelia: *excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæâ Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit.* Et in libro de Viris illustribus: *Matthæus, qui et Levi ex publicano Apostolus primus in Judæâ propter eos qui ex circumcisione crediderant Evangelium Christi, Hebraicis litteris verbisque composuit, quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est.* Quæ Epiphanius, hæresi 29, de Nazaræis, Chrysostomus, homil. 1 in Matth., Augustinus, de consensu Evang., lib. 1 cap. 2; auctor commentarii in Matthæum apud Chrysostomum in Prologo, et Homiliæ 1 initio, ut alios prætercam, perspicuè adeò confirmant, ut maximæ temeritatis sit tot gravissimis auctoribus non assentiri. Sunt tamen plerùmque ex Protestantium grege, qui metuentes ne divinitati Evangelii Græci detrahatur, si Græcum apographum esse fateamur et traductum, malunt, re non satis exploratâ, sine duce novitatem probare, quàm ad Patres rationem quoque proferentes accedere.

Sed priusquàm eorum cavillationibus respondeo, qui ab Erasmo hunc errorem hauserunt, illud nunc explicandum est, an Hebraicus sermo, quo usum Matthæum Patres testantur, ille idem sit à sacris veteris Testamenti scriptoribus, à prophetis usurpatus; an verò Chaldaicus sive Syriacus, qualem Hebræi in Palæstinâ loquebantur, ex Hebraico et Chaldaico profectus, et ex utroque compositus; nempe et tertia ista sermonis species potest Hebraicum idioma vocari, quod in ore Hebræorum versetur, ut etiamnùm Hebraicum dicimus, quod inter fauces à nostratibus Hebræis pronuntiatur, etiamsi Rabbinicum, Thalmudicum, ex variis vocibus Arabum, Chaldæorum, Syrorum multiplex et coagmentatum sit. Porrò nobis videtur tam manifestum velle Patres Syro-Chaldaici sermonis, non autem purioris Hebraici meminisse, ut nihil esse possit illustrius. Inquiunt enim primò, Matthæum Hebræorum causâ Judæam incolentium, eorumque precibus impulsum historiam dominicæ vitæ, mortis et doctrinæ composuisse; quis verò nesciat Hebræos tum Syriacâ linguâ locutos? Rursùs Irenæus atque Eusebius aiunt populari Hebræorum idiomate, et propriâ Judæorum in Judæâ commorantium linguâ, *propriâ dialecto, patriâ linguâ*, Apostolum historiam elaborâsse. Interciderat autem jamdiù usus Hebraicè loquendi, cui alter Syriacæ locutionis successerat. Causa pariter, propter quam scriptum est à Matthæo, postulabat communi Judæis linguâ conscribi, ut scilicet absente Apostolo annuntiata sibi vitæ præcepta neophyti legerent, neque memoriâ elaberentur verba quæ iis per aures demissa erant, Matthæus Evangelium scriptum reliquit: quo ergo sermone Judæis familiari habita est ab Apostolo concio, eodem est et tradita litteris. Denique Hieronymus, Comment. lib. 2, in caput 12 Matthæi, ait quosdam putare Evangelium Nazaræorum esse autographum Matthæi Evangelium: *In Evangelio quo utuntur Nazaræi et Ebionitæ, quod nuper in Græcum sermonem transtulimus, quod vocatur à plerisque Matthæi authenticum;* hanc autem opinionem non refutat, quam Epiphanius hæresi 29, de Nazaræis loquens probavit: *Habent autem Matthæi Evangelium absolutissimum Hebraicè.* Atverò, lib. 3 adversùs Pelagium, S. doctor Nazaræorum Evangelium Syro-Chaldaicâ linguâ agnovit exaratum: *In Evangelio juxta Hebræos, quod chaldaico quidem, syroque sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque*

hodiè Nazaræi; ergo primigenium Matthæi volumen necesse est fateri descriptum non antiquâ Hebraicâ linguâ, sed recentiore, quæ ex Chaldaicis Syrisque vocibus in eamdem orationem conjunctis manaverat. Quod cùm constet inter doctos, dummodò id maneat, appellet qui velit, Hebraicum, Syriacum, Chaldaicum arbitratu suo, per nos licet.

Nam quòd Isaacus Vossius malæ causæ patronus, ut errorem errore novo defenderet contra omnium antiquorum fidem pertinaciùs pugnavit, Hebræos omnes superioribus etiam Christo Jesu temporibus in totâ Palæstinâ, non aliter, quàm Græcâ linguâ instructos, absurdius est, et tanto viro turpius. Quid enim in Scripturis cùm novi, tum veteris Testamenti tam clarum quàm propriam Judæos linguam retinuisse, eaque diversa ab usu gentium, inter quas versabantur, cum suis collocutos? Capite 7, lib. 2, Machabæorum mater et septem filii fratres Antiocho Epiphani vim facienti ut à lege recederent, Græcè respondebant quidem; at sermonem ad se invicem habebant patrium, Chaldaicum videlicet, seu Syriacum; vers. 21, de matre ait sacer scriptor: *Singulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter;* et vers. 27: *Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patriâ voce: Fili mi.....* Quid est autem hæc *vox patria*, nisi sermo Judæorum proprius, qui Hierosolymis vigebat? Non intercidisse verò ibidem Josephi ætate eum loquendi usum, ipsemet præfatione in Antiquitates Judaicas affirmat, inquiens, se propterea diutiùs gentis suæ historiam scribere distulisse, quàm in eam cogitationem venerat, quòd in Græcâ extraneâ linguâ difficulter sensus suos eloqueretur; et præfatione libri de bello Judaico, cùm se Hebraicâ gente Hierosolymis natum dicat ex sacerdotali genere, patriam linguam Chaldaicam linguam nominat. Nunc verò sive qui volet eam linguam Chaldaicam cum Josepho dicere, per me appellet, licet; sive Syriacam appellare malit, non impediam, dummodò non erremus nominis ambiguitate, atque hoc constet quâdam dialecto Chaldaicâ, quali utebantur Syri, Hebraicis quibusdam vocabulis intexta Judæos tum effari consuevisse: quod Evangelistæ omnes exemplis quibusdam relictis notârunt.

Lucas enim, Actor. cap. 1, v. 19, agrum à Judæis emptum pretio, quod Judas projecerat, inquit appellatum *linguâ eorum, Haceldama;* sive ut habet Græcus textus, *propriâ dialecto ipsorum;* vox autem illa Syriaca est. Voces quoque *Betzaida, Golgotha, Gabbata, Talita*, quas S. Joannes dicit Hebraicè Judæis usitatas, sunt Syriacæ. Ex titulo pariter cruci præfixo Græcè, Hebraicè et Latinè perspicitur, tria hæc idiomata in urbe Hierosolymâ vulgò in usu fuisse, Hebraicum indigenis, advenis Græcum et Latinum. Item Christus Dominus in cruce exspirans Syriacè ad Patrem suum ea verba habuit Eli, Eli, sive ut Marcus refert, *Eloi, Eloi, lamma sabacthani?* neque alium sermonem antea locutus videtur. Simili modo Paulus Apostolus, Actor. cap. 21, v. 40: *Annuit manus ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est linguâ Hebrææ:* Et vers. 2, sequentis capitis: *Cùm audîsset autem quia hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.* Atque ut omnia concludamus, Tribunus Paulum interrogat Actor. cap. 21, v. 37, an Græcum sermonem calleat: *Græcè nôsti?* At insulsa fuisset interrogatio, si Hebræi Hierosolymitani omnes non aliud, quàm Græcum idioma loquerentur. Quæ cùm ita sint, satis constare arbitror, cùm linguâ Hebræis familiari Matthæus præcepta quæ voce dederat, scripto relinquere voluerit, Syriacâ Evangelium suum tractâsse.

In his omnibus majorum auctoritate primùm, ut videtis, tum magno rationum pondere confirmatis, Erasmus audacior fuit adversarius, imperitus ipse quidem orientalium linguarum, sed Œcolampadio iis in rebus parùm se doctiori habens fidem, ut propterea meritò Jacobus Stunica in adnotationibus suis graviores ei errores objiciat. Cajetanus pariter et Hebraici, et Græci ignarus eloquii Erasmo se adjunxit, ejus errores corrigere propter linguarum ignorationem ineptus, sed hi à Catholicis ferè omnibus deserti hæreticos quosdam approbatores et sectatores habuerunt, veritos, ut diximus, ne verum Matthæi Evangelium apud nos non exstaret, quoniam Syriacum producere non possumus. Istorum argumenta omnia collegit atque amplificavit Matthias Flacius Illyricus, Lutheri et Melancthonis discipulus, Præfatione in Evangelium S. Matthæi, quorum nunc vim et naturam consideramus. Ait iste hæreticus multa Hebraica vocabula *Gogultho, Haceldama, Betzaida. Eloi, Eloi, lamma sabacthani* in Matthæi Evangelio in aliam linguam notiorem traducta reperiri, omnemque horum obscuriorum verborum significationem aliis verbis clarioribus ostendi; atqui ea exponere non potuit auctor, qui Syriacè scripsit, nisi velimus Syriacum Syriaco æquè obscuro posse illustrari, quod est absurdius; vel Apostolum Hebraicè scribentem interpretationem Græcam ad quædam verba adjunxisse, quod credibile non est; auctor ergo Græcè scribens Syriaca verba quædam solùm retinuit, quorum interpretationem attulit eâ linguâ, quâ totum opus composuit; quod ni ita sit, et interpreti potiùs majorem rei explicationem tribuere mallemus, cur non omnia Syriaca verba ille nominaverit, et singulis Græcam significationem non adjunxerit? Item videtur Latinas nonnullas voces in Matthæi Evangelio assumi, quas Græcus auctor non omninò ignarus latinitatis usurpare potuit, non Hebræus à Latino sermone distantior, ut est lusus ille verborum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, qui non nisi à Græco scriptore inventus est, cùm in Syriaco atque Hebraico idiomate nulla nominum similitudo lapidem inter et Petrum sit.

Hæc prima Illyrici ratio vana est. Ergone Moses Græcè scripsit, quia sæpè in libris legis Hebraicorum vocabulorum interpretationes afferuntur, Genes. cap. 31, v. 48, *Galaad*, id est, *tumulus testis;* cap. 35, v. 18, *Benoni*, id est, *filius doloris mei;* Exod. cap. 12, v. 11, *Phase*, id est, *transitus Domini;* et cap. 16, v. 15, *Manhù, quid est hoc?* ut multos alios veteris Testamenti locos prætercam? Hæc scilicet omnia primùm Græcus, postea Latinus interpres explicuit, ne

ignoraret lector causam quare ita appellata sint vel locus, vel res, vel persona quorum nomina integra retinuerat. Interpretes enim solent illustriora quædam nomina aut propria aut appellativa non immutare, additâ quidem interpretatione, ut vel Grotius annotationibus in Matthæum advertit : *Solemne est omnibus scriptoribus etiam interpretibus vocabula peregrina notabiliora servare integra: sed addito interpretamento, quod aliquoties etiam factum videmus à Senibus septuaginta.* Quod si ita est, quid esse credibilius potest, quàm Græcum Matthæi interpretem nonnullas istiusmodi voces servâsse, ut propria nomina cognosceremus personarum et rerum de quibus sermo erat, et præterea quid valerent significâsse? *Emmanuel*, *Golgotha*, *Haceldama* propria sunt nomina et personæ, et rei; retineri ergo illa debuerunt et explicari. *Eloi*, *Eloi*, describenda similiter erant, ut deceptos Eliæ nominis similitudine auditores cruci adstantes facilè intelligeremus; cùm contra, tacitis Syriacis verbis, consequi non potuissemus quomodò vocatum à Christo Eliam credidissent. Omnia autem Syriaca vocabula non debuit, neque potuit Græcus interpres eodem modo cùm exscribere, tùm explicare, quod fuisset contra usitatam interpretandi rationem, et ab usu septuaginta Senum nimiùm abhorrens. Reliqua leviora sunt, quàm ut responsionem postulent. Latina nomina vel Græca Latino colore illita ab interprete similiter assumpta sunt; lusus verò inter vocem *Petrum* et *Petram* ideò manet in interpretationibus Græcâ et Latinâ, quòd nomen Syriacum כיפא *Cipho*, vel *Cepha*, quod Simoni filio Jonæ Christus imposuerat, lapidem significat, illudque Πετρὸσ Græcus reddidit: non enim credendum est à Christo Domino Græcum nomen Πετρὸς inditum; sed Syriacum, quo linguæ genere utebatur.

Pergit Illyricus urgere infirmam esse Patrum auctoritatem : nemo Patrum viderat Hebraicum Matthæi Evangelium autographum; eàque unicè ratione moti Hebraicis litteris ab Apostolo traditum crediderunt, quòd Nazaræi illo uterentur. At quàm imbecillum est unquàm istud Patrum argumentum! Nazaræorum Evangelium purissimo græco, quod habemus, discrepabat, eratque illud corruptissimum; quamobrem Origenes, Hieronymus, Epiphanius, qui Hebraicum Matthæi exemplar summis laudibus extulerant, illud Nazaræorum ut perversum abjecerunt. Nullo ergo fundamento innixi Patres ex nudâ conjecturâ Hebraicas fuisse Matthæi scripturas primùm statuerunt: quam opinionem deinde rebus suis incommodam sentientes deseruêre, rejectis omnibus Hebraicis exemplaribus apocryphis, ut Græca purgatiora sequerentur.

Injuriosum sanè id est Patribus inculpatis Traditionis testibus, perinde ac si, quod dubium erat, quale esset suâ voluntate constitutum esse voluerint : non patiemur autem Illyricum, aut ullos hæreticos non ex eo quod apertissimè scriptum est, sed ex eo quod suæ causæ convenit, Patrum auctoritatem metiri. Quis persuasit hæreticus, Papiam atque Irenæum Patrum vetustissimos sincerum Matthæi autographum non vidisse? quis causas propter quas Matthæus scripsit, et rationem, ac modum quæ in scribendo tenuit, excogitatas à Patribus ad libitum nullius emolumenti causâ impudens accusabit? Moderatior sanè Hugo Grotius auctoritati et rationi concedendum esse putavit, atque argumentum inde petitum non minùs fidenter, ac nos in caput primum Matthæi promovit : *Par credi est scriptam ab eo evangelicam historiam eo sermone qui eâ in regione frequentabatur. Nam quod quidam magno conatu probatum eunt, græcum id quod habemus, esse ipsius Matthæi primitivum, in eo nullis justis de causis maximam piæ antiquitatis consensionem repudiant : nam Papias, Irenæus, Origenes, atque alii, quibus ejus rei veritatem, quam nobis, exquirere promptius fuit, pro comperto tradiderunt, scripsisse Matthæum Hebraicè.....* Prosequitur deinde et hæreticis Novatoribus respondere, et de Nazaræis usis Matthæi codice dicere.

Sed demus Nazaræorum Evangelio adductos Patres in suam illam sententiam concedere. Parvumne illud momentum judicabimus, si recto quidem judicio rem expendamus? Equidem ab initio illibatum erat, quale à Matthæo acceperant, Nazaræorum Evangelium. Qui enim primò ab Apostolo ad Christi fidem conversi Hierosolymis Judæi sunt, ab eodem postulaverunt sibi scripto relinqui præcepta doctrinæ quam didicerant; acceptum gentili linguâ et diligentissimè custoditum usque ad Hierosolymitani excidii tempora, Pellam secum detulerunt, Palæstinæ urbem, quò se receperant, antequàm Romanorum copiis Hierosolymæ obsiderentur. Plerique deinde istorum Beræam Syriæ urbem habitatum profecti, legis Mosaicæ cæremonias cum Christi Domini præceptis conjungendas arbitrati, atque à Christianis reliquis secedentes, Sectæ originem fecerunt Nazaræorum nomine, quæ deinceps in Ebionitarum hæresim partim descivit. A Nazaræis de Syro Chaldaico exemplari Matthæi nihil abrasum est; imò verò additæ potiùs bonâ fide narrationes quædam nihil erroris continentes ab Apostolorum discipulis per traditionem acceptæ, quas veras existimabant, et quidam Ecclesiæ Patres similiter crediderunt : Ebionitæ autem ad arbitrium pro suorum errorum tuitione detruncârunt, corruperunt, adulterârunt, atque inter cætera, ne Christum Dominum humanum corpus de Virgine sumpsisse fateri cogerentur, genealogiam sustulerunt.

Ex his quæ apud antiquos constantissima sunt facilè intelligitur quomodò Origenes, Hieronymus, Epiphanius Hebraicas Matthæi scripturas, præsertim quibus Nazaræi utebantur, summis laudibus prædicaverint, ut Epiphanius non dubitaverit dicere Nazaræos habere Evangelium Hebraicum Matthæi plenissimum : *Habent autem Evangelium secundùm Matthæum plenissimum;* et Hieronymus non nullas difficiles quæstiones solverit usu lectionis Nazaræorum Evangelii, et probatione. Nam si omnia, quæ Græco in Evangelio priùs translato ex Hebraicis litteris, quàm à Nazaræis editiones aliquot fierent, eâdem fide reperiebantur, cur maximam auctoritatem non obtineret? Si præterea additiones illæ à probatissimis Patribus

etiam agnoscebantur ex traditione Apostolicâ ad se derivatæ, cur accusandum erat omninò illud Evangelium, atque abjiciendum totum, quanquàm ferenda non esset illorum audacia, qui temerarias manus in divinum opus injecerant, et quæ Matthæus non scripserat, quibusdam in locis inseruerant? Distinguebat profectò suis temporibus præsertim Hieronymus divina atque humana, quæ primùm Matthæus, quæ deinde Nazaræi scripsissent, poteratque constanter affirmare illud esse Matthæi Evangelium ab omnibus accessionibus purgatum, quas Hebræi illi ex parte tantùm Christiani fecerant. Quia verò totus, qualem illi auxerant, divinus codex non erat neque ab Ecclesiâ probatus; Ebionitarum autem præcipuè multis in locis corruptus: ideò cùm S. doctor, tùm alii Patres apocryphum alibi meritò judicàrunt. Itaque fluctuans non est sanctorum Patrumdoctrina, neque instabili fundamento innixa; sed utraque pro variâ et temporum et personarum, et libri ipsius ratione ac consideratione valens.

Atque hâc sive rei totius narratione sive distinctione, alia quoque, quæ videntur officere huic nostræ causæ, propulsabimus; cujusmodi illud est quod cum Illyrico quidam exaggerant, fieri scilicet non potuisse ut exemplar Matthæi prorsùs interiret, siquidem Hebraicum illud Evangelista tradidisset; item et illud nunquàm eventurum fore, ut codice Hebraico soli hæretici uterentur, si Ecclesia credidisset aliquando Hebraicis litteris Matthæum scriptas institutiones suas reliquisse. Id ut perspiciatur, consideremus primos qui Hierosolymis Christi præcepta sunt secuti, non diù à reliquis disjunctos perstitisse; sed per varias terræ partes dispersos cum gentilibus Græcè loquentibus Christi fidem pariter amplexis consuevisse. Consideremus quoque post Hierosolymorum eversionem, vel in ipsâ Judæâ, usitatiorem Syro-Chaldaico evasisse Græcum sermonem. Cum igitur primi illi qui omninò, quantùm Christi lex præcipiebat, à Mosaicis institutis recesserant, Græcis permixti Græca exemplaria adhiberi in Ecclesiâ, legi, ab omnibus teneri cernerent, negligentiùs jam, quasi inutile esset suum ipsorum exemplar, apud se habere cœperunt, et paulatim intercidente Chaldaicè sive Syriacè loquendi usu passi sunt et librum interire, quem fideliter Græcè redditum et vulgatiorem factum multò utilius sibi explanabant Ecclesiæ pastores. Accessit ad hoc et Nazaræos, qui primigenio exemplari unicè delectabantur, omnibus Ecclesiis gentium fide coalitis tum fuisse odiosissimos, ut majus nullum, quàm contra Nazaræos, odium exarserit; quod cùm ita esset, fieri non potuit, quin Syro-Chaldaicum exemplar despiceretur ab initio; postea verò ignoratione linguæ omninò periret. Alterum falsum est solis hæreticis primùm in usu fuisse Syro-Chaldaicas Matthæi scripturas: nam primi fideles Hierosolymitani injuriâ in hæreticis numerantur, quod Christi Domini legem cum legalium cæremoniarum observatione conjunxerint, si omnes quidem retinendam et veterem legem putàrunt; quod sanè absurdum est dicere. Turpe scilicet esset atque indecorum primos Fideles in nascentem Ecclesiam nuper adscriptos ob id solùm hæreseos accusare, quòd ad Christi fidem adjungenda sibi esse Mosaica præcepta existimarent. Errabant certè; sed condonandum erat iis temporibus quibus mortua quidem lex erat; at mortem non afferebat colentibus; condonandum, inquam, hominibus ex Judæorum sinu in Ecclesiam translatis, quod et Christum et Apostolos observâsse viderant; quamobrem cùm ii Chaldaicos codices legerent, à fidelibus utique Chaldaici legebantur. Postea verò quàm alienum omninò fuit à verâ Religione Mosaicis institutis vacare, soli quidem hæretici ad publica ministeria chaldaicum Evangelium adhibebant: atverò ab Ecclesiæ Patribus, qui essent in linguarum cognitione versati, non respuebatur, ubi cum Græcis codicibus sine ullâ corruptionis suspicione à primo illibato desumptis conveniret.

Sed iterùm pugnat Illyricus: divinæ Providentiæ intererat doctrinæ Christianæ fontem nunquàm exarescere; intererat continuò effluere, atque illimem, et inturbatum manere; si ergo Matthæus hebraicè scripsisset, haberemus etiamnùm, et multò prius habuissent Ecclesiæ Patres Matthæi Evangelium in eâ integritate, quâ ab Apostolo depositi loco fidelibus creditum est. Item, quomodò Matthæus Græcus cùm esset, aut Romanus, ut publicani officium declarat, à quo Judæi maximè abhorrebant, Hebraicum idioma externum gentili prætulerit scribendo? Quare istud potiùs quàm cætera Evangelia Syriacis verbis conficeretur? Judæi Græcè sciebant, Hierusalem brevi in hostium potestatem ventura erat, exturbandi Judæi omnes atque abigendi in diversas orbis partes, idque manifestum erat Matthæo; cujus ergo rei gratiâ usus esset Apostolus eo sermonis genere, qui mox erat occasurus? Evangelio suo consulere Apostolus voluit gentium omnium utilitatibus: ad quid ergo librum composuerit idiomate uni tantùm nationi cognito non multò post desituræ, neque unquàm coalituræ in ullam rempublicam?

Ita argumentatur Illyricus, meris conjecturis factum constans in dubitationem adducere totis viribus adnitens. Sed quis non statim admiretur inscitiam atque ignorantiam hominis de re maximè notâ? Non enim verisimilibus rebus, quibus sæpè homines decipiuntur et pertrahuntur in errorem, sed rationibus et causis certis pugnandum est contra eos qui ita rem esse historiarum monumentis et solidâ auctoritate confirmant. Divinam Providentiam frustra hoc loco in subsidium vocat. Judæorum natio et Ecclesiæ Patres sine divinæ Providentiæ injuriâ fatentur libros quosdam veteris Legis omninò amissos; quantò magis fateri possumus deperditum Matthæi exemplar manentibus sincerissimis ejusdem versionibus! Debuisset ergo pariter divina Providentia nunquàm permittere ut Judæorum Ecclesiæ quarum commodis servierat Matthæus, collaberentur; cùm autem id passa sit, potuit etiam non impedire Hebraici voluminis jacturam; quo et ostendere voluit non litterâ, sed spiritu legem suam contineri, et ad unam hominum utilitatem Scripturas esse datas, quâ cessante, et Scripturæ illæ desierunt.

Matthæum deinde Græcum aut Romanum hominem fuisse perperàm omninò ex vitæ atque officii genere concluditur : nos contra ex nomine præsertim, cùm et Levi vocatum velimus, Hebræos parentes habuisse censemus. Etsi verò Græcus fuerit, Judæis rogantibus eam orationem adhibere maluit, quam tenebant. Sed Judæorum lingua nonne brevi erat interitura? Sit verum et hoc ipsum; præsentibus tamen, et mox nascituris scripto suo consuluit, sciens perinde et in vulgatiorem linguam versum iri, et alios ex fratribus suis eamdem operam suscepturos, quæ toti mundo prodesset. Unus denique Matthæus Syriacis verbis Judæos instituerat; unus pariter Syriaco idiomate institutionum suarum monumentum reliquit consignatum litteris. Quid juvat hâc de re sermonem diutiùs protrahere, quæ facti cùm sit, non convellitur pervestigatione causarum quæ videntur moroso philosopho abesse debuisse, cur diversâ à cæteris Evangelistis linguâ Matthæus conscriberet?

Saltem novâ vi enitens Illyricus ait : Qui hebraicè scripsisset, veteris Testamenti locos ad causam suam opportunos ex Hebraico fonte deducere debuit, non ex Græcâ septuaginta Seniorum interpretatione : Matthæus autem à Græcis septuaginta Interpretibus mutuatus est, quæ attulit ex veteribus Scripturis testimonia; non igitur nisi Græcè fideles docuit. Cujus rei testis esse potest et Marcus, qui non modò Matthæi stylum imitatur, sed et iisdem quibus Matthæus, Græcis verbis sæpè utitur : ex quo perspicuum est Marcum ob oculos habuisse primigenium exemplar Græcum Matthæi, quod paucioribus complecteretur.

Ne his quidem Illyrici verbis valdè urgemur. Ad primum multa diximus anno superiore de divinitate Scripturarum in genere, quæ paucis hìc perstringimus. Primò Evangelistas atque Apostolos, ut ait Hieronymus Commentariorum in Isaiam lib. 9, cap. 29, *non verbum interpretatos esse de verbo, neque septuaginta Interpretum auctoritatem secutos; sed quasi Hebræos et instructos in lege absque damno sensuum suis usos esse sermonibus :* hâc de causâ sentit Matthæum potissimùm sensùs veritatem interdùm expressisse neutri vel Hebræorum vel Græcorum exemplari addictum, quod, assumpto ejus loci Jeremiæ cap. 31, v. 15, exemplo : *Vox in Ramâ audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt*, cap. 2, v. 18; et altero : *Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda.....* ibid. v. 6, declarat, quæ neque Hebraico, neque septuaginta Interpretum textui conveniunt. Quæ si vera est Hieronymi sententia, tota Illyrici ratio concidit. Rursùs Hieronymus non semel affirmat Apostolos, et Matthæum præ cæteris ex Hebraico fonte veteris legis testimonia deprompsisse, ubi Hebraicum Græco discordaret, idque probat duobus exemplis Matthæi cap. 2, petitis : *Pro eo quod nos diximus : Ex Ægypto vocavi filium meum, septuaginta transtulerunt,* ex Ægypto vocavi filios ejus, *quod in Hebraico non habetur, nullique dubium est Matthæum de hoc loco posuisse testimonium juxta Hebraicam veritatem*, comment. in Osee lib. 3, cap. 11. Similia habet et lib. 1 Comment. in Matthæum cap. 2, de altero testimonio, *quoniam Nazaræus vocabitur*, ex Hebraicis Scripturis deprompto : *Possumus et aliter dicere, quòd etiam iisdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Isaiâ scriptum sit, exiet virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus ascendet.* Tertiò, demus textus veterum Scripturarum apud Matthæum verbis septuaginta Interpretum constructos, procul dubio interpres, qui Syriacum Matthæi Evangelium Græcè reddidit, testimonia Hebraica interpretatus est, quomodò Septuaginta jam exposuerant in eâ suâ editione, quam et Synagoga complectebatur, et gentiles maximi æstimabant, atque unicam consulere poterant, si rerum divinarum præteritarum scientiam habere voluissent.

Quis deinde miretur Marci eloquium eloquii Matthæi esse simile? Evangelistarum omnium stylus convenit, quocumque demùm sermonis genere Evangelium ediderint. Erant enim ejusdem generis omnes, id est, Hebræi ex Hebræis, et qui græcè ex illis scripserunt, patriæ linguæ proprietatem in Græcâ scripturâ sæpissimè referunt. Quòd si quis similiora esse contenderet Matthæi et Marci Evangelia, quàm Hebræorum hominum indoles postulet (quanquàm certè Marcus acerbiores quosdam Syriacè dicendi modos in Matthæi Evangelio apparentes emolliat); velit autem utrumque iisdem sæpè verbis locutum, huic responderemus, aut Græcum Evangelii Syriaci interpretem usum esse Græco Marci Evangelio dùm interpretaretur; aut sine ullo exemplo sibi proposito planiora atque usitatiora verba adhibuisse, qualia et Marco in mentem venerunt; aut Marcum ad Græcam versionem Evangelii Matthæi Evangelium suum elaborâsse, quod quibusdam verisimilius videtur.

Quanquàm verò Matthæus gentili Hebræorum idiomate Evangelium suum conscripserit, ut probavimus hactenùs, purum tamen illibatumque haud multò post esse desiit. Quæ enim exemplaria in manus deinde Clementis Alexandrini, Origenis, Hieronymi delata sunt, Nazaræorum exemplaria erant cum additamentis quæ Hieronymus præsertim adnotavit; sed ne istud quidem Nazaræorum Evangelium ad nos usque pervenit; imò verò et ejus translatio Græca et Latina à Hieronymo adornata similiter periit. Quocirca duplex Hebraicum Matthæi exemplar alterum à Tilio, à Munstero alterum productum, tum Syriacum à Vidmanstadio editum Matthæo tribuere non possumus : primigenium enim Apostoli exemplar multò antea interciderat; Nazaræorum verò multas continebat adjunctiones quæ in istis desiderantur; et liquidiùs patet ex Græco exemplari Hebraica istiusmodi et syriaca esse profecta. Græca versio nunc, et à multis jam seculis autographi locum tenet, eâque de causâ Hieronymus Latinam interpretationem ad Græca exemplaria recensuit atque emendavit. Antiquissima ea est, atque ab Apostolorum temporibus tradita Ecclesiæ ex gentilibus coactæ, Hieronymo atque Augustino testibus. Quis verò autographis interpretationem illam fecerit, omninò ignoramus : Papiæ visum est multos

in eo vertendo operam suam posuisse, cùm dicat unumquemque præstitisse, ut suppetebant vires. Item Hieronymo incertum est, quis postea in Græcum transtulerit. Quòd si isti Patres in rerum antiquarum cognitione versatissimi discernere Græcæ versionis auctorem non potuerunt, quâ unquam ratione recentiùs à quibusdam inventus ille est? Auctor Synopseos, vulgò Athanasianæ, interpretem inquit esse primum Hierosolymorum Episcopum Jacobum fratrem Domini; Theophilactus Joannem; Anastasius Synaita Lucam et Paulum; Sixtus Senensis Barnabam; sed si quis Apostolorum græcè Matthæi Evangelium reddidisset, id neque Papias tradere prætermisisset Apostolorum ætati propinquior, neque cæteris Patribus id fuisset ignotum. Quare ex hâc dissensione id unum colligere est, et autographam fuisse hebraicam Scripturam, et Apostolorum ævo in Græcum sermonem conversam, cui Ecclesiæ usus conciliavit auctoritatem, nos edocens integerrimam illam esse, atque à nativâ integritate nullâ suî parte degenerem.

Hæc de Matthæi autographo, deque exemplari Græco in autographi locum suffecto dicenda habebamus. Ex isto Græco Latinam versionem prodiisse necesse non est illi persuadere, qui Græcos codices cum Latinis conferat, et sanctorum Patrum libros legat: ipse enim per se intelligit ex uno alterum Evangelium plenissimè exstare. Ut divinum erat prototypon ab Apostolo Hierosolymitanorum fidelium studio et pietati commendatum, ita divinas esse canonicasque translationes primigenio non discordes, rationi et fidei consentaneum est. Qui contradixerunt hæretici vel falsò tributum opus Matthæo, vel, qui olim erat sincerus Apostoli liber, corruptum postea et depravatum primam dignitatem amisisse arbitrati, eos peculiari confutatione ne dignos quidem judicamus, quibus vehementissimè obsistitur sola perpetua, et constanti omnium seculorum doctrina. Nam quæ falsis præjudiciis abrepti calumniantur, modò nullam interesse Matthæi Evangelio cum veteribus Scripturis conjunctionem; modò, quæ uno sensu à prophetis dicta sunt, alio planè diverso eadem Evangelii auctorem usurpâsse, et violenter ad Christum, ad novam legem detorsisse; modò cum cæteris Evangelistis in Christi historiâ referendâ Matthæum non convenire, ea refellimus omnia atque expedimus adhibitis generalibus præceptis superiore anno à nobis traditis de ratione explicandi Scripturæ locos, et de Apostolorum non modò, sed etiam Hebræorum veterum omnium disciplinâ, quâ ex pluribus ejusdem sententiæ significationibus commodiorem sibi atque aptiorem ad institutum suum transferebant. Quapropter in re non necessariâ opera nostra collocaretur, si plura hùc afferre animus esset. Neque verò plures sententias in Nazaræorum volumen insertas, in nostro autem Evangelio non exstantes, quas omnes veras, et divinas Patrum aliqui crediderunt, in examen adducere in animo habemus, etiamsi inde concludi videatur integras non esse Matthæi Scripturas in Ecclesiæ gremium delatas. Nam Ecclesiæ Patres eadem facta easdemque Christi Domini sententias, quas Nazaræi in Matthæi Evangelium intruserant, accipere potuerunt ab Apostolicis viris, easque probare, ut certâ Traditione ad se perductas, licèt in sincero Matthæi Evangelio nusquàm eas legerint, aut Nazaræorum additamenta pro divinis Scripturis habuerint, quod facillimum esset confirmare, nisi ad alia esset properandum.

ARTICULUS II.

De Evangelio sancti Marci.

Antiquis Patrum monumentis constitutum est Marcum Evangelistam Petri discipulum atque interpretem fuisse, ut nemo jam dubitet ipsummet à Petro, Epist. 1, cap. 5, v. 13, filium suum nuncupari: *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus.* Iste verò Marcus alter est à Joanne filio Mariæ, cognominato Marco: *Qui cognominatus est Marcus*, ut dicitur Actor., cap. 12, v. 12 et 25, apud quem divertit Petrus ex vinculis ab Angelo ereptus, et quem Paulus et Barnabas secum ad ministerium assumpserunt, et quem iterùm Barnabas, dissentiens à Paulo, comitem sibi esse voluit Cyprum navigans, Actor., cap. 15, v. 39. Enim verò Evangelistam nusquàm Joannem Scriptura, nemo auctorum veterum appellat, quo nomine alter appellabatur: non erat præterea à Petro disjunctus, cùm alter Joannes Paulo et Barnabæ adhærebat. Non possunt igitur Marcus Evangelista, et Joannes Marcus nisi duo esse divini verbi præcones. Marcum nostrum quidam sanctorum Patrum, ut Epiphanius, hæresi 51, auctor dialogi Adamantii contra Marcionitas, et Procopius in septuaginta duo Christi Domini discipulis numerant; verùm Papias apud Eusebium, lib. 3. Hist., cap. 39, de Marco ipso ait: *Neque enim audierat Christum Dominum, neque ipsum prosecutus fuerat, sed sicuti à Petro prædicante acceperat...* Irenæus, lib. 3, adversùs hæreses, cap. 11: *Marcus interpres et sectator Petri.* Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Marcum: *Marcus discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat...* Chrysostomus, homil. 19, in Acta, Augustinus de Consensu Evang., lib. 1, cap. 10, et lib. 17 contra Faust., cap. 3., Theodoretus Præfat., in Histor. Solitar., et Beda in Marcum, non quæ Marcus viderat, sed quæ ab iis didicerat, qui cum Christo versati fuerant, scripsisse docent; quæ majorem fidem faciunt unum ex Christi Jesu discipulis Marcum non fuisse. Quamobrem verius Apostolus Petrus Marcum Christi præceptis instituit, atque in Christo genuit, ut ob hanc causam filium suum appellare potuerit. Quanquàm autem Marci nomen Hebraicum non sit; sed vel Hebraico nomini respondens, vel Romani cognomentum adscitum, ut usus iis temporibus erat; tamen oratio et stylus, quo Evangelium scripsit, Judæum hominem, et quidem inter Judæos gentiles suos in Judæâ commoratum, non Hellenistam manifestant. Hæc de Marco Evangelistâ probabilius dicuntur, ut et illud alterum Alexandrinam Ecclesiam Marci prædicatione constitutam: reliqua, quæ de vitæ et mortis genere circumferuntur, sunt multò obscuriora.

Antequàm progrediamur, rogabit aliquis, qui

unquàm erat illud officii, quo Marcus apud Petrum fungebatur interpretis? Quomodò fieri potest ut Petrus, qui illapsu Spiritûs sancti cumulatissimè donum linguarum acceperat, egeret interpretis, quo sive ad scribendum, sive ad habendas conciones uteretur? Quæstionem hanc Hieronymus in Epistolâ ad Hebidiam explicat in illum Apostoli locum, Epist. 2 ad Corinthios, cap. 7, v. 6 : *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi*, inquiens Paulum consolationem cepisse, quia cùm, eo absente, organum aptissimum annuntiandi Evangelii sibi defuisset, eo præsente, illud idem recuperabat : *Ergo et Paulus contristatur, quia prædicationis suæ in præsentiarum fistulam organumque per quod Christum caneret, non invenerat.* Etsi enim Paulus sciret Græcè dicere, quod ab adolescentiâ in patriâ Græco sermoni assuetus didicerat; tamen et peritiorem et eloquentiorem Titum aptiùs et splendidiùs de divinis rebus locuturum sibi adjunxerat. Imò licèt non modò usu atque exercitatione Græcum idioma loqueretur Paulus, sed etiam divini beneficii accessione, ut Apostoli cæteri, linguarum scientiam à Deo habuisset; opportunè tamen adhibebat Titum, ut Hieronymus prosequitur : *Cùmque Paulus haberet scientiam sanctarum Scripturarum, et sermonis, diversarumque linguarum gratiam possideret, unde ipse gloriatur in Domino.... divinorum sensuum majestatem digno non poterat Græci eloquii explicare sermone : habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum.* Petrus igitur obtento etiam linguarum dono, ex quo Spiritus sanctus ejus capiti insederat, potuit adhuc minùs habere cognitionis Græci sermonis, minùs dignitatis et majestatis, tum venustatis in dicendo vel pronuntiando, ut propterea judicaverit Marcum sibi utilem operam navaturum fore in apostolico munere. Nihil sanè imminuit aut Spiritûs sancti largitatem, aut doni à Petro accepti amplitudinem, si dicatur Marcum, vel naturæ vel consuetudinis, atque exercitationis gratiâ, plus Petro Græcis litteris, vel Hebraicis, vel Latinis fortassè quoque eruditum, opportuniorem fuisse ad quosdam Romanos in fidei veritatem inducendos : quemadmodùm necesse non est, ut cùm defendimus Apostolos omnium gentium linguis divinitùs edoctos, defendamus pariter ipsos evasisse romani sermonis Cicerone peritiores, atque eloquentiores, et tantùm eloquio valuisse, quantùm, ille valuit.

Aliter ad propositam quæstionem respondet Baronius ad annum Christi 45, num. 34, arbitratus Apostolos unà cum cæteris linguis et Græcam planè assecutos, eâdem facilitate Græcam, quâ Hebraicam linguam pronuntiâsse; quapropter à Hieronymi opinione recedens interpretem Petri Marcum fuisse putat, cujusmodi interpres Paulus nominat, epist. 1 ad Corinth., cap. 14, v. 5, 27 et 28 : *Nam major est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi fortè interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat......, et unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesiâ.* Cùm enim in primis Christianorum Ecclesiis sæpè homines è diversis terræ partibus diversum idioma loquentes convenirent, necessum omninò erat et interpretes adesse, qui Apostolorum verba gentili linguâ concionem habentium alio idiomate cuique cognito explicarent; quamobrem Paulus non prohibet eum in cœtu dicere, qui ignotâ adstantibus linguâ diceret; dummodò Interpres pro Synagogæ consuetudine adhiberetur, ne adstantes prædicationis fructu vacui abirent. Hæc Baronii interpretatio eò tendit, ut credamus ideò Marcum fuisse Petri interpretem, quia, dùm Petrus in Ecclesiâ concionem habebat patrio sermone quibusdam præsentibus impercepto, ad istorum intelligentiam Marcus in propriâ ipsorum linguâ concionem eamdem transferebat. Non quæro nunc, utrùm magis ad Hieronymi, quàm ad Baronii doctrinam accedendum sit, quoniam id solùm curo, ut intelligatur, quomodò Petri fuerit Marcus interpres, quod satis superque probatâ alterutrâ sententiarum intelligitur. Petri equidem et in scribendo interpretem Marcum Baronius facit, dùm ait num. 29 epistolas ab Apostolorum principe esse datas primùm Syriaco, vel Hebraico sermone, tum in Græcum traductas; earum vero primæ vertendæ Marcum allaborâsse : quod si certis rationibus constaret, roganti de Marci officio faciliùs satisfaceremus.

Explicato Marci officio, quod apud Petrum obibat, ad Evangelium ab ipso vulgatum redeamus. Negari non potest, quin iste principis Apostolorum auditor et sectator Magistri doctrinam de Christi Domini vitâ et factis complexus sit suo Evangeliorum libro : hoc enim Patres nuper commemorati explicatiùs dicunt, qui dùm Marcum Christo præceptore usum negant, ad Petri conciones Evangelium conformâsse omnes comprobant. Dubitari verò potest quibus loco et tempore librum ediderit, cùm Patres iidem aliique non idem sentiant. Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 6 Histor., cap. 14, inquit, Petro Apostolo Romæ Evangelium Christi prædicante, multos fidelium à Marco omnia diligenter assecuto propter arctissimam cum Apostolo conjunctionem poposcisse tradi sibi litteris, quæ ab illo perceperat; Marcum quidem eorum postulationi acquievisse, scripto Evangelio, eoque rogatoribus tradito; Petrum verò cognito Marci consilio, neque ab opere prohibuisse, neque hortatorem fuisse, ut perficeret. Papias de loco scriptionis et tempore prorsùs silet. Hieronymus pro more suo, Eusebii lib. 2, cap. 15, judicium probavit de Scriptoribus Ecclesiasticis in Marco, illudque exscripsit, dicens : *Marcus discipulus et interpres Petri, juxta quòd Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breve scripsit Evangelium, quod cùm Petrus audiisset, probavit, et Ecclesiæ legendum suâ auctoritate dedit.* Athanasius in Synopsi ait, Evangelii secundùm Marcum, præconem quidem Romæ fuisse Petrum Apostolum; editorem verò Marcum, qui deinde Alexandriæ in Ægypto, in Pentapoli et Lybiâ illud prædicavit. Idem ferè Tertullianus lib. 4 contra Marcion., cap. 5, significaverat iis verbis : *Licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur.* Irenæus lib. 3 advers. hæres., cap. 1, his contraria scripsit, atque ab omnibus dissensit, adnotans Petro et Paulo Romæ evangelizantibus, et fundantibus Eccle-

siam, Matthæum scripturam edidisse : *post horum verò excessum* (sic vetus Irenæi interpres vertit; Rufinus verò *post quorum exitum; post interitum autem illorum* Valesius aliique recentiores) *Marcus discipulus et interpres Petri et ipse, quæ à Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit.* Græcum Irenæi testimonium apud Eusebium lib. 5 Histor., cap. 8, sic est : μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, quod alii *excessum*, sive *discessum è vitâ*, alii *discessionem Româ et profectionem* interpretantur propter verbi ambiguitatem. Chrysostomus quoque à cæteris Patribus distantior est, homil. 1, in Matthæum, ubi postquàm scripsisset Judæorum fidelium rogatu Matthæum, quæ vivâ voce dixerat, litteris consignâsse, addidit : *et Marcus in Ægypto discipulis flagitantibus id ipsum fecit.* Inter tot varias Patrum discrepantesque sententias, inter quas dijudicare non possumus, unum, ni fallimur, apparet, alterum latet; locus nempe, ubi scriptum Evangelium est videtur constare; tempus autem vix posse constitui. Enimverò Romæ, et quidem ante Petri obitum Evangelii exemplaria jam exstitisse, Patrum testimonia persuadent, ne Irenæo quidem et Chrysostomo admodùm repugnantibus; nam Irenæi verba hunc sensum habere possunt : post discessum Româ, vel etiam interitum Petri et Pauli, in publicum prodiisse, et longè latèque diffusum Marci Evangelium; quod tamen, dùm in vivis erat Petrus, jam ad aliquorum manus pervenisset, vel saltem esset descriptum; Chrysostomus verò dicere fortassè voluit Marcum, ut Ægypti Apostolum atque episcopum, suo nomine in Ægypto evulgâsse quod, ut Petri interpres, primùm Romæ composuerat. Has interpretationes verborum Irenæi et Chrysostomi, etsi non adeò planas neque nitidas, libentiùs probamus, ne ii cæteris fermè Patribus hâc in re contradixisse videantur. Ut verò tempus fixum definiamus, non habemus certam Patrum traditionem. Decimo anno post Christi Domini mortem, Claudii scilicet 3, æræ autem Christianæ quadragesimo tertio, Euthymius et Theophilactus docuerunt Marcum scripsisse, quod et Baronius affirmat visus sibi in Eusebii Chronico ita invenisse. Verùm neque Eusebius statuit quo tempore scriptum sit Evangelium, neque facile est demonstrare Petrum jam Romam adventâsse, Claudio imperii habenas tenente, neque ullius veteris testimonium, quomodocumque intelligatur, eam epocham firmat.

Itaque cùm non vacet longiùs rem obscuram atque incertam consectari, comprehendam brevi agitatiores quæstiones duas, alteram de sermonis genere quo scripsit Evangelista, alteram de canonicitate postremorum versiculorum postremi capitis 16, à versu 9 : *Surgens autem mane......* Nam, quin divinum et canonicum Marci Evangelium sit, licèt ipse non fuerit Apostolus auditor Christi, ne dubitationi quidem esse locus potest, modò quæ et in hâc ipsâ re, et in superioribus disputationibus sparsim dicta sunt, hùc colligantur; non erit tamen omninò supervacaneum hâc de causâ obiter et hæretici hominis argumentum proferre; scilicet minister anglicanæ S. Edmundi ecclesiæ Gurdon in concionibus habitis anno 1721 inclusis in tomum 5 *Propugnationis pro religione*, etc., cujus supra mentionem fecimus, agens tum de Marci, tum de Lucæ Evangelio, quorum par est ratio, sic disserit. Notemus tantummodò, antequàm progrediamur, si Marci et Lucæ Evangelia parem cum Matthæi et Joannis scriptis semper dignitatem habuère, id esse ex approbatione quam ab Apostolis ipsis acceperunt. Habemus et hoc loco primæ Christianæ antiquitati testimonia, quibus iniquum est non adhiberi fidem nihil enim opponi potest, quod valeat. Irenæus II seculi scriptor inquit Marcum sectatorem fuisse Petri atque interpretem; Eusebius hist. Eccles., lib. 2, cap. 15, et lib. 3, cap. 30, scribit Papiam Apostolorum æqualem, et Clementem Alexandrinum, qui II seculo vixit, eadem testari; item Eusebius ipse, lib. 6, cap. 25, indicat Origenis ætate traditionem apud Christianos omnes viguisse, Evangelium secundùm Lucam à Paulo lectum fuisse et probatum; tum lib. 3, cap. 24, Joannem postremum Evangeliorum scriptorem tribus Matthæi, Marci et Lucæ præscriptis Evangeliis approbationem dedisse. Id notari necesse erat, ut Joannis Tolandi quæstioni occurreretur : cur cùm non minùs Apostolici viri essent Barnabas et Clemens Romanus, quàm Lucas et Marcus, istorum Evangelia habeamus in Canone, illorum epistolas non habeamus. Nempe aperta ratio est; quodcumque sit de iis epistolis judicium, ad eas Apostolorum approbatio non accessit, vel utrùm accesserit ignoramus : Evangeliis autem Apostoli conciliârunt auctoritatem. Hactenùs Gurdon; nunc de propositis quæstionibus dicamus.

Primam celebriorem fecit Baronius ad annum Christi 45, *num.* 4, inquiens, non solùm suaderi nos, sed obstringi necessariis rationibus, et planè cogi affirmare, *Evangelium Marci ab eo latinè potiùs quàm Græcè esse conscriptum.* Recessit ille à probatâ veterum doctrinâ, qui sine ullo opinionum dissidio tradiderunt unum Matthæum Hebræis Hebraicè scripsisse, cæteros Evangelistas Græcè. Hieronymus, epist. 123 ad Damasum, ne dubitat quidem quin Græcis litteris Evangelistarum autographa omnia, præter illud Matthæi, constiterint : *De novo nunc loquor testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæâ Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit.* Augustinus de Cons. Evang. lib. 1, cap. 2, hæc confirmat : *Horum sanè quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio; cæteri Græco.* Patres omnes utriusque Ecclesiæ, qui monuerunt singulare loquendi genus Matthæum usurpâsse, nihil de Marco præter reliquorum Apostolorum morem Latinè locuto adnotârunt; quod tamen fuisset singularius. Quocirca Maldonatus Præfatione in quatuor Evangelia, cap. 5, fidentissimè pronuntiat : *Constantissima autem apud omnes veteres auctores fuit opinio, cæteros quidem Græcè; Matthæum verò Hebraico scripsisse sermone.* In rebus autem quæ facti sunt, plus habet gravitatis illustrium virorum auctoritas, quàm quæ probabilibus conjecturis ratio continetur. Quis vidit unquàm autographum Latinum Marci Evangelium? quis Græcum exemplar ex latino confectum, et

non potiùs Latinum ex Græco desumptum putet? Quis Hebræorum Romæ commorantium, pro quibus à Petro fide Christi imbutis eadem à Petro tractata perscribere sibi Marcus assumpsit, Græcum sermonem non didicerat, vel non loquebatur?

Nam quod copiosè Baronius dicit, Apostolos quâ linguâ populi utebantur, ad quos se contulerant, eâdem et ipsos habere consuevisse concionem, facilè assentimur; sed tamen Græcum eloquium romanis Hebræis communius, non Latinum fuisse censemus. Venerat Petrus Romam gentilibus suis Evangelii lucem allaturus, cumque iis reipsà disseruit; debuit igitur et Marcus in oratione ipsis notiore, eorumque intelligentiæ magis accommodatâ versari. Porrò Græco dicendi generi assuevisse constat Judæos Romam ex variis Romani imperii partibus habitatum delatos: contra ex iis paucos admodùm latinè scivisse: cujus rei acutè Grotius annotationibus in titulum Marci causam explicuit: *Judæi, qui Romæ agebant, plerique latini sermonis ignari longâ per Asiam et Græciam habitatione Græcam linguam didicerant.* Quinetiam vix quisquam Romanorum erat eâ ætate, ne feminis quidem exceptis, cui Græcus sermo perspectus non esset, ut Juvenalis, Satyrâ 8, queratur Latinam linguam jacere:

. . . . *omnia Græcè,*
Cùm sit turpe magis nostris nescire Latinè.

Paulus utique ad Romanos scribens Græcam epistolam dedit, non Latinam, ostendens eo ipso Romanos, sive Judæorum genus essent, sive gentilium, Græcis litteris plerùmque deditos.

Auctores sibi esse Baronius ait, quosdam Græcos manuscriptos codices, tum Syrum atque Arabem interpretes, qui fidem faciunt, Marcum latinè Evangelium descripsisse. Gregorium Nazianzenum testem affert id ipsum sentientem carmine 34, *Ausonibus Marcus.* Provocat deinde ad linguæ Græcæ peritos, qui in Evangelio Græco D. Marci Latina verba Græco colore illita facilè cernunt ex nullis Græcis fontibus hausta; unde colligit archetypum codicem Latinum in Græcas litteras, retento nativo latinitatis vestigio, conversum. Addit interpretis officium esse in alium sermonem doctoris sententias convertere; si ergo Petrus Græcè Romanos Hebræos docuit, in Latinum idioma Marcus interpres dicta transtulit. Sed quid opus est pluribus? Venetiis in thesauro S. Marci autographum Evangelistæ asservatur, quod Aquileiæ inventum ad Venetos translatum est: illud autem Latinas litteras præ se fert, omnemque quæstionem dirimit.

Sed apud nos plus valet veterum Patrum et Hieronymi præsertim atque Augustini testimonium, quàm Arabis, Syri, et quorumdam Græcorum exemplarium Scriptoris; Hieronymi præcipuè, qui, jussus à Damaso Scripturas recensere, Latinum Marci Evangelium ad Græcos codices contulit. Quis ignorat recentiorum esse adnotationes omnes sacris Scripturis appositas, cùm veteres simpliciter ac nudè sacros codices exscriberent, atque ad summam librum alterum absolvi, alterum incipere monerent? Gregorius verò Nazianzenus non ea dixit, quæ nobis persuadere volunt dixisse. Etenim non Latinâ linguâ usum Marcum tradit Gregorius, sed pro Latinis, pro Italiæ populis Evangelium suum composuisse: quod equidem verum est, si Romanorum fidelium rogatu Petri conciones mandavit litteris; at cùm ii ipsi Græcè nôssent, et Græcè familiariter loquerentur, necesse non fuit Marco latinam orationem adhibere. Petrus pariter, et Jacobus ad Hebræos, et pro Hebræis dederunt epistolas; neque tamen Hebraicas dedisse putandum est. Et Paulus ad Romanos, ad Italiæ populos absens multa scripsit non Latino, sed Græco eloquio. Non repugnamus in Marci Evangelio Latina quædam verba reperiri Græcam inflexionem, et formam, Græcumque ornatum habentia; sed ipsa, eorumque similia et in aliis Evangelistarum Græcis libris inveniuntur, quos ne suspicio quidem est voluisse Latinè scribere. Quid autem miremur Marcum Romæ agentem, et Græcâ Romanorum locutione usum Latinas quasdam voces Græco habitu vestitas in oratione suâ conclusisse? Commune scilicet est populis omnibus linguæ ex alieno solo advectæ propria verba inserere; unde et Marcus Græcum sermonem locutus Romanis usitatum Latinas voces commiscuit: cæteri verò Evangelistæ, quamvis Romæ non versarentur, puram tamen Græcam orationem Latini sermonis expertem non usurpârunt, quia cùm Græci in omnibus Romani imperii provinciis Latinas dictiones in familiaribus colloquiis adoptâssent, maximum ponendum studium fuisset, ut ab omni Latino vocabulo caverent. Qualem operam Marcus sancto Petro præstiterit, explicuimus. Interpres est, qui copiosius, clarius, eloquentius quidpiam dicit, vel in eodem sermonis genere; dummodò aliorum sensibus, atque animis sit loquendo accommodatior. Interpres est, qui dùm res fert, aptus esse potest diverso idiomate eloqui; tametsi non semper diversum loquendi genus sequatur. Miror autem à Baronio hæc opponi, quæ perinde causæ suæ adversantur, et contra ipsum retorqueri facillimè possunt, cùm velit, ac velle debeat Apostolum Petrum Romanis Latinè Evangelium prædicâsse: quid ergo egerit interpres Marcus, si Latinum et ipse sermonem usurpâsset?

Sublatam disputationem omnem video, si volumen Venetiis religiosissimè custoditum Latinum, si à Marco scriptum, si primum Marci exemplar, si Aquileiæ ab Apostolo relictum esse constaret. Verùm Cornelio à Lapide significavit canonicus curam pretiosissimi codicis habens Græcè esse conscriptum. Ab aliis traditum est abrasas ita esse litteras, ut Græcæne, an Latinæ sint, nusquàm appareat. Pater Bernardus Montfauconius ex raris quibusdam à se deprehensis characteribus Latinum potiùs codicem testatur: contra Aquileiensis Ecclesia ne dubitat quidem quin Græcum illud exemplar sit. Nam Franciscus Manini Aquileiensis Ecclesiæ canonicus ad cardinalem Cæsarem Baronium, 15 kal. aug., 1579, ab ipso rogatus scribit: *Quod attinet ad ea quæ à me quæris singularia, respondeo sanctum Marcum Evangelium suum Aquileiæ scripsisse, et credi Græcum ipsum esse, quod Venetias delatum in bibliothecâ S. Marci repositum est: confirmare*

id non possum quòd nulla in archivis scripta supersint... Quapropter Baronius, ut simul Aquileiensium judicio fidem præbere videretur, nec tamen à præconceptâ opinione discederet, ad annum 45 Christi ait, perhiberi Marcum Aquileiam ex Apostoli Petri legatione venisse, ibique Latinum, quod Romæ ediderat, Evangelium in Græcum sermonem transtulisse : *Fertur traditione magis quàm antiquorum certo testimonio ipsum Marcum Evangelium suum, quod Romæ Latinè scripserat, cùm Aquileiæ moraretur, missus illuc à Petro ad eam erigendam Ecclesiam, in Græcum transtulisse, ipsumque originale diutiùs asservatum Venetias demùm esse translatum.* Tillemontius veterum silentio ductus eam Marci profectionem, atque adventum negat. Jansenius ex Græco Latinè redditum Evangelium suum à Marco assentitur. Ut plurimùm creditur vetustissimum esse quidem Venetum illud exemplar; at neque Evangelistæ autographum, neque ab eo exscriptum. Quid ergo, incerto producto monumento, rem à Patribus ferè judicatam iterùm in quæstionem vocemus, et velimus contrario judicio definiri?

Non videtur ergo adeò apertum, congesto omni etiam argumentorum genere, ut Baronius sibi in animum induxit, Latinum scriptorem fuisse Marcum; quin potiùs ex Græcis verbis orationem suam confecisse, cùm auctoritati, tùm rationi est magis consentaneum. Quocumque tamen idiomate Evangelium scripto tradiderit, satis apparet res easdem, eâdemque sæpè phrasi Marcum contraxiore stylo retulisse, quas Matthæus fusiore, ut propterea Augustino, lib. 1 de Cons. Evang., cap. 2, *Matthæum subsecutus, tanquàm pedissequus et breviator ejus* videatur. Hâc de re supra in Matthæo proposuimus, quæ sentiebamus; nec repugnat istum Petri auditorem uno eodemque libro, et magistri doctrinam comprehendisse, qualem ille romanos Judæos docuerat, et Matthæi Evangelium redegisse ad pauciora. Quamobrem non credimus Marcum unicè voluisse ad summam et compendium Matthæi scripta conferre, ac si tota hæc fuerit ei scribendi ratio. Etenim quædam capitibus primo, secundo, quinto, nono, et decimo sexto inclusit, quæ ille prætermiserat, uti et res quasdam ab utroque narratas iste accuratiùs interdùm describit, quod nemo dixerit esse breviatoris. Genealogiam præterea Jesu Christi à Matthæo textam iste ne attigit quidem : non solent autem, qui alterius orationem contrahunt, ullam ex præcipuis partibus amputare. Quod eo libentiùs moneo, ne quis fortè Augustini judicio abusus Ebionitarum et Manichæorum erroris defensionem quæreret, putans seriem progenitorum Christi Matthæo et Lucæ suppositam ab obscuris scriptoribus, qui utriusque Evangelium retractaverint et corruperint, ut ignoranter hæretici illi, non minùs quàm sceleste obrectabant Catholicis.

Nihil est autem, ut quæstionem alteram perstringamus, in vulgato Marci Evangelio, quod ipsi scriptori tribuendum non sit, ne exceptis quidem duodecim postremis versiculis, qui olim in multis exemplaribus desiderabantur, ut Hieronymus manifestè ad Hebidiam scribit. Cùm enim nobilis femina S. doctorem rogàsset, ut discordes in specie de Christi Domini revocatione ad vitam Evangelistarum historias inter se componeret, sic ille respondit : *Hujus quæstionis duplex est solutio : aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus.* Similem sententiam habet Gregorius Nyssenus, Homil. 2 de Resurrectione, inquiens in correctioribus exemplaribus Marci Evangelium iis verbis finire *timebant enim ;* licèt, quæ sequuntur, in quibusdam codicibus apponantur. Etenim demus quòd Hieronymus neque temerè, neque inconsultò, sede volutis diligenter Græcis libris perspectum habuit; neque ei succenseamus, ut quidam faciunt, vel quòd rem non satis exploratam dixerit, vel quòd apocryphos omnium judicio versiculos aliquot in quædam exemplaria ab incertis auctoribus immissos notare volens, imprudenter finale capitulum Marci deesse responderit : demus, inquam, dummodò capituli nomine non totum decimum sextum caput, sed postremos duodecim versiculos tantùm intelligamus : nam veteres parvas quasdam sectiones in margine designatas κεφάλαια, sive *capitula* dixerunt, ut ex Græcis manuscriptis Erasmus in primis novi Testamenti editionibus, eumque secutus Robertus Stephanus in suâ editione in-folio Marci, capitulà 236, adscripsit; atque etiamnùm ex manuscripto regiæ Parisiensis bibliothecæ 234 capitulis contineri Marci Evangelium compertum habent, qui legerunt. Non minùs tamen verum erit integrum Marci decimum sextum caput, quale apud nos exstat, à Marco esse perscriptum. Quî enim credamus S. Evangelistam totam Christi Jesu resurrectionis historiam silentio præteriisse? Aut quomodò, si posterior aliquis scriptor mancum Evangelium perficere attentavit, non potiùs quæ Marco deerant, ex Matthæo esset mutuatus; cui tamen præsens Marci narratio videtur discordare? Cur etiam in Latinis, Syriacis, Arabicis versionibus omnibus ex Græco confectis, et quibusdam pariter Græcis veteribus versiculi, de quibus quæstio est, semper exstitissent, uti et nunc exstant in manuscriptis Cantabrigensi et Alexandrino vetustissimis, nisi autographum eosdem præ se tulisset? Quæve causa impulisset unquàm audacissimum scriptorem temerarias manus in Marci Evangelium inferre, ut id adjungeret, quod nescimus unde promi potuerit? Irenæus sanè Patrum vetustissimus, lib. 3 contra hæreses, habet : *In fine autem Evangelii ait Marcus : Et quidem Dominus Jesus postquàm locutus est eis, receptus est in cœlo, et sedet ad dexteram Dei,* quod decimo nono versiculo ultimi capitis legimus. Tertullianus, in libro de Animâ, Christum Magdalenæ apparuisse ex Marco retulit. Ambrosius, Augustinus, auctor Synopseos, Cassianus, Ammonius ultimas capitis 16 periochas in confirmationem evangelicæ veritatis attulerunt. Hieronymus ipse, et Gregorius Nyssenus easdem explanando, ab aliis Evangelistis Marcum non distare ostenderunt.

Quod ergo in plerisque Græcis non inveniri S. Hieronymus Hebidiæ postulationi satisfaciens respon-

dit, apprimè cum plerisque interpretum tribuitur inscitiæ, licentiæque amanuensium, qui cùm non valerent Marci cum cæteris Evangelistis historiam componere, totam omittere maluerunt, quàm rem quam non assequebantur, exscribere; quâ conjecturâ verisimiliorem nullam excogitare possumus. Hæc autem in Ecclesiæ Christi sententiâ nos maximè confirmat, cùm causam probabilem habeamus, cur prætermissa sit; nullam contra animo queamus fingere, quare ab aliis additum quidpiam existimandum sit. Profectò Julianus Apostata Marci cum cæteris Evangeliorum scriptoribus repugnantiam Christianis objecit, quam Græci Patres non scriptionis veritate negatâ, sed congruentiore interpretandi ratione adhibitâ tollere conati sunt. Nunc verò Græci omnes in suis Ecclesiis historiam resurrectionis Jesu Christi secundùm Marcum legunt : ex quo perspicuum fit Ecclesias Græcas ad sinceriora exemplaria codices omnes suos recensuisse, et planè constitisse ultimos Evangelii Marci versus inconsideratò fuisse à quibusdam præteritos.

Non eadem dicimus de altero additamento, cujus meminit Hieronymus, lib. 2 advers. Pelagian., inserto post 14 versiculum, in quo Christus Apostolorum incredulitatem exprobravit : illud autem est : *Et illi satisfaciebant dicentes, seculum istud iniquitatis, et incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos spiritus veri Dei apprehendi virtutem; idcircò jam nunc reveia justitiam tuam.* Istud enim ex supposito quodam Evangelio, vel hæreticorum operâ corrupto, indubitanter in Marci Evangelium intrusum erat : nam harum similes additiones in Nazaræorum atque Ebionitarum codicibus reperiri, apertiùs est, quàm ut egeat confirmari. De hoc autem additamento multi locutum putant Hieronymum Hebidiæ rescribentem, non de resurrectionis historiâ : quod si probemus, gravius argumentum, quo adversarii Catholicorum rationes de ejus historiæ veritate infirmant, totum elabitur.

ARTICULUS III.

De Evangelio sancti Lucæ.

Ut Marcus cum Apostolo Petro conjunctissimus, quidquid divinarum rerum perscripsit, totum ab illo hausit, quem docentem perpetuò audierat; sic Lucas veterum scriptorum judicio Pauli itinerum comes eique addictissimus Paulum gentibus de Christo dicentem expressit. Irenæus apud Eusebium, Hist. Eccl., lib. 5, cap. 8, id monuit : *Lucas minister, sive comes Pauli prædicatum ab ipso Evangelium scripto tradidit;* et adversùs hæreses, lib. 3, cap. 14 : *Lucas nemini invidens ea quæ ab Apostolis didicerat, tradidit nobis.* Confirmat Tertullianus, lib. 4 adversùs Marcionem, cap. 2 : *Porrò Lucas non Apostolus, sed apostolicus, non magister, sed discipulus utique magistro minor, certè tantò posterior, quantò posterioris Apostoli sectator.* Athanasius in Synopsi : *Evangelium secundùm Lucam prædicatum quidem est à Paulo Apostolo; scriptum verò atque editum à Lucâ beato Apostolo et medico.* Quibus Hieronymus subscripsit de scriptoribus ecclesiasticis in Lucam : *Evangelium, sicut audierat, scripsit : acta verò Apostolorum, sicut viderat ipse, composuit;* quod jam Eusebius lib. 3 Histor., cap. 4, notaverat.

Horum verò Patrum cùm auctoritas, tùm ratio nos magis commovet, quàm scriptoris dialogi contra Marcionem, eumque consecuti Epiphanii, qui in septuaginta Discipulis Lucam numerârunt. Etenim sub Evangelii sui initium vir apostolicus se ab iis didicisse, qui ignorare non poterant, quemadmodùm actæ res essent, ingenue professus est. Cùm enim à quorumdam falsorum Evangeliorum lectione fideles avertere ipse scribendo vellet, ne forte illud sibi opponeretur, quomodò res à se non perceptas accuratiùs se scripturum putaret, rationem primùm attulit, cur ad scribendum accederet, seque à testibus expertissimis certiorem factum, non temerè scribere aggressum, sed explorata narrare præmisit. Verùm non aliorum testimonio usus in auctoritatem Apostolorum retulisset Lucas causam credendi; sed ibi præsenti, eaque, quæ oculis hauserat, affirmanti fidem vindicâsset, si unus ipse ex discipulis à Christo designatis exstitisset. Quomodò deinde statuatur vel Apostolorum, vel Christi discipulum fuisse, qui Judæus genere non erat, cùm Judæos tantùm sibi adsciverit Christus verbi sui ministros? Enim verò Apostolus Paulus, in epist. ad Colos., cap. 4, v. 10 et 11, cùm primum Aristarchum, Marcum consobrinum Barnabæ, et Jesum, dictum justum, suos adjutores salutem dicentes Colossensibus commemoraverit, eos ex Judaismo ad Christi partes transîsse declarat, *qui sunt ex circumcisione.* Paulò post Colossenses eosdem salvere separatim jubet Epaphræ, Lucæ et Demæ nomine; isti ergo ad circumcisorum genus non pertinebant. Ita Chrysostomus ex isto Apostoli loco argumentatur : neque aliter sentit Hieronymus, Quæst. in Genes., qui Lucam proselytum appellat, quemadmodùm et Isidorus.

Erat is ex Antiochiâ metropoli Syriæ, ut Eusebius, lib. 3 Histor., cap. 4, tradit : *Lucas verò domo Antiochenus :* et Hieronymus de viris illustribus : *Lucas Medicus Antiochensis.* Medicinæ artem didicisse, in eâque se exercuisse Paulus primùm, citato capite quarto ad Colossenses, vers. 14, indicavit : *Salutat vos Lucas medicus clarissimus* : quo in loco, quin de Lucâ evangelistâ Apostolus loqueretur, nemo unquàm veterum dubitavit; auctor deinde Synopseos, et Hieronymus nuperrimè producti testes confirmant. Qui pictoriæ artis peritum faciunt, ii recentiores Græcos, et Nicephorum primum ejus sententiæ auctorem habent, quam unde deduxerit, priscis omnibus nihil tale docentibus, nescimus. Paulo Apostolo se adjungens magistrum in Evangelii prædicatione occupatum nunquàm deseruit : quare et ab illo vicissim est, propter bonam in se voluntatem, præstitamque sibi impigrè operam, commendatus, ut epistolâ ad Philemonem, vers. 24 : *Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas adjutores mei;* ad Colossenses : *Lucas clarissimus;* 2 ad Timotheum cap. 4, v. 11 : *Lucas est mecum solus.* Non videtur idem esse, qui *Lucius*, epistolâ ad Romanos cap. 16, v. 21, dicitur : *Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater, cognati mei.* Nam sola nominis similitudo, quæ Origenem scri-

bentem in epistolam ad Romanos movit, ut Lucam, et Lucium eumdem Evangelistam esse crederet, imbecillum affirmandi argumentum est : Lucanus enim potiùs dici debuisset, quemadmodùm in veteribus manuscriptis invenitur, si ad Latini sermonis formam flexu aliquo Syrum nomen aptare Latini voluissent. Lucium illum prætereà Hebræorum institutis olim vacâsse Paulus cognationis nomine non obscurè significavit : nam cognatos vocat fratres ex eodem, quo ipse, Judæorum genere progenitos, ut ex illo capitis 9, v. 3, ad Romanos judicium sumitur : *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, (propter Christi gloriam) *qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Si igitur Lucius Hebræos patres habuit, Lucas gentiles, alterum ab altero distingui necesse est. Insuper Patribus quibusdam visum est, Apostolum, cùm ad Romanos, cap. 2, v. 16, ait : *Secundùm Evangelium meum*, de Lucæ Evangelio dicere; et Lucæ pariter meminisse 2 ad Corinthios, cap. 8, vers. 18, dùm inquit : *Misimus etiam fratrem*, *cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* Verùm difficillimum est hanc opinionem omnibus persuadere, licèt Eusebius primùm, et postea Hieronymus approbaverint. In primo enim loco Apostolus non scriptum aliquod Evangelium, sed Christi doctrinam à se gentibus propositam atque explicatam spectabat, quemadmodùm ex totâ capitis serie perspicuum fit : in altero autem potiùs fratrem commendat, qui in Ecclesiis omnibus ex prædicationis officio maximam suî existimationem fecerat, qualis fortassè erat Silas ab Ecclesiis datus Paulo comes peregrinationis, ut sanctus Joannes Chrysostomus credidit. Præterquàm quòd incertum est, an, cùm secundam ad Corinthios epistolam Paulus misit, Lucas jam Evangelium suum litteris mandaverit.

Tempus scriptionis Evangelii perinde, propter ignorantiam, constituere nemo hactenùs certò potuit. Quid enim est superioris ætatis, quod scribi tutò possit de iis, de quibus nulla certa monumenta loquuntur nec aliorum, nec ipsorum? Manuscripta quædam Græca, anno 15 post dominicam passionem, 48 nimirùm æræ vulgaris Lucam Evangelium suum promulgâsse ferunt : sed quis credat tum Lucam scripsisse, cùm nondùm in Pauli disciplinam se tradiderat? Etenim anno ferè 52 vel 53 æræ vulgaris, Antiochiâ in Asiam Græciamque profectus Apostolus sui itineris Lucam comitem Troade suscepit, quod Actor. cap. 16, v. 10 et 11, ipsemet Lucas Actorum scriptor innuit iis verbis : *Statim quæsivimus proficisci in Macedoniam.... Navigantes autem à Troade, retro cursu venimus Samothraciam.* Tum enim primâ vice auctor se Apostoli socium manifestat, seque unà cum ipso mari vectum fuisse commonstrat : antea verò nusquàm, ne verbo quidem, se ullibi cum Paulo versatum significaverat. Ita et S. Irenæus lib. 3, cap. 14, itinera Pauli et Lucæ scribens, ex eo loco primùm adhæsisse Paulo Lucam scribit, et primùm iter fecisse. Quare Hieronymus proœmio Commentariorum in Matthæum putat Lucam in Achaiâ et Beotiâ Evangelium evulgâsse : *In Achaiæ Bœotiæque partibus volumen condidit* : et Gregorius Nazianzenus, carmine 33, pro Achaiæ Christianis composuisse. Etsi hæc Patrum sententia receptior sit, restaret adhuc inquirendum, utrùm anno 53, cùm B. Paulus Corinthi in Achaiâ versaretur; an verò fermè 63, cùm Paulus Româ digressus in Hispanias migrare cogitaverat, Evangelista ad scribendum se contulerit. Nam Esthius et Grotius suspicantur, Paulo ex urbe discedente, post biennium Lucam inde in Achaiam reversum ibi litteris Evangelium cum Apostolorum Actis tradidisse; vel saltem Romæ jam scripto mandatum in Achaiâ in manus fidelium dedisse. Et fieri reverà utrumque potuit : nam Paulus bis Bœotiæ regiones lustravit, si hisce auctoribus fides habetur. Cùm tamen semel cum præceptore in Achaiâ fuisse omnes probent; iterùm verò solum eò rediisse, quibusdam tantùm conjecturis affirmetur, rationabilius est, ni fallor, circa annum 53 Evangelii epocham constituere. Hoc argumento utens Baronius, manuscriptos codices, qui ad annum 15 à Christi Jesu morte scriptum librum referunt, parùm auctoritatis habere ostendit, quia anno æræ 48, neque Paulus, neque Lucas in Achaiâ moram fecerant. Cætera quæ hâc de re in Syriacis et Persicis exemplaribus inscripta reperiuntur, Alexandriæ nimirùm promulgatum Evangelium, vel auctor Constitutionum Apostolicarum, et Metaphrastes prodiderunt, id est, in Ægypto Lucam Evangelium annuntiâsse, ibique extremum diem clausisse, non video quâ ratione ad assensum nos trahere possint : audaciùs enim scripta nobis videntur.

Quanquàm verò quo anno, quove in loco Evangelium Lucas palam fecerit ex certis monumentis non pateat; illud omnium ecclesiasticorum scriptorum consensione ratum est Matthæo et Marco seriùs Lucam ad scribendum se contulisse. Quod cùm satis constet, quærendum jam videtur, quid Apostoli Pauli auditorem et perpetuum comitem impulerit tertium Evangelium componere, cùm præsertim non eum lateret à Matthæo Apostolo, qui ab initio viderat, et minister sermonis fuerat, Christi historiam confectam, atque à Marco breviùs conclusam in Christianorum omnium manus pervenisse. Equidem quæstione hâc permoti quidam Lucam cæteris in scribendo præstitisse crediderunt : sed omnisne erravit antiquitas posteriorem scriptorem putans, qui prior fuerit? Baronius inde opinionem suam de Marco Latinè locuto ex parte confirmat. Matthæus, inquit, Hebræis Hebraicè scripserat, Marcus Latinè Latinis, neuter horum usui esse poterat Paulo, aut Lucæ ad erudiendos in fide Græcos Hebraici perinde ac Latini sermonis ignaros; debuit ergo Lucas primùm Græcis auribus Evangelium suum accommodare. Verùm non satis consentanea sibi Baronius loquitur. Vult ipse, non nisi post Apostoli Pauli ab urbe Româ discessum, Lucam in Achaiâ edendo Evangelio operam posuisse : tamdiùne Matthæi Evangelium ignotum Græcis esse potuit, quod tertio, vel quarto anno post Christum in cœlos receptum Hebræis ille conscripserat, si Baronio credimus? Vult deinde Marcum, postquàm Latinis verbis notatam exhibuisset prædicationem Petri, mis-

sum ab Apostolo Aquilæiam, ibi Græcis litteris Evangelium illud suum reddidisse; non ergo multo tempore Græcia Græco Evangeliorum libro caruit, ut necessarium videri debuerit Lucæ, quòd institutionis Græci egerent, Græcas Scripturas edere. Eadem opponimus Grotio, qui censuit pariter Matthæi Evangelium nondùm Græcis litteris traditum fuisse, cùm Lucas scripsit: Marci verò librum, etsi Græcum, utpote compendium historiæ Christi magis quàm historiam, eguisse fusiore quâdam tractatione, quæ per Lucam fieret. Tenemus enim, paulò post quàm prodiit Matthæi scriptura, in Græcum sermonem conversam ad Achaiæ Bæotiæque populos delatam. Veriùs igitur, cùm pseudo-evangelistæ quidam infensi Paulo falsam de Christi præceptis doctrinam documentis Pauli contrariam vulgâssent, Lucas, qui magistrum in summis periculis nunquàm deseruit, ibi censuit malo occurrendum, unde venenum in Ecclesiam corpus Christi diffundebatur, et verum Evangelium manibus fidelium, quos Paulus docuerat, tradere opportunum duxit, ne falsa latiùs dimanarent. Potuissent quidem fideles cavere sibi ab errore et fraude si Matthæum, et Marcum consuluissent. At non sustinuit Lucas alios adiri, qui doctorem suum defenderent: ipsemet cognitis omnibus, quæ ad Christi vitam, et sermones pertinebant, voluit manantem falsitatem cohibere, Paulique dicta tueri. Veriùs quoque, rogantibus fidelibus nuper à Paulo ad fidem conversis, et Theophilo præcipuè viro spectatissimo relinqui sibi perpetuum traditæ disciplinæ monumentum, Lucas indulsit, novumque Evangelium composuit, ut eorum voluntati satisfaceret, haberentque ob oculos quod auribus perceperant. His causis Lucæ scriptionem potiùs assignamus, quàm Evangeliorum Græcè scriptorum inopiæ.

Græcis litteris eruditum Lucam fuisse, qualem medicinam profitentem esse oportebat, quòd elegantiùs quàm cæteri Evangelistæ Græcè scripserit, olim Hieronymus comparatione Evangeliorum factâ judicavit, cujus judicium, qui Græcè didicit, prudens amplectitur: *Lucas igitur, qui inter omnes Evangelistas Græci sermonis eruditissimus fuit, quippe ut medicus, et qui Evangelium Græcis scripserit.* Plus Græcis quàm Hebraicis litteris doctum fuisse auctor est et idem Hieronymus in Isaiam, cap. 6, quâ de re malim ab aliis existimari, quàm à me dici: etenim in græcâ Lucæ oratione Hebraici sive Syriaci eloquii impressa vestigia apparent, ex quibus auctorem Hebraicè non parùm doctum cognoscimus, ut si Hebraicè dicentem audissemus, nobis sanè benè et loqui visus esset, et dicere. Græcum Evangelium Theophilo inscripsit, quem Origenes, Ambrosius, Epiphanius, Salvianus non singularem virum putârunt, sed generatim virum Dei diligentem, ut Græcum nomen Θεόφιλος sonat. Verùm Chrysostomus, Augustinus, et novorum interpretum plerique consultius dicunt fuisse illustrem virum proprio illo nomine vocatum, idque ex adjuncto *optime Theophile* colligunt, quod non nisi singulari homini congruit. Sanè auctor Recognitionum meminit Theophili cujusdam Antiocheni clari viri, et divitiis affluentis, quem etiam Græci urbis Antiochenæ præfectum et gubernatorem faciunt, cui Lucam Evangelium primo, tum Apostolorum acta inscripsisse non immeritò creditur.

Veritatem Evangelii Lucæ non modò Ecclesia Christi sciens et prudens, verùm etiam Marcion, ejusque discipuli aliud cogitantes patefecerunt. Ii enim, repudiatis Evangeliis cæteris, solum Lucæ volumen approbabant, sed adeò corruptum, fœdatumque, quâdam parte decurtatum, quâdam verò productum, vix ut illud ipsum ab Evangelistâ traditum videretur; ob eamque rem Tertullianus contra Marcionem, lib. 4, cap. 4, Catholicum cum hæretico Evangelium comparans integerrimum alterum atque verissimum, alterum falsum et depravatum dixit. Si enim dirimenda quæstio sit, inquiebat Tertullianus inter catholicos, et Marcionitas disputantes de Evangelii veritate, quod quisque prædicat, temporum ordo consulendus est, qui ut vetustioris veritatem vindicat, sic recentiori fidem derogat; quia cùm falsitas sit depravatio veri, necesse est præcessisse verum quod corrumperetur. At verò Lucæ Evangelium, quali Catholicæ Ecclesiæ utuntur, est antiquius, quod et Marcion agnovit, priusquàm ex Ecclesiâ Christi discederet, et Apostolicæ omnes Ecclesiæ ex certâ traditione recipiunt: novum autem et nuper in lucem extractum Marcionis Evangelium, cujusmodi ipse arbitrio suo emendavit, seu potiùs pervertit, ut ad errores suos accommodaret; veteris ergo emendatione ejusdem dignitatem magis commendat.

Fœdaverat autem Lucæ historiam Marcion variis in locis, quos Tertullianus et Epiphanius diligenter singulos protulerant, atque ab apostolico scripto recesserat, ut sectæ suæ præjudiciis patrocinium quæreret. Præ cæteris verò, quia post Cerdonem totam legem veterem abjiciebat, ac prophetas, locos omnes deleverat, in quibus ulla erat Mosaicorum rituum, patriarcharum, prophetarum commendatio, aut unde Christum Patris æterni filium esse ostendi poterat, aut veram humanam carnem induisse: ob id duo priora capita prorsùs amputaverat, ex quibus Christi ortus et infantia constare, aliaque veri assumpti corporis argumenta haberi poterant, exorsus Evangelium suum ab iis verbis: *Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris*, ut Tertullianus, lib. 2 de Carne Christi, animadvertit: *His opinor consiliis tot originalia instrumenta Christi delere ausus est, ne caro ejus probaretur.* Verùm cui unquàm emolumento esset Marcionis iniquitas, eâ præsertim ætate apostolicis viris propiore, quâ Evangeliorum apographa Patres deprompserant ab Ecclesiis, quibus Apostoli scripta sua reliquerant? Justinus martyr contra Marcionem etiam tum viventem, Eusebio teste, lib. Hist. Eccl. 4, cap. 11, librum composuit. Irenæus, advers. hæres., lib. 3, cap. 11, Hæresiarcam pariter refellit, quia et id quod est secundùm Lucam, circumciderat, et ex iis quæ retinuerat, blasphemum animum in solum existentem Deum ostenderat. Epiphanius, qui corruptas Marcionis reliquias ad nos transmisit, justioris exemplaris testimonio impium Novatorem acerrimè confutavit. Tertul-

lianus, ne longiùs prosequar, cùm multis exagitâsset scelestum hominem, atque audacissimum; eum deinde de neglectis Evangeliis cæteris flagitat, *quòd, omissis eis, Lucæ potiùs institerit, quasi non et hæc apud Ecclesias à primordio fuerint, quemadmodùm et Lucas.* Ex quibus perspicitur Lucæ Evangelio, sicut et cæteris, maximam semper fidem Christianos omnes habuisse.

Præter hanc maximam à Marcione inductam in Evangelium perversitatem est et alia, quæ Catholicorum quorumdam ignorantiæ et præjudiciis tribuitur. Abraserunt ii quod alienum esse à constantiâ animi Jesu Christi, atque imbecillitatem sapere videbatur, illudque primùm, cap. 19, v. 41, super Hierusalem Christum flevisse. Epiphanius in Ancorato, num. 31, verba fletum Christi notantia commemorans Græcos orthodoxos inquit à quibusdam codicibus ea sustulisse ejus dicti aut causam, aut vim non assecutos, veritosque, ne quid indignum Christo tribuerent. Hodiè verò in quibuslibet omnium nationum exemplaribus id restitutum loco suo est; atque ipse Epiphanius legi id ipsum oportere ex sancti Irenæi testimonio demonstrat adversùs hæreticos, lib. 1, cap. 2 agentis. Hilarius quoque lib 10 de *Trinit.* monet: *Et in Græcis, et in Latinis compluribus codicibus vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguineo nihil scriptum reperiri*, quod versibus 43 et 44, cap. 22, continetur; quod et Hieronymus lib. 2 adversùs Pelagianos in quibusdam deesse nos admonet. Est tamen proclive judicare eâdem quâ nuperrimè dicebamus, Græcos quosdam sive stultitiâ, sive nimiâ religione, sive utrâque de causâ ab antiquiore lectione recessisse, ne cùm naturâ humanâ Christi humanisque affectionibus digna dicerent, Deo indignum quidpiam dixisse viderentur. Potiùs enim credendum est à nonnullis illud fuisse deletum, quam à quopiam adjunctum; quoniam à multis jam seculis in omnibus codicibus Latinis, Græcis, Syriacis, atque ad cæterorum Orientalium populorum usum descriptis de angeli delapsu ad levationem Christo afferendam, et sanguineo sudore omnis narratio relicta est. Et quidem Athanasius lib. 6 ad Theophil. anathema dicit iis qui Christum sudâsse sanguinem negant. Irenæus lib. 3, cap. 32, teste Epiphanio, Hyppolytus, Justinus in dial. cum Tryphone; Chrysostomus in Matthæum homil. 84, Ammonius *in Concordiâ*, Augustinus, lib. de Concord. Evang., de sanguineo Christi sudore ex Evangelio Lucæ meminerunt.

ARTICULUS IV.

De Evangelio sancti Joannis.

Joannem Galilæum è vico Betzaida Zebedæi piscatoris, et Salomes filium juniorem adhuc ad se Christus accivit, cùm retia ad oram maris Galilææ reficiebat. Ille cum fratre dimissis retibus Domino accessit, à quo et Apostolis adnumeratus est, et *Boanerges*, filius tonitru dictus, fortassè propter vehementem zelum, æstuantemque, qui maximè ab animo tunc erupit, cùm ignem de cœlo ad perdendos Samaritanos Christum non recipientes evocari voluisset. Charissimus Magistro fuit, atque ob id dilecti discipuli nomine compellatus: adfuit enim cùm Christus in monte Thabor humanam suam ad divinam quasi formam traduxit, seque luce fulgentissimâ induit: in cœnaculo postremum Pascha paravit: in supremâ cœnâ in Christi Domini sinu caput deposuit: quæsiit quisnam discipulorum vitæ ejus insidias moliretur, à quâ quæstione Petrus abstinuerat: Dominum in hortum Olivarum deduxit, et solus properantem ad mortem ad crucem usque prosecutus est, ubi dulcissima illa Christi verba audivit, se Mariæ matri ut filium commendantis, unde postea sanctissimam matrem in suâ recepit. Monitus deinde à Mariâ Magdalenâ sublatum fuisse de sepulcro Christi corpus, Petrum post se linquens, præcucurrit, nec tamen prior in monumentum intravit. Primus quoque Apostolorum ad mare Galilææ agnovit redivivum Magistrum, qui se omnibus videndum præbebat. Postquàm Christus in cœlos abierat, accepto divino Spiritu Evangelii fuit administer primùm in urbe Hierosolymâ, tum in Samariâ, quò unà cum Petro missus fuerat Spiritûs sancti donis eos cumulare, quos Philippus diaconus ad fidem perduxerat. Demùm apostolico concilio, in quo de legis observatione actum est, Hierosolymis interfuit. Ex Evangeliis, atque Apostolorum Actibus de Joannis vitâ et gestis hactenùs.

His multorum Patrum traditio multa adjecit, quæ non est opus omnia complecti. Illud non prætermittendum Joannem in Asiam Minorem profectum (ea nimirùm illustrandi orbis pars ei obtigerat) summâ diligentiâ plures ibi Ecclesias fundâsse, ac diutiùs rexisse, ut Polycarpus, Polycrates, Irenæus, Origenes, Tertullianus, Eusebius, Hieronymus testimonium ferunt, quas propterea Tertullianus contra Marcionem appellat *Joannis alumnas Ecclesias.* Rerum potito Domitiano Romam perductus est, ubi in ferventis olei dolium immissum non modò evasisse incolumen, sed etiam vegetiorem, atque alacriorem Hieronymus ex Tertulliano litteris prodidit. Deinde cùm in insulam Pathmos in exilium pulsus esset, Ephesum rediit post Domitiani discessum è vitâ, atque Ecclesiarum Asiæ administrationem recepit, ubi usque ad Trajani regnum senior vitam duxit; ubique eo regnante, cùm jam nemo ampliùs Apostolorum superstes esset, ad Dominum migravit. Ephesi mortuum, atque sepultum Polycrates, Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Ambrosius, Chrysostomus, atque, ut multos uno verbo complectar, concilii Ephesini Patres confirmant. In annum tertium imperii Trajani, centesimum primum nimirùm à Christo nato, evecto autem in cœlos sexagesimum octavum Eusebius Evangelistæ obitum confert. Quare si Epiphanius vera dixit, qui annos ferè ætatis viginti quinque agentem Joannem à piscatione et retibus abstractum à Christo Jesu putat, plus annis nonaginta vixisse fatendum est. Sunt autem qui annos vitæ usque centum et septem: imò verò et centum viginti egisse existimant.

Ut præ Apostolis cæteris longior ei vita contigit, sic post Evangelistas ultimo loco Evangeliorum librum scripsit. Irenæus, lib. 3, cap. 1, Joannem discipulum

Domini Ephesi Asiæ commorantem Evangelium edidisse docuit, nihil ultra dicens, priùsne quàm pelleretur in exilium, an libertate restitutâ se ad scribendum contulerit. Auctor Synopseos Scripturæ sacræ scribit Apostolum, quod in Pathmos insulâ prædicaverat Evangelium, Ephesi deinde scripto consignâsse. Auctor Operis imperfecti Chrysostomo tributi composuisse quidem in exilii loco; Ephesum verò postquàm redierat, fidelibus tradidisse. Epiphanius pariter animum convertisse ad scribendum, cùm ab exilio revertisset. Clemens Alexandrinus apud Eusebium, lib. 3 Histor., cap. 241, et lib. 6, cap. 14, præteriens cætera, causam, ait, hanc fuisse, cur Joannes scriberet : cùm nempe tria jam edita Evangelia legisset et probâsset, ut veritatis plenissima, deprehendens ea deesse factorum Christi, quæ ille ab initio in apertum prodiens gesserat, supplenda censuit, et Christianorum rogatu novum Evangelium spiritale sibi conficiendum, in quo nihil de Jesu Christi genealogiâ dicere opus ei fuit, neque prolixiùs de carne Christi sermonem facere, quæ cæteri satis tractaverant. Hieronymus verò prooemio commentariorum in Matthæum distinctiùs antiquam veramque historiam narrans, ait, Joannem in Asiâ agentem, cùm hæreticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis, et cæterorum, qui negant Christum in carne venisse, coactum ab omnibus penè Asiæ episcopis, et multarum Ecclesiarum legationibus de divinitate Salvatoris altiùs scribere, publicum jejunium ad divinam implorandam opem indixisse, eoque acto, cœleste divinumque illud procemium eructâsse : *In principio erat Verbum.* Hinc et locus, ubi primò Evangelium prodiit, et causa quam habuit scribendi Apostolus, perspecta sunt : quod enim vix attinet scire, utrùm ociùs an verò seriùs divinam Scripturam vulgaverit, etsi ignoretur, parum admodùm est incommodi. Serius tamen anno trigesimo à Christi Domini passione, quanquàm id tempus in Græcis quibusdam manuscriptis notetur, Evangelium Joannis apparuisse, credibilius est. Asiæ enim Ecclesias non nisi post Apostolorum Petri et Pauli obitum administrandas suscepit : Apostoli autem trigesimo quarto fermè anno vitam pro Christo perdiderant.

Quantâ et dignitate et majestate, non sermonis dico, quanquàm et sua sit eloquii dignitas, sed rerum et sententiarum constet S. Joannis Evangelium, quis valeat dicere? Licèt enim divina omnia sint Evangelia, eò tamen istud est cæteris divinius, quòd sublimissima mysteria divinitatis præ cæteris contineat ita concinnè et nitidè, ut vel hoc ipso cognoscatur scriptorem omnes naturæ fines prætergressum ex ipso divinitatis fonte, quidquid effudit, hausisse. Quam rem et gentiles quidam admirati philosophi non potuerunt, quin barbaro homini, ut dicebant, litteris cæteroquin non erudito maximas laudes tribuerent : unde et maximâ laborârunt insaniâ hæretici ab Epiphanio, hæresi 51, num. 3, ἄλογοι appellati, quasi *sine verbo*, quòd Verbum divinum negarent, Cerintho Evangelium Joannis adscribentes. Quomodò enim Cerinthi esse persuadeatur illa oratio, quæ totam ejus doctrinam convellit? Aut Verbum totâ æternitate in Deo manens factum hominem præfinito tempore is docuisset, qui Jesum purum hominem exstitisse semper credidit? Dicebat ille quidem inter cætera perperàm Jesum ex Josephi et Mariæ maritali conjunctione genitum, cùm ætate crevisset, atque in Jordane baptizaretur, virtute quâdam Christo seu Spiritu sancto appellatâ in se delapsâ perfusum prodigiis, portentisque postea claruisse : at dùm adventaret passionis tempus, virtute illâ in cœlum, unde venerat, remeante, Jesum desertum, iterum, qui antea fuerat, nudum hominem remansisse totius potentiæ cœlestis expertem. Verùm hæc insciliæ atque impietatis commenta quis non videat, quàm longissimè absint ab Evangelio quod Joanni Apostolo Christi Ecclesia acceptum refert? Cum Alogis et Theodotus quidam Byzantinus Theodotianorum caput turpissimè erravit, negans tam Evangelium quàm Apocalypsin Joannem auctorem habere : attamen Celsus, Porphyrius, Julianus Apostata, qui summâ arrogantiâ conati sunt ut Evangelii istius auctoritatem extenuarent, aliis planè de causis illam infirmare tentârunt, non à supposito Joannis nomine : imò verò Julianus Apostata, apud Clementem Alexandrinum, lib. 10, contra Julian., ideò Joannem audaciæ reprehendit, quòd, cùm Matthæus, Marcus et Lucas Christum Jesum Deum dicere ausi non fuerint, ipse primus blandiens Græcis et Latinis diffusum antea errorem amplexis scripto confirmaverit. Quamobrem cùm infideles isti non potuerint, quin Joannis esse scriptum admitterent propter constans perpetuumque omnium Ecclesiarum judicium, frustra omninò quis communem Christianorum sententiam ab animis nostris eripere conaretur.

Historia quidem mulieris adulteræ à versu ultimo septimi capitis ad duodecimum usque capitis octavi negotium facessere potest inquirentibus, utrùm à Joanne descripta sit, an Evangelio inserta, cùm etiamnùm Anabaptistæ veterum Scriptorum quorumdam testimonio, quorumdam silentio permoti historiæ illi abnegent fidem. In omnibus enim codicibus olim notatam non fuisse mulieris adulteræ historiam Hieronymus lib. 2, adversùs Pelagianos, indicavit, inquiens: *In Evangelio secundùm Joannem in multis Græcis et Latinis codicibus invenitur de adulterâ muliere, quæ accusata est apud Dominum.* A majore verò græcorum veterum manuscriptorum parte abfuisse, et Græcos explanatores Evangelii Joannis ejusmodi historiam non legisse, Maldonatus in caput octavum Joannis candidè confitetur. Consuluit ille antiquos codices Græcorum multos, nullumque ex manuscriptis habebat historiam, præter unum. Non habebat antiquissimus Vaticani sæpè ab illo nominatus ; non Græca catena, in quâ, cùm tres et viginti auctores sint, nemo ejus meminit. Ex Græcis impressis multis Origenes, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Nonnus, Theophylactus, nemo eorum mulieris historiam legerat, cùm tamen Chrysostomus et Theophylactus scripserint in totum Joannem commentarios; Euthymius solus, recentior auctor seculo 12, si cum sanctis iis Patribus comparetur, in commentariis suis historiam

explicuit; monens tamen ab accuratioribus exemplaribus abesse, et in quibus invenitur obelo notari, ut inde Evangelio adtexta videatur. Abest etiam à Syriacis, Armenis, Gothicis Scripturis; quod indicio est priscis temporibus narrationem illam auctoritate caruisse. Item Eusebius, lib. 3, Hist. eccles., cap. 39, narrat Papiam Joannis discipulum, qui multa ab Apostolis audiverat, in libris Evangeliorum prætermissa inter cætera mulieris adulteriis pollutæ historiam retulisse, quæ et in Evangelio secundùm Hebræos legebatur; illam ergo primùm in solo apocrypho Nazaræorum Evangelio descriptam, atque à Joanne non indicatam, alter aut Papiæ disciplinæ addictus, aut Nazaræorum amator Evangelio Joannis attexuit. Deinde et quædam ejus historiæ adjuncta videmus, quæ suspicionem gravissimam conflant Joanni non esse adscribendam, quanquàm nulla esset codicum varietas. Nam ut Beza advertit annotationibus in Joannem, cap. 7, v. 53 (qui tamen ex vetustis codicibus septemdecim, quos inspexerat, testis erat in uno tantùm desiderari) insolens admodùm, atque inauditum est Christum Dominum digito in terrâ scripsisse. Quid porrò scripserit? vel quid in marmoreo pavimento scribere potuerit? Vix credi etiam potest solum Christum Dominum in templo cum solâ feminâ, cæteris ex ordine tacitè abeuntibus, remansisse. Nulla pariter est orationis continuatio in Evangelio à versiculo 52 septimi capitis ad octavi 12, si narratio isthæc interponatur: quæ omnia et alia hujus generis non parùm retrahunt ab assensu historiæ, eamque canonicam haberi non sinunt.

Multos in dubitationem veritatis historiæ varietas exemplarium, et sanctorum Patrum taciturnitas adducere ante concilii Tridentini judicium potuisset, non dissimulamus; at postquàm partes singulas Scripturæ in Ecclesiis legi solitæ ut divinas, et canonicas Tridentini patres probârunt, posthabendum est eorum sententiæ, quidquid critices ratio suggesserit. Non eo quidem contra hæreticos rem adduco, ut velim soli Ecclesiæ liberrimæ auctoritati, spretis veterum omnibus monumentis, totum deferri oportere; sed ut demonstrem, rebus omnibus perpensis, valere magis Ecclesiæ sententiam, quæ, cùm non ignoraret in quas judicandi difficultates incidisset, easque superârit, nobis pariter firmissimum præsidium tuendi ipsius judicii attulit. Itaque defuerint, et desint etiamnùm in priscis quibusdam codicibus duodecim versiculi, qui in octavo Joannis capite præcipuè locum occupant; dandum tamen nobis est *in multis et Græcis et Latinis codicibus* inveniri, quemadmodùm Hieronymus animadvertit. Cur autem illos istis anteponamus? Si manuscriptorum codicum comparatio fiat, multò major erit illorum numerus, in quibus exstant, quàm in quibus desiderentur. Richardus Simonius, Histor. critic. novi Test., cap. 12, multa profert exemplaria, quæ ipsemet in regiâ Galliarum bibliothecâ consuluerat, in quorum aliis suo loco non dimotam, in aliis ad finem Evangelii rejectam historiam testatur: in his verò causam afferri, cur ad finem Evangelii transferretur In manuscripto apposito num. 1883, hæc leguntur: *Versus obelo notati in quibusdam exemplaribus non exstant, neque in Apollinario; sed in antiquis omnes exstant.* In altero 1869: *Finis Evangelii Joannis: inveniuntur et alia in antiquis exemplaribus, quæ opportunum duxi scribere ad finem ipsius Evangelii; sunt autem hæc: Et abiit unusquisque in domum suam.....* Similia omninò habentur in manuscriptis bibliothecæ PP. Oratorii Parisiensis, in quo commentatores Græcos in Evangelium S. Joannis Nicetas Episcopus Heracleensis collegit. Reperitur Evangelica hæc historia et in quibusdam Lectionariis Evangeliorum, ubi Evangelia pro diversis commemorationibus sanctorum, proque Ecclesiæ et Christianorum vel solemnitatibus, vel pietatis officiis inscribuntur: et quod gravius est in Cantabrigensi codice antiquiore codicibus omnibus, quos ad hanc ætatem vetustas transmiserit, invenitur. Sed quid ex manuscriptis ejus loci auctoritatem prolixius asseramus? Ammonius Alexandrinus, qui anno 220 floruit, in Harmoniâ suâ Evangelicâ historiam ponit: posuerat et vetustior Tatianus Justini martyris discipulus. Athanasius in Synopsi Evangelii canonicam habet. Ambrosius lib. 3 de Spiritu S., cap. 2, de mulieris adulteræ historiâ tractat, super quâ re epistolam scripsit 58, in librum septimum relatam; Augustinus, lib. 2 de adulterinis Conjugiis, cap. 7, à Joanne narratam certò tenens, putat vel à nimium religiosis, timidisque fidelibus, vel à fidei inimicis à suis exemplaribus abrasam: *Nonnulli modicæ fidei, vel potiùs inimici veræ fidei, credo, metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentiâ Dominus fecit, auferrent de codicibus suis.* Chrysostomus pariter, quanquàm proprio loco historiam hanc non explicet, homiliâ tamen 60 in Joannem, interpretatur. Et Gregorius, lib. 1 Moral., cap. 6, eâdem utitur ad doctrinam morum tradendam. Denique concilii Tridentini definitione hujus historiæ fides asserta est, et versus duodecim Joanni scriptori vindicati, quod maximè valet in re nostrâ.

Argumenta autem primo loco producta tanti non sunt, ut cum nostris hisce comparari valeant, ne dum plus habeant ponderis. Abfuit narratio de muliere adulterâ olim à quibusdam exemplaribus, quæ in usu erant eorum Ecclesiæ Patrum, qui nullum de illâ habuêre sermonem: nam et id damus non omnes olim codices convenisse; at Patrum tacentium auctoritas auctoritati antiquiorum et consequentium affirmantium non præstat: præsertim cùm ii non negaverint historiam, isti affirmaverint. At multò major veterum codicum numerus partem ab aliis prætermissam exhibet; aut in veteribus omnibus lectam fuisse notæ codicibus iis appositæ loquuntur, ut non nisi causa quæri potiùs debeat, cur à quibusdam fuerit abrasa, ut Augustinus conatus est assequi conjecturis. Hieronymus verò cùm loco illo usus sit ad refutandos Pelagianos, ob id canonicum, et majore fide Græcos Latinosque codices multos illum habentes dignos esse putavit. In Syriacis, in Arabicis, in Gothicis pluribus, prætérita olim est tota ejus historiæ descriptio, nunc ut plurimùm est suo loco restituta, et perinde in

omnibus Orientis, atque Occidentis Ecclesiis recitatur. Quemadmodùm ergo ab ejus loci prætcritione tùm valuisset fortassè dicere, rem esse dubiam; ita nunc ab insitione certò cognitam esse veritatem haud dubiè meliùs colligitur. Eusebii testimonium in utramque partem versatile est. Nescimus primò an Papiæ monumenta exscribens de illâ ipsâ adulterâ muliere loquatur; an verò factum aliud commemoret : nam adulteram non nominat, sed *in multis peccatis deprehensam.* Tùm si Papias Apostolorum traditione historiam illam didicerat, argumento est non carere veritate: si veritati consentanea est, nihil credibilius, quàm à Joanne esse litteris traditam, seu quòd insignis admodùm res sit, seu quòd Joannes, quæ alii Evangelistæ prætericrant, consultò in suum Evangelium retulerit. Non posuit autem Eusebius in Joanne ejus rei testimonium, sed in Nazaræorum Evangelio, fortè quia aliam historiam tractabat; vel ad summum quia cùm illud agebat Eusebius, utebatur exemplari non omni ex parte perfecto : nam et ipse alibi hanc alteram adulteræ accusationem, et Christi factum, ac sententiam in canones suos Ammonii Monotessaro adjunctos traduxisse dicitur.

Bezæ suspicio arrogantis hominis est, suoque abutentis judicio, ut Ecclesiam, quâcumque sibi datâ occasione, reprehendat. Si in codicibus, quos versavit, ea defuisset narratio, inde accusâsset novam Ecclesiæ doctrinam à veterum monumentis alienam; nunc autem quoniam codices præ se ferunt, in facta Christi, et dicta, et minima quæque adjuncta loci, et temporis audaciùs inquirens, vult è juridiciali sede pronuntiare sibi totam rem non placere, et videri suspectam; quod postea et Basnagius sibi arrogavit. Adhibeat ergo jam ad reliqua ab Evangelistis narrata retinenda, vel rejicienda idem audendi, ac disputandi genus, et videat num multa reliqua esse possint, quæ approbet. Dijudicet homo divinæ Christi sapientiæ explorator acutissimus, an omnia cum Christi moribus conveniant, an ab illis discrepent, eruntque sanè Evangelia omnia ad paucas lineas contracta. Licèt solus mansisset in templo Jesus cum adulterâ muliere, quid adeò insolens criminetur? Solus etiam solam Samaritanam in agro remotis testibus, est allocutus. Non intellexit autem Evangelii locum hæreticus, cùm desertum ab omnibus Jesum credidit. Non enim à concione universâ est relictus; sed à Scribis, à Pharisæis accusatoribus silentio dilapsis, quos conscientia, rubor, responsionis à Christo datæ acrimonia, atque aculeus inde abstraxerant : non autem à discipulis quos acerrimum audiendi Magistri studium tenebat, non à reliquo conventu, à quo Christus cupidissimè audiebatur. Etenim post seniorum et scribarum abscessum ait Evangelista, versic. 9 : *Et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans;* in medio utique discipulorum, et frequentis auditorum cœtûs.

Quid porrò scripserit Christus, si nobis Evangelii auctor voluisset esse compertum, ipsemet transcripsisset. Non ergo curiosiùs id inquirendum est quod celandum Joannes putavit. Si verò dicamus Patrum conjecturas secuti aut illam Matthæi, cap. 7, sententiam : *Festucam, quæ in oculo est fratris tui vides; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides;* aut hanc ipsam : *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat;* aut hujus generis aliam Christum digito scripsisse, quâ ratione Beza et Basnagius contradicent? Cur præterea scribere non potuerit vel in ipso templi vestibulo, atque atrio, quo sevocaverant Christum Pharisæi ad mulieris judicium? ibi pavimentum pulvere prætereuntium et commorantium obsitum delineari digito potuisse, non est incredibile. Hæc autem omnia opportunè proferimus, si eos audiamus, qui putant reipsà in terrâ characteres aliquos digito exaratos, qui ab adstantibus legerentur. Quòd si Maldonato assentiamur, cui placet potiùs Christum aliud agere, quàm quod quærebatur, quæstionem à se avertere, dissimulare, à judicando primùm abstinere, urgentes depellere voluisse, eâque de causâ se inclinâsse, significâsse se digito describere, quæ non scribebat, atque incertarum figurarum lineamentis occupationem simulâsse, tota jam hæreticorum quæstio extra rem erit, vimque omnem amittet. Non moramur ea quæ Beza ab historiæ interruptione opponit : conficta enim sunt à morosis hominibus, qui Joanni dicendi ordinem videntur præscribere : imò verò, inquam ego, adeò hæc historia cum reliquo sermone cohæret, ut, si illam deleas, omne orationis vinculum sustollas. Venerat Christus in templum, docebat, interpellatus est à Pharisæis, à concione ad judicium revocatus, expedivit se à malitiosis fraudem molientibus; postea intermissum sermonem ad eos, ad quos cœperat, est prosecutus. Quæ unquàm major potest esse narrationis conjunctio? Deinde falsumne est quidquid inverso ordine narratur, quanquàm fateremur in Christi concionibus referendis Joannem à recto dicendi ordine recessisse? Ignorantior est scribendi methodo, quam tenuerunt Evangelistæ, quisquis his ineptiis vacat.

De ultimo capitulo Evangelii Joannis minor quidem controversia est; sed à Criticis quibusdam audacioribus est dubitatum an Evangelistæ tribueretur, quia vigesimo capite finiri omnia videntur : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei; et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Ideò Grotius annotationibus ad caput 20 Joannis adjectum ab Ephesinâ Ecclesiâ caput 21 arbitratur, quæ absolvendum sumpserit, quod Evangelistæ deerat. Ea verba versiculi 24 : *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit hæc; et scimus, quia verum est testimonium ejus,* quæ à pluribus testimonium de Joanne perhibentibus scripta apparent, visa sunt Grotio conjecturam suam facere firmiorem. Verùm Ecclesiæ consuetudo atque approbatio, codicum omnium fides, veterum consensus temerarium errorem refellit, neque patitur Ephesinæ Ecclesiæ tantam calumniam inferri, ut Joanni additamenta facere sibi arrogaverit. Prosecutus est Joannes scribere, quan-

quàm videatur ibi epilogo uti, ut in orationis exitu fieri solet, ubi dixit se ad faciendam fidem ea scripsisse quæ scripsit. Non enim Evangelista voluit sub finem 20 capitis cùm ait : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis.....* ea solùm quæ dixerat, sed etiam quæ capite sequenti dicturus erat, comprehendere atque ad omnia epilogum suum accommodare, ut Augustinus existimat; vel, quod est fortassè probabilius, scripsit in capite 20 signa quæ ad probandam discipulis veritatem suæ resurrectionis Christus fecerat, quæque ipsemet scriptor aptissima esse credidit ad ingenerandam in omnibus fidem quam in Apostolis jam firmaverant, atque ait, se nolle alia signa suo libro complecti ejusdem rei gratiâ, signa videlicet à Christo facta, ut se resurrexisse omnibus comprobaret; quod sanè ita fuit. Nam quæ sequenti capite narravit, quemadmodùm non ad faciendam resurrectionis fidem ea fecerat Jesus, sed aliâ de causâ : Apostoli quippe jam credebant firmissimè; sic ipse non causâ necessitatis, sed absolutionis historiæ eadem adjecit. Posterius verò testimonium capitis 21, v. 24, non alii perhibuerunt, qui credendum esse dilecto discipulo auctoritate suâ confirment. Ipsemet Evangelista primùm in alienâ quasi personâ, deinde in suâ loquitur, quod non est insolens apud Hebræos, neque eidem scriptori inusitatum. Capite enim 19, v. 35, de seipso ait : *Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit.* Epistolâ verò 1, cap. 1, v. 1 et seq : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis.....* indicia hæc sunt integritatis et candoris animi, quem quis affert ad rei sibi perspectæ atque exploratæ narrationem; tum et sermo auget fidem, cùm quis non solùm sibi uni, etiamsi ipse unus sit loquens, sed pluribus, secum certam ejus rei cognitionem tribuit, sive testimonium suum aliorum etiam discipulorum conscientiâ corroborat, ac si dixerit : Non ego solùm scio, sed et quotquot adfuimus, scimus discipulum hæc scribentem atque testatum scribere vera et testari. Et hæc quidem de Evangeliis.

ARTICULUS V.

De Actibus Apostolorum.

Apostolicorum Actuum scriptorem ab initio se Lucas probat, quanquàm se nomine suo non compellet. Eum scilicet intelligimus exorsum nova scribere, qui antea Christi Jesu facta, doctrinamque complexus erat brevi sermone, quem Theophilo inscripserat; atqui is Lucas certè fuit qui et placere Theophilo studuerat suâ illâ Evangelii editione, ut supra docuimus; Lucas ergo Apostolorum acta est prosecutus : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere*, cap. 1, v. 1. Itaque Evangelium primum composuit; deinde Apostolorum Acta, et rationem institutarum Ecclesiarum digessit. Ibi Christi Jesu signa et miracula; hìc sancti Spiritûs effusissima dona egentium oculis subjecit : et illa quidem auribus exceperat, edoctus ab iis qui viderunt et ministri fuerunt sermonis; hæc verò magnâ saltem ex parte oculis hauserat comes itinerum, et testis laborum quos Paulus pro hominum salute Deique gloriâ sustinuit. Ex libri titulo videri cui fortassè posset, multò copiosiora scribi debuisse quàm quæ scripta sunt : siquidem quid Apostolis singulis evenerit, quas conciones habuerint, quò se contulerint, quid egerint, liber qui *Acta Apostolorum* nominetur, comprehendere deberet; cùm tamen de multis Apostolis nihil, de Petro paucis, de Paulo fusiùs narretur, et ne finis quidem vitæ aut Petri aut Pauli totâ narratione attingatur. At non eâ de causâ liber iste ab Ecclesiis nomen habuit Actuum Apostolorum, ac si auctor dicta omnium discipulorum Christi et facta exhiberet, et ad exitum usque perduceret; sed quòd, quæ Hierosolymis atque in Judæâ, postquàm Christus in cœlos vi suâ se extulit, Apostoli fecerint; deinde quæ Petro et Paulo, eorumque adjutoribus singillatim acciderint, in eo volumine explicentur, quod unum est in eo genere historiæ, quæ tradit quâ ratione à discipulis propagari Magistri doctrina cœperit, cùm Magister ab eorum oculis recessisset. Perducitur enim historia de Apostolis in genere intexta usque ad id temporis quo ii in diversos locos abierunt, ad quos Evangelii lumen afferrent; tum paulatim auctor eò delabitur ut totus in concionibus, itineribus, factis Pauli illustrioribus describendis versetur; desinat autem ibi sermo omnis, ubi Romam ventum est, et biennio moratum, Nerone imperante. Cùm autem nullum alium librum, in quo quid ab Apostolis, ullove Apostolorum actum esset, contineretur, Ecclesia acceperit dignum commendatione et nomine discipulorum Christi; ideò hanc Lucæ historiam, etiamsi undecumque absoluta ea non sit, de initio et progressione fidei, deque modo quo evulgari cœptum est Evangelium per Apostolos, *Apostolorum Acta* nuncupavit.

Cognoscimus etiam inde nativitatem, et si licet dicere, infantiam Ecclesiæ in Judæâ, angustis scilicet finibus primùm coarctatæ; deinde et adolescentiam, cùm fusè latèque ad gentiles lux Evangelii manavit, Petro et Paulo in dissitas regiones, Dei monitu et jussu, abeuntibus, qui magnos brevi fecerunt progressus, et felicibus auspiciis cœptum Dei opus, Deo protegente, divinisque animis armati feliciùs continuârunt. De reliquorum Apostolorum sive laboribus, sive culturâ agri Dominici, sive fructu equidem nihil habemus à Lucâ; sed cùm neque adesse cæteris potuerit, ut adfuit Paulo, neque à Magistro suo, vel à Petri alteriusve apostolici viri sermonibus illa discere, quemadmodùm ab illis quæ ante suam cum Paulo conjunctionem contigerant, didicit, necesse quoque est ei omnem de iis scribendi materiam defuisse. Sed ne absolvit quidem totum de Paulo sermonem, quem multùm produxerat : ipsum enim Romam perductum ibi statim veluti deserit, cùmque paucis verbis biennio in conductâ domo commoratum dixisset, intermittit omninò orationem; quod argumento est, lapso biennio, historiam suam et scripsisse et divulgâsse; quarum prolatione causarum importunis quibusdam

et difficilibus hominibus nihil probantibus, nisi quod ingenio suo elaboratum sit, satisfacimus, quærentibus cur, si Lucas ea scripsit, eadem cum Evangelio in unum librum non conjunxit? cur de Paulo prolixiùs agens non est prosecutus, et cætera Romæ eventa usque ad gloriosum laborum omnium finem, totumque de Paulo sermonem absolutè non conclusit? cur de Petro non est locutus pluribus? cur reliquorum Apostolorum ne leviter quidem ulla facta perstrinxit?

Porrò diversum erat utriusque operis argumentum: in Evangelio dicta Christi et facta, ac promissiones Apostolis datæ; in Actibus verò discipulorum sollicitudo atque opera, et promissorum Magistri præstatio continentur. Quamobrem cùm diversa esset scribendi materies, duos separatim confici libros oportuit. Item diversis et temporibus et locis cœpit Lucas cùm de Christo, tùm de primis fidelibus dicere. Evangelium enim in Achaiæ partibus anno fermè 53; Acta autem scripsit Romæ post exactum cum Paulo biennium, ut communiter creditur. Quomodò ergo in unum volumen compingere omnia debuerit aut potuerit? De vitæ Pauli exitu nullum quidem sermonem habuit; atverò si historicum egit Lucas, resque gestas narravit non multò post expletum Romæ biennium, stultè ab eo requiritur, ut quæ consecuta sunt exponeret. Et licèt quæ biennio Romæ acta sunt narrare potuisset distinctiùs, imò verò et quædam de genere necis Magistro illatæ, ejusque constantiâ in adeundo supplicio adjungere (si quidem fortassè distulit historiam suam texere post Pauli discessum è vitâ); maluit tamen hæc omnia præterire. Consilium scilicet Lucæ fuit ea solùm memoriæ prodere quæ ab aliis vix sciri potuissent, nedum mandari litteris itinera et cæteras, quas gesserat Paulus in dissitis locis, Ecclesiarum sollicitudines sibi maximè cognitas; ea verò quæ in urbe Româ, in publicâ luce, in frequentissimorum fidelium oculis contigerant, præsertim cùm ipse alia graviora ageret, necessarium scribere non censuit, quòd persuasum haberet multos tam illustrem factorum memoriam non prætermissuros. Denique si à Paulo cognovit quid Hierosolymis ab initio evenisset, vel à Petro, quem iis de rebus cum Paulo colloquentem audierit, vel ab aliis discipulis, non cognovit autem plura quàm quæ litteris mandavit; iniqua postulatio est uberiora scribere debuisse. Quanquàm S. Joannes Chrysostomus quærentibus olim cur ne omnia quidem sibi de Paulo explorata Lucas perscripserit, brevi respondit, homil. 1 in Acta Apost., paucis iis quæ ad Ecclesiæ ædificationem collegit Lucas, contentos esse debere lectores, qui studioso veritatis animo legant; ipsum enim neque consilium habuisse, neque magnam curam posuisse in scribendis historiis; sed intentum, ut cæteros Apostolos, vivâ voce divinæ legis præcepta dare, quæ ad sanam fidem bonosque mores ducerent, non nisi quod magis necessarium videretur in scripta retulisse. Ego verò addo, cùm honestum esse videret fidelium, et Theophili præsertim studio obsequi; maximis autem occupationibus districtus ab iis se multùm avocari non pateretur, summam brevem eorum quæ de Hierosolymitanâ Ecclesiâ consecutus erat, quæque postea viderat, in librum inclusisse, quem ab ipso credentium studium expresserat. Reverà paucis triginta annorum memoriam uno libro colligavit, ab anno 34 æræ christianæ ad annum ferè 64.

Græco idiomate, cujus erat peritissimus Lucas, opus suum confecit, ut jam ad Theophilum eâdem linguâ conscriptum Evangelium miserat. Nobile autem, nitidum, ornatumque dicendi genus adhibuit; locos, regiones, maria, quæ Paulus transiit, accuratè descripsit; interposuit etiam conciones et hortationes, atque in his omnibus narrandis tractâ et fluenti oratione doctrinæ suæ notas reliquit. Videtur quibusdam auctor suî dissimilis, quòd primùm angustior locutio, minùsque elegans appareat; deinceps fusior et politior, neque id negare possumus. Est autem idem ipse, qui totum librum composuit; verùm acta Petri in Palæstinâ fortassè Petrus ipse, aut alter discipulus in adversaria sua retulerat, ut rerum gestarum memoriam retineret, ab eoque Lucas accepta in librum suum transtulit; vel etiam, dùm ea acta Petri referret, noluit non modò à narratis sibi rebus ullo loco recedere, sed ne verbis quidem aliis uti quàm quæ audierat; cùm verò pervenit ad ea narranda quæ sub oculis suis subjecta fuerant, aut copiosiùs intellexerat, narrationem suam explicator prudens pleniorem effecit pro suo ingenio, suâque in scribendo exercitatione nitidiorem, lætiorem et collustratiorem. Ex quo ille quorumdam scrupulus abigitur, qui suspicari fortassè possent Hebraicè historiam scripsisse, quod interspersi alicubi sint, et primis maximè capitibus, Hebraici dicendi modi. Quod enim ab aliis aut voce tenùs aut scriptis accepit, id totum retinuit, non additis quibusdam quasi orationis vinculis; quamobrem et Hebraicas quasdam formulas usurpavit, eas præsertim quas ab Hebræis prolatas, ut sincerior et verior esset narratio, sibi nefas esse duxit immutare. Cæterum amplum, grandem, subtilem, venustum, Græcâ eloquentiâ refertum esse totum stylum, cùm liberè et solutè per res à se visas excurrit, quotquot Græcum saporem habent, dijudicant.

De totâ hâc, qualiscumque demùm ea historia sit, illud statuendum est, quod ad rem maximè pertinet, in contentionem vocari jure non posse: an Lucam auctorem habeat; an sacris et divinis libris adnumerari debeat; an sola divina sit et digna apostolico viro inter plures, qui de Apostolis divulgati sunt, libros carentes auctoritate. Hæc enim tria adeò munita sunt antiquitatis præsidio, ut nulla ratio sit, quæ convellat aut dubia faciat; nec unquàm inventus est qui contra disputaret, nisi qui Pauli nomen ne audire quidem volebat. Eusebius, lib. 4, cap. 29, inter cætera, quæ in Encratitarum sectâ reprehendit, et illud crimini vertit, ut Apostolum Paulum maledictis impetebant, sic et eos Actuum Apostolorum fuisse contemptores. Tertullianus, lib. 5 advers. Marcion., cap. 2, eumdem exagitans eâ de causâ Apostolorum Acta reprobari dicit, quòd Marcionitarum de christianâ Religione præjudiciis adversarentur. Augustinus, lib. de Utilit.

cred., cap. 3, Manichæos repugnare Apostolicis Actis notat, quia, cùm stultè persuadere conarentur auctori suo Manichæo Spiritum sanctum primùm datum, per quem in cæteros propagaretur congruenter ad errorem, Lucæ historiam veram esse confiteri non debebant, in quâ idem Spiritus in Apostolos et per Apostolos immissus evidenter ostenditur. Epiphanius Ebionitis, inquit, odiosum fuisse Pauli Apostoli nomen; quippe qui scriptis suis circumcisionem, sabbatum, totamque veterem legem sustulerat, eâque de causâ hæreticos homines illos, repudiatis Actis Lucæ, nova quædam Paulo injuriosa in vulgus sparsisse per calumniam. Encratitæ igitur, Marcionitæ, Ebionitæ, Manichæi, quos semper detestata vehementer Ecclesia Christi est, soli historiæ Lucæ detraxerunt, quorum hæresim insaniam meritò dixeris; contra Ecclesia, Eusebio, Tertulliano, Augustino, Epiphanio testibus, divinam auctoritatem semper agnovit. Quapropter Chrysostomus, Homil. 1, in Acta, queritur Apostolorum historiæ adeò incuriosos fideles suâ ætate fuisse, ut non modò auctorem, sed etiam scripturam nescire viderentur. At Hieronymus, in Epistolâ ad Paulinum, affirmat verba omnia Lucæ medici, ejus historiæ scriptoris, esse languentis animæ medicinam.

Quemadmodùm verò divinus est Lucæ liber, sic è contrario insulsa, indigna fide, fallacia, erroris plena Acta cætera, quæ vel boni homines, vel hæretici supposuerunt, ut quæ deerant breviori Lucæ historiæ adjungerent, vel suam in Paulum iram evomerent. Ejusmodi sunt *Itinera Pauli et Theclæ*, quæ Tertullianus in libro de Baptismo, cap. 17, ait Asiæ presbyterum consarcinâsse, ut ad exemplum Theclæ mulieres et docere et tingere posse defenderet. Sed quomodò, inquiebat Tertullianus, dare potuit mulieri Paulus docendi et tingendi potestatem, *qui ne discere quidem constanter mulieri permisit?* Et Hieronymus in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum in Lucâ : *Periodos Pauli et Theclæ, et totam leonis baptizati fabulam inter apocryphas scripturas computamus.* Ejus generis etiam sunt *Acta sanctorum Petri, Pauli, Andreæ et Joannis; Acta Philippi et Thomæ; Revelationes S. Pauli et S. Thomæ; Apocalypsis S. Petri,* quibus vel Manichæi, vel Ebionitæ, vel Encratitæ utebantur. Hæc omnia, ut ad Ecclesiæ cognitionem pervenêre, summo consensu repudiata sunt, atque unicè retentum Lucæ volumen, ex quo perspicuum est et illa apostolicis viris visa esse indigna, et istud certâ viâ, ac ratione constitisse ab optimâ Apostolorum disciplinâ profectum. Atque hæc sat est à nobis indicari, cùm non vacet apocryphas scripturas sigillatim judicare, quas omnes dignitatis esse expertes non tam ex Ecclesiæ judicio, quàm crassissimorum errorum copiâ quilibet vel minimum in Apostolorum scholis eruditus facillimè potest cognoscere; doctrinæ enim in iis contentæ aut inanitatem aut pravitatem nulla apostolicorum virorum nomina satis tegunt.

Illud video cui fortassè esse molestum, ad quod necesse est respondere. Quis credat divinis Apostolorum actibus honorem semper habitum esse; eorum verò non solùm studium, sed etiam cognitionem à fidelibus neglectam? Quæ enim divini Spiritûs instinctu ab Apostolis scripta majores nostri crediderunt, in iis summo studio se exercebant, ut Evangeliorum atque Epistolarum canonicarum tractatio declarat; at vix ullus est veterum qui in Apostolorum Acta commentarios ediderit, qui ejus libri lectionem commendaverit, qui inde sumpserit quod doceret; ex quo et omninò ex hominum animis exciderat Lucam fuisse scriptorem. Contra verò periodos Pauli et Theclæ multi Patrum summis laudibus extulerant; inde Pauli capiebantur præconia; inde Theclam, exceptâ beatâ Mariâ Christi matre, sanctissimarum virginum caput prædicabant, cujus exemplo excitabant virginitatis amorem. Inprimis verè quâdam ex parte dicitur olim accidisse, ut vix ullo studio teneri viderentur fideles Apostolicorum Actuum; sed cùm primis Ecclesiæ seculis in Ecclesiis legi ea non consueverint, quid unquam mirum sit, ab Ecclesiæ doctoribus argumentum illud præteriri? contra verò Evangeliorum atque Epistolarum sententias in conventu recitatas Patrum homiliis illustrari? Quare autem non legerentur, Hieronymus explicat huic quæstioni occurrens; quia nudam videntur sonare historiam, et nascentis Ecclesiæ infantiam texere. Evangelia, Epistolas gravissimis præceptis abundare palam erat : nam et præcipiendi et hortandi causà Apostoli potissimùm illa scripserant; auctorem verò Actuum Apostolicorum non eò spectâsse, ut doceret, sed ut satisfaceret scire cupienti, quomodò incrementum Christi fides habuerit; quare in iis explicandis versabantur Patres, his prætermissis. Non poterant autem, etsi tacerent, nisi sacram historiam existimare, quam à Lucâ intextam fatebantur, cujus auctoritatem contra hæreticos vindicabant, ex cujus comparatione libros apostolicis viris suppositos discernebant; cùmque lapsu temporis multùm quoque utilitatis capi ad animos confirmandos in fide atque optimis præceptis instituendos deprehensum sit, publicè in Ecclesiis legi Acta cœperunt ante Augustini ætatem, ut libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 2, num. 4, sanctus doctor habet : *Actus Apostolorum liber est de canone Scripturarum; ipse liber incipit legi à Dominicâ Paschæ, sicut se consuetudo habet Ecclesiæ.*

De actis Pauli et Theclæ in genere dicimus (neque enim longiùs abripi ab instituto nostro volumus) falsa esse et commentitia. Etenim si vel ex fragmentis quæ supersunt, rem dijudicamus, fabulam deprehendimus. Theclam itinerum Pauli comitem, quam Apostolus à viro abstraxerit, partim et ipsam Apostolam, si licet quidem hoc uti verbo, Evangelii ministerio vacâsse, conciones habuisse, viris et feminis baptismum contulisse credendum jam esset : quo quid absurdius? Quòd si Patres quædam ex iis probârunt, vel ex traditione accepisse necesse est illa eadem vera quæ pseudo-Apostolus cæteris falsis admiscuerat; vel fortassè alia quædam Acta puriora et sinceriora ab ignoto, sed verace et probato Scriptore composita habuisse. Quanquàm nec insolens admodùm sit, Patres à libris etiam nullius fidei, si quid erat rei suæ opportunum, et pie-

tati excitandæ, fovendæ, promovendæ aptum in exemplum traduxisse. His paria dicuntur de libro, cui titulus : *Itinerarium S. Petri*; sive *Recognitiones S. Clementis*, qui vanissimis rebus refertus est; attamen à quibusdam Patribus commendatus. Fieri enim potuit, ut primò bonâ fide à quodam Petri amatore et discipulo descriptus; corruptus deinde ab Ebionitis accessione fabularum eam fidem amiserit, quam primò obtinuerat; nunc autem quia nativa ab adjectitiis distinguere non valemus, libros istos omninò abjicimus; quanquàm stent res perpaucæ, quas Traditionis testimonium corroborat.

ARTICULUS VI.

De Epistolis beati Pauli nomine Pauli inscriptis.

Cùm de Epistolâ ad Hebræos separatim dicere velimus, quæ prolixiorem tractationem postulat, hoc loco, quæ Pauli nomen præ se ferunt, exponendas in unum colligimus; est enim cæteris Pauli epistolis nomen inscriptum, exceptâ ad Hebræos datâ, quæ inscriptione caret. Antequàm verò quidquam de Epistolis constituatur, pauca, ut fecimus hactenùs in Evangelia, de Pauli vitâ et factis videnda sunt. Paulus, primùm *Saulus* nomine, originem duxit ex Hebraico genere tribûs Benjamin, natus in Tharso Ciliciæ urbe, atque ob eam rem Romanis civibus annumeratus, ut ipsemet Actor., cap. 22, v. 3, Populum, et vers. 37, Tribunum alloquens affirmavit. Non sum ignarus S. Hieronymum Comment. in Epist. ad Philem., et apertiùs in altero loco de Script. Eccles. dicere Paulum totamque Pauli familiam è parvo Galilææ vico, *Giscala* appellato, se Tharsum recepisse, cùm Galilææ regionem omnem Romani vastârunt; sed neque satis intelligo quos graviores ejus sententiæ auctores habeat, cùm Paulus ipsemet in concione exordiatur : *Ego sum vir Judæus natus in Tharso Ciliciæ;* et post concionem se civem Romanum natum respondeat tribuno, qui dixerat multâ summâ se civitatem consecutum. Iterùm nescio quam Galilææ vastationem in causâ fuisse Hieronymus velit, quare Pauli parentes Giscala aufugerint. Non enim nisi Pompeius Romani exercitûs imperator, vel Titus regionem illam depopulati fingi possunt : sed iste Paulo jam vitâ functo, ille longè ante Pauli nativitatem in eum locum copias duxit. Erat enim adolescens Saulus, Actor. cap. 7, cùm Stephanus trahebatur ad necem, neque videre Pompeii ætatem potuit; quamobrem Giscala Tharsum non est traductus causâ vastitatis. Natus est autem civis Romanus Augusti privilegio, qui Tharso tum largitus erat Romanam civitatem, cùm Tharsenses Julii Cæsaris partes contra Cassium amplexi fidem tenuerunt. Saulus Hierosolymam studiorum causâ missus à Patre, ibique Gamaliele Pharisæo præceptore usus tantùm profecit in legis doctrinâ, quantùm qui ingenio et industriâ plurimùm valuit, tantoque incaluit zelo Judaicæ legis, ut in Stephani necem et ipse conspiraverit, omniumque lapidantium vestes custodiendas receperit. Excitatâ post Stephani mortem gravissimâ contra Christianos Hierosolymitas tempestate, Saulus maximam sui erga Synagogam studii significationem dedit, domos pervestigans, si quis fortè Christi Jesu præcepta sequens lateret, eumque per vim extractum minis, vinculis, carcere cogebat à Christo discedere, et viros mulieresque in Synagogas compulsos abripiebat ad supplicium.

Sub idem tempus elapsi Hierosolymis fideles, atque abacti Judæorum sævitiâ in varias Judææ partes, quocumque irent, novam legem divulgabant : Saulus verò cædem spirans, obtentis à principe sacerdotum litteris ad Damasci Synagogam, sumpsit sibi quos invenisset novæ sectæ addictos, Hierosolymam adducere. Hujus rei causâ profectum initio anni 35, æræ vulgaris, jamque Damasco propiorem coercuit Deus, atque ad se attraxit insigni miraculo omnibus notissimo, quod in Acta cap. 9, 22 et 26, relatum est. Damasci ab Ananiâ sacro baptismate ablutus in Arabiam se contulit, Epist. ad Galat. cap. 1, v. 17; deinde Damascum reversus in Synagogis Jesum Christum tantâ vi prædicavit, ut Judæi pudore suffusi atque odio perciti, quod contradicere non valerent, ejus necem cogitaverint. Quocirca Præfectum urbi ab Aretâ rege constitutum adeuntes impetrârunt ad portas urbis custodes poni, qui egredienti manus injicerent; sed discipuli irritum fecerunt Judæorum consilium; nam inclusum in cistâ magistrum, et mœnibus demissum præsenti periculo subtraxerunt, Actor. cap. 9, v. 25, et epist. 2 ad Corinth. cap. 11, v. 32 et 33. Illinc Hierosolymam venit, triennio postquàm excesserat, Petrum visurus eodem regressum à Samariâ, cùm jam manuum impositione in Christianos Samaritas Spiritum sanctum de cœlis evocâsset; cùmque vellet se ad Christi discipulos adjungere, illi retrahebant se ab homine veteris instituti, ut putabant, tenaciore, atque osore fidelium; sed Barnabas mutatum Sauli animum testatus ad Apostolos adduxit, quem Petrus quindecim dies hospitio excepit. Dei zelo incensus cœpit deinde vehementer adeò de Christi lege ad Hellenistas dicere, ut gravem in se eorum invidiam concitârit, propter quam, cùm ad necem quæreretur, Cæsaræam à fratribus perductus est; unde et Tharsum missus paratum sibi exitium declinavit. Evangelium in Ciliciâ, postea in Syriâ tres annos docuit; tum rediens Tharsum unà cum Barnabâ Antiochiam perrexit, ubi primum Christianorum nomen discipuli obtinuerunt; augebatur enim in dies fidelium numerus. Antiochiâ discessit uterque anno ferè 44, eleemosynas Antiochenorum allaturus Hierosolymam, atque attulit quo tempore Claudius discipulos Domini exagitabat; quâ de causâ neminem Apostolorum vidit, assumptoque Joanne, cui cognomen erat Marcus, viam rediit. Antiochiæ cùm essent, Saulum et Barnabam ad Evangelii ministerium Spiritus sanctus advocavit; unde navigantes Cyprum ad fidem perduxerunt proconsulem Sergium Paulum, à quo potuit fortassè et Pauli nomen accepisse Gentium Apostolus, qui usque tum Saulus appellabatur : nam et tum primùm Pauli nomine Lucas Saulum vocat, Actor. cap. 13, v. 9. Post disseminatum multis in regionibus Dei verbum Antiochiam

reversi, ablegati iterùm sunt Hierosolymam à fratribus, ut ab Apostolis et presbyteris sciscitarentur de legalium cæremoniarum observantiâ, de quâ gravissima nuper quæstio excitata seditionem fecerat.

Tertiùm tunc venit Paulus Hierosolymam anno ferè 51, quem annum planè indicare videtur Apostolus idem, Epist. ad Galat., cap. 2, qui post annos quatuordecim ab altero itinere suscepto in eam urbem, quando à Petro receptus est hospitio, se iterùm illùc profectum narrat. Absoluto Apostolorum concilio Antiochiam cum Barnabâ, Judâ et Silâ remigravit, paulòque post se à Barnabâ sejunxit, cùm ille vellet Marcum sociare sibi, quem Paulus nolebat in consortium suum recipi. Itaque diremptâ cum Barnabâ societate, et Silâ adhibito socio, eum in Asiam studium Græcarum Ecclesiarum revocavit, et tamdiù detinuit, quoad quartùm Hierusalem repetiit anno 58 delatis rursùm eo eleemosynis, quas collegerat. Illùc ut venit, in templo captum, atque à manibus Judæorum ereptum tribunus Lysias vinctum catenis ad Felicem Judææ præsidem duci jussit, qui traditum sibi Cæsareæ in vinculis habuit biennio, neque emisit hominem innoxium, quem sperabat pecuniâ empturum libertatem, etiamsi ipse magistratu abierit; sed, ut Judæis rem gratam faceret, dijudicandum Portio Festo successori reliquit in suî locum anno 60, magistratum ingresso. Festum, triduò postquàm in provinciam venerat, ascendentem Hierosolymam Judæi convenerunt graviter de Paulo conquesti. Præses Cæsaream redux Paulum audiit; sed cùm Hierosolymis judicium fieri constituisset, Paulus ad Cæsarem provocavit. Lapsis diebus aliquot coram rege Agrippâ causam quidem suam dixit Apostolus; sed subinde Romam iter ingressus est. Naufragio ad Melitam insulam facto, tres menses in eâ insulâ mansit, quòd procellosum esset mare, atque anno 61 Romam pervenit: inde post bienni moram abiit, et sive in Hispaniam discesserit, sive Asiam, Græciamque iterùm lustraverit, quod satis non constat, certissimè cum Petro Romam rursùs advenit, ibique securi percussus anno ferè 65 gloriosissimo martyrio ad Deum migravit, cum quo laboribus defunctus, et solutus corpore conjungi vehementissimè cupierat.

His de Pauli vitâ breviter, quantùm fieri potuit, dictis, ad epistolas revertimur ab eodem gentium Apostolo scriptas. Sunt autem quatuordecim, si, et quam ad Hebræos dedit, in hunc numerum includamus, aliæ ad Ecclesias, aliæ ad singulares homines datæ; tredecim nomen Apostoli in fronte gerunt; à decimâ quartâ nomen abest, quam idcircò in hâc explicatione nostrâ non complectimur. Harum verò omnium Apostolum scriptorem esse, omnes esse divinas, omnium summam exstare auctoritatem sanè efficitur ex inscripto nomine, ex perpetuâ Ecclesiæ consensione, ex Hæreticorum notâ, quam ii subierunt, qui fidem hisce detraherent, vel corrumpendo quidquam ad doctrinam suam accomodarent. Quo enim alio argumenti genere concludi unquàm posset alicujus Apostoli atque apostolici viri genuinas quasdam esse scripturas, nisi hoc valeret? Quæ enim missæ sunt epistolæ ad Ecclesias, publicis in conventibus primùm sunt lectæ; postea extractis exemplaribus ad propiores alias; demùm ad fideles omnes pervenerunt; ubique magnus habebatur honor apostolicis litteris, ubique summo obsequio recitabantur in cœtu unà cum Evangeliis, atque animo ad religionem intento audiebantur. Quod ipsum et contigit epistolis cæteris, quas Apostolus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem inscripserat. Quomodò ergo suspicio unquàm esse possit, utrùm Apostoli oratio sit, an verò alterius, qui se Apostolum mentitus Ecclesiam fefellerit? Patres Origenes, Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus Ebionitas, Encratitas, Severianos, Helcheseitas, Marcionitas, Manichæos vel totum Apostolum, vel quasdam Apostolici scripti partes, locumve rejicientes confutârunt constanti Ecclesiarum testimonio, quod qui non suscipit, inquibant, necesse est omni religionis suæ fundamento careat, et vel de ipso bono, quod approbat, rationem, cur ita approbet, non queat reddere. Quòd si ea Apostoli Pauli doctrina est, quæ in epistolis continetur, quis neget esse divinam? A Christo Jesu is didicit, quæ fideles docuit; à Spiritu sancto officium officiique partes sibi commissas accepit; cum Apostolis quid crederet, quidve sentiret contulit; ipse unus supra humanas vires tantùm elaboravit in amplificandâ Ecclesiâ, quantùm multi conjunctim homines laboris patientissimi, quolibet humano auxilio freti, non potuissent; divinitùs uno verbo loquebatur; igitur et Dei præsidio communitùs scribebat. Cùm ergo iniquum sit non credere Paulum epistolas, ut necessitas vel opportunitas tulit, scripsisse; iniquius erit non agnoscere conscriptas divino favente atque afflante Spiritu.

Quamobrem vetus illa Ebionitarum de Paulo querela, Apostolum neque esse, neque dici, qui Christum non viderit, qui divinæ legi contraria docuerit, qui prætextâ causâ traducendi gentiles ad novum vitæ genus, novamque Christi disciplinam, sabbatum, circumcisionem totumque Mosem dignitate, et vi suâ privaverit, vetus illa, inquam, Ebionitarum querela, quæ eò spectabat, ut Paulum in invidiam, contemptumque adduceret, hominum erat non aperta modò divina consilia ignorantium, verùm etiam ratione abutentium. Quare enim Apostolus non appelletur eximius ille vir, quo instrumento potissimùm usus est Christus, ut Judæos et gentiles in unum Ecclesiæ corpus conjungeret; nec modò usus est, sed antequàm uteretur, comparavit, aptavit, effecit, eique vim omnem indidit? Erant et Pauli ætate invidi homines, et veritatis inimici negantes Apostoli nomen atque officium ei convenire, qui Christum magistrum non habuisset: propterea epistolarum suarum initio se Apostolum à Christo Jesu missum testabatur, et factis sæpè apostolicum munus sibi collatum esse comprobabat. Imò verò compulit et Apostolos cæteros fateri se de cœlo vocatum; Evangelium suum cum iis communicando, ostendit se eâdem Christi disciplinâ instructum, eodemque Præceptore informatum, quamvis ille ab

hominum oculis jam evanuisset. Atque hæc causa est, quare Paulo credamus, ut Marcioni Tertullianus, Manichæis Augustinus scitè opponebant; se probavit Apostolis reliquis Paulus, ne suspecta fieret de gloriæ studio, quam inierat, officii ratio; fidem omnibus Christi discipulis, atque Ecclesiæ magistris fecit auctoritatis suæ: cur ergo in Apostolis Paulum non numeremus, quem Apostoli ipsi in suum receperunt, et dignum cui crederetur putârunt? Itaque si Apostolus fuit, si cum Apostolis doctrinam contulit, si Apostolos comprobatores legationis suæ habuit, quì fieri potest, ut dominicæ legis aliena aut senserit aut scripserit? Hoc igitur modo, et Apostoli omnes qui veteris legis præceptis novos fideles non teneri, Petro id signis confirmante, docuerunt, à divinâ lege recessissent, de quo disputare est alterius loci.

Apostolus Paulus igitur divinas Epistolas dedit ad Ecclesias atque ad viros divinæ legis studiosos, in quibus credendi atque honestè agendi præcepta continentur. Eæ autem sunt ad Romanos una; duæ ad Corinthios; una ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses; duæ ad Thessalonicenses; duæ ad Timotheum; ad Titum, atque ad Philemonem una, quas non ipse digessit, servato temporis ordine, sed quisquis eas collegerit, Ecclesiarum primùm, deinde personarum dignitatis gradum eâ distributione ostensum voluit. Ut enim inquit Chrysostomus, et Theodoretus, Prophetæ non ætatis ratione habitâ dispositi in canone sunt, neque in Psalmis Davidicis collocandis temporum servatus est gradus, quibus David conscripsit; sed qui in unum volumen omnia compegerunt, vel arbitrio vel justis de causis unum alteri præposuerunt: sic apostolicis litteris accidit pro scriptionis tempore non esse distributas. Constabit enim, cùm ad singularum Epistolarum explicationem ventum erit, primo loco primam ad Thessalonicenses, tum alteram, deinde ad Galatas, ad Corinthios utramque, ad Romanos, ad Philemonem, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Titum, ad Timotheum, ad Ephesios Apostolum litteras misisse. Ideò verò, quæ ad Romanos scripta est, primas habuit in canone, quòd cùm cæteris Ecclesiis illustrior Romana sit, æquum videtur et primas in canone Epistolæ dari; quod etiam in collatione reliquarum Epistolarum spectatum est, ut nimirùm ea præcederet, quam Ecclesiæ quasi nobilitas postularet. Nos tamen paucis iis adnotationibus, quas in singulas Epistolas componere volumus, non temporis ordinem persequemur, neque recedemus à Græcorum omnium et Latinorum codicum fide; sed facto explicationis exordio ab Epistolâ ad Romanos percurremus ad cæteras.

Ad Romanos, sive ad Romanam Ecclesiam ex Judæis et gentilibus in unâ Christi fide conjunctis Apostolus scripsit, cùm earum nationum altera alteri præferri contenderet; et quæque sui causâ lucem veritatis sibi affulsisse arrogaret. Judæi gloriæ sibi tribuebant legem, et prophetas olim à Deo datos, se Deo vero debitum cultum præstitisse; sibi idcircò sæpiùs promissum Messiam, qui et ex Judaico genere traxit originem. Gentiles contra eo ipso se efferebant, quòd licèt sibi, secùs ac Judæis, divina sua judicia Deus non patefecisset; philosophiæ tamen ductu Deum divinamque naturam cognoverint, objicientes hoc ipsum turpius esse Judæis, qui datum Messiam ut plurimùm contemptum pertinaciter à se repulerunt. Paulus cùm rescisset concertationes et jurgia utrorumque; vereretur autem, ne si longiùs processum esset, gravissimum malum curari ampliùs non posset, tumultum compescendum censuit gravi et concitatâ, pene dixero, Epistolâ, quæ utrosque ad silentium cogeret. Neutrum populum præ alio gloriandi causam habere ostendit; non gentiles naturæ vi et philosophiæ studiis abusos, qui cognitum Deum honore privârunt abrepti insanâ inanium deorum religione; neque Hebræos legis desertores, quibus illud divinum beneficium accepisse non profuit, oblitis emolumenti quod percipere ex doctrinâ legis debuissent. Ambos premit, amborum retundit audaciam, persuadens fide in Christum Jesum justitiam consecutos, ad quam et Judæos et gentiles unius suæ misericordiæ sensu Deus perduxit, nullis aut studiis, aut rebus à quopiam promeritam. Post hanc causam in undecim prioribus capitibus actam, in reliquis quinque posterioribus optima morum præcepta, et quasi vias tradit, quæ et ad litis compositionem et ad inoffensum vivendi institutum ferrent. Epistola sublimis est et vehemens; obscura tamen et difficilis ad intelligendum propter magnam rerum ubertatem, quarum aliis infractis atque amputatis alias properè auctor attexit, ex quo fluens esse stylus non potest: at vim maximam habet, totumque apostolici animi impetum spirat compressa et contorta oratio ad dialecticæ leges composita, estque sermo omninò efficax atque energiæ plenus, et in quo mira sit ad permovendum vis. De hâc Epistolâ potissimùm locutum Petrum dicunt epistolæ suæ secundæ cap. 3, v. 16, cùm inquit, Paulum scripsisse *de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

Corintho hanc litteram Paulus scripsit et quidem, postquàm binas ad Corinthios miserat. Corintho scripsisse certis rationibus efficitur, seu quòd Phœbæ diaconissæ Ecclesiæ Cenchrarum (sunt enim Cenchræ portus Corinthi) deferendam dederit, seu quod Caium hospitem suum nominet cap. 16, v. 23. Caium utique Corinthi habitatorem, ut ex cap. 1 Epist. 1 ad Corinth., v. 14, apparet; seu quòd salvere Romanos jubeat nomine Timothei, Sosipatri, Caii, atque Erasti, quorum primi duo Apostolum Achaiâ Hierosolymam deduxerunt, reliqui Corinthi morabantur; seu quòd cap. 15, v. 25, indicet se Hierosolymam proficisci eleemosynas allaturum. Jam verò constat Apostolum Epheso egressum per Macedoniam atque Achaiam pertransiisse, dùm ad urbem Hierusalem iter instituit, Actor. cap. 19, v. 21, cùmque in Macedoniâ aliquantisper constitisset, in Græciam venisse. Tum enim trium mensium moram Corinthi fecisse creditur, Actor. cap. 20, v. 2 et 3, quorum spatio propè finem anni 57 vel initium 58, priusquàm in sanctam civitatem se conferret, ad Romanos scribere opportunum censuit.

Iterùm hanc Epistolam scriptam esse post binas ad Corinthios jam datas litteras, facile est intelligere; quandoquidem in 2 ad Corinth. hortatur Paulus, ut pecunias colligant ac seponant ad levandam sanctorum egestatem, qui Hierosolymis sunt, et monet cap. 13, se tertium ad eos venturum. Cùm ergo in Epistolâ ad Romanos dicat se propemodùm collectam pecuniam sanctis Hierosolymæ ministraturum, quam Macedones et Achæi paraverant, jam tertium Corinthum venerat; unde et Corintho diaconissam Phœbem Romam ablegavit; scriptore usus est cui nomen erat Tertius, ut ultimo capite legimus, et græcum sermonem adhibuit Romanis omnibus notissimum.

Missam ad Romanos Litteram consequitur in canone, quæ ad Corinthios primùm missa est Epheso; non autem Philippis, ut quædam græca exemplaria præferunt; hanc Apostolum misisse, cùm mox in Macedoniam esset migraturus ex 16 cap., v. 5 et 8, perspicuè concluditur : *Veniam autem ad vos cùm Macedoniam pertransiero; nam Macedoniam pertransibo... Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem:* Ephesi ergo tum erat, ubi usque ad Pentecosten manere constituerat; Macedoniam autem, et Philippos Macedoniæ urbem nondùm attigerat. Scripsit præterea Aquilæ et Priscillæ hospitio exceptus ibid. v. 19 : *Salutant vos in Domino multùm Aquila et Priscilla.... apud quos et hospitor.* At Aquilam et Priscillam Româ Claudii edicto pulsos Ephesi reliquit Apostolus, Actor. cap. 18, v. 19; Epheso igitur Epistolam conscripsit, et quidem aliquandiù ante Pentecostem anni 57. Hanc primam non esse Epistolarum, quas ad Corinthios Apostolus dederit, quidam ex eo suspicati sunt, quòd cap. 5, v. 9, dicat : *Scripsi vobis in Epistolâ : Ne commisceamini fornicariis;* sed cùm nemo veterum alterius, præter duas in canone inclusas, litteræ ad Corinthios meminerit, necesse est sanè Joanni Chrysostomo assentiri, Apostolum non aliam, sed quam scribebat, Epistolam notare voluisse ac si dixisset : Quandoquidem nuperrimè in hâc Epistolâ scribebam, ne cum fornicariis commisceamini; non illud peto, ut à gentilibus fornicariis omnibus longiùs discedatis; sed à fratribus, id est, Christianis scortatoribus. Ab initio autem ejusdem capitis monuerat vitandos fornicarios, et de medio tollendum, qui Patris uxore ad scortum abutens rem detestabiliorem fecerat.

Causa quæ Apostolum movit, ut Epistolam mitteret, hæc est. Nuper acceperat à Stephanâ, Fortunato atque Achaico, qui Corintho ipsum Ephesi convenerant, atque à familiaribus Chloes concertationes inter Corinthios excitatas esse, cùm eo Apollo Judæus, Christianus factus, adventâsset, habuissetque conciones, postquàm ipsemet illinc dicesserat. Distractis enim in partium studia Corinthiis, alii à Pauli, alii ab Apollo, alii à Petri partibus stare se profitebantur, quod non modò odiosum, verùm etiam periculi plenum erat. Apostolus igitur per Epistolam illud partium studium castigat, monens non huic, alterive homini quempiam addictum esse debere, aut posse, sed Christo; ministrumque non sibi, non scientiæ, non eloquentiæ, quâ polleat, populorum conversionem posse tribuere : nam Deus non humanæ sapientiæ vi, sed per stultitiam prædicationis crucis mundum ab errorum tenebris ad veritatis lucem traduxit. Hâc occasione scribendi sibi datâ, de multis aliis causis, de quibus vel audierat à Stephanâ, à Fortunato, ab Achaico, qui Corintho advenerant, vel à Corinthiis sibi quæsitum erat, sermonem producit. Reprehendit primò acriter, quòd incestuosum in societate retinerent; quòd alter adversùs alterum de secularibus negotiis, de injuriis, de fraudibus apud iniquos judicio contenderet. Tum respondet ad propositas quæstiones de matrimonio, de cœlibatu, de idolothytis; postea loquitur de nunquàm quæsitis à se in prædicatione Evangelii vel lucro, vel gloriâ, de Christianorum omnium in unum corpus conjunctione, de postremâ cœnâ Christi Domini, de præparatione, quam Christi Domini corpori participantes afferrent, de velando à mulieribus capite, de gratiarum sancti Spiritûs distributione, de charitatis præstantiâ, de linguarum dono, de orationibus communi linguâ dicendis, de veritate Evangelii et resurrectionis Christi Jesu; totumque sermonem absolvit, rogans eleemosynas comparari, et se quàm primùm ad eos venturum promittit. Per eosdem tres discipulos, qui paulò ante attulerant quid novi esset Corinthi, Epistolam misit, ut in fine significatum est.

Antequàm primam hanc Epistolam Corinthiis scriberet Paulus, in Macedoniam Timotheum miserat : quapropter illàc redeuntem, si fortè Corinthum remigrâsset, commendat ut in fidem suam accipiant. Ipse verò propter excitatum Ephesi tumultum à Demetrio, qui argentariam et quæstum faciebat ex argenteis Dianæ delubris, sibi inde esse excedendum putavit et migrandum in Macedoniam; ibi cùm Timotheum recepisset, alteram ad Corinthios, scripsit Epistolam tam suo quàm Timothei nomine. Equidem è Macedoniâ Apostolus rursùm Corinthiis conscripsit Epistolam; nam ab initio ait se statuisse priùs quidem Corinthum venire, tum in Macedoniam pergere, iterùm verò Corinthum reverti; sed mutato ob novas causas consilio, cùm Troadem ivisset, et Tito non invento angeretur animo, relictâ Troade in Macedoniam abiisse; quâ in re probat se nullâ levitatis atque inconstantiæ reprehensione dignum. Titi adventus in eam provinciam, atque accessus ad magistrum Pauli animum sedavit; perceptamque consolationem discipulus auxit, significans quid Corinthi ageretur, et quâ cupiditate Apostoli sui videndi tenerentur. Detulit autem inter cætera Titus quosdam Corinthios non æquo animo ferre Apostolum contra datam fidem, itinere aliorsùm suscepto, adventum suum distulisse; detulit incestuosum à Fidelium consortio depulsum, animumque conferendi pecunias ad sublevandas sanctorum necessitates paratissimum declaravit. Quapropter Paulus censuit optimum fore ad Corinthios iterùm scribere eo ipso loco, ubi Titus se de Corinthiorum studiis certiorem fecerat. Itaque primùm suî defensionem habet, quòd rectà ipsos non convenerit; etiamsi datâ priore Epistolâ novam præsentiâ suâ gratiam

inire, eosque arctiùs sibi conjungere proposuisset : dicit enim se veritum ne adventu illùc suo mœroris iis esset, augeretque dolorem potiùs quàm consolaretur. Tum laudat et fidem et fidei zelum, quem in vitando corrupto homine atque incestuoso ostenderant, permittens, rogansque veniam dari pœnitentiâ ducto, atque in fratrem recipi. Deinde de ratione quam tenuit in Evangelii ministerio, se purgat omnibus, de dignitate, de officiis, de virtutibus, de laboribus ministrorum Christi plura in unum conferens. Macedonum exemplo Corinthios provocat ad liberalitatem, quæ ex læto hilarique animo proficiscatur. Pseudo-Apostolos, qui Corinthios seducebant, eosque à se alienabant, multis verbis insectatur; utque tueatur dignitatem suam, nequit, quin de se præclarè loquatur, et suasmet revelationes, perpessiones, ærumnas, sollicitudinem et commodorum omnium oblivionem prædicet, velut qui laudem ex benè actis, et donis divinis gloriam quæreret. Tandem loquitur, ut virum decet fretum auctoritate, sibique nec constantiam, nec firmitatem deesse profitetur, quam officium illud suum desiderat. Epistolam Tito tradidit, qui perferret, cui et duos socios dedit, quos nomine non compellat in capite octavo. Philippis fortassè scripta est, clarâ Macedoniæ urbe propè autumnum anni 57 : nam in Macedoniâ scriptam esse, satis, præter ea quæ diximus, indicare videntur verba versiculi 2, cap. 9 : *Scio enim promptum animum vestrum; pro quo de vobis glorior apud Macedones.*

Deinde ad Galatas Epistola sequitur, quæ ante primam ad Corinthios missam data creditur ut plurimùm anno circiter 56 ex urbe Epheso, unde et datam esse Latinæ quædam inscriptiones innuunt. Sanè Apostolus in 1 ad Corinth., cap. 16, v. 1, monet, ut pro sanctis eleemosynas colligant, sicut Ecclesiæ Galatiæ præceperat : ad Galatas autem cap. 6, v. 6 et 10, scribens monet bona cum magistris et doctoribus esse communicanda et benè agendum ergà domesticos fidei ; quibus verbis Christianos Hierosolymitanos ab Apostolo pietati Galatarum commendatos intelligi potest. Theodoretus præcipuè sententiæ illi adversatur, quæ de loco et tempore scriptionis communior est et probatior, mavultque Româ ab Apostolo exaratam. Verùm Paulus ipse indicat in Epistolæ initio vers. 6, paucos admodùm ante annos à se explicatam Galatis fidei veritatem : quare miratur tam brevi tempore corruptos malo cultu pravisque opinionibus doctrinam à se traditam deseruisse : *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium.* Hortator autem fuerat, et auctor Apostolus Galatis, ut Evangelio crederent anno 51, et iterùm 54, ut ergo illam temporis brevitatem retineamus, quod inter veritatis manifestationem atque inductionem errorum intercessit, necesse est ponere multò ante per hanc Epistolam reprehensos Galatas levitatis, quàm Apostolus Romam perrexerit, quoniam anno tantùm 61 Paulus Romam venit; mirandum autem adeò non fuisset, si decem propè annorum spatio, malis suasionibus, pseudo-Apostoli quidam Galatas ab Apostolicis præceptis abstraxissent. Item in omnibus Epistolis suis quas Româ Paulus scripsit, non prætermisit vincula, et carcerem commemorare, quæ pro Christi nomine perferebat : nihil autem in Epistolâ ad Galatas de vinculis loquitur; non igitur Romæ, cùm esset in carcere detentus, Galatarum vanitatem exprobravit. Iis enim verbis ultimi capitis vers. 17, in Epistolæ clausulâ : *Nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*, non Romanis vinculis se constrictum significat, sed crucis Christi onerationem, verbera, vexationes, adita in vices atque exhausta pericula paucis perstringit, quæ manifestissima indicia sunt Apostoli imaginem Christi expressam præ se ferentis, et retinentis magistri doctrinam; quemadmodùm et postea in Epistolâ 1 ad Corinthios cap. 4, exposuit.

Argumentum Epistolæ istud est. Cùm in Galatiâ, provinciâ Asiæ Minoris, primùm post suum à Barnabâ secessum anno 51, Actor., cap. 16, v. 6, tum anno 54, ibid., cap. 18, v. 23, Paulus verbum Dei docuisset, eumque populum ab idololatriâ ad veram fidem revocâsset, nuntium deinde accepit post paucos annos subversum penè fuisse à falsis doctoribus ædificium, quod ipse construxerat. Perturbaverant enim Galatarum animos, et perverterant obtrectantes nullius fructûs, utilitatis, emolumenti fore Evangelii usum, nisi cum Evangelii præceptis tam circumcisionis quàm totius Mosaicæ legis præcepta conjungerentur. Infirmabatur autem inde Pauli auctoritas, qui contraria suaserat, adducto in suspicionem atque invidiam homine, qui neque Apostolicâ eniteret dignitate, neque Christum vidisset unquàm, neque eâ in re Apostolos cæteros consentientes haberet. Paulus fallacias veritati anteponi minimè passus, quo æstuabat divinæ charitatis incendio, et falsâ accusatione vehementer commotus, ipsemet manu propriâ, nullo accersito notario, Epistolam texuit, in quâ primùm totis viribus se verum Christi Apostolum esse, nec minùs ac Petrum ad prædicationis officia designatum cum vocatione divinâ, tum factis confirmat, suæque sinceritatem doctrinæ cæterorum Apostolorum testificatione comprobat. Addit, se eò usque compulsum necessitate veluti quâdam, propter Evangelii dignitatem, ut Petrum præ inconsiderantiâ atque infirmitate à gentilium consortio se subtrahentem, et cæteris exemplum secedendi dantem Antiochiæ coram omnibus reprehenderet; hæc scilicet et complecti in Epistolâ suâ voluit, ne fortassè Petri facto falsi doctores, qui de Paulo obloquebantur, præjudicia sua aut prætexerent, aut tuerentur. Multis deinde ostendit Christianos à veteris legis servitute per Christum ereptos, assertosque in filiorum Dei libertatem ab omni Mosis præcepto solutos esse debere, neque sub infirma atque egena elementa subjectos; quibus primùm expositis ad suî defensionem, deinde à quibus rebus abstinere debeant, quidve præstare Fideles Christum secuti ad rectam morum institutionem brevi sermone comprehendit.

Quinto loco posita in canone est, quam ad Ephesios habemus Epistolam conscriptam Româ, cùm

Paulus esset in vinculis, ut illa ter repetita declarant, cap. 3, v. 1 : *Hujus rei gratiâ ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus.* Cap. 4, v. 1 : *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis.* Et cap. ult., v. 20 : *Pro quo legatione fungor in catenâ....* Sed quia bis, anno videlicet 61 et 65, Romam abiit Paulus, quæstio est utrùm in primo an secundo adventu Ephesiorum Ecclesiæ curam per has litteras gesserit. Nonnullos quidem persuasit, cùm primùm in urbem venit, scripsisse nomen tabellarii, qui epistolam detulit, Tychicus, quo usus Apostolus est legato ad Colossenses. Apostolus autem, inquiunt, Tychicum misit ad Colossenses in primo itinere Romam; istum ergo et in primo itinere ministrum adhibuit, qui ad Ephesios scriptum suum perferret. Sed ab his verum quâdam ex parte, non totum dicitur : nam etiam cùm Paulus iterùm conjectus est Romæ in vincula, secum habebat Tychicum, quem Ephesum misit, ut in secundâ Epistolâ ad Timotheum anno 65 scripta legimus : *Tychicum autem misi Ephesum*, cap. 4, v. 12. Credibile autem non est eodem tempore ad utramque Ecclesiam Colossensium atque Ephesiorum Apostolum scripsisse. Epistola nimirùm ad Colossenses, sicuti et cæteræ è primis vinculis scriptæ non modò Pauli, sed etiam Timothei nomen præfixum habent; at quæ Ephesiis inscribitur, solo Pauli nomine est edita ; non ergo nisi prope vitæ finem è secundo carcere Ephesios Apostolus scripto docuit.

Huic Epistolæ causam dedit animus ipse Pauli semper infixus in eorum fidelium charitate, quos olim docuerat. Cùm enim multùm ad tradendam Ephesiis disciplinam Christi allaborâsset, eâque de causâ tres Ephesi annos egisset; in Macedoniam discedens Timotheo Ephesinæ Ecclesiæ curam reliquit, eumque cavere jussit, ne qui illìc ad populum dicere susceperant, contrarium quid, aut alienum præceptis à se datis proferrent, neve fabulis aut genealogiis interminatis incremento fidei obstarent. Reipsà quidem in Pauli deinceps notitiam venit, Ephesios pacis et charitatis studiosos, quæ acceperant retinuisse : at veritus Apostolus ne tandem insidiis compositæ orationis caperentur, aut illorum qui se Gnosticos jactabant, aut fidelium Judæorum Mosaicæ legis adhuc tenacium, et Christi fidem extenuantium, Epistolam scribendam censuit, quâ in susceptâ doctrinæ veritate constantiores efficeret. Ut ejus doctrinæ ardentiorem amorem excitaret, eique, quo par erat obsequio, firmiùs adhærerent, dona et gratias eximias commemorat, quibus erant cumulati propter redemptionem in Christo Jesu propositam, ac fidem Evangelio præstitam ; tum præclara omnium Christianorum generi atque ordini benè instituendæ vitæ præcepta adjungens, sermonem claudit.

Epistola ad Philippenses tam Pauli, quàm Timothei nomine scripta est ad omnes sanctos in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum episcopis et Diaconibus. Philippi urbs erat ex præcipuis Macedoniæ, quò se Apostolus contulit Evangelium prædicare, noctu monitus per visum, ut in Macedoniam transiret, Actor., cap. 16, v. 9. Sæpiùs deinde eò redierat, omniumque animos adeò devinxerat sibi, ut quotiescumque occasio tulit, suam ii erga Apostolum voluntatem testatam fecerint non dubiis amoris atque obsequii significationibus. Romæ inter cætera cùm primùm captivus detinebatur, missis largitionibus necessitati ejus et commodis consuluerunt, quemadmodùm bis Thessalonicæ agenti olim subsidia miserant, cap. 4 ad Philip., v. 16. Romæ igitur cùm ab Epaphrodito Philippensium legato munera accepisset, velletque gratum eorum liberalitati animum declarare, eumdem cum litteris dimisit, statim ac ille à gravissimâ infirmitate convaluit, in quâ propter opus Christi in vitæ periculum inciderat. Litteras autem deferendas dedit officii, benevolentiæ, et charitatis plenissimas, multa loquens et de vinculorum suorum fructu, de laborum, atque ærumnarum tolerantiâ, de Christi Jesu humilitate, totius veræ humilitatis exemplo, ad quam quidquid agerent Philippenses, et quidquid sentirent, revocare deberent. Inter hæc hortatur, ut veros se Dei filios præstent, et tanquàm luminaria inter perversæ nationis homines eniteant. Præsidium dat contra Judaicæ legis doctores ad firmam cum Christo conjunctionem, ad contentionum fugam, ad orationis studium, ad humilitatem, modestiam, amorem mutuum, constantiam in adversis, vacuitatem sollicitudinum, pacem, lætitiamque omnes incendit, et commendatâ singulari eorum in se munificentiâ bona omnia iis precatur. Data epistola est propè finem anni 61, vel 62 initium; confidentem enim inquit scire servatum se fidelium utilitati, et fidei gaudio, ipsorumquemet gratulationi per profectionem suam iterùm ad eos, quam cogitabat.

Sub idem ferè tempus, paulòque post misit epistolam alteram ad Colossenses, ad sanctos scilicet, et fratres urbis Colossarum in Phrygiâ non procul à Hierapoli, et Laodiceâ, cujus Herodotus, Plinius, Xenophon, et Strabo meminerunt. Minimè enim concedendum est iis, qui arbitrantur à Colosso Solis in Rhodi insulâ posito Rhodios Colossensium nomine hìc appellatos, quoniam ineptè prorsùs Apostolus hâc de causâ novum Rhodiis nomen dedisset. Paulus quidem etsi in Phrygiâ Christi fidem propagaverit, Colossensibus tamen operam suam nunquàm præstitit, ad quos profectus non erat; se enim nunquam visum Colossensibus scribit, cap. 2, v. 1 : *Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro iis, qui sunt Laodiciæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne;* cujus loci significationem, quasi ambiguè scriptum esset, aliò traxit Theodoretus, et à verbis voluntatem, sententiamque scriptoris abduxit, explicans Apostolum dixisse non modò Colossenses à se utique edoctos ; sed et Christianos omnes, quibus agnitus non erat, sibi maximæ curæ esse. Etenim cùm violenta est hæc Pauli verborum explicatio, qui planiùs dicere voluit Colossenses, et Laodicenses in eorum numero esse, quibus se videndum non præbuerat, ut Chrysostomus, et græci fermè omnes Patres interpretantur, tum non consentit cum primo capite, in quo nuntiatum sibi esse ait, Colos-

senses fidem suscepisse, eamque didicisse ab Epaphrâ, qui nuper ad se venerat vinctus et ipse in Domino, seque de iis certiorem fecerat. Paulus igitur, ut ostenderet quanta se consolatio cepisset, quantâque eos charitate complecteretur, quod et fidem, et arctissimam cum sanctis omnibus conjunctionem tenerent, scripsit non tam eorum institutum commendans, quàm confirmans. Noverat siquidem et quosdam esse ex Judæis conversos unitatis eversores, et legalium defensores acerrimos; noverat et Simoniacos circumire tentantes superstitioso angelorum cultu Christi Domini majestatem minuere, idque partim ab Epaphrâ relatu, partim à Laodicensibus per epistolam, rescierat; monet ideò, ut in Jesu Christi fide constantes maneant, caveantque, ne inanis philosophiæ præceptis de ciborum, et dierum discretione, de angelorum cultu à Christo Jesu, Dei, atque hominum mediatore, Ecclesiæque capite divellantur; decere enim, ut qui cum Christo surrexerint, solùm, quæ Christi sunt, quærant, et sequantur. His breve compendium de præclarioribus christianæ vitæ capitibus subjicit, mittens per Tychicum, atque Onesimum, quæ scripserat anno Domini fermè 62.

Quia verò epistolæ finem facturus Apostolus hortatur Colossenses, ut cùm legerint, Laodicensibus quoque legendam tradant; et pariter quæ Laodicensium est, ipsi legant, ut in latinis exemplaribus habetur, vers. 16 : *Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite, ut et in Laodicensium Ecclesiâ legatur; et eam, quæ Laodicensium est*, *vos legatis*, quibusdam visum est ad Laodicenam Ecclesiam alias litteras Paulum misisse. Adduci tamen non possumus, ut ullam Pauli epistolam ad Laodicenses datam existimemus. Quorsùm enim ille scripsisset, vers. 15 : *Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ....*, si per epistolam ipsemet salutem misisset? Aut quî accidere potuerit, ut epistola ad Laodicenses nusquàm appareret, cùm tamen ad omnes Ecclesias pervenerit, et religiosissimè sit custodita, quam ad Colossenses dedit? Ambiguitatem latini sermonis tollit omninò græca locutio, in quâ significatur optare Apostolum, ut, quam Laodicenses ad se miserant epistolam, Colossenses legant, quemadmodùm Chrysostomus, Theodoretus, Photius, OEcumenius exposuêre; idque Chrysostomus, homil. 12 in epistolam ad Colossenses ex eo evidenter probat, quòd Apostolus Paulus non dixerit τὴν πρὸς Λαοδικέας, *ad Laodicenses*, ut dicere debuisset : sed τὴν ἐκ Λαοδικείας, *à Laodiceâ;* à Laodiceâ utique scriptam significans. Non sumus quidem ignari Philastrium, Gregorium, et quosdam Latinos Patres Laodicensibus missam à Paulo epistolam credidisse; sed olim eam falso tributam fuisse Apostolo ex Epiphanio, Hieronymo, Theodoreto didicimus. Epiphanius, hæres. 42, num. 12, ait, epistolam ad Laodicenses nunquàm inter Apostolicas exstitisse. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Paulo : *Legunt quidam et ad Laodicenses; sed ab omnibus exploditur.* Theodoretus, comment. in cap. 4 Epist. ad Coloss., falsam epistolam nominat. His verò Patribus, et Chrysostomo adhibenda potiùs fides est; nisi fortè mallemus, quam ad Ephesios Apostolus dedit, cum Marcionitis dicere scriptam ad Laodicenos. Nam et Tertullianus, lib. 5 advers. Marcion., cap. 11, inquit : *Epistola, quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, hæretici ad Laodicenos.* Sanè fragmentum epistolæ ad Laodicenos, quod Sixtus Senensis præsertim edidit, ne esse quidem potest epistola à Philastrio commemorata, cùm illam depravatam ab hæreticis dicat Philastrius, eâque de causâ nunquàm legi in Ecclesiâ consuevisse; hanc verò Sixti errorum expertem videamus, atque Apostolici viri sensibus non indignam. Attamen quamvis Apostolum hæc non dedeceat, Pauli non esse etiam ab imperitis agnoscitur. A Pauli scribendi genere longè distat; multò etiam brevior est, quàm quæ ad Philemonem inscribitur; nullum in eâ certum argumentum tractatur; omni denique auctoritate semper caruit.

Succedit prima ad Thessalonicenses epistola, quæ prima omnium epistolarum est, quas Paulus conscripserit. Ipse enim, anno 52, Thessalonicæ clarâ Macedoniæ urbe Evangelium docuerat; excitatâ autem Judæorum seditione expulsus Berœam venerat, et rursùs Berœâ Athenas se receperat, Judæorum furore exagitatus, relictis Berœæ Silâ, et Timotheo, qui deinde in Macedoniam remigrârunt. Athenis discedens Corinthum petiit, ibique posteà adfuerunt Timotheus, et Silas nuper è Macedoniâ adventantes, Actor. cap. 16 et 17. Tum Corintho primùm ad Thessalonicenses scripsit Timothei etiam, et Silæ nomine (hunc autem Silvanum appellat), quos secum comites habebat. Ex quo non intelligimus, quomodò plura exemplaria Græca, Latina, Syriaca, Arabica error ille occupaverit, à quibusdam etiam probatus, Apostolum Athenis scripsisse. Athenis enim solus erat Paulus; Corinthi verò eum convenerant Silas, et Timotheus; Corintho ergo, non Athenis scripsit. Constant hæc omnia ex Actibus Apostolorum, cap. 18, atque hâc ipsâ epistolâ, cap. 3. In Actibus vers. 1 : *Post hæc egressus ab Athenis* (Paulus) *venit Corinthum.... ; cùm venissent autem de Macedoniâ Silas, et Timotheus*, vers. 5. Item in epistolâ, vers. 1.... : *Placuit nobis remanere Athenis solis.* Et vers. 6 : *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, et annuntiante nobis fidem*, *et charitatem vestram.....* Cùm igitur à Timotheo audîsset Thessalonicenses à fide non dimoveri, et forti animo mala sustinere, quibus à Judæis, à civibus afficiebantur, per litteras gratulatus est stabilitatem in fide; in memoriam revocans sinceram, et ab omni questu alienam prædicandi Evangelii rationem à se usque servatam, et præcepta olim data. Hortationes addidit vehementes, ut omnem turpitudinem abominarentur, adversa ferrent moderatè, dolori de domesticorum morte modum ponerent, ut eum decet, qui spem habet futuros cum Christo hinc ereptos, judicii diem infixum menti haberent. His alia ducendæ christianæ vitæ documenta interspersit, modò suaviter increpans, modò laudans; effecitque demùm, ut de suâ in eos voluntate nihil remissum esse sibi persuaderent.

Hanc paulò post consecuta altera epistola est, no-

men pariter utriusque Timothei, et Sylvani præferens. Ardens eos videndi desiderium in priore epistolâ Paulus significaverat, cùmque propter occupationum concursum præsentiâ suâ satisfacere non posset, scripto fidem, quam potuit, præstitit, potissimùm et aliis causis ad scribendum impulsus. Nonnulli enim vel priore Pauli epistolâ, in quâ de judicii die verba fecerat, vel illis iisdem in alium sensum detortis, vel potiùs aliis confictis, atque Apostolo tributis repleverant terrore animos Thessalonicensium, ac si judicii dies non procul abesset. Quamobrem et in capite secundo monet, ne expavescant, neve se abripi sinant à falsis doctoribus; mysterium quidem iniquitatis jam tum fieri; judicium autem non futurum, nisi populus à principe defecerit, atque homo peccati palàm apparuerit, quem Dominus Jesus spiritu oris sui interficiet; quæ dicta esse volunt interpretes de Hierosolymitano excidio, tanquàm symbolo extremi judicii diem prænotante (etenim quemadmodùm Deus vindictam de Hierosolymis sumpturus non erat, nisi postquàm Judæi à populo Romano defecissent; Nero Christianos immani furore exagitâsset; et se Deum esse prædicâsset Simon Magus; ita in orbis exitio pœnam ab impiis tùm Deus repetet, cùm populorum à Christianâ Ecclesiâ alienatio, atque Antichristi jactantia, et subversio antecesserit). Objurgat deinde otio deditos homines, et laboris inimicos, curiositati vacantes, pacis perturbatores, ab iisque secedendum præcipit, ut confundantur, nisi animum mutaverint; cùmque suspicio ei subierit, quasdam epistolas suomet nomine editas fuisse, ne in posterum deciperentur, signum apponit manu propriâ, quo epistolas suas discernant. Vel harum rerum sola expositio absque ullâ prolixiore oratione sufficit, ut totum Grotii systema evertatur, qui debilibus conjecturis persuadere se posse putavit, ordinem epistolarum ad Thessalonicenses esse inversum, atque hanc secundam primo loco fuisse collocandam, ut longè priùs alterâ conscriptam.

Hùc usque epistolas Pauli ad Ecclesiarum cœtum missas explicavimus : nunc de epistolis ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem datis videndum est. Timotheus carissimus Apostoli filius in fide Derbe, aut Lystris Lycaoniæ urbe natus cognitus est Paulo anno quinquagesimo. Patrem habuit gentilem, matrem Judæam, Eunicem nomine; avam verò Loidem. Mater, atque avia, Christi fide susceptâ, sacris litteris Timotheum ab adolescentiâ erudiendum curaverant, quem cùm fratres Lystris, atque Iconio Paulo probâssent, Paulus sibi ultrò adscivit itinerum socium, adhibuitque deinde in verbi ministerio adjutorem, et laborum consortem, postquàm ad declinandam Judæorum invidiam circumcidisset. Nunquàm ab Apostoli latere discessit, nisi cùm res Ecclesiæ postularet quopiam ablegari, ut sæpè magistri vel jussione, vel rogatu apud plures Ecclesias functus est legatione, atque in Dei opere se exercuit, donec postremùm profecturus Paulus in Macedoniam, Ephesi consistere eum jussit, atque ad Ecclesias Asiæ curas omnes suas referre, epist. 1 ad Timoth., cap. 1, v. 3, ad quem deinde Ephesi relictum Paulus scripsit, cùm ipse in Macedoniam properabat. Difficilè sanè est tempus istud abitionis in Macedoniam constituere, ex quo cognoscamus unde, et quando epistola data sit. Ter enim in Actis Apostolicis legimus Paulum Macedoniam peragrâsse, Actor., cap. 16, 17 et 20. In primo et secundo itinere non aberat Timotheus; in tertio autem præmisit Paulus Timotheum, Actor., cap. 19, v. 22, qui indè Apostolum in Asiam deduxit, Actor., cap. 20, v. 4. In alterutrâ ergo ex istis tribus profectionibus non videtur Timotheum Paulus designâsse ecclesiarum Asiæ curatorem. Quamobrem ad novum aliud Macedoniæ iter ea verba retulit : *Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam*, quod susceptum ab eo multi volunt post primam à romanis vinculis liberationem anno circiter 63. Tunc enim cùm Epheso Paulus Macedoniam rursùs iret, Ephesinam Ecclesiam Timotheo gubernandam commisit. Cum his optimè consentit, quod plerùmque dici solet, Timotheum, et Paulum ambos Romæ vinctos anno 61 et 62 fuisse, quippe amborum nomine ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem missæ sunt epistolæ. Timotheus ergo Romam prosecutus erat Apostolum, nec nisi in reditu ab urbe Ecclesiam administrandam suscepit, quod fortasse accidere anno 63 potuit.

Verùm cùm regressum in Asiam unà cum Paulo Timotheum, Actorum, cap. 20, narretur; ab eo autem loco nusquàm legatur in Pauli societate fuisse neque Hierosolymis, neque Cesareæ, in quarum alterâ in Paulum manus injecerant, alterâ vinctum detinuerunt biennio, visum quibusdam est Ephesi tum rogatum manere, cùm Paulus Mileto Ephesum misit majores natu Ecclesiæ accersitum, antequàm Hierosolymam iter haberet, Actor., cap. 20, v. 17. Nam revertentem per Macedoniæ fines in Asiam Timotheus est comitatus, ibid., v. 4. Posthinc verò nullibi commemoratur; atqui credibile est tum Paulum, quia censuit utilem admodùm fore Ephesiis Timotheum, eorum Ecclesiæ præposuisse. Quòd si posteà Romæ is adfuit unà cum Paulo in primis vinculis, potuit iterùm Apostolo se adjungere, ut si quam valeret, afflicto, atque egenti levationem, et opem ferret. Si res ita sit, Timotheum anno 58 Ephesiorum Ecclesiæ Paulus præfecisset; postea verò aut in itinere versùs Hierosolymam, aut ex ipsâ urbe Hierosolymâ, antequàm propter seditiosos caperetur in templo, litteram misisset. Quomodocumque autem velimus, sive è Macedoniâ post priora vincula, sive ex Hierosolymitano itinere multo antea esse conscriptam, certum est Paulum veritum, ne brevi Timotheum convenire non posset, quod maximè cupiebat, et præcepta quædam administrandæ Ecclesiæ necessaria verbis dare, scripto ea percensuisse documenta, ad quæ in Ecclesiâ Dei actiones suas componeret. Hæc tota ratio est, cur Paulus epistolam scripserit, in quâ, cùm quæ ad tuendam officii dignitatem pertinent, tùm quæ privatam integri hominis vitam decent, sanctissimis legibus, atque institutis comprehendit.

Secundam ad Timotheum epistolam datam esse

Romæ ex vinculis, argumento illa sunt, cap. 1, v. 8, 16, et 17 : *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus... Det misericordiam Dominus Onesiphori domui : quia sæpè me refrigeravit, et catenam meam non erubuit ; sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsivit, et invenit.* Utrùm vero, cùm iterùm Romam venit, jam pro Christo mortem oppetiturus ; an primùm unde et evasit à periculo ; quæstio est, quæ distraxit interpretes. Plerùmque probatur propè vitæ exitum in secundâ captivitate hanc alteram epistolam esse conscriptam. Sentit nimirùm Paulus sibi finem vitæ accedere tanquàm victimæ non tam mactationi destinatæ, quàm libatione perfusæ, et velut qui stadium cucurrit, metam se attigisse, cui et præmium debeatur, cap. 4, v. 6, 7 et 8 : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ...* Subjicit et quædam de primâ suî defensione, qua à fauce leonis est ereptus, ut prædicationis opus absolveret, v. 16 et 17 : *In primâ meâ defensione nemò mihi adfuit... Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes ; et liberatus sum de ore leonis.* Eusebius quidem, Hieronymus et Theodoretus ista interpretati sunt de primâ causâ apud Neronem actâ in primis vinculis, à quibus Dei beneficio exemptus erat. Chrysostomus verò modò in eamdem sententiam inclinat, modò ab eâ recedit, explicans Paulum in secundo adventu jussum Neroni se sistere, omnem criminis suspicionem à se depulisse liberatione obtentâ ; in eo tamen Eusebio, Hieronymo, et Theodoreto consentit, quod supremas veluti Pauli tabulas epistolam hanc esse fateatur. Nobis certè videtur Apostolum potiùs ad primam à vinculis absolutionem, quàm ad momentaneam, penè dixero, animi Neronis in postremâ causâ mitigationem spectâsse. Nam Paulus ait in primâ defensione, se à leonis faucibus ereptum, id est, Neronis crudelitate fuisse subtractum. Quomodò autem imperatoris immanitatem evasisset, si adhuc in vinculis, adhuc in proximo vitæ periculo fuisset? Ait præterea, se ideò divinâ ope liberatum, *ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes* (id est, *impleretur, et audirent*, ut in græcis exemplaribus : ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ καὶ ἀκούσῃ πάντα τὰ ἔθνη), apertè indicans, post eam periculi fugam multùm laborâsse, et Româ egressum gentibus fidei doctrinam attulisse ; quod non nisi de restitutâ omninò sibi olim libertate potest intelligi.

Hâc eâdem planè de causâ Baronius, atque Esthius epistolam tertio, aut quarto Neronis anno, multo antequàm Paulus morte damnaretur, missam putant. Inquiunt enim ; significat Paulus servatum se Dei largitate, ut quæ deerant prædicationis officio, in gentibus impleret ; id ergò perfecit post datam epistolam, quod sibi ex divinâ voluntate implendum cognoverat ; perficere autem non potuit, nisi postea priora captivitatis vincula omninò deposuerit. Item significat Apostolus, se recens in urbem Romam venisse, cap. 4, v. 13, et 20 : *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum... Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Sed Apostoli locum de operis sui consummatione jam explicuimus : cætera vero, quæ recentis in urbem adventûs indicio sunt, officiunt potiùs Baronii, atque Esthii causæ, quàm prosint. Recens venerat Romam Paulus ; ergo secundùm venerat. Nam cùm primùm Romam perductus est, plus triennio jam Corintho, Troade, Mileto discesserat ; quippe anno 58 à Lysiâ tribuno Hierosolymis est detrusus in carcerem ; biennio deinde Cæsareæ detentus est. Post longam demùm, et periculosam navigationem anno 61 Romam appulit. Quid ergo novi Timotheo scriberet, significans triennio antè Corinthi mansisse Erastum, morbo correptum Mileti Trophimum, penulâ sibi opus esse, quâ triennio caruerat? Tutiùs multò propterea videtur iis assentiri, qui Apostolum à primis vinculis liberatum Græciam, atque Asiam lustrâsse volunt, et post hæc Romam reversum, unde non erat iterùm abiturus ; quùm scriberet Timotheo, ut ad se iter properaret, inter cætera fecisse certiorem de quibusdam, quæ sibi, et sociis in reditu acciderant, et quid Troade afferendum sibi esset, admonuisse. In hâc posteriore epistolâ idem ac prioris argumentum prosequitur Apostolus, exprimens in Timotheo perfecti pastoris imaginem.

Deinde ad Titum exstat epistola. Titum olim gentilem Apostolus in Christi fide instituerat, et filii loco habebat, eoque utebatur modò itinerum socio, modò legato ad Ecclesias pro divini ministerii opportunitate, quem demùm in insulâ Cretâ Ecclesiasticæ rei gerendæ præfecit, ut cap. 1, v. 5, dicitur : *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas....* Quonam tempore Paulus Ecclesiæ illius procurationem Tito tradiderit, ex Apostolorum Actibus non apparet. Neque enim legitur uspiàm Paulum in Cretam insulam appulisse, nisi cùm Cæsarea Romam vinctus navigavit, quo in itinere nemo Titum Cretæ relictum facilè crediderit. Quare consentaneum potiùs est, Paulum romanis vinculis exemptum, atque in Asiam repetentem iter, Cretâ quoque percursâ, cùm otium sibi non esset constituendis ubique in insulâ Ecclesiis, id negotii discipulo commisisse, ad quem in reditu Romam propè finem anni 63 epistolam dederit præceptis episcopalis officii feracissimam, ejus planè similem, quam circa eadem tempora ad Timotheum misit. Erat tum Paulus, cùm scribebat, in itinere ad Nicopolim Thraciæ urbem in Macedoniæ finibus, vel fortasse ad alteram Nicopolim Epiri urbem secùs Ambraciæ sinum, atque ad eam urbem properabat, hiemare ibi cogitans, cap. 3, v. 12 : *Festina ad me venire Nicopolim ; ibi enim statui hiemare.* Adfuit reipsà Titus, et Romam usque Apostolo comitem se addidit ; unde et ipsum in Dalmatiam Ecclesiæ ministerium evocavit.

Ad Philemonem denique Paulus per brevem epistolam scripsit omnium brevissimam, quâ fugitivum servum in ejus gratiam restituit. A Philemone illustri

Colossarum cive, furto facto, Romam fugerat Onesimus servus, cùmque in Paulum incidisset ab eo in fide eruditus, et Christi baptismate initiatus, fidei, atque obsequii sui præclara dedit testimonia. Hunc paulò post remittendum ad herum Apostolus curavit cum litteris pro fugâ veniam impetraturis. Itaque scripsit Philemoni Paulus litteras amoris, et benevolentiæ plenas, et suavitatem, atque injuriæ remissionem spirantes, rogans præcipuè recipi Onesimum in vinculis à se genitum, non uti servum nequam, sed uti charissimum fratrem, pro quo ipsemet satisfacturum spondet, eique conciliari, ac si se ipsum reciperet. Epistolam Onesimus tulit, et veniam Pauli rogatu facile exoravit. Ad Paulum deinde dimissus tantùm vincto præstitit officiorum, quantùm quisque conjunctissimus præstare potuisset. Cùm ab Apostolo ad Colossenses missus ipse sit, qui epistolam ad eos perferret, visum Hieronymo est unâ profectione Colossas cùm ad herum, tùm ad sanctos, et fideles fratres litteras Pauli attulisse. Verùm non placet interpretibus Hieronymi sententia. Primùm enim Roma Colossas rediisse Onesimus creditur cum Pauli litteris ad Philemonem; tum rursùs Romam missus à Philemone, ut Paulo in vinculis ministraret: deinde à Paulo datus comes Tychico novas litteras ad Colossenses ferenti. Enim verò Paulus epistolam non modò Philemoni, verùm et uxori ejus Appiæ, et Archippo Evangelii ministro inscribit; scribens verò ad Colossenses in fine ait: *Et dicite Archippo, vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Quid opus erat per Colossenses moneri Archippum, si ipsemet ad Archippum tum scriberet.

Veritatem epistolæ ad Philemonem ne Marcion quidem negavit; imò verò totam retinuit, nullamque partem vitiavit, contra quam in cæteris Pauli epistolis soleret, ut Tertullianus, et Hieronymus testati sunt. Quidam postea majestati Spiritûs sancti indignam credidêre, etsi Pauli manu exaratam, quod et brevior esset, et res privatas, nihil ad Ecclesiæ utilitatem conducentes; servi nimirùm commendationem contineret, et tota humano spiritu composita videatur. Eos tamen optimè refutatos novimus Ecclesiæ auctoritate divinam epistolam suscipientis; novimus brevitatem sermonis sanctitati non obesse, quæ, ut inquit Tertullianus, *profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet,* quæque in quorumdam prophetarum vaticiniis procul dubio divinis reperitur; novimus non tam privatam causam dici posse, quam publicam totius Ecclesiæ, cùm de moderationis animi, injuriarum veniæ, et charitatis officiis, atque exemplis agitur, quæ in unâ re posita transferri debent per cæteras; novimus denique inspirationem divinam decere maximè, ut commoti ad miserationem, et grati obsequiis, neque omninò alienorum commodorum obliti, animi monumenta scripto relinquantur etiam erga humiles homines, frugi præsertim, et in Christo Jesu cognatos. Quæ omnia verissima esse, et Christi Apostolo dignissima etiam ab imperitis agnoscitur. Atque hæc de Proto-Canonicis Pauli epistolis dicta sint satis.

ARTICULUS VII.

De Epistolâ B. Pauli Apostoli ad Hebræos.

Epistola ad Hebræos olim in Occidentalibus præcipuè Ecclesiis eam non ubique obtinuit auctoritatem, quam reliquæ Pauli epistolæ sibi comparârunt. Istæ enim in ecclesiasticis conventibus omnibus legi consueverant; illam verò primo alicubi in ecclesiasticos cœtus non intulerunt, Apostolico quippe nomine non inscriptam. Sunt etiamnùm prætereà, qui dubitare videntur, an verè Pauli sit, quamvis inter canonicas Scripturas ab iisdem referatur. Quamobrem duo hæc agenda nobis sunt pro viribus, ut et Paulum epistolæ auctorem, et divinam esse scripturam defendamus; quorum prius si effecerimus, alterum consequi necesse est. De Hebræis, ad quos missa est epistola, et quibus assignari temporibus scriptio debeat, facillimum erit constituere, si illa duo in antecessum accuratè tractaverimus, quibus Lutherum, et cum eo sentientes hæreticos inscitiæ, atque erroris arguimus.

Paulum igitur ad Hebræos scripsisse, etsi taceret veterum auctoritas, quæ nos tamen movet maximè, atque impellit, ut credamus, ipsæmet litteræ loquuntur. Scriptor siquidem ab Italiâ litteram dedit ad Hebræos, quibus salutem dicit fratrum Italorum nomine, cap. 13, v. 24: *Salutant vos de Italiâ fratres.* Item in vinculis erat, vel saltem nuperrimè è vinculis erat exemptus, sperans tamen quantociùs restitutâ sibi libertate ad eos rediturum, cap. 10, v. 34: *Nam et vinctis compassi estis*, sive ut significantiùs habent græca exemplaria, καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μοῦ συνεπαθήσατε, *vinculis meis compassi estis.* Et cap. 13, v. 19: *Ampliùs autem deprecor vos hoc facere* (scilicet orare Dominum), *quo celeriùs restituar vobis.* Rursùs socium, et comitem habebat Timotheum, cum quo proficisci ad ipsos cogitabat, si properare ille quidem voluisset, ibid., v. 23: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum; cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos;* atqui nemini discipulorum Christi, nisi uni Paulo ista congruunt; Pauli ergo epistola est. Profectò Pauli ingenium, institutum, scribendi ratio, color, modus docendi cum quibusdam quasi aculeis in legentium animo relictis apparet in omni epistolâ fusus; maximè verò in ultimo capite ubi animum, conscientiamque suam testatur; orationes pro se fieri flagitat, se propemodùm ad eos venturum pollicetur; salutem nuntiat; diligenter mandat suis verbis alios salutari, quæ omnia solebat Paulus facere, cùm scriberet. Hæc verò si per se singula suo pondere tantùm non movent, ut Pauli epistolam credi cogant; omnia tamen coacervata efficiunt, quod volumus.

Neque alterius ab hâc nostrâ Pauli epistolæ meminisse S. Petrum crediderim, cùm epistolæ suæ secundæ cap. 3, v. 15, ait: *Sicut et charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Enim verò quamvis Petrus haud nominet ad quos epistolam secundam scribat, satis tamen significat, cap. 3, v. 1: *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam,* ad eosdem mitti, quibus primam inscripserat. Prima autem data erat Judæis, scilicet: *Electis dispersionis;* Judæis ergo iterùm scribens in memoriam re-

vocat Petrus litteram, quam à Paulo acceperant. Quæ verò erit unquàm ea Pauli epistola, nisi hæc ad Hebræos fuerit, de quâ disputamus? Periisse ne, dicent, hanc unam incuriâ eorum, quibus miserat? Sed cur illa interciderit sola, cùm cæteræ adhuc restent? Cur nemo veterum eam uspiam nominaverit, quam dicunt intercidisse? An malint epistolam illam à Petro commemorari, quam ad Romanos datam habemus, vel aliam quamlibet ex Paulinis de eodem argumento compositam, in quo Petrus versabatur? Verùm conjecturas veritati anteponere absonum est, et ineptum pertinaciter contendere, epistolam gentilibus olim populis ad Christi Ecclesiam traductis, vel singularibus viris missam dici à Petro iismet inscriptam, ad quos ipse scribebat, idque Româ; cùm, quâ de re sermo est in Petri litterâ, de eâdem et Paulum dicere in suâ ad Hebræos facilè constare possit, si utramque conferamus. Sed non versemus diutiùs assumptum ab ipsâ epistolâ momentum, atque ad Patrum testimonia, auctoritatemque veniamus.

Illud verum, quod prius, inquiebat olim Tertullianus in pari causâ de doctrinæ veritate disputans; cùm scilicet retinendum sit, quod majores nostri Apostolicis temporibus propiores tenendum esse testificantur ut ab Apostolico quodam viro profectum, quis Apostolo Paulo epistolam ad Hebræos prudens non tribuat, præsertim si Græcorum Patrum vetustissimorum fidem sequatur; Dionysius Areopagita Pauli discipulus in epistolâ ad Titum quasdam sententias epistolæ ad Hebræos usurpat tanquàm verba magistri, ac præceptoris sui, ut ipsemet loquitur. Clemens Alexandrinus in libro hypothyposeon apud Eusebium, lib. 6 Hist. Eccles., cap. 14, Apostoli Pauli esse epistolam ad Hebræos sine ullâ dubitatione assentitur, et probat, putans quidem hebraicè ab ipso scriptam, et græcè à Lucâ redditam, unde tanta similitudo enata est cum styli, et locutionis genere, quod in Apostolorum Actis adhibitum cernitur; additque cautè, et prudenter omninò Paulum ab inscribendo proprio nomine abstinuisse, quia hominum, ad quos scribebat, rationem habuit, quos alienato à se animo esse cognoverat, et deterritos fore potiùs à legendo, quàm allectos, si scriptorem se prodidisset. Origenes, homiliâ in epistolam ad Hebræos apud eumdem Eusebium, lib. 6, cap. 25, etsi auctorem epistolæ à scriptore distinguere videatur, ac si Paulus conceptuum auctor sit, et sententiarum; phraseon verò, et locutionis peritior alter, atque elegantior discipulus, qui in vestiendam, ornandamque Pauli orationem, ipso dictante, incubuerit, judicetque soli Deo notum esse, quisnam epistolam scripserit; tamen ibidem ait, commendatione dignas esse eas Ecclesias, quæ tanquàm Pauli epistolam suscipiunt: *Non enim sine causâ veteres homines ut Pauli ipsam tradiderunt;* ex quo perspicuum est à veteribus ad sua usque tempora eamdem epistolam Pauli creditam fuisse: quam perpetuam majorum in eâ retinendâ sententiâ consensionem explicatiùs in Psalmum 1, et constantiùs prædicat, postquàm scripsit nonnullos eâ de re dubitare propter sublimitatem sermonis, qui in epistolâ elucet, cùm tamen Paulus se imperitum sermone profiteatur: *Sed ego dico sicut mihi à majoribus meis traditum est, quia manifestissimè Pauli est, et semper antiqui majores nostri ita eam ut Pauli epistolam acceperunt.* His et Eusebius ipse, l. 3, cap. 3, subscripserat, qui aliorum placita colligit, à quo testimonium ad Arianorum confutationem opportunè sumpsit Theodoretus.

Nam cùm non orthodoxi modò, verùm etiam hæretici ab initio præjudicâssent non alteri, quàm apostolo Paulo tribui oportere ad Hebræos epistolam (Melchisedechiani siquidem, qui Melchisedechum Christo Jesu præstitisse dicebant; Cathari, Novatianorum soboles, qui omnem veniæ januam Christianis peccantibus occludebant; Hieracitæ, qui Melchisedechum Sanctum esse Spiritum ignoranter asseverabant: imò verò et Ariani primùm, ut Epiphanius dicit, hæresibus 55, 59, 67 et 69, epistolâ Pauli ad Hebræos abusi sunt, eamque in errorum suorum defensionem traxerunt); recens verò Ariani epistolam ipsam novitati suæ contrariam respuerent, Theodoretus novorum hominum arrogantiam accusans præfatione Comment. in epist. ad Hebr. ait, ipsos debuisse saltem, si cætera negligebant, temporum diuturnitatem et antiquitatem vereri, ac meminisse recitatam semper in Ecclesiis epistolam, ex quo relicta Ecclesiis sunt apostolica scripta; vel si id parvi facerent, ab Eusebio saltem Cæsariensi, uno ex ipsorum principibus, et magistris non recedere, *qui beatissimi Pauli epistolam esse confessus est, et antiquos omnes hanc de eâ sententiam dixit habuisse.* Sed ne Græcorum Patrum omnium locos exscribam prolixius, unâ numeratione contentus magnum eorum agmen produco, qui hanc ad Hebræos epistolam in Paulinarum numerum retulerunt. Dionysium Alexandrinum dico, et concilii Antiocheni Patres in epistolis ad Paulum Samosatenum; Alexandrum Alexandriæ episcopum in litteris ad concilium Constantinopolitanum, Athanasium in Synopsi, Cyrillum Hierosolymitanum, Catech. 4, Gregorium Nazianzenum in carmine de Can. Script., Gregorium Nyssenum, lib. de Hipost., Epiphanium, hæres. 76, concilii Laodiceni Patres, can. 59; Damascenum, lib. 4, cap. 18, omnes denique græcos scriptores, quos Hieronymus, epist. 129 ad Dardanum eo uno testimonio comprehendit: *Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solùm ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò Ecclesiis, et græci sermonis scriptoribus quasi Pauli apostoli suscipi.* Et quamvis prosequatur S. doctor dicere, *licèt plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur,* prioribus dictis fidem tamen non abrogat, cùm id tantum velit, aliquos ex græcis scriptoribus Barnabæ, vel Clementi aut verborum, et sermonis texturam, aut ex hebraico autographo traductionem censuisse tribuendam.

Latinos verò priscos Patres res est paulò difficilior in unam sententiam conjungere, quorum aliqui Pauli epistolam esse non animadverterunt, alii à Pauli scriptis visi sunt separare. Verùm de hâc Latinorum Patrum à Græcis discrepantiâ mox dicturi sumus.

Profectò à IV seculo Latini omnes Pauli epistolam agnoscunt, ut Hilarius, lib. 12 de Trinit., Ambrosius, lib. 2 de Cain, cap. 2, Hieronymus in allatâ epistolâ ad Dardanum se latinam consuetudinem deserere, et ad veterum scriptorum auctoritatem se conferre testatus, Augustinus, lib. 2 de Doctr. Christ., cap. 8; Rufinus in Symbolo; Innocentius I, in epist. 3 ad Exuperium, Gelasius I, in concilio Romano, Gregorius Magnus, et, ut breviùs rem absolvam, Philastrius in catalogo hæresum, perindè hæreseos arguens, sive qui epistolam prorsùs rejiciunt, sive qui Pauli esse negant. Horum Patrum omnium cùm Græcorum, tùm Latinorum traditionem illud confirmat apprimè, non posse alterum quempiam epistolæ illius auctorem inveniri præter unum Paulum, atque ad neminem ex aliorum numero, quibus illa à nonnullis adscribitur, nisi ad unum Paulum accommodari.

Enim verò quotquot ex veteribus de auctore epistolæ ad Hebræos, conjiciendo potiùs, quàm constituendo scripserunt, ii aut Clementem Romanum, aut Lucam, aut Barnabam esse arbitrati sunt. Nam si quæ fuerunt præterea eâ de re sententiæ; constat fuisse multò obscuriores, et omninò contemnendas, cujusmodi est, quâ Tertulliano adjudicatur epistola; quâ quidem nulla potest esse absurdior, cùm apud Patres Tertulliano antiquiores, ut Clementem Alexandrinum, jam epistolæ mentio sit, et Tertullianus ipse Barnabæ esse putaverit, ut docet Hieronymus, libro de Viris illustribus in Paulo. Eodem in censu ponatur et eorum opinio, qui Marco epistolam inconsideratò tribuunt, ut et ipsi aliquid dicere videantur. Stylus autem, et dictio elegantior, atque ornatior, simillima, ut quibusdam videtur, Clementis Romani sermonum, effecit, ut ejusdem apostolici viri crederetur. Verùm de oratione nunc non disputo, an Clementis sit, quanquàm ratio disponendi argumenta in utrâque oratione admodùm distet; illud judico Romani Clementis epistolam non convenienter dici. Clemens in suâ epistolâ ad Corinthios multa vagè dispergit ex epistolâ ad Hebræos desumpta, ut Eusebius, lib. 3 Hist. Eccles. cap. 38, animadvertit; non igitur auctor est epistolæ ad Hebræos. Item quid Latino homini olim gentili fuisset rei cum Hebræis de veterum legis cæremoniarum, et rituum mysteriis; significatione, infirmitate, abrogatu? Quid erat vel auctoritatis, vel conjunctionis, et gratiæ Clementi cum Judæis, vel exercitationis in Mosaicis institutis, ut sperare posset profuturum iis sermonem, qui interdùm acrior est, et graves habens aculeos, aut se pro dignitate de tantâ rerum sublimitate locuturum? Quomodò etiam potuisset is scribere: *Deprecor vos hoc facere, quo celeriùs restituar vobis*, qui nunquàm in Judæâ commoratus legitur, aut arctam cum Judæis societatem habuisse, quemque, Romanæ Ecclesiæ episcopus cùm esset, nec suos deserere, neque in Judæam habitatum se transferre decebat? Demùm scripsissetne anteaquàm Romanæ ecclesiæ clavum teneret, an post aditam Romanam cathedram? At privatum hominem, nullo officio clarum tantùm auctoritate valuisse, tamque intima legis penetralia non nisi expertissimo Judæo cognita expeditè subiisse quis credat? Posteà verò quàm episcopatu fungeretur, ea dicere Judæis non potuisset, quæ dixit, modò constantiam, et fortitudinem commendans in perferendis fratrum infidelium contumeliis, et rapinis, modò confirmans ac vexationes alacri animo Christi exemplo sustinendas. Ex his enim cognoscitur auctorem litteras dedisse, dùm adhuc stabant Hierosolymæ, atque in Palæstinâ Judæi ea mala à falsis fratribus pertulerant; quod cùm temporibus Pontificatûs Clementis componi non potest, qui sive tertius, sive quartus à beato Petro fuerit, Ecclesiam viginti circiter annis post Hierosolymorum vastationem gubernavit. Itaque persuasum nobis est Clementi epistolam ad Hebræos esse abjudicandam.

Eadem fermè ratio movet, ut Lucæ epistolam non esse putemus. Gentilis erat proselytus, cui nihil congruebat minùs, quàm ut disputando Judæos ex suis ipsorum cæremoniis in Christi lege, christianæque legis officiis continere niteretur. Græcanico dicendi genere erat assuetior, cujus oratio non abundabat hebraicis modis et figuris, summam hebraicarum consuetudinum, et mysticorum legis sensuum peritiam, qualem auctor epistolæ ostendit, neque ex gentilium disciplinis deportaverat, neque in Judæorum scholis acquisierat. Quis ergo Lucæ ingenium, et manum in hâc epistolâ se deprehendere prudens testetur? Nam si veterum testimoniis ducti Lucam auctorem defenderent, tolerandum quidem id esset; quidquid enim ille conscripsisset, id totum divino Spiritui animum, ac manum inexercitati etiam scriptoris regenti acceptum referretur; sed cùm prisci duos tantùm libros, Evangelii alterum, alterum Actorum, Lucæ tribuant, nullus verò color, nulla species Lucam epistolæ compositorem exhibeat, quid est, quod pro Lucâ tantoperè decertetur? Hieronymus fortasse in eam sententiam quosdam pertraxit, cùm de Viris illustribus in Paulo, ait, à quibusdam Latinorum hanc epistolam Lucæ dici; sed neminem aut magnæ, aut parvæ auctoritatis Patrem id comprobantem nominat. Qui autem styli similitudinem exaggerant inter epistolam ad Hebræos, et Apostolorum acta, proptereaque ad Lucam pertinere utrumque opus arbitrantur, tùm multos habent contradicentes criticos eloquentiæ, ac styli non ineptos æstimatores; tùm ipsimet majorem sermonis ornatum, majoremque sententiarum sublimitatem in epistolâ reperiri non diffitentur; adeò ut vel ipsi se vacillare, et infirmo uti argumento sentiant. De Barnabâ verò non admodùm dissimilia urgemus. Barnabam neque in Italiam venisse, neque fuisse in vinculis ab ullis probatis auctoribus memoriæ proditum est; distat etiam longissimè eloquium Barnabæ, si is quidem vulgatæ epistolæ sub ejus nomine auctor est, ab eloquio scribentis ad Hebræos; ille rusticior est, impolitior, humilior; nobilior iste, grandior, disertior, nervosior. Nihil ex Barnabæ vitâ, nihil ex ecclesiasticâ historiâ, nihil ex epistolâ ipsâ depromi potest, quod fidem concilict conjecturis, unde Barnabam Epistolæ ad Hebræos auctorem internosci penderet. Quocirca

et miramur Tertullianum confidenter adeò Barnabæ epistolam appellâsse, et, quo ex fonte illam suam sententiam hauserit, omninò ignoramus. Quæ cùm ita sint, restat, ut Paulo epistolæ confectio attribuatur; vel saltem nulla firmior judicatio sit, quàm quâ Pauli epistola esse definiatur.

Etsi non deberem nunc esse prolixior in eorum argumentis afferendis, atque infirmandis, qui Paulum epistolam ad Hebræos misisse non probant, si tamen, fuero, nemo ægrè ferat; id enim rei gravitas postulat, et cùm multa opponant, quæ egent illustratione, multis pariter est respondendum. Aiunt autem Pauli nomen præteriri in fronte litteræ, quod cæteris ejus epistolis inscribitur; prætermitti et nomen, atque officium Apostoli, in quo vim magnam facere solebat, et fecisset hoc in loco majorem; stylo epistolæ sermonem Pauli esse dissimillimum, sive græcè, sive hebraicè scribere sumpsisset; neque enim is tot habere potuit græcæ eloquentiæ ornamenta, quantis totum epistolæ corpus distinguitur; neque hebraica oratio suppeditâsset tantam argumentorum congeriem, quorum pars quædam à græcè linguæ proprietate desumitur; ergo Pauli non esse epistolam. Deinde Paulum hebræum ad Hebræos scribentem usurum fore veteris Testamenti locis à fonte hebraico petitis, non à græco rivulo; auctorem verò epistolæ à græcis codicibus quidquid veteris memoriæ è re suâ erat, semper derivâsse. Item Paulum hebraicæ doctrinæ peritissimum non potuisse, tam graviter hallucinari, ut hebraicum verbum ברית, quod *fœdus, pactum* reddi deberet inter duos veluti contrahentes sanctum, redderet *testamentum scriptum*, scilicet ultimam morituri voluntatem declarans, quod morte intercedente testatoris confirmatur, ut capite 9 epist., v. 15, et seqq., auctor interpretatur. Addunt etiam apostolum Paulum à Deo ipso Evangelium didicisse, non ab homine, ut ipse ad Galatas scribens prædicat; scriptorem verò epistolæ Apostolis præceptoribus usum se dicere in cap. 2, v. 3, ubi de salute loquens ait: *Quæ, cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est.* Denique Paulum malè olim acceptum Hierosolymis, Hebræis omnibus odiosissimum, paulò ante provocatione ad Cæsarem ab insidiis Hebræorum ereptum, quis tam citò animum mutâsse credat, ut iterùm ad Hebræos redire vellet, iisque se committere, atque illa scribere: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo, si celeriùs venerit, videbo vos?* Non potest igitur Paulus à quopiam credi auctor epistolæ ad Hebræos.

Accedo ad singula, ut sic universa frangantur. Prætermisit Paulus suum epistolæ nomen apponere; tacuit et apostolicum officium sibi à Christo datum; salutem non dixit ab initio iis, ad quos scribebat, contra quàm facere soleret in epistolis reliquis; sed multæ fuerunt probabiles causæ, cur aliter in hâc epistolâ faciendum Apostolus censuerit, quas Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Theodoretus proferunt. Vel enim, ut supra dictum est, statim sine inscriptione ullâ nudam doctrinam exposuit, ne Hebræos universos æmulatores adhuc legis à lectione retraheret, quorum ipse, quod abrogatam esse totam legem veterem acerrimè disputaret, gravissimam invidiam subierat: vel fortasse arrogantiùs visus fuisset Paulus nomen suum ponere, seque scriptor cum Christo Jesu quodammodò comparare, quoniam in capite tertio Christum *confessionis nostræ Apostolum* nominavit: vel quia gentium, non Hebræorum erat Apostolus, noluit sibi apostolicam dignitatem tribuere, dùm solos Hebræos officii admonebat. Scripsit præterea ut amicus ad amicos solatio egentes, non ut magister præceptorum dator, ut in epistolæ fine scriptum excusans dicit: *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii.* Vel denique librum potiùs, quàm epistolam scribere in animo habuerat, ut Estius, et Calmetus scitè animadvertunt; libris verò auctor nomen suum non prænotat. Porrò libello magis, quàm litteræ verba illa conveniunt iis nuperrimè recitatis subjecta: *Etenim perpaucis scripsi vobis.* Cur enim paucissimis diceret se scripsisse, quùm littera non soleat esse prolixior? Libellum ergo conficere maluit, qui certè videri potuisset præ argumenti amplitudine brevior. Cæterùm miror tam infirmum argumentum opponi à Lutheranis, ac si non nisi ex nominis prænotatione auctor epistolæ cognosceretur. Irrisit jam, quicumque scripserit Hieronymi nomine præfationem in hanc B. Pauli epistolam, istud argumenti genus, indè concludens nullius scriptoris fore epistolam, quæ nullius nomen gerit, si utique verum sit ex solo præscripto nomine de operis auctore judicari. Et in primâ Joannis epistolâ deest dilecti illius discipuli nomen; nemo tamen epistolam Joanni abjudicat; contra verò littera ad Laodicenses, tertia ad Corinthios, tertia pariter ad Thessalonicenses olim apostoli Pauli nomen prætulerunt, ut et plura Thomæ, Bartholomæi, Jacobi Evangelia, quæ non obtinuerunt apud ullas Ecclesias auctoritatem.

A styli dissimilitudine petitum argumentum dissolvi non posse videtur, nisi primum alterum expediatur, quâ linguâ usus Apostolus sit ad scribendum, quod cùm involutum sit, et in gravi controversiâ positum, efficit, ut juxta varias Patrum, atque interpretum opiniones respondeatur. Itaque sunt, qui dicunt Apostolum hebraicâ propriâ oratione ad Hebræos locutum, quâ valebat plurimùm, graviorem idcircò, copiosiorem, ornatiorem cæteris suis esse epistolis græco, alieno veluti idiomate, à se conscriptis; sed quùm nullam Pauli hebraicam scripturam habeamus, unde quanta esset in eo eloquentiæ hebraicæ vis, et copia judicetur, et cum quâ orationem epistolæ ad Hebræos conferamus; tum verò eloquentiam græcam tota hæc epistola sapiat, nusquàm autem exemplaria hebraica ullus sibi visa meminerit, placere omninò hæc responsio non potest. Inquirendum diligentiùs præterea esset, an Paulus, qui Tharsi celeberrimâ Ciliciæ metropoli natus erat, ubi græci sermonis scientiâ augeri facillimè potuit, quique erat in poetarum lectione versatissimus, plus hebraicas, quàm græcas litteras didicisset.

Alii parùm à priore hâc sententiâ distantes hebraicè compositam quidem esse putant, quippe hominis hebræi ad Hebræos scribentis; at Lucam, vel Clementem, Apostolo à græcis litteris instructiores, illustrius in græcum transtulisse, hancque esse causam, quare ampliorem, atque expolitiorem esse stylum quisque sentiat. Sic Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus crediderunt, qui multos habuère comprobatores. Verùm partim nuper dicta, partim quæ consequentur, istorum Patrum sententiam dubiam faciunt. A nemine isti veterum, qui eâ de re certior esset, acceperunt hebraicam fuisse primùm epistolæ scripturam; sed conjectando iis visum est id colligi ex personâ cùm scriptoris, tùm eorum, ad quos scribebatur. Illorum verò conjecturas hæc ratio infirmat; scilicet minùs frequentem esse epistolam hebraicis dicendi modis, quos inseruisset hebraicus scriptor; item Petrum, Jacobum, Joannem omnes ex Hebraico genere ad homines gentis suæ litteras græcas dedisse; tùm hebraicam linguam, quùm Clemens ignoraret, minùs rectè dici eum ex hebraicis in græcas litteras traduxisse, ut alia prætercam.

Tertii dùm funditùs linguæ genus investigant, quo edita epistola est, putant autographum græcâ linguâ à Paulo conscriptum vel solo ipso in ejus scriptionem diligentiùs incumbente, vel collatis cum Lucâ, aut Clemente studiis, quorum operâ in scribendo adjuvaretur, ut ii facere solent, qui in re quâdam gravioris momenti, etsi ipsi per se valere possent, adhibent tamen socios omnium judicio exercitatiores. Quare enim, aiunt, græcè scriptam litteram autographam negemus, quæ tota græcum colorem habet nitidum, nativum, non vi expressum, non fucatum, non illitum, qualis affunditur scriptis ex alienâ linguâ traductis? Cur primigeniam græcam scripturam non existimemus, ex quâ argumenta pendent id maximè comprobantia, quod assumptum est, quùm vix ullum pondus, aut robur haberent, si hebraicis verbis suscepta fuisset quæstio tractari? Nihil omninò est, quod compellat primam orationis texturam hebraicam dici, nihil quod græcam esse non potuisse demonstret; græco ergo idiomate compositam epistolam ad Hebræos non temerè credimus. Quod si id semel effecerimus, verendum non est, ne hâc de causâ Pauli opus non esse videatur.

Paulus enim graviore sibi proposito argumento ad expediendum, in quo exspatiari ipse maximè potuisset, ejusque disputandi vis, et copia elucere, quodque ornatius dicendi genus desiderabat, eloquentior esse debuit, quàm in cæteris scriptis suis soleret, locutione nobiliore uti, et disertissimam, quoad ferrent vires, orationem habere; ad eos etiam quùm scriberet, quos et magis disciplinis instructos, et ingenio magis acres esse sciebat, extulit sese, majore adhibitâ diligentiâ, atque orationis ornamenta conquisivit. An non videmus sæpè scriptores pro rerum varietate stylum mutare, et subliminiorem sublimibus rebus aptare sermonem? Quàm dispar videtur auctor Pentateuchi auctori libri Jobi? Moses tamen creditur utrumque librum composuisse. Atque illa quidem major elegantia, quâ epistola ad Hebræos reliquis Pauli epistolis præstat, non est à Pauli indole aliena; imò verò in ipsâmet ejusdem ingenium deprehenditur. Pauli est disputandi methodus, Pauli ratiocinatio, Pauli periodi, Pauli phrases, Pauli politiores hebraicè dicendi modi, ut Spanhemius in tractatu de auctore epistolæ ad Hebræos advertit. Quòd si Paulum tantum ex se potuisse quis pertinaciùs negaret, ponat ille ad epistolæ absolutionem allaborâsse vel Lucam, vel Clementem, ut plurium contentione magis expoliretur, quod ab uno non fuisset adeo perfectum. Hoc autem est, quod Origenes jam dixerat videri sibi Pauli sententias, Clementis verò, aut Lucæ verborum constructionem; quod sententiæ non nisi exercitatissimi Judæi sint ex Pharisæorum sectâ, qualis est Paulus; modus autem dicendi eloquentem Græcum hominem indicet, quales Lucam, et Clementem ex aliis eorum scriptis novimus.

Porrò ex his omnibus, vel harum sententiarum alterutrâ, quæ magis placeat, non modò ad propositum adversariorum argumentum responsio petitur, verùm etiam et ad alterum sequens de usu Scripturarum veteris Testamenti secundùm versionem Septuag., ex quo Paulum epistolæ auctorem non esse colligunt. Si enim græcè epistolam Paulus scripsit vel solus, vel admissis adjutoribus Lucâ, aut Clemente, opportunius ex græcâ versione doctrinæ suæ testimonia protulit; erat enim Græca interpretatio septuag. Senum, et privatim Judæis, et publicè in synagogis usitatissima. Si autem hebraicis litteris epistolam texuit, fontem utique hebraicum ille adiit, unde confirmandi causâ sententias deprompsit; verùm qui in græcum sermonem hebraica convertit, satiùs duxit græca testimonia pro hebraicis collocare, quo magis tota oratio conveniret, ut fecisse dicitur græcus Matthæi hebraici scriptoris interpres.

Non est autem falsus, quùm hebraicam vocem ברית sumpsit Paulus ad significandam ultimæ voluntatis testationem, quæ rata solum est morte testatoris. Etsi enim ברית *pactum*, et *fœdus* significet, quod manet, fixumque est ante paciscentis mortem, nec temporis lapsu confirmatur; testamentum autem sit dispositio de hæreditate conferendâ, quæ nisi testatore mortuo firmitatem non habet; tamen pactum illud (de quo Moses, Exodi, cap. 24 : *Hic sanguis testamenti*, id est, pacti, et fœderis, *quod mandavit ad vos Deus*) sanguinis aspersione sancitum figura fuit novi fœderis, quod Christus nobiscum pacturus erat suo sanguine. Christus verò sui sanguinis effusione utrumque perfecit, et pactum videlicet iniit, et testamentum condidit. Pactus est, quia promisit se hæreditatem æternam daturum suis, adjunctâ conditione, si præceptis à se latis paruerint, ab ipsis nunquàm adeundam, si aliter fecerint; quâ re pactum continetur; testatus pariter est, quia voluntatem ultimam suam declaravit de eâdem æternâ hæreditate ad filios Dei perventurâ post sui ipsius mortem testantis. Itaque Paulus testamentum vocat à Christo moriente institutum, sed quod pacti conditionem includat; pacti, inquam, dummodò po-

pulus legem servaret; cùmque hujusce pacti typus esset fœdus, quod cum adjunctione eâdem Deus cum Israelitis pepigerat non absimilibus cæremoniis, rectè et exemplum, et testimonium ex Mosis verbis deprompsit. Solebant enim Hebræi, et præcipuè ex Pharisæorum sectâ, quæ Christi, et Apostolorum ætate jam prævaluerat, ex veteris Testamenti figuris, ut olim monuimus, quis futurus esset Messias, quidve facturus, orali, ut aiebant, traditione cognitis colligere, quamvis sæpè subtilioribus disquisitionibus vim totam legis exhaurirent, quemadmodùm Christus eos verbis sæpè castigat. Eodem contra ipsos argumento processit Paulus, atque ex pacti figurâ novum pactum, et testamentum deduxit validissimè iisdem doctrinis usus, quas Hebræi adoptaverant, atque in scholas invexerant. Nam etsi in veteris pacti confirmationem nullius testatoris mors intercesserit, tamen cùm terrena hæreditas promitteretur regni cœlorum in novo promissi figura, et victimarum mors Christi mortis typus intervenerit, rectissimè Paulus Christi testatoris mortem intercedere debuisse probavit, ut pactum ab eo initum consequentiæ hæreditatis, ipso demùm paciscente, ac testante mortuo, ratum fieret.

Ex hâc à typo, et figurâ ad veritatem, atque ad rem significatam transitione sæpè à Paulo facta alii explicantur loci, qui contorti, et violenter pertracti ad id efficiendum videntur, quod ille sumpserat. Ponatur exemplum in versiculo quinto capitis primi : *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium;* quod secundùm litteram libri 2 Regum, cap. 7, v. 14, de Salomone dictum non inviti fatemur. Ponatur et in altero 13 vers., cap. 2 : *Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus.....;* quod Isaias, cap 8, de se, et filiis suis dixerat, atque horum similia; quos locos Paulus de Christo Jesu æterno Dei filio, ejusque discipulis interpretatur, et explicat. Cùm enim tam Salomon, quàm Isaias Christi imaginem referrent; quùmque in Isaiæ filiis Apostoli, et discipuli significarentur, idque non ignorarent Hebræi traditione docti, optimè Paulus, quæ de Salomone, de Isaiâ, de cæteris typis scripta apparebant, traduxit sensu sublimiore, et spiritaliore ad Christi Domini personam, quo et Hebræos ex suis ipsorummet doctrinæ præceptis aptiùs doceret, et res sublimissimas exponeret. Eam à Paulo sæpè adhibitam disputandi rationem nedùm non reprehendunt Judæi, sed probare solent, et admirari; cujus rei exemplum recens affert Richardus Simonius de hâc ipsâ Pauli epistolâ scribens, cap. 21, Hist. crit. N. T. Quùm enim ipse sermonibus collatis cum celebri quodam Rabbino in majorum suorum scientiâ exercitato, ob oculos ei posuisset epistolam ad Hebræos, atque ille in silentio secum ipse intuens, perlegens, contrahens supercilia apostolicam orationem meditaretur, subito quodam impetu erumpentem sæpè in admirationem, et propter magnum totius orationis conceptum identidem clamantem Rabbinum audivit מקובל מקובל, *Mecubàl, Mecubàl*, hoc est, *virum traditione doctum*, eo scilicet doctrinæ genere, quam cabalam ipsi appellant. Quo cognoscitur non modò veteris Testamenti locos in epistolâ ad Hebræos ad arbitrium non detorqueri eâ ratione, quæ Paulum dedeceat, verùm etiam in eorum accommodatione sublimissimam scientiam mysticorum sensuum apparere Paulo dignissimam.

Neque ex eo scriptorem epistolæ Paulum non esse colligitur, quod auctor in capite secundo dicat salutem per Christum Dominum enarrari cœptam, ab iis deinde, qui audierunt, in nos confirmationem habuisse, ac si auctor diceret, Apostolos Christi auditores sibi viam salutis commonstrâsse, quod Paulo non congruit, qui doctrinam omnem suam ex ipso fonte Christo Domino hauserat; nam ea verba, vers. 3 : *Ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est*, explicanda sunt, ut significent, *ad nos usque, ad nostra hæc usque tempora, in hodiernum diem crevit Apostolorum opera*, et multis incrementis auctum est illud semen, quod Dominus primùm jecerat; vel *inter nos, in medio nostrùm* Apostoli salutem confirmàrunt; vel dixit hæc Paulus concionatorum more, qui solent res ad totam concionem spectantes efferre plurium numero, quo et ipsi comprehenduntur, etiamsi ad dicentem ea non referantur; vel etiam confirmatum se in doctrinâ Paulus dicere utique potuit ab Apostolis, quamvis à Christo revelante doctrinam consecutus sit; nam Apostolos habuit Evangelii sui comprobatores, cùm Hierosolymam profectus cum iis Evangelium suum contulit. Non egebat quidem ipse eâ confirmatione, quasi quid deesset roboris fidei, quam revelanti Christo præbuerat; sed confirmatione gentes egebant, ignorantes Paulum divinitùs institutum. Iis enim admodùm profuturum erat Pauli apostoli sui doctrinam cæterorum Apostolorum consensu probari, quoniam, probatione eâ non obtentâ, prædicanti non credidissent; imò ne audiissent quidem veteris Pauli vitæ præjudiciis occupatæ, ac memores insidiarum, quas Christianis struxerat. Vel denique confirmationem doctrinæ sibi evidenter constare, inquit Paulus, in Apostolorum factis. qui signis, et portentis, et variis virtutibus credibiliorem salutis prædicationem fecerant, ut prosequitur dicere.

Demùm incredibile non est Apostolum, qui jam è manibus Judæorum elapsus, provocando ad Cæsarem, mortis periculum effugerat, voluntatem suam eosdem visendi postmodum ostendisse. Divini enim Spiritûs admonitu eò se rediturum dixit, unde primùm pulsus Judæorum maleficiis discesserat; quemadmodùm et Christus Dominus exemplum dederat, modò se inimicorum invidiæ subducens, modò eorum se potestati committens, et plures postea sancti viri maturo consilio ad id reversi sunt, à quo se olim eripuerant, quia mutatis temporibus consilium quoque ad finem consequendum mutari necesse est. Non exstabant præterea illæ eædem causæ, quæ Paulum sibi consulere impulerant, et à Judæorum invidiâ metuere, quibus subdatis credidit se inter medios Hebræos securum fore. Jam biennium Romæ in vinculis egerat, jam antea longâ navigatione ab invidis abfuerat; sperare ideò debuit odium inimicorum lenitum et tempore, et suis

calamitatibus; vel si nondùm placatum putavit, cùm esset beneficio Cæsaris solutus, repressum iri improborum furorem imperatoris præsidio sibi in animum induxit; quare et reditum ad suos sine periculo suscipere posse statuit.

Hæc ab epistolâ ipsâ, ut videtis, deprompta argumenta sunt. Illud nunc gravissimum restat à negatione, vel saltem silentio latinorum veterum Patrum deductum. Cyprianus, inquiunt, Lactantius, Arnobius hujus Pauli epistolæ non meminêre; Caius presbyter initio III seculi sub Zephyrino Pontifice in disputatione, quam Romæ habuit cum Cataphrygibus *epistolas Pauli tredecim tantùm enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit ejus non esse*, inquit Hieronymus, in catalogo Scriptorum, de Caio, et Eusebius, lib. 6 Histor., cap. 20: imò Hieronymus addit: *Sed et apud Romanos usque hodiè quasi Pauli apostoli non habetur;* Eusebius verò id ipsum testatur, inquiens ætate suâ quibusdam Romanis non videri Pauli esse epistolam; apertiùs autem lib. 3, cap. 3, scripserat, ideò quosdam ejus epistolæ auctoritati contradicere, quòd Romanorum Ecclesiæ à Paulo editam non admittant.

Sed quorumdam Latinorum silentium, aut etiam dubitatio tanti non valeat, ut cæterorum testimonio præstet, illudque solùm efficit Deutero-Canonicam dici debere epistolam, quam lapsu temporis universa Ecclesia maximi fecit, cùm antea non ubique eodem in pretio haberetur. Quùm autem hæc de auctore epistolæ quæstio cum alterâ maximam conjunctionem habeat de epistolæ divinitate, ac propter gravissimas causas Latina Ecclesia à canonicitate probandâ judicium suum cohibuerit, consequenter neque Paulum scriptorem indubitanter asseruerit, quem si scriptorem agnovisset, non poterat quin divinis Scripturis epistolam sine cunctatione adnumeraret. Quare, quæ de canonicitate disputantur, in sequentem quæstionis partem tractanda rejiciens, hoc loco id solùm ago, veterum illorum hæsitationem, aut prætermissionem nullum rei nostræ detrimentum afferre. Lactantius, atque Arnobius rarò Scripturis sacris usi sunt; scribebant quippe adversùs gentiles, qui Scripturarum testimoniis non commovebantur; quid igitur ex horum silentio concludatur? Cyprianus præsertim in libro de Martyrio, ubi septenarii numeri sermonem inducit, visus est Paulo epistolæ editionem non concedere, dùm ad septem solum Ecclesias ipsum scripsisse retulit: *Apostolus Paulus, qui hujus legitimi numeri, et certi meminit, ad septem Ecclesias scribit;* septem autem Ecclesiæ sunt Romanorum, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium, quibus si ad Hebræos adjungeretur, jam octo forent ecclesiæ, ad quas Paulus epistolas dedisset. Verùm et hoc ipso in loco Cyprianus fortasse è contrario tribuit Paulo, quod detractum putant; ait enim Paulum apostolum septenarii numeri legitimi, et certi meminisse; atqui nusquàm in Pauli Epistolis dictum de septenario numero reperitur, nisi in epistolâ ad Hebræos, cap. 11, v. 30: *Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem;* epistolam ergo ad Hebræos Pauli esse Cyrianus potiùs credidit. Ideò verò ad septem tantum ecclesias Apostolum scripsisse dixit, quia ad paucos quosdam Judæos dociliores, et sibi cognitos Paulum scripsisse arbitratus est; non autem ad Hebræorum cœtum.

De Hieronymi testimonio, et Eusebii, qui Hieronymum ætate antecessit, et Caii ætate superioris ambobus planum est, quid dicere debeamus. Hieronymus dubitâsse Romanos quosdam de epistolæ auctore sui temporibus narrat, quod et primùm Eusebius monuerat; verùm uterque quid sentiendum esset, si prisca ætas consuleretur, quidve ipsi senserint, non uno in loco declarârunt. Hieronymus præcipuè, lib. 11 contra Jovin. cap. 15, scribens : *Apostolus ad Hebræos propterea inquit, debemus intendere ampliùs his, quæ dicuntur, ne fortè perfluamus*, quæ verba initio capitis 2 epistolæ ad Hebræos exstant. Utique Romanam Ecclesiam multo feriùs Ecclesiis Orientalibus in Veterum sententiam concessisse non diffitemur. Illa enim perspectum adeò non habuit primis temporibus epistolæ scriptorem, imò verò neque divinitatem, quod græcis auctoribus citò, sine maturo consilio credendum non esse duxerit; à quibus tamen ejus rei cognitio peti maximè poterat; causam accuratè perpendere otium non erat; ab hæreticis exagitabatur, qui erroris præsidium in eâ epistolâ collocabant; cùmque ipsa tum non egeret ejusdem patrocinio ad defensionem veritatis, prudenter ab epistolæ probatione abstinendum esse censuit, donec res meliùs cognosceretur; quâ apertius deinde cognitâ desitum est dubitari. Quemadmodùm ergo si ab initio Græcis se Romanæ Ecclesiæ adjunxissent, temerè, atque arrogantiùs negaretur Paulum ad Hebræos scripsisse, sic cùm postea earum judicium probaverint, iniquum est in priore dubitatione, quæ tota per posteriorem affirmationem sublata est, negandi causam requirere. Neque enim minùs firma est Ecclesiæ ullius sententia, sive ociùs, sive tardiùs adsciscatur. Caius verò Presbyter opportunè, ut res tum ferebat, contra Montanistas pœnitentiæ vim extenuantes, et quibusdam epistolæ istius locis abutentes, cùm nondùm res satis pateret, Paulinis epistolis non adnumeravit, ut mox dicetur explicatiùs.

Hoc primo quæstionis capite exposito, et confirmato, alterum nunc sponte suâ fluit; epistolam nimirùm divinam esse, et canonicam, cui summus honor debeatur. Si enim Paulus gentium Apostolus fratrum suorum hebraici generis amore incensus, et Spiritu Sancto plenus, celsissimum illud argumentum tractavit de novæ legis supra veterem præstantiâ, quale in totâ epistolâ explicatur, nemo jam, ne hæreticorum quidem, potest ejus auctoritatem defugere; quoniam ideò hæreticis quibusdam contempta est, quod Pauli esse negarent. Decebat autem maximè Paulum plus cæteris Apostolis, aut apostolicis viris in totius antiquæ legis cognitione versatum, cujus studio multùm ab adolescentiâ temporis tribuerat, qui unus omnium maximè ad Hebræos instituendos erat aptissimus, utrâque lege simul collatâ, et comparatâ id efficere, quod effecit, ut multò nobiliorem esse novam vetere

planissimè consequeretur. Ejus rei causâ primùm ostendit quantùm angelis, et Mose Dei filius præstaret, quantùm Christi sacerdotium, ac sacrificium Mosaico sacerdotio, et sacrificio esset anteponendum. Cæremonias deinde, sacrificia, ritus à Mose præscriptos totidem esse Jesu Christi symbola confirmat, quæ ad Christi ejusdem personam, atque officium referrentur, et relata desinerent; ex quo fide justitiam, et sanctitatem in nobis gigni, non legis exercitationibus concludit. In his vagè dispergit optima præcepta, et consilia fidei, spei, charitatis, patientiæ in sustinendis inimicorum contumeliis, cæterarumque virtutum. Hæc verò omnia congerit usus contentione verborum, gravitate sententiarum, ad mysticos sensus traductione, sermonis venustate, clementi castigatione, severitate cum charitate conjunctâ, ut ex hoc ipso se eumdem esse, quem olim dixerat, omnibus omnia factum, ut Christo omnes lucrifaceret, legentibus facilè appareat. Quam rem si attentiùs, vel saltem animo vacuo præjudiciis considerâssent hæretici, aut ii etiam ex nostris, qui tempori serviendum esse censuerunt, cùm pertinaciam omnem deposuissent, tum auctorem epistolæ non dissimulâssent. Sed de canonicitate nunc dicendum est, quicumque demùm sit auctor, cui epistola adscribatur.

Enim verò divinum, et canonicum scriptum non fateri non possumus, quod ab Ecclesiâ auctoritatem, et approbationem habet ab Apostolorum ætate ad hæc usque tempora. De Græcâ Ecclesiâ confectam jam rem esse putamus, dummodò quis non recuset Græcos Patres consulere, qui ex eâ epistolâ sententias deprompserunt ad dogmatum fidei confirmationem. Unum, aut alterum proferimus exemplum, et testimonium, ne major prolixitas molestiam pariat. Cyrillus in capitulis adversùs Nestorium ab Ephesino, et Chalcedonensi concilio approbatis epistolam ad Hebræos in sacrarum Scripturarum canone ponit, in quorum decimo hæc habet : *Pontificem, et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum divina Scriptura commemorat*, quæ sunt verba epistolæ ad Hebræos, cap. 5. Theodoretus Arianorum insectator in argumento epistolæ ad Hebræos, cùm videret Arianos ejus epistolæ testimoniis pressos hæresi latebram quærere, reprehensione litteræ, ut ipsi aiebant, adulterinæ eorum audaciam repressit, argumento potissimùm diuturnitatis temporis, *quo hanc epistolam in Ecclesiis perpetuò legerunt alumni veritatis; ex quo enim litterarum apostolicarum fuerunt Dei Ecclesiæ participes, ex eo etiam epistolæ ad Hebræos utilitatem percipiunt.* Præter eos autem Patres, quos in superiore parte commemoravimus, Epiphanius, hæres. 42 et 59, Basilius, Constit. monast, cap. 22, Amphilochius apud Gregorium Nazianzenum, carm. 125, Gregorius Thaumaturgus in expositione fidei alterâ, Titus Bostrensis, comment. in Lucæ cap. 23, Ephrem Syrus, de Virt. et Viti., et quotquot scripserunt Græci de sacris rebus epistolam ad Hebræos in honore habuerunt ut canonicam, quemadmodùm in epist. 125 ad Evagr. rursùs fatetur Hieronymus : *Epistolam ad Hebræos omnes Græci recipiunt, et nonnulli Latinorum.* Et Augustinus, lib. 1, de peccatorum Meritis, et remissione, cap. 27, num. 50 : *Magis me movet auctoritas Orientalium Ecclesiarum, quæ hanc etiam in canonicis habent;* igitur perpetua est Græcorum Patrum, Græcarumque Ecclesiarum consensio in divinâ agnoscendâ epistolâ, ex quâ et hæreticos confutabant, et Catholicam fidem tuebantur.

Latinos verò Patres antiquiores etsi non tanto numero congerere possimus ad vindicandam epistolæ auctoritatem, non minùs tamen id fuisse testatos efficitur. Clemens Romanus in suâ ad Corinthios epistolâ, Eusebii Cæsariensis, et Hieronymi judicio (lib. scilicet 3 Histor. cap. 38, et in Catalogo Virorum illustrium) fragmenta epistolæ ad Hebræos interspersit, et sæpè sententias adhibuit, quibus certè orationem suam frequenter adeò non adspersisset, nisi iis tanquàm divinis ipsammet confirmare studuisset, quod et fatetur vel Stephanus Gobar Tritheita apud Photium, codice 232. Non allegat is quidem neque Paulum testem, neque epistolam; sed ex epistolæ verbis ut maximæ auctoritatis sibi præsidium comparare voluisse perspicitur; egit autem pro more vetustissimorum Patrum, Polycarpi, Ignatii, aliorumque, qui dùm Christi, aut Apostolorum verba usurpant, neque Christum, neque Apostolos, neque Evangelia nominant, contenti ab Evangeliis, et Apostolorum epistolis derivare, quod opportunum sit ad rem suam sine auctorum, et Scripturæ nominatione, quibus utuntur. Irenæus, lib. 2, cap. 55, advers. hæres., pugnat epistolæ ejusdem testimoniis fretus, et plures eum locos indè sumpsisse, cùm librum de variis disputationibus scriberet, refert Eusebius, lib. 5 Histor., cap. 26. Tertullianus contra Judæos, cap. 2, ab eâdem mutuatus est, quæ opponeret: et quanquàm in libro de Pudicitiâ à Barnabâ Apostolorum socio scriptam censeat, non minùs tamen ab Ecclesiâ teneri Tertulliani sermone cernitur. Ignoramus præterea, an ex antiquioribus latinis scriptoribus alii sint, qui præclarum aliquod dignitatis ejus epistolæ testimonium dederint; verùm multos fuisse, et graves, quorum judicio Hieronymus, olim dubitans, acquieverit, in citatâ epistolâ ad Dardanum ipsemet profitetur contra quarumdam recentiorum Ecclesiarum consuetudinem. Cùm enim exposuisset à Græcis omnibus epistolam recipi; à Latinis verò (nonnullis scilicet) inter Scripturas canonicas non computari, quod contra in Apocalypsi evenerat, quæ communibus Latinorum, paucioribus Græcorum testimoniis probari videbatur, addidit : *Nos tamen utramque suscipimus, nequaquàm hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerùmque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdùm de apocryphis facere solent, sed quasi canonicis, et ecclesiasticis.* Veteres autem illos scriptores D. Hieronymus non Græcos modò, sed et Latinos procul dubio dicere voluit; nam cùm veteres consuetudini suorum temporum anteponendos judicaverit, ostendit in iisdem locis consuetudinem sententiis veterum discrepare. In quam veterum sententiam concesserunt deinde omnes à IV seculo scriptores latini, sublatis jam causis, quæ antea

quosdam in dubitationem adduxerant. Inter eos sunt Hilarius, lib. 4 de Trinit., Lucifer Calaritanus de non conveniendo cum hæreticis, Ambrosius de fide ad Gratian., lib. 1, cap. 4, Rufinus in Expositione symboli; Salvianus, lib. 4, ad Ecclesias catholicas; Cassianus, collatione primâ, cap. 14; Innocentius I, in epist. ad Exuper. Victorinus adversùs Arium, lib. 1, cap. 2, aliique, quos lubens prætermitto, ut concilii Carthaginensis III, can. 47; Gelasii I, Papæ in concilio episcoporum 70, concilii Arausicani II, can. ult., Eugenii IV, pro Armenis, ac Tridentini, sess. 4, judicio, et decreto hunc sermonem absolvam.

Eximendus nunc ille scrupulus est, quem Latinorum dubitatio injecit, de quo Eusebius, Hieronymus, Augustinus loquuntur, cùm aiunt, Latinos à Græcis in approbandâ epistolâ dissidere; vel Latinos epistolam ad Hebræos in Scripturarum canonem admittere timuisse. Incertam enim aliquantisper Latinam Ecclesiam visam fuisse non repugnamus, et se à ferendo de epistolæ divinitate judicio prudenter sustinuisse, donec suspicione omni depulsâ in agnitâ rei veritate constitit. Ejus autem ambiguitatis causâ fuit initio III seculi Cataphrygum Montanistarum hæresis, tum Novatianorum labente eodem III seculo, demùm Arianorum sub initium quarti. Utrique illi gravioribus delictis veniam ab Ecclesiâ concedi non posse severiùs, duriùsque suadere conati adversùs æquam Catholicorum vim epistolæ ad Hebræos testimoniis, atque exemplis se tutabantur; isti verò, qui Jesu Christo divinitatem detraxerant, non Patri æterno parem, sed creatum, factumque Christum per omnes usquequaque Ecclesias maximo veræ fidei periculo traducentes in epistolâ similiter ad Hebræos se id reperire objiciebant, uti Epiphanius, hæresi 69, num. 37, testatur. Quamobrem Latini quidam, in quorum sinu hæresis eruperat, vel ad quos exortus alibi error manaverat, ut arma hæreticis eriperent canonicam Pauli epistolam veriti dicere, fidem sine maturo judicio ei præbendam non esse duxerunt; quorum rationem si quis reprehenderet, næ ille se ignorare ostenderet, quantam diligentiam adhiberi oportere Ecclesia semper crediderit in sacris Libris decernendis, quos publica monumenta, atque universus orbis divinos esse, dùm Apostolorum vita manebat, perspicuè non testaretur.

Hinc factum est, ut Caius Presbyter contra Cataphryges disputans in numerum epistolarum Pauli hanc ad Hebræos non concluserit; factum quoque, ut nonnullæ Ecclesiæ publicis in conventibus ejus lectione abstinuerint, ut quædam in canonicis non receperint, metuentes ne hæreticis imprudenti festinatione adjumentum afferretur; cùmque repressæ semel eo timore suspectam epistolam habuerint Latinæ Ecclesiæ, ne tum quidem dubitationem omnem deposuerunt, cùm non fuisset ampliùs dubitandum. Nam quanquàm testes habeamus plures graves viros, qui rei alicui fidem faciant; tamen sæpè accidit, ut si ipsamet sibi non admodum consentire, si aliis certiùs creditis contraria, si quid oriturum incommodi ex ejus assensione videatur, tamdiù differamus omninò credere, quamdiù publico judicio, publicâque auctoritate, sublato fallendi periculo, ad credendum impellamur. Imò sæpè etiam accidit, ut cùm ab initio ulla metuendi causa fuit, propter quam tenere consuetudinem quamdam cœpimus, consuetudinem non mutemus, etiamsi remotum periculum sit, atque intelligamus nihil prorsùs jam esse metuendum. Quocirca quod fit interdùm, ut etiam à priore sententiâ recedentes veterem morem retineamus, id Latinis Ecclesiis accidit, quæ cùm olim non probâssent omninò epistolam ad Hebræos, neque ob periculum favendi hæreticis publicè legissent; susceptam eam rationem prosecutæ sunt, quamvis ut plurimùm Latini Patres, re certiùs exploratâ, approbandam dicerent.

Hæc rei explicatio maximè conducit ad sanctos Patres, qui Hieronymi ætatem propè antecesserunt, vel in eadem Hieronymi tempora inciderunt, conciliandos cum ipsomet Hieronymo, qui visus est ab iis diversa scribere. Hilarius nimirùm, Optatus, Ambrosius, Augustinus Hieronymi æquales, vel parùm superiores ætate, testimonio sunt à Latinis epistolam ad Hebræos pro Canonicâ haberi, etiamsi quidam Paulum scriptorem dicere metuerent. Hieronymus verò, dùm eamdem ipsam in sacrarum Scripturarum numero ponit, ait, se Latinam consuetudinem suorum temporum non tenere, quæ epistolam non recipit: quod reliquorum Patrum testimoniis contrarium est. Si, inquam, inter Ecclesiarum consuetudinem, et Patrum approbationem distinguimus, nulla est cæterorum à Hieronymo dissensio. Inquiunt illi, re omni enodatâ, Græcis perpetuò epistolæ divinitatem testis esse assentiendum, atque ad eos ultrò accedunt; id ipsum S. Hieronymus et dicit, et facit post longam eâ de causâ habitam à se deliberationem; sed cùm in omnibus Ecclesiis Latinorum propter suscitatas olim hæreticorum tempestates nondùm epistola legeretur, præcipuè notat se à suorum temporum consuetudine discedere. Enim verò in antiquissimis, quæ etiam num exstant, Græcis exemplaribus epistolarum Pauli, ad quæ latinam interpretationem Latini adjunxerant, datâ operâ à reliquo epistolarum corpore separatim epistola ad Hebræos descripta est, ut ipsa scribendi ratio indicio esset in ecclesiasticis conventibus legi reliquas; istam verò non legi. Quamobrem Hieronymus earum ecclesiarum morem deseruisse, et veteres Patres cùm Græcos, tùm Latinos imitandos suscepisse professus est; quâ in re contraria Hilario, Ambrosio, Augustino non scripsit, qui utique ipsi canonicam epistolam esse testimonio suo confirmârunt; non autem effecerunt, ut usquequaque in Latinorum cœtibus recitaretur. Legitote rursùs nostram prodromam ad libros novi Testamenti dissertationem propè finem, ubi actum est de causis, propter quas liber aliquis approbationem statim non habuit; et memineritis planè locum quemdam obscurum, et difficilem ad intelligendum in causâ interdùm fuisse, cur totus liber canonicam dignitatem non obtineret (1). Multò ergo magis locus aliquid habens obscuritatis, qui in causæ suæ commodum ab hæreticis

(1) Pag. 308

traheretur, quasdam removere debuit Ecclesias, ne epistolam ad Hebræos ipsæ legerent, de cujus auctore, atque auctoritate etiam tùm inter Latinos continuata dubitatio visa est, cùm multi Patres ad Græcorum sententiam se jam transtulissent.

At vel hoc ipso ex capite epistolam canonicam non esse Lutherus pugnabat, quod videlicet illa repugnet Christo Domino invitanti, et trahenti omnes ad se iis verbis : *Venite ad me omnes*, et Novatianis hæreticis patrocinetur. Enim verò epistolæ Auctor, cap. 6, v. 4 et 6, scribit : *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste..., et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam...* Et cap. 10, v. 26 et 27 : *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam exspectatio judicii...* Et c. 12, v. 17, de Esaü loquens : *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisîsset eam;* igitur cùm ex hâc epistolâ spes omnis eripiatur ineundæ iterùm gratiæ ad Deum, à quâ per peccatum exciderimus, non potest illa inter canonicas scripturas computari.

Hæc sanè ancipites veteres quosdam reddiderunt, ac retardârunt ab epistolæ lectione Latinas Ecclesias. Verùm si hâc de causâ abjicienda ea sit, non video, cur Matthæum, et Christum Dominum ipsum non repudiemus, qui blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti neque in hoc seculo, neque in futuro jam docuerant. Apostolus enim Paulus non peccantes quolibet peccati genere, sed agnitam, exploratamque veritatem voluntate oppugnantes, et Spiritui Sancto injuriosos homines, ait, ad pœnitentiam non reversuros, et nullius hostiæ oblatione reconciliandos Deo; quare si durus in speciem Matthæi, et Christi sermo commodâ interpretatione lenitur, eâdem explicatione ad hos Pauli locos accommodatâ, desinamus jam epistolæ obtrectare. Multis autem modis id commodè explicatur. Primo, veteres quædam versiones latinæ ante Hieronymi tempora, quarum unam ad singulas græcas litteras accuratè respondentem inquit Richardus Simonius Hist. crit. novi Test., cap. 16, se legisse, pro græco verbo ἀδύνατον *impossibile*, habent latinè *difficile*, sensu potiùs retento, quàm vocis significatione. Secundo, impossibile dicitur renovari ad pœnitentiam, qui à Christi fide defecerint, quia plerùmque in peccatis usque ad vitæ supremum exitum permanent, quia gratiæ divinæ, quâ solâ curari possunt, resistunt, quia cùm ex maximâ perversitate peccent, nihil in iis est, quo peccati veniam, atque excusationem habeant; quâ ratione solemus dicere morbos quosdam esse omninò insanabiles, etiamsi quis indè convalescat, vel quòd curationem non admittant, vel quòd infirmus repugnet medicinam sumere morbo utilem, vel quòd viribus sit defectissimus, nihilque in se habeat, quo se ad valetudinem excitet. Potest igitur peccator desertor fidei ad pœnitentiam redire, si velit omninò; habet et hostiam, et propitiationem sibi in Christi sanguine propositam; sed quia difficillimum est homini propter hærens altum in animo ulcus, immanemque perfidiam ad Deum confugere, remedium quærere, experiri, constanter adhibere, ei ideò perindè est, ac si peccatum dimitti nequiret, nullaque hostia expiando superesset. Et hæc quidem in genere contra hæreticos Novatianos.

Propiùs autem ad rem nostram accedentes cum sanctis Patribus Ambrosio, lib. 2 de Pœnit., cap. 2, Augustino in expositione inchoatâ epistolæ ad Romanos, Joanne Damasceno, lib. 4 de fide Orthod., cap. 1, Hieronymo contra Jovinianum, lib. 2, cùmque græcis omnibus commentatoribus, et recentioribus interpretibus aptiùs prima Apostoli verba explicamus de vitæ renovatione per baptismi sacramentum. Agit enim eo loco Apostolus de sacramento baptismi, quod repeti ab eo nequit, qui semel baptismate initiatus in peccati vetustatem iterùm fuerit lapsus, jubetque neminem sperare se, actâ iterùm pœnitentiâ, qualem ante baptismum egerat, ad eamdem novitatem rediturum, quam in baptismo acceperat. Enim verò ab initio capitis inquit, se nolle habere sermonem de iis, quibus in Christo esse incipimus, sed ad perfectiora provehi; ideòque non rursùs jacere fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis : *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectiora feramur, non rursùs jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis...*, ac si dixisset, se nolle rursùm ea docere, quæ primùm omnium doceri solent Christiani reliquorum fundamenta, ut sunt pœnitentia à malis operibus, quæ mortem gignunt, fides in Deum, doctrina baptismatum, et cætera hujus generis disciplinæ christianæ initia. Cur de his nullam tradere institutionem velit, ad illa verò progredi, in quibus versari debent adulti in Christo, hanc causam affert : *Impossibile enim est, eos qui semel sunt illuminati..., rursùs renovari ad pœnitentiam;* de pœnitentiâ ergo loquitur Apostolus, quæ ad baptismum præparat, et fundamentum est bonorum operum in baptismo, ad quam redire posse hominem Christo initiatum negat. Item fieri non posse, ait, ut homo eam agat pœnitentiam, qua ad novam vitam traducitur, et prorsùs renovatur; atqui per baptismatis pœnitentiam, et sacramentum novam in Christo vitam homo init; affirmat ergo fieri non posse, ut rursùm pœnitentia cum baptismo conjungatur. Baptismus enim renovationis, et illuminationis sacramentum est; pœnitentia verò, quæ post baptismum agitur, sacramentum reconciliationis, in quo cicatrices curantur quidem, et plagæ per peccatum inflictæ; munditics autem, integritas, novitas vitæ per baptismi gratiam semel parta non reparatur. Deinde quid efficerent adjuncta illa invicem opposita *semel illuminati..., rursùs renovari*, nisi quæ illuminatio est, eadem esset et renovatio? Verùm illuminatio baptismi est; ergo et renovatio. Quamobrem pergit Apostolus dicere eos, qui baptismum iterùm recipere tentarent, perinde acturos, ac si filium Dei sibimet ipsis ad novam vitam habendam crucifigerent : *Rursùm crucifigentes sibimet ipsis filium Dei;* quia cùm in morte Christi Jesu baptizemur, ut idem Apostolus inquit ad Romanos, cap. 6, si repeteremus baptismum, filium Dei nobis iterùm affigeremus cruci : *At Christus*

resurgens ex mortuis, cum quo et nos suscepto baptismo resureximus, *jam non moritur*, *mors illi ultra non dominabitur;* ergo nec repeti baptismus potest, neque pœnitentia comes baptismi denuò suscipi. His omnibus consentanea dixit Ambrosius citato loco, ideò videlicet de baptismo intelligendum esse Apostolum, *quia per lavacrum renovamur*, *per quod renascimur;* et Augustinus : *Eos enim*, *qui jam baptizati fuerint*, *curari meliùs dicimus per pœnitentiam*, *non renovari*, *quia renovatio in baptismo est.*

Alterius loci, capite 10, hæc etiam significatio esse potest ex Chrysostomo et Augustino, non remanere scilicet alterum baptisma, alteram crucem, quâ voluntarium peccatum expiemus: *Ut hoc significaverit Apostolus*, inquit Augustinus, *non posse deinceps eum qui peccaverit, iterùm baptizando purgari : quo intellectu intercluditur pœnitendi locus.* Vel quod credibilius est, voluntariè peccantes, nimirùm Apostatas discedentes à Christo, *deserentes collectionem nostram*, ut Apostoli verbis ibidem utar, et eos, *qui filium Dei conculcaverint*, dixit Apostolus, non posse sperare post baptismum in Ecclesiâ acceptum aliam sibi paratam hostiam propitiationis, non quia locus pœnitentiæ non sit, sed quia cùm nulla sit hostia Deo hominem concilians præter Christum, et Christi mortem, si quis hanc defectione suâ contempserit, neque Christum alterum, neque aliam Christi mortem, neque ullam aliam hostiam inveniet, cujus oblatione placetur Deus. Quæ verò de Esaü, ex c. 12, habet Apostolus duobus modis accipi possunt: Uno modo, Esaü non invenit pœnitentiæ locum apud patrem; nam cùm frater benedictionem jam, atque hæreditatem præripuisset, adduci pater non potuit, ut, dicto revocato, hæreditatem amissam ad priorem natu transferret. Altero modo, apud Deum veniam non habuit, quia etsi fleverit, non rectè de peccato pœnituit, neque Dei iram avertit; quo exemplo deterrere homines à lapsu voluit Paulus incertum pœnitentiæ exitum proponens. Quæ cùm ita sint, nihil habent Novationi præsidii in epistolâ ad Hebræos ad defensionem erroris. Et hactenùs quidem hâc de epistolâ multum sermonem produximus.

Restat, ut quo tempore, et ad quos missa epistola sit, illicò expediamus. Tempus sub initium hujus articuli jam indicavimus; Româ scilicet in primo adventu post biennium, cùm exempto jam Timotheo, propè solvendus esset à vinculis, vel libertatem paulò ante recepisset, epistolam misit; quare anno fermè 62 vel 63, initio epocham constituimus. Cùm vero ad Hebræos epistola inscribatur, Hierosolymitanis, et Palæstinis Hebræis datam verisimilius sentimus. Cæteri enim diffusi per imperii Romani provincias Hellenistæ potiùs, quàm Hebræi vocabantur; Palæstinam verò incolentibus Hebræorum nomen potissimùm congruebat. Tum eosdem visitaturum se dixit Paulus, ad quos scribebat : at numquid in omnes Romani imperii provincias ire constituerat, totamque terram lustrare, quòd ei fuisset faciendum, ut videret, quos litteris hortabatur? Ad Hebræos ergo unius provinciæ, cujusmodi Palæstina erat, scripta illa sunt, et quidem ab eos ipsos, qui invidorum fratrum potentiâ, vi, contumeliis, rapinis oppressi consolatore egebant in maximis calamitatibus, quales fuisse scimus Judæos in Palæstinâ Christum confitentes. Neque his contraria supra posuimus, cùm ex Petri Apostoli litteris ad Judæos dispersionis datis probabamus Paulinæ epistolæ ad ipsosmet scriptæ testimonium perhiberi; ex quo concludi videtur, cùm diffusos per Asiam Petrus alloqueretur, eosdem et Paulum antea allocutum. Nam Petrus iis verbis, *sicut charissimus frater noster Paulus....... scripsit vobis*, non ad eosmet, neque ad eosdem locos scripsisse Paulum dixit, sed ad homines ex eodem genere, ex Abrahæ semine, à quibus, etsi in Palæstinâ commorantibus, reliqui in varias orbis partes dispersi iidem epistolæ exemplaria accipere facilè posuerunt, et legere res difficiles intellectu. Solemus enim in familiari sermone, quod cujusdam nationis hominibus, ubicumque ii sint, nuntiatum est, non privati, sed publici commodi causâ, si ad omnium æquè notitiam pervenit, dicere nuntiatum omnibus, quanquàm ad paucos, et fortè non procul distantes sit missum nuntium. Petrus igitur cùm sciret à Paulo datas litteras in Palæstinam ad eos, qui ex circumcisione in Christum crediderant, doctrinamque ibi traditam, æque profuturam Hebræis omnibus, ubicumque ii reperirentur; putaret autem à Palæstinis epistolam ad cæteros fratres dispersos propagatam, tanquàm de re notâ sermonem habens in memoriam revocavit, quæ Paulus scripserat, monuitque res captu difficillimas ab indoctè pravis detorqueri.

ARTICULUS VIII.

De Epistolis Catholicis generatim; et sigillatim de beati Jacobi Epistolâ.

Epistolas omnes Pauli epistolis accedentes majores nostri vocârunt epistolas *Catholicas*, id est, universales, scriptas nimirùm à fideles universos, vel eos saltem, qui ex Judæis fidem susceperant, seque in omnes mundi partes diffuderant; atque ob id catholicas vocârunt, ut eâ appellatione ab epistolis ad singularem quemdam hominem, vel ad Ecclesias in unâ quâdam urbe, vel provincia coactas datis distinguerentur. Hujusmodi quidem non sunt duæ posteriores Joannis; verùm, cùm in idem volumen conjectæ ambæ sint, in quo universales, et circumquaque delatæ epistolæ continebantur, commune nomen et ipsæ sumpserunt. Et sanè non intererat duas posteriores à priore Joannis disjungere; imò multùm conducebat ad priorem illam et duas alias apponere, ne de canonicâ earum auctoritate dubitaretur. Vocatæ sunt et à Latinis quibusdam scriptoribus *canonicæ*, quia et ad canonem librorum novi fœderis perindè ac Paulinæ pertinent, et ad mores componendos, fidemque confirmandam præcepta, et regulas complectantur. Sunt autem septem numero, una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, item altera Judæ, quo ordine usque à primis seculis recensentur in canone concilii Laodiceni 60, ab Eusebio, lib. 2, c. 23, à Cyrillo Hierosolymitano Catech. mystag., ab Athanasio in epistolâ festali, ab auctore Synopseos, à Gregorio Nazianzeno carmine de Canone sacræ Scripturæ

Hinc bis septenæ literæ, quas numine Paulus
Æthereo scripsit, sequitur post una Jacobi,
Atque duplex Petri, tres rursùm auctore beato
Joanne, ac Judæ postremo est unica.....

à Hieronymo in epist. ad Paulin., à Damasceno lib. 4, de fid. Cathol., aliisque, quanquàm aliter à quibusdam Patribus, et Scriptoribus disponantur. Nam quidam primas Petro Apostolorum principi etiam in epistolarum distributione deferri, tùm cæterorum dignitatis rationem haberi debere æquum judicantes, utramque Petri epistolam primo loco, deinde Joannis, postea Judæ, postremo Jacobi posuerunt; alii verò aliam pro arbitrio distributionem secuti primò Petri, proximè Jacobi, deinde Joannis, et Judæ epistolas collocàrunt.

Harum epistolarum unum argumentum est, solam fidem bonis operibus vacuam non efficere animæ sanctitatem, nec ad salutem perducere, contra, quam pseudo-Apostoli Paulinis epistolis abusi Simoniani, Nicolaitæ, aliique hæretici partam nobis à Christo libertatem plus æquo extollentes vulgaverant. Id præcipuè S. Jacobus in epistolâ suâ plenissimè confecit, quam et divinam esse, et apostolicam officii nostri est demonstrare. Ut de auctore primùm inquiramus, inter Apostolos, qui Jacobi nomen habuerunt, duo numerantur, alter Joannis frater, et Zebedæi filius, alter filius Alphæi; ille jussu Herodis Agrippæ interfectus est gladio paulò ante festum azymorum, quùm rex et Petrum in carcerem conjecit, ut Judæorum gratiam, et benevolentiam consectaretur. Et de illo quidem Jacobo sine ullâ cunctatione pronuntiari potest auctorem epistolæ non esse, quanquàm Patribus aliquot placuerit Zebedæi filium scriptorem dicere, et quibusdam veteribus Syriacis exemplaribus inscriptum sit Jacobum eum esse, quem divinæ suæ gloriæ in monte Thabor Christus testem accivit, quo honore Joannis fratrem dignatum scimus. Nam anno quadragesimo quarto æræ vulgaris Zebedæi filius martyrium sustinuit, priusquàm extra Palæstinæ fines Evangelium multùm propagaretur, ut omnium Patrum, atque interpretum concessu ratum est; epistola autem Jacobi Catholica ad universos Judæos Evangelii studiosos per Syriam, Græciam, Asiam diffusos data est; epistola ergo illa scribi non potuit à Jacobo Zebedæi filio. Accedit etiam filio Zebedæi vivente neque epistolam ad Romanos, neque ad Galatas ab apostolo Paulo jam fuisse editas, à quarum tamen pravo intellectu Jacobus scribendi argumentum sumpsit, ne quis deciperetur, et solâ fide se fore salutem consecuturum crederet; quin etiam, dum vita Zebedæi filio manebat, ne exortas quidem fuisse hæreses creditur Simonis, et Nicolai, quas auctor epistolæ in totâ suâ oratione convellit.

Hoc igitur explorato, quæstio ad alterum Jacobum traducitur, Alphæi filium, cui statim consequeretur attribui oportere Catholicam epistolam, si præter eum nemo alter vocatus Jacobi nomine ætate Christi se divino magistro adjunxisset. Est enim Jacobus quidam in Scripturis commemoratus filius Mariæ, et frater Joses (id est Joseph), Judæ, et Simonis, quem Marcus *minorem* appellat, Paulus ad Galatas *fratrem Domini*, publico cognomento *Justus* dictus, primus Hierosolymorum episcopus, atque anno circiter æræ vulgaris sexagesimo secundo de templi pinnaculo propter Christi confessionem actus præceps. Hunc autem inter omnes non convenit esse ipsummet Alphæi filium ad apostolatûs dignitatem evectum, quoniam et Apostoli nomen initio epistolæ reticetur, et ex veteribus Hegesippus, eique non discors Hieronymus episcopum Hierosolymæ unum ex duodecim Apostolis fuisse non dixerunt. Quam causam, ut expediamus, liceat parùmper digredi, et de fratre Domini veterum sententias in medio ponere.

Jacobum fratrem Domini Patres Græci, ut plurimùm Origenes, Eusebius, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Amphilochius, Chrysostomus, ex Latinis Hilarius filium esse crediderunt Josephi ex priore conjugio susceptum, quàm beata Virgo Maria Christi Mater Josepho collocaretur. Ab hâc opinione Ambrosius, atque Augustinus assensionem cohibuerunt; Hieronymus verò omninò recessit, toto nisu contradicens ob id Domini fratrem Jacobum nominatum, quòd Mariam Cleophæ (ut Joannes scribit) beatissimæ Virginis sororem matrem habuerit; Hegesippus contra Jacobum filium, ait, Cleophæ, fratris Josephi; alii verò filium Mariæ, filiæ Cleophæ. Inter tot sententias quæcumque assumatur, illud semper verum erit Jacobum jure dici potuisse Christi Domini fratrem, Hebræorum more, qui sanguine conjunctos appellabant fratrum nomine. Si quid in hâc controversiâ nobis esset opus afferri, planè repugnaremus et nos prioribus Patribus, qui beatum Joseph Jacobi patrem esse prodidêre, quidquid demùm videantur Scripturæ indicare, ex quo Patres suam illam Jacobi, et Jesu cognationem probaverint. Nam quod Jacobum, ejusque fratres ad beati Joseph, et Mariæ Virginis familiam pertinere Judæi significaverint, Matth., cap. 13, v. 55, et Marc., cap. 6, v. 3: *Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? Nonne et sorores ejus hìc nobiscum sunt?* quod Evangelistæ adhæsisse comites sanctissimæ Genitrici narrent, unde veteres colligebant Jacobum, et tres reliquos, quùm filii Mariæ Virginis non essent, saltem filios Josephi esse ex priore conjugio debuisse, Hieronymus invictè confutavit. Si enim mater Jacobi, et Josephi in vivis erat, atque adstabat cruci, Christo Domino in crucem acto, quomodò poterat Josephus beatissimæ Virginis sponsus ex aliâ uxore defunctâ Jacobum, et cæteros suscepisse? Aut duasne fuisse sanctissimo viro uxores, et ambas viventes, alteram Jacobi, Josephi, Simonis, et Judæ, alteram Christi Domini matrem suspicabimur? aut unâ repudiatâ, alteram duxisse? Ait enim Matthæus, cap. 27, v. 55 et 56, et Marcus, cap. 15, v. 40: *Erant autem mulieres multæ..., inter quas erat Maria Magdalena, et Maria Jacobi, et Joseph mater...* Hujus sanè argumenti vim ne minimùm quidem infirmat Gregorius Nyssenus in sermone secundo de Resurrectione, atque Anastasius Nicæensis putans beatam Virginem Mariam Christi matrem, matrem quoque Jacobi à Matthæo dici, quia

et vulgò mater Jacobi appellabatur; erat quippe Josephi sponsa, qui Jacobum genuerat. Etenim urget Hieronymus, cur Evangelistæ hoc uno in loco Mariam Virginem matrem Jacobi, et Josephi vocâssent, quùm Christi Domini matrem faciliùs et clariùs vocare potuissent? Cur duas non distinguamus mulieres, quas Joannes, cap. 19, v. 25, apertè distinxit? *Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalena;* Maria enim Cleophæ apud Joannem eadem est ac Maria Jacobi, et Josephi mater apud Matthæum et Marcum; assentiendum igitur est S. Hieronymo, et cæteris plerùmque Latinis Patribus non ideò Jacobum Christi Domini fratrem appellari, quòd à Josepho ortum duxerit.

Unde ergo fraternitatis illius origo repetatur? Aut quam unquàm Jacobus, si eum Apostolum credimus, Alphæi filius cùm esset, potuit conjunctionem habere cum Christo? Si enim fratrem Domini dicamus, quia erat beatæ Virgini sanguine conjunctus ab ejusdem sorore filius, necesse est non Alphæi, sed Cleophæ filium dicamus; si autem ex patre Alphæo cognationem extraxisse velimus, quodnam ei cum beatâ Virgine, vel cum beato Josepho sanguinis vinculum intercessit? Et quidem difficillimum est ejus propinquitatis originem invenire, idque ipsum in causâ fuit, cur multi Jacobum Hierosolymorum episcopum fratrem Domini à Jacobo Apostolo sejunxerint. Hieronymus arbitratus est Alphæum, et Cleopham duo fuisse ejusdem viri nomina, qui Mariam sororem B. Virginis uxorem duxerit, eâque de causâ, quod Jacobus ejusdem Virginis nepos esset à sorore, et verus Christi Domini consobrinus, nomen fratris Domini habuisse. Theophylactus Mariam sororem B. Virginis nuptam Alphæo dicit, ex quo Jacobum genuerit; ipsam autem appellatam Mariam Cleophæ ex patris, id est, soceri, non ex mariti nomine, quòd filia esset Cleophæ. Hegesippus auctor sanè gravis, et cæteris antiquior Jacobum à Cleophâ, et Mariâ genitum apertiùs testatur; propinquitatem verò inter Jacobum, et Christum Dominum ex Cleophâ proficisci, patruo Christi Domini, utpote Josephi fratre, ex quo Jacobus, et Christus Dominus fratres patrueles habebantur. Porrò negat Hegesippus Jacobi matrem fuisse sororem Virginis Mariæ, cùm velit esse tantùm Josephi fratriam, fortasse vix consentaneum etiam existimans duas veras sorores eodem Mariæ nomine esse vocatas. Et ex his quidem Patrum sententiis, quas tamen non dijudicamus, satis intelligimus, quomodò vel consanguinitate, vel putativo consanguinitatis vinculo junctus fuerit Christo Domino Jacobus; imò verò et intelligi commodè potest eumdem Apostolum fuisse, contra eorum judicium, qui inculcant alterum esse Jacobum Alphæi à Christi Domini fratre.

Enim verò nobis videtur Jacobum justum, fratrem Domini, Hierosolymorum episcopum, de quo hactenùs sermonem fecimus, unum esse ex duodecim Apostolis, quos Christus sibi comites adscivit; neque alium quærendum esse Catholicæ epistolæ auctorem, ut eò revertamur, unde illustrandæ quæstionis causâ discessimus; quamobrem cùm nemo alter Jacobus in Apostolorum collegium admissus legatur, nisi aut Zebedæi filius, aut Alphæi, si Hierosolymorum antistes Apostolus erat, atque alter à filio Zebedæi, consequitur Alphæi filium exstitisse. Etenim Paulus in epistolâ ad Galatas Jacobum fratrem Domini Apostolum dicit, cap. 1, v. 2: *Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos*, id est, ad eos, quibus ante me Evangelica provincia commissa fuerat; post pauca verò: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Et cap. 2, v. 9: *Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi.* De Jacobo loquitur Paulus tanquàm Evangelii ministro ante se instituto, cum quo doctrinam suam conferre Hierosolymam venerat, cui erat Hierosolymitanæ Ecclesiæ cura concredita, qui non minùs Petro, et Joanne columnæ instar à Domino positæ Ecclesiam firmabat; at Jacobus ille frater Domini est; frater ergo Domini ex primis Apostolis erat; non poterat autem ille filius esse Zebedæi; Alphæi ergo filius erat. Quo uno argumento non tam acutiores quosdam criticæ studiosos confutamus Apostoli nomen à Paulo accipi in genere arbitratos pro homine, qui cum auctoritate verbum Dei annuntiaret, non pressiùs pro uno ex primis duodecim à Christo designatis, quàm eos, qui Zebedæi filium potiùs commemoratum volunt. Non enim potest is esse Zebedæi filius, qui cum Petro, et Joanne Pauli doctrinam probavit anno decimò septimo post Christi Domini ascensum in cœlum, sive paulò antequàm concilium Hierosolymis iniretur de legis Mosaicæ ritibus, in quo Jacobus Christi Domini frater post Petrum sententiam dixit. Neque Paulus adeò sollicitus erat petendæ confirmationis Evangelii sui, nisi ab iis, qui viderant, qui audierant, qui adhibiti à Domino testes fuerant, qui verè Apostoli habebantur; utrumque ergo constat et Jacobum fratrem Domini Apostolum esse, et alterum à Zebedæi filio, ex quo efficitur esse filium Alphæi; tertium verò quemdam Jacobum fratrem Domini ab utroque distinctum fingi potiùs, quàm probari.

Patrum autem nonnullis visum esse Jacobum justum nomine, et Domini fratrem à Jacobo Alphæi Apostolo distinguere, mirum non est. Debebant enim ita profectò sentire quotquot Jacobum fratrem Domini à Josepho ex priore uxore susceptum jam dixerant, si volebant quidem consentanea dicere; illorum tamen auctoritas sententiam hanc non probavit Ecclesiæ, quæ eumdem Hierosolymorum episcopum, et Domini fratrem inter Apostolos colit, quæque, nisi Apostolum fuisse crederet, prætermisisset uni ex Apostolis Alphæi filio sacram diem decernere, contra ac de cæteris Christi Apostolis fecisset, quorum solemnitatem à fidelibus celebrari voluit. Quomodò verò Alphæi filius appellari ille potuerit, si filius Cleophæ est, cum S. Hieronymo, aliisque interpretibus explicatur in hunc modum. Certum est fratrem Domini esse Mariæ filium, et ejus quidem Mariæ, quæ beatæ Virginis soror dicitur à S. Joanne, vel quòd vera esset soror, ut Hieronymus, vel quòd Josephi fratria, ut Hegesippus

dicit. Porrò vel Mariæ illius sponsus, Josephi frater, duobus nominibus appellatus est Cleophæ, et Alphæi, unde Jacobus Alphæi filius, Maria conjux Cleophæ vocari potuit; vel Cleophas Alphæum genuerat, Alphæus Jacobum, quocirca Maria Cleophæ ex patre, sive ex socero dicta fuerit, non à marito; vel Syriacæ voces אלפאי, et קליאופי idem omninò sonant, ut idem prorsùs sit dicere Alphæum, quòd Cleopham, vel Maria vera beatæ Virginis soror duobus viris nupserat, primùm Alphæo, deinde Cleophæ, atque ex primo Jacobum pepererat. Quibus interpretationibus approbatis nodus omnis difficultatis dissolvitur, et quod erat obscurum, patefit cognitâ sive Jacobi propinquitate cum Christo, sive paternâ, maternâque origine, quæ et propinquitatem illam efficit, et Alphæi filium ostendit.

Nunc iterùm ad Epistolæ auctorem, atque auctoritatem veniamus. Beato Jacobo epistolam istam inter catholicas semper adscripsit veneranda antiquitas, ut ut non convenirent omnes inter se, utrùm filio Zebedæi, an filio Alphæi, an verò alteri discipulo Apostolorum ætate Hierosolymorum episcopo tribueretur. Antiquissima exemplaria potissimùm Græca, Syriaca, Latina magnum momentum adferunt, ut hanc sententiam teneamus, in quibus omnibus præscriptus titulus est, *Epistola S. Jacobi Apostoli Catholica*, vel saltem *Epistola Catholica sancti Jacobi.* Quid enim aliud significat eâ epigraphe, nisi ecclesias omnes saltem ab honoratiore quodam, et summæ auctoritatis viro, nomine Jacobo scriptam epistolam credidisse, qualem se auctor initio profitebatur, atque ob id in canonem inseruisse? Cùm autem nuperrimè demonstraverimus Jacobum tertium quemdam non inveniri ab utroque Apostolo distinctum, neque filii Zebedæi temporibus epistolam congruere, nihil restat, nisi Jacobi minoris Apostoli litteram agnoscere.

Insuper Patres Ecclesiæ Origenes, homil. 3 in Exod., et Commentariis in epist. ad Roman., cap. 5; Athanasius, orat. 4 contra Arian.; Hilarius, lib. 4 de Trinit., Cyrillus Hierosolymitanus.; Catech. mystag. 4; Basilius, lib. 1 de Baptis., cap. 2; Epiphanius, hæres. 70; Augustinus, lib. 2 contra Crescon., cap. 37, et epistolâ 29 ad Hieron., Hieronymus pluribus in locis epistolam Jacobi Apostoli dicunt. Et quidem Hieronymus, qui commentario in cap. 1 epistolæ ad Galatas fratrem Domini Jacobum in duodecim Apostolorum numero non videtur recensuisse; apertiùs tamen alibi quæstionem hanc ex instituto tractans ipsum epistolæ scriptorem, tùm Christi fuisse Apostolum asseverat; in catalogo enim scriptorum ecclesiasticorum hæc habet: *Jacobus, qui appellatur frater Domini, cognomento justus, ut nonnulli existimant, Joseph ex aliâ uxore, ut autem mihi videtur, Mariæ sororis Domini, cujus Joannes in suo libro meminit, filius, post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum episcopus ordinatus unam tantùm scripsit epistolam, quæ de septem Catholicis est.* In libro verò contra Helvidium ostendit fratrem Domini Apostolis accensendum, inquiens: *Nemini dubium est, duos fuisse Apostolos Jacobi nomine appellatos, Jacobum Zebedæi, et Jacobum Alphæi; istum nescio quem minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec tamen matris Domini Scriptura commemorat, Apostolum vis esse, an non? Si Apostolus est, Alphæi filius erit...; si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus, quomodò est frater Domini putandus? Et quomodò tertius ad distinctionem majoris appellabitur minor? cùm major non inter tres, sed inter duos soleat habere distantiam, et frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente.....* (affert hìc testimonium epistolæ ad Galatas, cap. 1, v. 2, et cap. 2, v. 9.) *Ne autem hunc putes Jacobum filium Zebedæi, lege Actus Apostolorum; jam ab Herode fuerat interemptus*; argumento igitur Hieronymi jam confectum est, quod contendimus.

Canonicam verò epistolam habendam esse satis consequitur, si vel hâc unâ ratione utamur; quantò magis cùm totius Traditionis testimonio confirmetur, cuicumque demùm Jacobo acceptam referamus. Eusebius, lib. 2 Hist. Eccles., cap. 23, ait, etsi non multi antiquorum epistolæ Jacobi fratris Domini meminerint, notum tamen esse cum cæteris in quàmplurimis ecclesiis publicè recipi, et approbari. Concilia Laodicenum, can. 60, et Carthaginense III, can. 47; Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4; Gregorius Nazianzenus, et Amphilochius apud Gregorium Nazianzenum, tom. 2, Auctor Synopseos; Rufinus in Expositione symboli; Innocentius I, epist. 3 ad Exuper.; Gelasius I, in concilio Romano; Augustinus, lib. 2 de Doctr. Christ., cap. 8, et quotquot canonem ullum Scripturam condiderunt seu Græci, seu Latini scriptores epistolam Jacobi ponunt in catalogo. Omnes ne falsos esse judicabimus, qui *stramineam*, ut arroganter, et rusticè Lutherus dixit, Scripturam pro divinâ nobis obtruserint? Sed magistri temeritatem vel ipsi Lutheri discipuli detestati sunt, nec ferre potuerunt, qui inconsultò, atque imprudenter à Martino verba illa excidisse confessi non modò à præfatione in epistolam Jacobi ea omninò sustulerunt, verùm etiam à Catholicis hâc in re non dissentiunt. Raithius inter Lutheranos non ignobilis in vindiciis versionis Germanicæ Lutheranæ, thesi 21, testis est: *Post majorem illuminationem, ut dies diem docet, verba illa duriuscula posterioribus sacrorum Librorum editionibus sunt omissa, nec post annum 1526 in ullâ ampliùs editione* straminea *vocatur.* Æquior Luthero Calvinus in argumento Commentariorum in epistolam Jacobi: *Satis habeo*, inquit, *ad epistolæ approbationem nihil in eâ reperiri Christi Apostolo indignum.* Socinus pariter Unitariorum caput, de auctoritate Scripturæ Sacræ, cap. 1, num. 2. Veterum quorumdam dubitationem, et caliginem de epistolis Jacobi, Petri, Judæ posteriore cognitione, et luce fuisse discussam, adeò consentit, ut eorum Apostolorum esse et ipse teneat, quorum nomine prænotantur: *Cùm postea tempore procedente ex judiciis huic rei aptis cognitum fuisset istas epistolas ipsorum Apostolorum esse, exempla plerisque illa dubitatio fuit, et sic inter alias sunt numeratæ: et ea quidem, quæ Jacobi est, ante duas reliquas.*

Quæ cùm ita sint, Florentini, et Tridentini concilii post veterum testimonia judicio, et sententiæ standum est, à quibus divina, et canonica epistola fidelibus commendatur.

Non attinet jam cum Luthero, quin et Cajetano, et Erasmo, testimoniis Eusebii, et Hieronymi abuti, quorum alter de Jacobi epistolâ ait : *Pauci veterum ejus meminerunt ;* alter : *Et ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur ; licèt paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Neque iterùm attinet Apostoli nomen non legi ab initio epistolæ, ac si colligi ex eo silentio necessario deberet obscurum quemdam, et ignotum Jacobum epistolam dedisse. Nam nihil horum aut Calvinum, aut Socinum à suscipiendâ epistolâ deterruit ; et hoc quidem posterius argumentum infirmum esse vel ille videt, qui opponit. Paulus Apostolus ad Philippenses scribens, utramque ad Thessalonicenses, ad Philemonem vel se Paulum nudè dicit, vel addit *Dei servum ;* eruntne ideò epistolæ istæ ab alio, quàm ab Apostolo datæ? Jacobus autem sic incipit : *Jacobus Dei, et Domini nostri Jesu Christi servus ;* non poterat verbis uti significantioribus officii sui, et dignitatis præsertim cùm ad Hebræos scriberet, qui veterum Scripturarum lectione exerciti nuntios Dei, et prophetas dici Dei servos noverant, atque ex adjectis verbis *Domini nostri Jesu Christi* intelligebant Jacobum ministrum esse legis novæ, quam Messias condiderat. Primum autem illud de Eusebio, et Hieronymo ab ipsismet Patribus satis explicatum, clariore interpretatione non eget. Ait Eusebius à paucis veterum commemoratam epistolam, quia, cùm ex Deutero-canonicis Scripturis sit, omnes usquequaque veteres non habuit approbatores ; sed addit ipse compertum jam suâ ætate in quamplurimis ecclesiis recitari, quam, re explorata, in cæterarum apostolicarum numerum retulerant : *Quam quidem nonnulli spuriam, et supposititiam existimant..., quæ et ipsa in septem Catholicarum numero recensetur..., hanc quoque cum cæteris in plurimis Ecclesiis publicè lectitari cognovimus.* Hieronymus verò, quo nemo magis Jacobæ epistolæ auctoritatem defendit, antiquam ipsammet, de quâ Eusebius scribit, paucorum opinionem pro more suo primùm referens, eam explosam progressu temporis indicat, quia cùm Ecclesia deinceps certis rationibus perspectum habuerit à Jacobo Hierosolymorum episcopo fuisse editam, paulatim ea crevit veluti auctoritate, et suspecta esse desiit ; quemadmodùm reverà post Eusebii tempora nemo est, qui dubitabilem olim epistolam in dubitationem adduxerit.

Leviora sunt cætera, quæ partim Cajetanus, atque Erasmus, partim Lutherus reprehendunt ; et illi quidem severiores critici veriti iis assentiri, quæ non essent sibi undequaque explorata, ne viderentur temerè credere ; iste verò contemptor doctrinæ, quæ errorem suum convellit. Inquiebant illi, salutationem in epistolâ positam puram esse, et nulli salutationi cujuscumque alterius Apostolicæ litteræ conformem ; nam nihil Dei, nihil Jesu Christi, nihil gratiæ, nihilve pacis sonat, sed profano more salutem dat. Addebant scriptorem in secundo capite esse nimium veteris legis laudatorem, quod Apostolum dedecebat. Lutherus ex alio capite epistolam cum apostolicâ doctrinâ componi non posse accusat. Nam Apostolus, cap. 3 ad Roman. hominem ex fide sine operibus ; auctor verò epistolæ ex operibus, non ex fide tantùm justum fieri docet. Instat in epistolâ nullam haberi concionem de opere Christi, et doctrinâ fidei, sed tantùm de operibus prolixum sermonem ; consuevisse autem Apostolos orationem suam sermonibus de fidei doctrinâ semper inspergere ; apostolicam igitur, et sacram epistolam immeritò credi. Hæc ferè contra Jacobi epistolam ; sed prima videamus.

Miror homines acutos, quales erant Cajetanus, et Erasmus in has ineptias incidisse, nec deprehendisse quantùm à profanâ salutatio Jacobi distet. Se Dei, et Jesu Christi Domini nostri servum auctor nuncupans, dicit salutem duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione ; salutem quidem illam, quam à Domino, cui inserviunt, precari Dei ministri solent ; est igitur aliquid sacri, quod ea salutatio sonat. Quòd si, quia gentes solebant ita salutem dicere profanum bonum deprecantes, liceret colligere profanas esse salutationes iis verbis conceptas, neque spirantes Apostoli gravitatem, esset ergo ethnica Apostolorum illa, et Seniorum in Hierosolymitano concilio ad fratres Antiochiæ salutatio, in quâ ne Jesu Christi quidem nomen adhibitum est, Actor., cap. 15 : *Apostoli, et Seniores fratres iis, qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem.* Quare negent jam quidquam Hierosolymâ ad Antiochenses scriptum ; aut Petri, Jacobi, et cæterorum paganum salutandi genus pariter dicant sibi non placere, quorum alterutrum dicere ne hæretici quidem audent. Mosaicæ verò legis laudes quo unquàm loco Jacobus extulit? Ideòne quia præceptis Decalogi omnibus parendum jubet, ne si in uno defecerimus, omnium rei efficiamur? Sed et Decalogi præcepta ad Christianum populum pertinent, et fideles unum præceptum transgrediendo totam legem transgrediuntur, non quòd homicida sit adulter, si occidat, non autem mœchetur ; cæteroquin sibi non constitisset Jacobus, inquiens totam legem servari, in uno autem offendi ; sed quòd homicida ille, amissâ justitiâ, pœnam totam incurrat à lege præscriptam, et violando caput illud, ac summam præceptorum omnium : *Diliges Dominum Deum tuum*, charitatem quoque cum ejus observatione conjunctam dirimat, à quâ tota lex pendet, et prophetæ. Legem verò, de quâ scriptor loquitur, non veterem esse, sed novam versiculus 25 capitis primi satis indicat, inquiens : *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in eâ ;* lex enim perfecta libertatis ea est, quæ et viam præmonstrat, et vim suppeditat, quâ facilè, liberè, libenter præcepta impleamus, quæ non modò jubet quidquam fieri, sed confert, ut faciamus, non premit, non gravat : *Hæc est lex libertatis, non servitutis,* ait Augustinus, libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 57 : *Non servitutis quia charitatis utique, non timoris, de quâ et Jacobus Apostolus ait*

qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis.

Nam ad id, quod ait Lutherus, contrariam esse Jacobi doctrinam doctrinæ Pauli; quæ tamen Calvino ita visa non est, jam à multis Patribus est responsum. Porrò Lutherus se quoque cum Simoniacis, et Nicolaitis à Jacobo confutatum sentiens hanc doctrinæ dissimilitudinem objecit, vel hoc ipso probans, se ad hæreticos illos pertinere, contra quos Jacobus Apostolus in epistolâ suâ disputaverat. Sed aliud fuit Paulo, aliud Jacobo scribendi argumentum; ille negat opera, quæ sine fide, et gratiâ fiunt, ad justitiam conducere; fidem propterea tanquàm radicem, et fundamentum totius justitiæ ponit, per quam ad Deum accedimus; iste verò opera etiam requirit tanquàm fructum, totiusque ædificii perfectionem; quæ si desint, frustra cœptum est. At *Paulus ipse*, scribit Augustinus, lib. de Fid. et Oper., cap. 14, *non quamlibet fidem quâ in Deum creditur, sed eam salubrem, planèque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Quis enim speret se salutem solâ fide consecuturum, nisi et benè vixerit, et bonis operibus viam Dei tenuerit? Jacobus verò opera cum fide conjungi postulat, vehementer urgens, fidem sine operibus nihil prodesse contra eos, qui, non intellectis quibusdam subobscuris Pauli sententiis, malam securitatem salutis dabant, neglectis operibus. Necesse ideò fuit Jacobo plus in operum necessitate inculcandâ insistere, quod erat ejus institutum, quàm in fide commendandâ, cujus vim plus æquo prædicabant divinæ legis subversores. Atque hinc posterior Lutheri ratiuncula dilucidè propulsatur. Etenim licèt Jacobus totum se ad opera legis laudanda contulisset, prætermissâ fide, nihil planè fecisset, quod argumenti natura non requireret, seu quòd Paulus satis superque de fidei laudibus orationem habuerat, seu quòd excutiendus esset eorum error, qui doctrinam fidei nimis extollebant; quare iniqua esset Lutheri obtrectatio: quantò ergo erit iniquior, cùm Jacobus fidem et ipse afferri velit, ut bonorum operum initium? Quid aliud sunt illa capitis primi: *Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Item illa: *Postulet in fide nihil hæsitans.* Iterùm: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Et cap. 2, v. 22: *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est,* ut multa alia prætercam? Si autem Lutherus pugnaciter defendat divinam non esse epistolam, in quâ præter assensum divinis veritatibus præstitum bona opera agi oportere declaratur, tùm alterius loci hæc disputatio est, tum multos alios catholicos libros à se probatos primùm rejiciat; imò verò omnes, et veræ sanctitatis notionem, quam fideles habent altè insitam ex animis evellat, antequàm disputet.

Ac de Epistolæ divinitate jam satis in præsentiâ; nunc brevibus quædam adjuncta consideremus. Scripta est ad duodecim tribus extra Judææ fines dissipatas, ad Judæos nimirùm, qui ad fidem accesserant, inter gentiles autem in varias terræ partes habitatum abierant. Ad Jacobum, utpote Judæorum apostolum, Hierosolymorum episcopum præsertim attinebat Judaici generis fidelium cura, quam scripta ad eos epistola ostendit. In instituendis moribus, qui consentirent cum fide in patientiâ, charitate, bonorum operum exercitatione, moderatione linguæ, pace cum fratribus habendâ, humilitate, cæterisque virtutibus Christiano homine dignis commendandis, ut et castigandis vitiis plurimis totam operam insumpsit addens pauca de infirmorum unctione, de confessione peccatorum, de orationis vi ad varias utilitates. Brevis epistola est, simplicior, planior, sed succo plena, et solidissimis sententiis, quæ veræ virtutis amorem excitant. Ignoratur quo æræ anno litteram dederit; verùm ex ejusdem argumento ea Pauli ad Romanos posteriorem esse colligitur, et quidem paulò ante quàm Jacobus exiret è vitâ, propè annum sexagesimum secundum missa plerùmque creditur, quemadmodùm et græco idiomate inscripta ad eos qui gentibus intermixti, græcum sermonem loquebantur.

ARTICULUS IX.

De Epistolis beati Petri duabus.

De Petri vitâ, et actionibus prætermittimus quidquam perstringere; abuti enim otio videremur in re non necessariâ. Scripsit ipse Apostolorum Princeps duas epistolas, quarum altera nunquàm in controversiam venit; altera multos habet obtrectatores. Illam ex urbe Româ scriptam veteres minimè dubitârunt; ea enim in fine epistolæ appositio: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, allegoricè Romam designat, urbem flagitiis deditam, justis infensam, Judæorum propriis sedibus expulsorum victricem, idololatriæ sedem Babylonis simillimam. Quod adeò veterum omnium consensu firmatum est, et rerum præteritarum memoriæ consentaneum, ut qui veram Babylonem intelligunt, sententiæ quindecim seculis perpetuò probatæ nuper se contradicere vel ipsi fateantur, ac nullâ ratione docere possint, quomodò recens commentum cum priscâ historiâ cohæreat. Quam unquàm veram Babylonem significâsset Petrus tùm temporis, cùm altera esset hebraico potissimùm habitatore vacua, et fermè deserta; altera vix ab ullo hebraico, vel Christiano homine nosceretur, nullosque haberet Christianorum conventus? Namque in neutrâ, ex duabus, quas dicunt, Babylonis urbibus, una Chaldææ, altera Ægypti, Petrus Ecclesiam cogere potuit, cujus nomine in epistolâ salutem diceret. Chaldaica Babylon in solitudinem abierat exhausta vicinitate Seleuciæ ob id conditæ à Nicanore, ut Plinius ait, lib. 6, cap. 26; accesserat autem, et Caio regnante Judæos à Babyloniis multis cædibus profligatos Seleuciam se recepisse; reliquias verò, grassante peste, abire compulsas, ut Josephus, lib. 18 Antiq., cap. ult. narrat, ex quo cognoscitur Ecclesiam ex Judæis tum ibi coalescere non potuisse. Ægyptia autem Babylon, dispersis per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, Asiam Judæis, erat omninò ignota; occupabatur etiam ab alterâ ex Romanis legionibus, quæ præsidio Ægyptum muniebant. Denique inter

græcas Ecclesias Apostolorum ætate institutas nemo est, qui unquàm recensuerit Babylonem Ægyptiam; aut primis seculis præsules ullos ibi fuisse commemoraverit; quod sanè non esset ab omnibus prætermissum, si apostolum Petrum eò se contulisse, ad fidem populares pertraxisse, Ecclesiam collegisse ex ullo monumento constaret.

Quamobrem, cùm ad litteram nequeat Babylon accipi, et per allegoriam locus ille necessariò explicari debeat, nihil æquius est, quàm Romam descriptam dicere, quæ mundi domina Palæstinam omni honore spoliatam in provinciam redegerat, Judæos magnis calamitatibus affecerat, veram Religionem vitiis abrepta usque tum ignoraverat. Assueti enim Judæi iis translatis loquendi modis, præsertim cùm et ipsi eo nomine uterentur ad regias urbes infideles nuncupandas, facilè assecuti sunt, quo ex loco Petrus scriberet. Quam rem omnibus semper ecclesiasticis scriptoribus fuisse exploratissimam, ne puto quidem operæ pretium confirmare; uti et eorum opinionem prætereo, qui conjecturà quàdam Hierosolymam eo nomine significatam crediderunt. Nam cùm Petrus scribebat, nondùm in Babylonem evaserat; tam Apostoli enim, quàm Hebræi ad fidem traducti, quibus addo et Judæos Mosaicæ legi pertinaciùs deditos, veram Religionem, aut quamdam veræ Religionis formam tenebant.

Cùm Romà missa epistola certò sit, jam quæritur tempus missionis, et quibusnam, Judæisne, an gentilibus, an utrisque missa sit. Sed primùm quis planè extricet, quod nullà veterum memorià, nullis positis in epistolà veluti notis distinguitur? Post annum decimum à Christi Domini ascensione Petrum scripsisse verba illa capitis 4 monent vers. 16: *Si autem ut Christianus non erubescat*, quæ Christi Domini discipulis inditum jam Christianorum nomen innuunt. At anno circiter 43 primùm Antiochiæ Christianos dictos ex Lucæ historià Actor., cap. 11, v. 26, cognoscimus. Post illud tempus in iis locis, ad quos epistolam suam dedit Apostolorum princeps, multùm Ecclesiæ excreverant (partim suà ipsius, partim aliorum operà; ipsemet enim ab anno trigesimo septimo ad Hierosolymitana usque vincula regiones illas excurrerat, si Eusebio, Hieronymo, Leoni Magno credimus), atque illæ ipsæ à Judæis, et gentilibus ubique afflictabantur, quam ob rem incitamentis opus erat, ne debilitarentur, ne deficerent animo, ne iniquorum injuriis cederent; cujus rei potissimùm gratià cùm scribere proposuisset, dedit et præclara omnibus ducendæ christianæ vitæ præcepta, et hæreticos pravis doctrinis sanum Ecclesiæ corpus inficere conantes repressit. Ex his si quid non omninò exploratum proferre licet, interpretibus, et chronologis assentimur spatio quadragesimum quintum, et quinquagesimum annum interjecto datam epistolam conjicientibus. Nemo tamen hæreticorum nos aliud hìc agentes in aliam causam trahat, velitque à nobis demonstrari eo temporis intervallo Apostolum Romam venisse, unde epistolam dare potuerit, nam properanter hæc dicimus freti Patrum traditione, quæ vana non est, etiamsi itinera Petri distinctius non prosequamur anno, et mense accuratè notatis. Pluries Romam profectus est Petrus; neque tum solum venit serius, cùm pro Christo vitam perdidit; potuit planè et anno decimo circiter post Christi mortem Romam se conferre, saltem postquàm ab angelo ereptus carcere Hierosolymitano est, in quem Herodes Agrippa cum detruserat; rursùs verò Romà Hierosolymam iter suscipere, ibique adesse in concilio, in quo de legalibus cæremoniis definitum est. Atque hæc satis sunt, ut à quadragesimo quinto anno ad quinquagesimum Romà Petrum scripsisse defendamus. Alterum de hominibus, ad quorum utilitatem Petrus scripserit, faciliore negotio expeditur, etiamsi alii utrique populo tam Judæo, quàm gentili, alii solis Judæis, solis gentilibus alii scriptum velint. Probatior enim sententia nunc est, ad Hebræos præsertim docendos, qui Christi fidem susceperant, Petrum intendisse animum, et litteram, seu quòd Hebræorum esset Apostolus, seu quòd electi advenæ dispersionis vocentur Judæi per orbem dispersi, quos et Jacobus Apostolus tribus, quæ sunt in dispersione compellavit; namque dispersos etiamnùm Judæi se dicunt, nimirùm terrà à Deo sibi in hæreditatem datà expulsos, extorres, exules, quo nomine gentiles comprehendi nequeunt, qui nullam singularem terræ partem à Deo dono acceperant, neque in alienis terris morabantur. Non ausim tamen S. Augustino, Thomæ, Bedæ, aliisque quibusdam interpretibus repugnare omninò, dùm nihil prohibere affirmant, quominùs Petrus etiam fideles gentium cum Judæis fide conjunctos alloqueretur; sicut et Paulus, quamvis epistolas suas in gentium gratiam daret, ad Judæos tamen et multa procul dubio pertinere oratione suà declarabat. Nam loci illi, qui à multis proferuntur, ut ad solos Hebræos dicti, tùm Augustini, cæterorumque sententiam non infirmant, quanquàm verum esset de solis Hebræis intelligi; tùm non adeò perspicuè Hebræorum sunt proprii, quin possint et ad gentiles accommodari. Illud enim capitis 2, v. 12: *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam*, quare non potuerit ad incircumcisos fideles dici, qui inter gentes errorum adhuc tenebris circumfusas versabantur, à quibus injurias, et contumelias sustinebant, ut statim Petrus prosequitur explicare? *Ut in eo, quod detrectant de vobis tanquàm de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Altera verò capitis 3, v. 6, ab exemplo Saræ petita ad mulieres adhortatio, *cujus estis filiæ*, feminis quoque olim gentilibus fieri optimè potuit. Nam Saræ filiæ sunt non illæ modò, quæ Abraham, et Saram progenitores habent, verùm etiam quotquot sunt promissionis filiæ in Abrahamo, et Sara progenitrice benedictionem consecutæ, et Saram imitantur; quapropter græcè legitur ἧς ἐγενήθητε τέκνα, *cujus factæ estis filiæ;* scilicet facientes bonum, et non timentes ullam perturbationem ad sanctam Saræ familiam accedentis.

Institutum Apostoli est tàm de fide, quàm de christianà vità dicere, quæ bonis operibus probatur, et

vexationum maximè tolerantiâ ad Christi Domini exemplum. Multa idcircò in unum congerit Petrus, quæ in eum scopum omnia collineant; hortatur, ut in Christi fide immoti permaneant, à carnalibus desideriis abstineant, meminerint bonorum, quæ sunt per baptismum consecuti; Christi patientis, per quem ad novam vitam traducti sunt, vestigia sequantur; principibus, et magistratibus, dominis, majoribus quibusque à Deo constitutis obsequium præstent; atque alia hujus generis, quæ apostolicam majestatem spirant. Hanc epistolam, ut ab initio diximus, divinam esse, et canonicam semper agnovit Ecclesia; nec ab ullo quidem est unquàm dubitatum, qui canonicas quasdam novi Testamenti Scripturas approbaret, ut Origenes apud Eusebium, lib. 6, cap. 25, testatur in ipso loco, in quo omnibus probatam non esse Petri alteram candidè fatetur.

De linguæ genere, quo scripta est, vix ulla est interpretum dissensio. Plerùmque enim græco idiomate editam putant, quod Judæis per totum Orientem effusis exploratum in familiari sermone adhibebatur; nec Baronii conjectura hebraicis litteris usum Petrum dicentis, ut Marco officium græci Interpretis tribuat, approbationem ullam hactenùs habuit. Et de primâ quidem Petri epistolâ tantum dictum sit.

Secunda sancti Petri epistola, quamvis nonnullorum reprehensionem incurrerit, non minoris tamen est auctoritatis, neque minùs ab Apostolorum principe ad eosdem transmissa, quos primum ad fidei constantiam, et bonorum operum exercitationem per epistolam excitaverat. Enim verò epistolæ auctor seipsum ab exordio salutationis Simonem Petrum nominat; versibus deinde 16, 17 et 18, se adfuisse affirmat in monte sancto, cum Dominus Jesus splendidissimâ luce circumfusus divinâ veluti formâ se induerat, eumque vox è cœlo delapsa filium Patri charissimum declaraverat : Addit, cap. 3, v. 1, se alteram jam ad eos ipsos, ad quos scribebat, epistolam dare; atqui hæ notæ certissimæ sunt, ex quibus Apostolorum princeps epistolæ scriptor esse cognoscitur. Nisi enim Petro auctori tribuatur ex iis omnibus adjunctis clarè cognito, jam alter quispiam se Petrum mentibus arroganter hanc scribendi rationem tenuisset ad fallendum, isque maximam fraudem in re gravissimâ fecisset; at quomodò hæc suspicio cum epistolæ argumento componatur, cumque ingenuo, et simplici veritatis colore, qui per totam scriptionem est fusus? Cur concilia, et Patres intolerabilem hunc errorem non deprehenderunt, qui facilè detegi à quocumque debuisset, cùm tamen præ cæteris Gregorius Magnus, homil. 18, in Ezechielem ideò confutet, qui Petri dicunt non fuisse, quòd auctor dicat se in monte sancto divinum illud testimonium : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, audivisse? Sed et Athanasius, in epist. fest. in Synop., atque orat. 2 contra Arian., Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4, concilium Laodicenum, can. 60, Carthaginense III, can. 47; Gregorius Nazianzenus, carm. 34; Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ Christi; Innocentius primus, in epist. ad Exuper. recensent in Scripturarum canone secundam Petri epistolam, quam prætcrea Origenes, homil. 7 in Josue; Hilarius, lib. 1 de Trinit.; Ambrosius, lib. de Incarn., cap. 8; Hieronymus, lib. 1 contra Jovinian., et de Scriptor. Ecclesiast. in Simone Petro ut sacram, et canonicam usurpant; imò verò vel Judas Apostolus Jesu Christi in suâ catholicâ epistolâ v. 17 et 18, videtur perhibere testimonium veritatis epistolæ hujus S. Petri, cùm inquit : *Vos autem charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulentes in impietatibus*, quæ sunt verba secundæ Petri epistolæ, cap. 3, v. 3 : *Hoc primùm scientes, quòd venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes.*

Quæ negotium facessere alicui possent, hæretici autem assumunt ad resistendum Catholicis, hæc sunt. Primò magna est hujus cum priore epistolâ Petri styli dissonantia, quam et sanctus Hieronymus non negavit; à Petro igitur scripta imprudenter dicitur. Ex hâc autem potissimùm styli dissimilitudine factum est, ut primis Ecclesiæ seculis à plerisque non modò dubitaretur, an Petri esset, verùm etiam negaretur, ut ex eodem Hieronymo habemus. Quare et Origenes apud Eusebium, lib. 6, cap. 25, et Eusebius ipse, lib. 3, cap. 25, de unâ Petri epistolâ à nemine dubitatum; de alterâ multis incertum esse scripserunt. Adeò autem tunc dubitatum est, ut Didymi Alexandrini veteris rerum ecclesiasticarum scriptoris ætate, qui propè finem IV seculi adhuc vivebat, in canonem non reciperetur; ipse verò Didymus falsatam esse pro certo teneret. Scribit enim commentario in epistolam 2 Petri : *Non est ignorandum præsentem epistolam esse falsatam, quæ licèt publicetur, non tamen in canone est.* Addit Grotius annotationibus in caput primum epistolæ II, Petri Apostolorum principem auctorem epistolæ inconsultò credi, quæ non nisi post Hierosolymitanum excidium scripta est, cùm tamen Petrus sub Nerone vitam perdiderit, antequàm Hierusalem à Romanis subverteretur. Enim verò in capite tertio imminere significatur totius mundi conflagrationem, ad quem patienter exspectandam scriptor Christianos hortatur; atqui nemo discipulorum Christi credidit citò adventurum mundi finem, nisi post eversam Judaicam rempublicam; quando ergo auctor epistolam dedit, Judaicæ res jam corruerant. Quòd si ita est non Simoni Petro, sed Simeoni, seu Simoni Hierosolymorum episcopo S. Jacobi minoris in episcopatu successori epistola tribuenda est. Et sanè, inquit, epistolæ titulus primùm erat : *Simon servus Jesu Christi*; quidam verò, spectabiliorem volentes epistolam facere, spontè addiderunt : *Petrus et Apostolus Jesu Christi.*

Hæc tamen sine multo negotio expedire potest, qui dispersam in toto hoc opere nostro doctrinam collegerit. Enim verò multa negari possunt in priore argumento contenta. Primò, tanta non est inter utramque epistolam dissonantia, ut idem auctor dici non debeat, quanquàm S. Hieronymus unam ab alterâ distare

non repugnaverit; vis è contrario eadem sermonis, et brevitas, idem phraseon, et periodorum circuitus à multis cernitur. Secundò, argumenti mutatio styli quoque mutationem inducit, et unus, idemque sæpè scriptor diversam adhibet orationem, quæ et in sanctorum Patrum quibusdam scriptis, maximè Gregorii magni Papæ epistolis se prodit. Tertiò, styli diversitatem non in auctorem, sed in interpretem rejecit Hieronymus in epist. ad Hebid., quæst. 2, inquiens : *Duæ epistolæ, quæ feruntur Petri, stylo inter se, et charactere discrepant, structurâque verborum, ex quo intelligimus pro necessitate rerum diversis eum usum esse interpretibus.* Nam Petrus modò Marcum interpretem, id est, qui scriberet elegantiore stylo, quæ ipse divino Spiritu plenus pronuntiabat; modò Glauciam adhibebat, ut Clemens Alexandrinus lib. 7 Stromat. ex veterum sermone tradidit. Quanquàm verò ea sermonis dissimilitudo quosdam olim in dubitationem adduxerit, antequàm omnium consequentium Patrum judicio Petri esse constaret; omnis tamen dubitatio sublata est accessu consensionis perpetuæ. Illa dissonantia præterea æquiorem Luthero Calvinum non retraxit à recipiendâ tanquàm divinâ epistolâ, in quâ majestas Spiritûs sancti usquequàque apparet, ut dicit argumento commentariorum in hanc epistolam, etsi veram, et nativam phrasin Petri in ipsâ desideraret. Flacius autem Illiricus in epistolam ipsam explanationes edidit, Petri esse ne dubitans quidem, licèt cavillator sit in multis importunus.

Etsi verò Origenes, atque Eusebius unicam epistolam à S. Petro certò scriptam referant, nihil mirum, cùm eorum ætate, sive propter sermonis discrepantiam, sive propter obscuros quosdam locos nondùm satis in lucem extractos, quibusdam suspecta epistola videretur, quam universalis Ecclesia editam à beato Petro non declaraverat. Origenes tamen et in ipso loco, qui nobis opponitur, consentit Petro Apostolo adscribi : *Concedamus et ejus esse; de hâc enim ambigitur;* et homil. 7 in Josue ejus locos usurpat. Eusebius verò, lib. 3, cap. 3, veterum dubitationem jam magnâ ex parte dispulsam indicat : *Quæ verò secunda* (Petri) *appellatur, eam quidem inter sacros N. T. libros censitam non esse à majoribus accepimus; sed tamen cùm utilis esse videretur quàmplurimis, una cum reliquis sacræ Scripturæ libris studiosè lectitata est.* Majores scilicet ii, qui primùm canonem sacrarum Scripturarum texuerant, in eumque epistolas omnes indubitabiles conjecerant, quæ omnium ecclesiarum approbationem habebant, cùm nondùm de secundâ beati Petri epistolâ satis esset perspicuum, abstinuerant hanc reliquis accensere. Verùm ecclesiarum, quæ plus testari hâc de re poterant, traditione paulatim pervulgatâ, totus deinde Christianus orbis tenuit et Petri alteram paris, ejusdemque esse cum primâ auctoritatis, paucis frustra repugnantibus. Quod Eusebius, lib. 2, cap. 23, clariùs notare non potuit, quàm septem epistolas Catholicas numerando, quæ septem non sunt, nisi secunda Petri in numerum includatur; et Hieronymus in epistolâ ad Paulinum scribens : *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas septem epistolas ediderunt;* et iterùm de scriptoribus ecclesiasticis in Petro : *Simon Petrus..., scripsit duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum secunda à plerisque negatur propter styli cum priore dissonantiam.*

Ferri autem non potest Didymi, licèt non contemnendi scriptoris, sententia, qui ex privato errore publicam quoque fidem epistolæ detractam scripsit. Ipsi enim turpiter hallucinato visum est in iis, quæ epistolæ cap. 3, habentur de mundi renovatione Platonicum de revolutionibus seculi systema contineri, ex quo et vitiatam epistolam, et in canonem non relatam ei erat consentaneum dicere. Verùm ut primum falsum est vel ipso fatente, licèt invito, sic alterum neque vim habet, neque cum ejus ætatis ecclesiasticâ consuetudine cohæret. Non fuisset enim unquàm in Ecclesiæ conventu publicè recitata epistola, quæ Platonis deliria complecteretur, legebatur autem, ut Didymus concedit; non ergo quidquam de Platonicis mundi vicissitudinibus in epistolâ reperiebatur; ergo Ecclesiæ judicio auctor longissimè distabat à Platonicis commentis; quare et in nullam erroris, ac vitii suspicionem venire epistola poterat. Quòd si publicè legebatur in Ecclesiâ, nihil aberat, quin esset in canone; quod enim tum majus haberi poterat argumentum canonicæ epistolæ, quàm publica in Ecclesiis recitatio, cùm nondùm singulari universæ Ecclesiæ decreto canon esset constitutus, et solâ per omnes ecclesias recitatione, quæ jussu episcoporum fieret, Scripturæ probarentur? Si autem præterea sacrorum Librorum catalogos à conciliis, et Patribus contextos sine præjudicio Didymus consuluisset, ex quibus eâ ætate sacri à profanis libris discerni poterant, non dissimulâsset descriptam et secundam Petri epistolam. Athanasius nimirùm, Cyrillus Hierosolymitanus, concilia Laodicenum, et Carthaginense III, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, qui litteris mandârunt sacrarum Scripturarum canonem, in ipsum et secundam Petri epistolam contulerunt; quos et paulò post secuti Ambrosius, Augustinus, Innocentius I, supra à nobis producti testes idem confirmârunt.

Grotii denique conjectatio licentior est, et contra veterum doctrinam, contra omnium exemplarium fidem, contra primorum Christianorum exspectationem pugnat; idcircò multa peccata eo in argumento sunt. Primò enim unde hausit Grotius olim nudum Simeonis, vel Simonis nomen sine ullo adjuncto fuisse epistolæ præfixum, quando Græci omnes, Latini, Syriaci, Arabici Codices sive MSS., sive typis editi habeant *Simon Petrus servus, et Apostolus Jesu Christi*, in omnibus iidem loci capitis tertii, quos Grotius Petri ætate recentiores judicat, æquè continentur? Quomodò ergo licuit Grotio audaciùs affirmare non ab apostolo Petro, sed à Simone Hierosolymorum episcopo scriptam epistolam propter sententias quasdam, quæ cum Petri temporibus sibi non videntur cohærere? Fugissetne ea temporis distantia aciem Justini martyris, Origenis, Cypriani, Novatiani, quorum alter in dialogo cum Triphone, alter homil. 7

in Josue, alter, epistolâ 75, alter, lib. de Trinit., c. 8, Petrum auctorem agnovit, ut reliquos taceam supra commemoratos Patres; ut illud etiam prætercam multas esse sive in capite primo, sive in tertio scribentis Apostoli notas? Ex quo et altera Grotii conjectura infirma admodùm est, neque valens probare non nisi post ruinam Judaicæ reipublicæ obtinuisse opinionem de proximo totius mundi occasu. Nam vel Apostoli Christo vivente Judaici statûs eversionem à mundi conflagratione non procul distare crediderant, et post Christi Domini mortem avidissimè tempus exspectabant, quo Hebræorum respublica labefactaretur, quòd beatum Christi regnum non nisi Hebræorum ruinis gloriosius futurum arbitrarentur. Capite enim 24 Matthæi Christus Dominus de Hierosolymorum excidio loquens, typo, et figurâ conflagrationis mundi, adjunxit et quædam de rerum omnium interitu, quem Apostoli eodem propemodùm tempore eventurum intellexerunt, unde et opinio invaluit extremum judicii diem, sive filii Dei adventum, templi, et Hierosolymorum ruinas propè consecuturum. Noluit tum Christus Apostolos ab eâ sententiâ abducere gravi de causâ, ut interpretatur Maldonatus in vers. 5, capitis ejusdem 24 : *Existimabant Apostoli hæc esse conjuncta, finem templi, et finem mundi; noluit Christus hunc illis errorem eripere, ne post templi eversionem in longum exspectationem porrigentes securi essent.* Indè factum est, ut Apostoli et ipsi de Hierosolymorum eversione sermonem habentes ad mundi excidium animum converterent, atque ex communi Christianorum persuasione utrumque conjungentium compararent sibi commodum eosdem inducendi ad fidem, ad spem, ad pietatem, ad constantiam. Petrus igitur sciens quosdam longâ expectatione promissionum Christi de Hierosolymorum excisione, de mundi fine, de regno ipsius glorioso delassari, hortatur, ut Christi gloriam, novos cœlos, novam terram patienter exspectent, atque ad hæc omnia se comparent maximâ animi puritate; Dominum enim, ait, promissa facturum, etsi differre videatur : *Quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies*, c. 3, v. 8. Porrò quid jam est in hâc hortatione, quod aut Petrum dedeceat, aut cum Petri ætate componi non possit, si et ipse magistri exemplo primum, et secundum Domini adventum non distinxit, atque occasionem ex fidelium credulitate arripuit excitandi, quos alloquebatur ad exspectationem novorum cœlorum, novæque terræ, in quibus justitia habitaret? (vers. 13.) Valdè ergo errare Grotius nobis meritò videtur, quòd putat post Hierosolymorum demolitionem Simeonem, ejus urbis episcopum, epistolam hanc edidisse, quam boni deinde fideles ad augendam scripto fidem Petro adscripserint.

Epistolam hanc ad eosdem misit Petrus Hebræos, ad quos primam miserat, ut paulò ante ex ipsiusmet verbis explicabamus. Neque illud initium : *Simon Petrus servus, et Apostolus Jesu Christi iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem*, probat ethnicis datam. Nam et Hebræi potissimùm inter tot pertinacissimos fratres ad veram fidem traducti æqualem cum Petro, genere Judæo, consecuti erant credendi felicitatem. Româ pariter hæc scripta creditur, et quidem paulò ante, quàm sanguine suo fidem quam docuerat testaretur, ut verba indicant vers. 14 et 15, capitis primi : *Velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum.* Argumentum epistolæ in eo posuit Petrus, ut moneret fideles mendaciis falsorum doctorum non assentiri, bonis operibus assiduè intendere, traditam aliàs sibi doctrinam tenere, patienter adversa ferre, sacris Scripturis legendis incumbere, postremi judicii diem, et revocationem mortuorum ad vitam certò sperare, cavere ab indoctis, qui et Pauli Apostoli et cæteras Scripturas ad suam perditionem depravabant, à firmitate non modò non excidere, verùm etiam Christi Domini gratiâ, et cognitione augeri.

ARTICULUS X.

De Epistolis beati Joannis.

Joannem dilectum Christi discipulum tres Ecclesiæ epistolas reliquisse statim intelligimus eorum auctoritate probari, qui septem Catholicas epistolas numerant; neque enim, ut in superiore articulo adnotabamus, septem haberemus, nisi tres Joannes dedisset. Prima tamen unica est, cui ab Apostolorum ætate nulla unquàm temporum, aut locorum, aut hominum mutatio, vel vicissitudo fidem abrogavit, de cujus propterea auctoritate non disputamus, ne loquendo res certas videamur dubias facere; videretur enim probatione quâdam egere, de quo loqui esset opus. Illud autem perpetuæ Traditionis vim maximè demonstrat, nimirùm semper creditum esse Joannis epistolam, etiamsi nulla auctoris inscriptio sit; unde perspicitur non ex inscriptione, sed ex constanti Ecclesiæ fide, ac sententiâ de scripti ullius auctore esse judicandum. Et quidem Joannes, dùm nomen suum celat, multis characteribus se prodit, stylo videlicet, methodo, sententiis, charitatis mutuæ, et benevolentiæ commendatione, quam unam visum est semper in hominum animis insinuare; sed nisi his omnibus accessisset Ecclesiarum fides, multùm adhuc deesset ad nos in eâ sententiâ confirmandos, quæ jam propter approbationem perpetuam evelli ex animo nostro non potest. Tacuit autem fortasse Joannes nomen, ne aut sibi, aut ullis, ad quos scribebat, grave aliquod negotium crearet, si in Romanorum manus pervenisset epistola, quæ ad populos Romanis odiosos mittebatur.

Cùm id teneamus, conferenda opera nostra esse ut ad quos, unde, et quando Joannes epistolam miserit, videremus; sed obscura adeò res est, ut nulla spes supersit futurum, ut ullis verbis illustretur; quare ponemus in medio sententias Patrum, atque interpretum, sive habeant ii, sive careant, quo se tueantur. Auctor questionum Evangelicarum, qui Augustinus dicitur, ad Parthos inscriptam judicat, quod inter cæteros et Possidius in indiculo operum S. Augustini, et Pseudo-

Hyginus in decreto probant. Erat autem Parthis cum Romanis de imperio Orientis contentio, unde conjectura ducitur datâ operâ, propter metum Romanorum, neque de se, neque de filiolis, quos alloquebatur, quidquam Joannem in epistolâ posuisse. Nihil sanè est, quod in hâc sententiâ reprehendamus, ut nihil pariter sit, in quo certò veritatem assecutos nos esse putemus. Ligphootus in Horis hebraicis in primam epistolam ad Corinthios, cap. 1, v. 14, arbitratur ad Corinthios missam epistolam, quia, inquit, Joannes Caio scribens in epistolâ 3, v. 9, ait, se jam Ecclesiæ scripsisse (græcè enim legitur : ἔγραψα τῇ Ἐκκλησίᾳ, *scripsi Ecclesiæ*), ei utique Ecclesiæ, in quâ Caius versabatur; atqui Caius Corinthiorum Ecclesiæ membrum erat, de quo Paulus in epistolâ ad Corinthios loquitur; Joannes ergo jam ad Corinthios scripserat, quùm ad Caium scribebat. Quæ verò unquàm alia sit epistola præter hanc data Corinthiis? Verùm aliquid fortasse concluderetur hoc argumento, si Caium, vel Gaium, cui tertiam suam inscripsit Joannes epistolam, Corinthium esse virum Ligphootus primùm ostendisset; quod cùm nullâ ratione effecerit, imbecillior conjectura est, quæ nullos comprobatores habere potest. Par est inquisitionis ratio, Judæisne, an Gentilibus, an utrisque ad fidem conversis Joannes scripserit; nihil enim est vel in epistolâ ipsâ notatum, vel à veteribus traditum, quod in ullam partem potiùs trahat, quùm ad omnes eadem dicere auctor potuerit; neque iis verbis capitis 5, v. 21 : *Filioli*, *custodite vos à simulacris*, Gentiles potiùs, quàm Judæos ethnicis permixtos ab idololatriâ cavere jusserit.

Locus verò, in quo intexta epistola est, à Grotio dicitur Pathmos insula, in quam exul pulsus est Joannes Domitiani jussu, postquàm ex olei ferventis dolio Romæ illæsus exiverat; in quibusdam autem codicibus dicitur Ephesus. Grotius siquidem immemor quid ei consentaneum esset dicere, qui epistolam ante Hierosolymitanæ urbis excidium datam putaret, turpiter peccavit; utrumque affirmans non modò ex insulâ Pathmos, verùm et priusquàm urbs subverteretur Joannem scripsisse, quod nequit consistere. Nam quùm in Pathmos abductus Apostolus est, non ita pridem Judaico bello confecto Hierosolymæ considerant. Quamobrem aut Ephesο datam dicere mallem, ubi Joannem multos annos egisse, saltem post Apostolorum Petri, et Pauli discessum è vitâ, ex traditione habemus; aut si ab exilii loco scriptam sentirem, dirutas quoque Hierosolymas faterer. Tempus denique Baronius constituit, quo Apostolus jam ab exilio reverterat; Grotius, ut nuperrimè dicebamus, quo stabant adhuc Hierosolymæ. Si quæ dicit Apostolus, cap. 2, v. 18 : *Filioli, novissima hora est; et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia novissima hora est*, planè intelligerentur de proximè futurâ Hierosolymorum subversione, nihil jam esset, quod disputaretur; sed cùm à quibusdam intelligatur locus ille de adveniente judicii die, et mundi fine, ut rumor percrebuerat Antichristum venisse, non magis ante, quàm post subversam Hierosolymam scribi epistola potuit. Equidem multorum Patrum sententia est, et plerùmque creditur, Cerinthum, et Simonem Magum à Joanne esse confutatos, ex quo Calmetus patere arbitratur ante Romanorum, et Judæorum bellum exaratam, quùm in eamdem, quâ Paulus, Cerinthi, et Simonis ætas inciderit, nondùm excisis Hierosolymis. Verùm et Evangelium suum contra Cerinthi errores Joannes scripsit; quod tamen post Hierosolymæ cladem à Patribus ut plurimùm scriptum censetur; et refelli tum magistros dicimus, quùm discipuli ex eorum scholâ profecti refelluntur. Quamobrem convellit optimè Joannes illorum hæreticorum doctrinam, eosque repressit, etiamsi à vivis jam abierint, eorum hæresin à pravis hominibus propagatam confutando.

Nihil igitur de hâc primâ epistolâ certò constitui potest præter id unum, Joannis esse. Multa ille complectitur contra falsos doctores, à quibus, ne se patiantur seduci, filiolos admonet suos, bona opera, et mandatorum observationem ad salutem necessaria adstruit. Jesum esse et Christum, et filium Dei inculcat; ipsum eumdem verè in carne venisse confirmat, quæ fidei capita Cerinthiani, et Simoniani sustollebant. Hortatur autem fideles, ut cum Dei charitate benevolentiam erga proximos conjungant, Dei erga nos benevolentiam imitentur, innocentiam servent, filios Dei se præstent, mundi illecebris ne capiantur : quâ in confutatione errorum, et virtutum commendatione eumdem se esse ostendit, qui et Evangelium scripsit, ut propterea non aberrâsse crediderim, qui hanc epistolam censuerunt esse quamdam veluti Evangelii præfationem.

Secunda, et tertia Joannis epistola non omnibus veteribus, neque recentioribus Joannis visa est; sed si propter quasdam animi Joannis apparentes in primâ epistolâ notas, etiam quùm nomen abesset à titulo, judicatum est, primam ei tribui oportere, cur non suscipiamus et has duas posteriores, in quibus idem spiritus cernitur, et præterea nomen, ac dignitas Joannis initio ponitur? Idem nempe ingenium, eædem sententiæ, stylus idem, eadem phraseologia; imò et verba eadem Dei, et proximi amorem spirantia in omnibus istis epistolis exstant, quod etiamsi veteres non monuissent, occurrit illicò legenti. Quapropter si quid valet judicium ex oratione ipsâ, totum in hâc re nostrâ nobis jure sumimus, ut supervacaneum sit Joannem alterum à dilecto Christi discipulo quærere epistolæ ullius scriptorem; quibus cùm accedant plurium gravissimorum veterum suffragia, nihil est ampliùs, quod vereamur canonicas Joannis scripturas dicere. Irenæus enim, lib. 1 contra hæres., secundam epistolam usurpans, Joannis discipuli Domini epistolam nominat; quis erit verò iste Joannes, nisi Evangelista fuerit? Clemens Alexandrinus, lib. 2 Stromat., cùm ex primâ Joannis testimonium producit, à majore ejus epistolâ se promere dicit, ἐν τῇ μείζονι ἐπιστολῇ; quo ostendit et alias nos habere ejusdem beati viri breviores. Tertullianus, lib. de Præscript. alteram epistolam Joannis Apostoli esse pro certo tenet, eam adhibens sine ullâ ambiguitatis significatione in causæ suæ

patrocinium. Eâdem usus est et magnus quidam concilii Carthaginensis episcopus apud Cyprianum, cùm initiatos baptismate ab hæreticis novo egere baptismo persuaderet; idque exstat in synodo Carthaginensi, sententiâ 81, inter episcoporum suffragia; Joannes Apostolus in epistolâ suâ posuit dicens: *Si quis ad vos venit, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum ....*, quæ sunt ex epistolâ 2, vers. 10 A quarto verò, et quinto Ecclesiæ seculo adeò obtinuit hæc fides, ut à Patribus, et conciliis nihil probatum magis videatur. Alexander Alexandrinus episcopus apud Socratem, lib. 1, cap. 16, auctor Synopseos, Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4, Gregorius Nazianzenus in carmine de Can. Script., concilia Laodicenum, et Carthaginense III, alterum can. 60, alterum 47, Rufinus in exposit. Symbol., Augustinus, lib. 2 de Doctr. Christ., cap. 8, Innocentius I, in epist. 3 ad Exuperium, utrumque affirmant cùm canonicam esse epistolam, tum Joannis; et Hieronymus potissimùm licèt in libro *de Viris illustribus* aliorum sententias, quasi illud et ipse sentiret, non improbârit, ad Ageruchiam tamen scribens, tum ad Evagrium, epist. 85, à communi sententiâ non discedit, apertè dicens: *Clangat tuba Evangelica filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit: Presbyter Electæ dominæ, et filiis ejus, quos ego diligo in veritate;* quod et alibi repetit de epistolâ ad Caium.

Nihil jam nos ab hâc sententiâ dimovebunt Grotius, Erasmus, Cajetanus, qui Papiæ auctoritate decepti, et veterum quorumdam errore vim inscriptionis epistolæ non assequentium Joannis Apostoli, et Evangelistæ opus noluerunt agnoscere. Inquiunt enim, auctorem, etsi Joannes sit, non Apostoli, sed senioris nomen sibi dedisse, sive Presbyteri: *Senior Electæ dominæ*, epist. 2, v. 1; at senior Joannes, si quis fuit, non Apostolus erat, sed Apostolorum discipulus. Nam Papias, qui cum Apostolorum discipulis versatus est, ait apud Eusebium lib. 3 Hist. Eccl., cap. 29, duos Joannis nomine esse vocatos, alterum Apostolum, alterum Presbyterum atque Apostolorum discipulum, quem nullo nisi Senioris, et Presbyteri titulo insignivit; isti ergo duarum epistolarum confectio tribuenda est, non Evangelistæ. Quo Papiæ testimonio fretus Eusebius duos in Asiâ fuisse viros Joannis nomine appellatos consentit, præsertim cùm suâ ætate deo Ephesi sepulcra cineribus utriusque Joannis condendis exstructa ostenderentur; horum verò alteri, id est, Seniori adscribi oportuere duas epistolas, multi priscorum temporum non immeritò crediderunt, quibus et Hieronymus videtur favere de scriptoribus ecclesiasticis in Joannem de duabus epistolis loquens: *Reliquæ autem duæ Joannis Presbyteri asseruntur, cujus hodiè alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur;* quam Senioris tantùm, non Apostoli personam facilè cognoscet, qui tertiam epistolam legerit, in quâ auctor se contemni, à Diotrephe non recipi, figi maledictis asserit. Credibile enim non est Christianum virum aliis officio, et dignitate in Ecclesiâ præstantem, vel præstare cupientem, ita fuisse Apostolo injuriosum, ut ne eum quidem reciperet. Reverà seriùs in varias linguas duarum epistolarum exemplaria traduci cœperunt; quid autem ex hâc Ecclesiarum incuriâ in comparandis sibi earum apographis colligamus, nisi ab initio epistolas illas fuisse rejectas?

Non est sanè difficile has conjecturas refellere, quas jam Patrum testimonia infirmârunt. Auctor quidem se vocat Seniorem, sive Πρεσβύτερον, non Joannem, neque Apostolum, quia cognitus optimæ matronæ erat, et Caio, ad quos scribebat, et verebatur fortassè, ne explicatiùs se nominando, quid cui detrimenti afferret, aut malè acciperentur litteræ, si in aliorum manus venissent. At ipse primæ quoque epistolæ nullum nomen præposuit, quod et Paulus interdùm fecit; non erat ergo insolens prætermitti nomen ab auctore. Deinde nomen Presbyteri in novo Testamento non ætatis nomen est, sed officii iis tributum, qui primas habent in Ecclesiâ; qui prudentiâ, consilio, scientiâ aliis præsunt; qui episcopi, et sacerdotis munere funguntur. Nam etsi vox Πρεσβύτερου ad ætatem referatur, tamen cùm in provectâ ætate gravitas, prudentia, consilium existant, translata vox est ad ecclesiasticam dignitatem significandam, quæ dotes illas omnes postulat, quod et Laurentius Valla rigidior verborum explicator, et censor in notis ad nostrum titulum confitetur. Hoc nomine se et Petrus vocat epist. 1, c. 5, v. 1: *Seniores ergo, qui sunt in vobis, obsecro consenior*, id est, συμπρεσβύτερος; quamobrem si compresbyterum Petrum dicimus, apostolico officio non detracto, quare Joannes Presbyter simul non erit et Apostolus, cùm Apostolus totius Asiæ primas esset?

Papiæ testimonium apud Eusebium quosdam olim in errorem pertraxit, putantes alterum Joannem Presbyterum Apostolorum discipulum, cujus ille meminerat epistolarum esse auctorem. Verùm, ut Papias nemini auctor fuit, cur ita sentiretur; sic isti illius auctoritate deseruntur. Nam Papias Joannem alterum non propter dignitatem, sed provectioris ætatis causâ seniorem appellavit, ut totum Eusebii testimonium legenti fit manifestum. Ait enim, se existimâsse majorem ex hominum adhuc superstitum vivâ voce, quàm ex librorum lectione capere utilitatem posse; quamobrem quærebat ex iis, qui se majores natu essent, quid ab aliis ætate majoribus audiverant, ut sic faciliùs perveniret ad testimonia Apostolorum vivâ voce tradita. Inter eos seniores, quos de priscis rebus percunctabatur, duos nominat, Aristionem quemdam, et Joannem, et illum quidem huic præponit; non ergo dignitatis, sed ætatis ratione habitâ Joanni *Senioris* nomen tribuit, contra quàm in epistolis sumatur, ubi procul dubio ad officium refertur. Tum Joannem illum ullas scripsisse litteras non commemorat, ex quo potuerint verisimiliter ecclesiastici scriptores Papiæ verbis uti, ut novum Joannem, quem ignoramus quis fuerit, epistolarum auctorem facerent. Fuerit igitur Joannes alter nomine *Senior*, ut Papias tradidit; ea tamen nominis communitas infirmum argumentum est abjudicandi epistolas Joanni Christi discipulo, quem

Latina, et Græca Ecclesia trium epistolarum auctorem tenet, quem Syriaca, atque Arabica exemplaria tribus epistolis ex ordine in canonem relatis eumdem esse omnium auctorem probant, quem concilia, et Patres traditione ducti Electæ matronæ, et Caio epistolas dedisse testantur.

Quapropter Eusebius, relato Papiæ dicto, duos Joannes fuisse ad summum non repugnat; addit enim, *ex quo fit, ut vera videatur esse narratio illorum* (Rufinus vertit *Arianorum*), *qui duos eodem nomine appellatos in Asiâ vixisse dixerunt, et apud Ephesum duo esse sepulcra, et utrumque Joannis hactenùs nominari*. At de duarum epistolarum scriptore ne verbum quidem loquitur, etsi de revelatione, id est, Apocalypsi aliquid dicat; unde pessimè concluditur confirmatam fuisse ab Eusebio eorum opinionem, qui in Papiæ verbis plus intelligebant quàm ille dixisset. Hieronymus verò ex aliorum sententiâ loquitur de duplici sepulcro duobus epistolarum scriptoribus exstructo, non ex suâ; in opposito enim loco prosequitur: *Nonnulli putant duas memorias ejusdem Joannis Evangelistæ esse;* tum ibidem in Papiâ loquens, iterùm de monumento illo duplici ait: *Hoc autem dicimus propter superiorem opinionem quam à plerisque retulimus traditam duas posteriores epistolas Joannis, non Apostoli esse, sed Presbyteri.* In epistolis demùm ad Ageruchiam, ad Evagrium, et in epistolâ 105, recitat sub nomine B. Joannis Apostoli initia epistolarum secundæ et tertiæ, de quibus præsens est quæstio.

Ex Diotrephis deinde, Christiani hominis, et Ecclesiæ veluti Præfecti arrogantiâ, quâ Joanni scriptori tertiæ epistolæ obtrectabat, perperàm colligitur seniorem eum tantùm fuisse, non Apostolum summæ auctoritatis, ac si nemo unquàm ex domesticis fidei restitisset Apostolis. Quanta Petrus, quanta Paulus, quanta Jacobus ab iismet perpessi sunt, qui Christo nomen dederant, quales erant Simon, Cerinthus, eorumque discipuli, qui sanctissimos Apostolos multis jurgiis lacessiverunt?

Repudiatas demùm fuisse ab Ecclesiis ullis duas epistolas, quis nisi temerè affirmaverit? Aliud est in canonem non admittere Scripturas quasdam, atque an Apostoli sint, judicium cohibere, quousque planissimè res constiterit; aliud apocryphas, et Spiritu sancto indignas reputare. Primùm damus fecisse nonnullas Ecclesias, quod et in paribus causis sæpè fecerunt, cùm quædam dubitandi ratio suboriebatur; alterum nec damus, nec ullus unquàm extorquebit, neque ipse demonstrabit. Seriùs, an ociùs traductæ in varia idiomata epistolæ sint, ineptum est multis inquirere, ubi Clementis Alexandrini, atque Irenæi vetustissimorum Patrum testimonia proferuntur, atque omnium Latinorum, Græcorum, Syrorum, aliorumque Orientalium exemplaria utramque epistolam exhibentia. Illud certò affirmamus nunquàm probatum iri ab ullis Ecclesiis cujuscumque nationis secundam et tertiam Joannis epistolam fuisse rejectas.

Harum epistolarum altera Electæ inscripta est, altera Caio, ut monuimus. Nobilis quædam matrona non procul Epheso degens Electa nomine fuisse, ut plurimùm dicitur, cui Joannes per epistolam gratulatus est christianam vitam filiorum, atque hortationes dedit ad fovendam charitatem, ad præcepta Dei observanda, vitandosque fidei inimicos, Jesum Christum in carne venisse negantes. Fieri etiam potest Electam ideò generali significatione dictam, quòd christianam fidem amplexa in eâ permaneret; quòd fortassè in diaconissam esset electa, ac veluti mater in eâ Ecclesiâ, in quâ erat, haberetur; non quòd Electa esset aut nomine, aut cognomento. Nam, quod ab aliquibus dicitur, Electæ nomine Ecclesiam potiùs designatam, cui litteras dedit Joannes, quam singularem feminam fide conspicuam, placere non potest. Absurda enim mihi videtur inscriptio, et ab Apostolorum sive ætate, sive gravitate aliena: *Senior Electæ Dominæ....* Insolens et illud versiculi quinti: *Et nunc rogo te, Domina*, si florenti Ecclesiæ, ut quidam volunt, hæc dicerentur. Quis enim audivit unquàm *Dominæ* titulum Ecclesiæ datum? Etsi enim opponant, credibile non esse duas sorores eodem nomine *Electæ* vocatas; duas idcircò potiùs Ecclesias debere intelligi, quarum altera alteri salutem diceret: *Salutant te filii sororis tuæ Electæ*, vers. ult., tamen credibilius est, et sorori alteri ob parem virtutem, et officium idem quoque nomen datum esse; vel sanè nihil vetat, quin legamus: *Salutant te filii sororis tuæ, ô Electa.*

Gaius, sive Caius nemo certè dicere potest quis, aut unde fuerit. Caius alter est Corinthius in epistolis D. Pauli ad Romanos, et 1 ad Corinthios commemoratus; alter Derbæus in Actis Apostolorum, cap. 2; fortassè est et tertius ab utroque distinctus, Macedo dictus, ibid., cap. 19. Sed quis affirmet hos adhuc vixisse, cùm Joannes seriùs scriberet? Quis etiam Caium à Joanne *filium* appellatum non potiùs ab ipso in fide genitum fuisse credat, cùm tamen ii essent Pauli discipuli? Operam profectò in re obscurissimâ nihil profuturam insumunt, qui Caii hujus vestigia persequuntur. Quisquis ille sit, testatur Joannes se magnam percepisse voluptatem, cùm sibi nuntiatum est pietate, et charitate illum esse præstantem. Dicit inter cætera juxta Græcum textum: ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ, *scripsi Ecclesiæ;* juxta Latinum verò fortassè rectiùs: *Scripsissem forsitan Ecclesiæ; sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos*, vers. 9. Deinde minatur, si illùc profectionem fecerit, quam cogitabat, Diotrephen non fore maleficii, et maledicti reprehensionem effugiturum; quæ, ni fallimur, signa sunt, Caium cujusdam Asiæ urbis non procul Epheso distantis habitatorem fuisse. Quis enim facilè putet Joannem provectæ ætatis, fortassè post suam ab exilio liberationem, longum iter suscipere constituisse ad compescendam hominis audaciam?

ARTICULUS XI.

De Epistolâ beati Judæ.

Si operam nostram postularet poni in re non necessariâ, qui plura de epistolâ S. Judæ sive auctore, sive auctoritate à nobis requireret, vel cùm maximè abun-

daremus otio, quid ni imprudens sit in tantâ inopiâ, et summâ, penè dixero charitate? Auctor epistolæ est *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi*, Thadæus cognomento, et Zelotes appellatus, de cujus genere, et familiâ non attinet dicere, postquàm in superiore articulo de Jacobo disputatum est. Et ipsum quidem auctorem esse tota antiquitas, claris, et doctis viris constans, memoriæ prodidit. Origenes, tom. 9, comment. in Matth., et homil. 7 in Josue, de Judâ Apostolo hæc habet: *Judas Apostolus epistolam scripsit paucorum quidem versuum, plenam verò efficacibus verbis gratiæ cœlestis.* Clemens Alexandrinus utroque 3 libro Stromat., et Pedag., Judam se Domini servum, et Jacobi fratrem dicere satis habuisse, inquit, fratrem autem Domini se non appellâsse, quòd ejus pudoris, et modestiæ fuit. Tertullianus, de Cultu femin., cap. 7, non modò Apostoli Judæ epistolam esse dicit, verùm etiam inde librum Enoch in eâ commemoratum divinum haberi oportere concludit. Eusebius, quæ de Jacobi, et Joannis epistolis, eadem et de istâ loquitur. Concilia, et Patres omnes, in quibus præsidium causæ collocavimus, quam de Petri, Jacobi, et Joannis epistolis susceperamus, iisdem ipsis in locis apostolicæ istius epistolæ auctoritatem tuentur. Ex quo etiam cognoscitur à IV seculo, et deinceps exemptam ab omnium et fidelium, et Ecclesiarum animis suspicionem illam, in quam olim apud quosdam ventum erat, de epistolæ auctore, et dignitate, ut verè testari potuerit S. Hieronymus de Viris illustribus in Judâ, *auctoritatem vetustate jam, et usu meruisse, et inter sanctas Scripturas computari.* Atque id persuasum adeò Unitariis est, et Augustanæ confessionis vindicibus, ut nemo jam reperiatur, qui Lutheri vel audaciora verba probet, vel consilium avertendi suos ab adhibendâ epistolæ fide. Calvinus quoque argumento commentariorum in epistolam Judæ non potuit, quin posteriorum omnium Patrum affirmationem priorum quorumdam disputationi anteposuerit; ait enim, etsi inter veteres dissensio fuerit; tamen quòd utilissima epistolæ lectio sit, quòd nihil cum apostolicæ doctrinæ puritate non consentaneum contineat, quòd multò jam tempore omnes probi viri pro authenticâ habuerint, se libentissimè aliis sacris epistolis adjungere.

Jam Patres, atque interpretes duplex gravius argumentum dissolverunt, quod aliquos ab epistolæ assensu detrahere videbatur; est autem illud, quia assumitur à Scriptore testimonium ex libro Enoch, qui omnium judicio apocryphus est; assumitur et alterum ab altero apocrypho libro, cujus titulus erat: *Assumptio Mosis;* ergo et epistola non potest nisi apocrypha esse. Dicimus enim cum Patribus, atque interpretibus primò non constare, utrùm ab ullo libro potiùs, quàm à Traditione, vel divinâ Revelatione acceperit Judas, quæ de Enocho, et de Michaelis Archangeli disputatione cum diabolo scripsit versibus 9 et 14: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Mosis corpore.... Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis.* Nam quemadmodùm Apostolus Paulus, epist. 2 ad Timoth., cap. 3, v. 8, Joannes, et Mambre restitisse Mosi scripsit, non ullius libri, sed traditionis monumento ductus; sic Judas Enochi verba, et dæmonis cum Michaele archangelo concertationem, quæ ex traditione, non ex ullo scripto crederentur, epistolæ inserere potuit. Deinde ut Origenes, et apertiùs Hieronymus, in cap. 1 epist. ad Tit. docet; esto auctor epistolæ ab apochrypho libro testimonia excerpserit; epistolæ tamen auctoritas non minuitur; neque indignum Apostolo est opportunè ex apocryphis scripturis aliquid efficere. Paulus sine ullo Apostolici officii detrimento ab Arato, à Menandro, ab Epimenide, à gentilium scriptis quasdam sententias sumpsit, quibus commodè usus est ad gentiles instituendos, vel objurgandos; cur ergo Judas ab Hebræorum libris quædam haurire non potuit instituto suo confirmando accommodatissima? Etsi enim libri essent apocryphi, verùm aliquid continebant, quod Judas divino lumine illustratus à falso secrevit, atque usurpavit. Nam multi sunt apud Hebræos libri, quos perperàm patriarchis suis tribuit gens Hebraica, eorumque nomine vulgavit, quòd nonnulla, quæ à patriarchis suis credebantur tradita, in eos libros conjecta sint, ex quorum numero est liber Enoch multis cæterùm plenus ineptiis; sed quemadmodùm in fabulis ferè nihil tam pravum est, quin aliquid veri et boni exhibeatur; sic in libro Enoch inter commenta, et deliria somniantium Hebræorum quid erat sincerum, atque integrum, dignum quod Apostolico scripto insereretur.

Cætera, quæ Grotio suspicionem creant, nihil commovent virum, qui levibus conjecturis non soleat abduci à majorum fide; quæ enim profert, vix quidquam habent momenti. Ait in adnotationibus in epistolam Judæ: *Si Apostolica fuisset habita hæc epistola, versa fuisset in omnes linguas, et recepta per omnes Ecclesias;* in linguam autem Syriacam olim traducta non erat: aberat enim à Syrorum codicibus, neque in omnibus Ecclesiis suscipiebatur. Quamobrem addit: credendum potiùs est Judam Hierosolymorum episcopum, qui II seculo Hadriano imperante florebat, epistolam istam edidisse, cujus initio exscriptor quidam, ut auctoritatem majorem conciliaret, et apostolicam esse confirmaret, additamentum illud fecit: *Frater autem Jacobi*, cùm in primigeniis codicibus scriptum esset tantùm, *Judas Jesu Christi servus.*

Equidem si semper, si ab omnibus, si ubique, si dissentiente nemine creditum esset Judæ apostoli esse epistolam, fieri non potuisset, quin in omnia idiomata ab initio ea traduceretur, et propagaretur per universas Ecclesias; sed si quidam de hoc ipso dubitârunt, an, cujus nomen prænotabatur, ille scripsisset, quid miremur ab unius nationis exemplaribus abfuisse, aut ab omnibus Ecclesiis non probatam? Dubitârunt autem plerique propter apocryphos in eâ, ut putabant, commemoratos libros, vel saltem doctrinam ab apocryphis libris excerptam; ii igitur neque illâ uti, neque inter sacras Scripturas recensere debuerunt. Cæterùm, cùm seipsum Judam Jesu Christi servum nominet; cùm à secundi seculi scriptoribus

illustrioribus, et deinceps apostoli Judæ epistola credatur; cùm nemo consultò, et datâ operâ illam rejecerit; cùm postea cujuscumque nationis, atque Ecclesiæ fideles nativo idiomate legerint, imprudenter omninò nunc obsistitur monumentis toto orbe probatissimis. Consilium verò illud, quo Judæ Apostolo detractam epistolam Judæ alteri Hierosolymorum episcopo tribuendam censet Grotius, arrogantius multò est. Cur ipsæ epistolæ titulum *Judas Jesu Christi servus* retinendum putat; alteram autem ejusdem partem *Frater Jacobi* delendam? Vel enim utraque pars expungenda est, vel relinquenda utraque. Nullus quippe codex, quod aut nos, aut ipse sciat, unum sine altero habet. Deinde Clemens Alexandrinus, secundo labente seculo, non tam suam protulit, quàm ecclesiarum judicium Apostolo Judæ epistolam adjudicantium, vel saltem testimonio suo docuit Judæ fratris Domini nomine epistolam fuisse eâ ætate vulgatissimam. Origenes autem sine hæsitatione tanquàm de Apostolicâ epistolâ loquitur. Quis ergo cum Grotio credat ea verba: *Frater autem Jacobi*, sub Hadriano imperatore amanuensem aliquem supposuisse; præsertim cùm nullas ejus additamenti probabiles causas afferat? Quod si ita esset, cur, qui Origenis temporibus dubitabant, an divina esset epistola, eo Grotii argumento caruerunt, quo sanè scripti novitatem demonstrâssent? Sed hæc dimittamus.

Judas iste ad quos locos catholicam fidem propagaverit, atque unde scripserit, quove tempore, potiùs audiremus ab altero, quàm quis exspectaret à nobis dici. Græci Mesopotamiæ Apostolum dicunt, Paulinus Lybiæ, Fortunatus Persidis; post Apostolorum ferè omnium interitum scripsisse versibus 17 et 18, indicari videtur, ubi et testimonium à Petri epistolâ secundâ depromptum ponit: *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis*, etc. Unde et ad omnes pariter in Orientis provinciis ad Christi fidem traductos Judæos præsertim, quos antea Petrus monuerat, missam epistolam esse verisimillimum est, et inscriptio significat: *His, qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis, et vocatis.* Edidit epistolam Judas contra hæreticos, corruptores fidei, et morum subversores, describitque vivis coloribus homines concupiscentiæ omninò deditos, fastui, et vanitati servientes, ignave, et turpiter blandientes divitibus quæstûs causâ, carnis prudentiâ abreptos, Spiritu Dei vacuos, à quibus discedendum monet, et in perceptâ Christi doctrinâ perstandum. Contra Simoniacorum igitur, Nicolaitarum, Gnosticorum doctrinam, et nefanda flagitia Christianos munit.

ARTICULUS XII.

De Apocalypsi beati Joannis Apostoli.

Ad postremum omnium novi Testamenti librorum tandem ventum est summo Dei beneficio, quo, utinam, benè uti videamur ad officium nostrum, atque auditorum institutionem! Is est sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ Apocalypsis, seu *Revelatio*, unus de librorum propheticorum genere Ecclesiæ relictus, qui et ab Apostolo scriptus est, et in divinorum numero non referri non potest; idque à nobis in hoc articulo agitur, ut probetur, sicut in cæteris actum similiter est, Apocalypsim non tam sacrum esse librum, quàm à Joanne Apostolo conscriptum, quod etsi brevibus expediri oporteat, nihil tamen negotio diminutum iri speramus, nisi, quod injuriosum est vel cogitare, spem nostram eorum impatientia falleret, quibus hactenùs consultum volumus.

Libri initium est: *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere servis suis, quæ oportet fieri citò; et significavit, mittens per angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcumque vidit.* Porrò nisi Evangelista Joannes hæc scripsit, qui, quæ Christi viderat, testatus est, ut in Evangelio, atque in epistolis inquit, nonne impostor quidam ejus nomine, et veluti colore notis assumptis scripsit per summum nefas? Quomodò verò tantam Apocalypseos liber habuisset fidem, quantam habuit apud veteres Patres, si auctor tam impudenti mendacio orationem suam exorsus lectores fefellisset? cùm præsertim addat ad septem Asiæ Ecclesias, quas Joannes administrabat, et ab insulâ Pathmos, quò deportatus est sub Domitiano, se scribere? Quocirca antiquiores Ecclesiæ Patres, quorum monumenta exstant, summâ consensione Joanni Apostolo Apocalypsin attribuerunt, quos brevitati studens tantùm nomino, ne articuli magnitudo crescat. Justinus, in dialogo contra Triphonem, ultra medium Apocalypsin dicit esse Joannis Apostoli, atque eam commentariis illustravit. Irenæus, lib. 5, eâdem in sententiâ est, asserens præterea scriptam sub finem imperii Domitiani, ediditque et ipse in eamdem commentarios, ut de utroque testatur Hieronymus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Joannem: *Scripsit Apocalypsin, quam interpretatur Justinus Martyr, et Irenæus.* Origenes, homil. 7 in Josue, et in Psal. 1, Apocalypsin Joanni Apostolo tribuit; quod et facit Eusebius in chronico anni Domini 96: *Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur, et sub eo Apostolus Joannes in Pathmos insulam relegatus Apocalypsin vidit, quam Irenæus interpretatur.* Consentit Athanasius, in Synops.; Epiphanius, hæres. 51; Basilius contra Eunom., lib. 2; Chrysostomus, homil. 3, in Psal. 91; Damascenus, lib. 3, cap. 18. Sunt autem hi Græci omnes, quorum multos prætereo. Ex Latinis Tertullianus, lib. 4 contra Marcion.; Victorinus Pictaviensis, in Apocalypsi; Hilarius, præfat. in Psalmos, et lib. 6 de Trinit.; Ambrosius, in Psalm. 40; Augustinus, Tract. in Joan., cap. 16; Hieronymus, in catalogo, in epist. ad Paulinum, de studio Script. Joannis Apostoli, Joannis Evangelistæ Apocalypsin esse affirmant; atque hanc esse sententiam omnium Latinorum in epistolâ ad Dardanum Hieronymus non dubitat dicere; atque ut citiùs absolvam concilii Toletani IV testimonium sub S. Isidoro Hispalensi, anno 636, non afferre non possum: *Apocalypsin librum multorum conciliorum auctoritas, et synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta Joannis Evangelistæ esse*

præscribunt, et inter divinos libros recipiendum constituerunt. Clementem Alexandrinum, Pedagog., lib. 2, cap. 12, et lib. 6 Stromat.; Dyonysium Alexandrinum apud Eusebium, lib. 7, cap. 25; Cyprianum, epist. 63; Gregorium Nazianzenum, orat. 36; Rufinum, in exposit. Symb.; concilium Carthaginense III; Innocentium I, et cæteros Apocalypsin uti Scripturam sacram, nullo indicato auctore, usurpantes proferre non est necesse. Severus enim Sulpitius, lib. 2 Hist. sacr., inquit, Apocalypsin, à quibus non recipitur, *aut stultè, aut impiè* non recipi.

Quid postulet præterea ostendi sibi, qui nondùm ex his videt Apocalypseos auctorem, et auctoritatem, planè nescio. Quis autem est, qui amplissimos testes in alto Ecclesiæ gradu collocatos, duces optimæ scientiæ, non sequatur? Ii enim sunt, qui Grotium, qui Flacium Illyricum, qui Socinum, qui cæteros hæreticos permoverunt. Grotius adnotatione in titulum Apocalypseos scribit: *Apostoli Joannis esse hunc librum tradidêre illi, quibus meritò creditur. Justinus contra Triphonem, Irenæus, Tertullianus adversùs Marcionem, et aliis multis in locis; quibus consentiunt Origenes, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, et post eos alii multi.* Flacius Illyricus argumento in Apocalypsin: *Si iis habeatur fides Patribus, qui propriùs ad hoc accesserunt seculum, uti certè æquissimum est, quales sunt Justinus, Tertullianus, Irenæus, Apollonius, Theophilus Antiochenus...., affirmari poterit, eam ut Joannis Apostoli primo illo seculo habitam. Cur enim tam certò Joannis Apostoli esse confirmarent, si dubias de eâ exstitisse sententias antecessorum cognovissent?* Socinus, de auctorit. Script. sacr., cap. 1, num. 2, de Apocalypsi ait: *Quod scriptum semper communi consensu tributum fuit Joanni Apostolo, et Evangelistæ.* Nunc verò in omnibus Orientis Ecclesiis (de Occidentalibus enim nihil dico) sub Joannis Apostoli nomine liber Apocalypseos legitur. In Bibliorum polyglottorum Anglicorum editione cùm Syriacâ tùm Arabicâ Apostoli Joannis nomen inscribitur; item Joannis Evangelistæ in Arabica Erpenii; quæ non ideò dico, quòd putem istos titulos antiquissimos esse, aut per se valere plurimùm; sed ut intelligatur Orientales Ecclesias cum Occidentalibus in auctore Apocalypsos agnoscendo convenire.

Nunc ex adversariis eos distinguamus, qui, cùm Apocalypsin divinum esse librum dicant, Joannem Apostolum tamen auctorem in eo non aspiciunt, ab iis, qui negant utrumque; et illorum primò argumenta afferamus. Ea autem, potiora saltem, visus est collegisse Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, lib. 7, cap. 25, in libro de promissionibus, quem contra Ægyptiorum episcopum Nepotem nomine ediderat. Eo in libro dignitatem quidem Apocalypseos tuetur totis viribus contra eos, qui ut suppositum à Cerintho somniatore librum contemnebant; verùm se adduci non posse dicit, ut Joannis Apostoli, et Evangelistæ credat his de causis. Prima, Joannes Apostolus neque in Evangelio, neque in epistolis nomen suum dicit; de se autem tanquàm de alienâ personâ loquitur; auctor vero Apocalypseos se nominat bis, et tertium, et se in propriâ personâ loquentem inducit; est ergo Joannes alter ab Apostolo, minister utique Dei, cui divina consilia patuerunt. Secunda, Evangelium, atque epistolæ Joannis eodem ferè modo exordium habent, easdem sententias iisdem interdùm verbis significatas, idem dicendi genus; contra in Apocalypsi nihil horum est, in eâque aliud prorsùs ingenium, alia scriptoris manûs agnoscitur. Huic succedit tertia, in epistolâ Catholica sermo græcus purus est, atque elegans; in Apocalypsi verò rudis, barbarus, solœcismis scatens. Quarta, in Apocalypsi nullum facit auctor epistolarum à se scriptarum mentionem, dùm ad septem Asiæ ecclesias scribit, quam fecisset Joannes Apostolus eâ occasione datâ, si ipse librum illum composuisset. His Dionysii Alexandrini causis alias adjungimus ab importunis quibusdam productas. Quo tempore vivebat Joannes nulla, aiunt, erat Thyatiræ Ecclesia, cùm tamen scriptor revelationis præceptum scribendi ad angelum, id est, episcopum Thyatiræ habuisse narret, cap. 2, 18: *Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe....* Item in Græcis codicibus titulus est: Ἀποκάλυψις τοῦ μακάριου Ἰοαννοῦ Θεολόγου, *Revelatio beati Joannis theologi.* At si Apostolum Græci credidissent, illustrius Apostoli agnomen fuisse inscripturos planum est.

His tamen facilè resistitur, quæ non intelligo, quomodò in mentem Dionysii Alexandrini venire potuerint, qui sacrum librum esse Apocalypsim fatetur non modò, verùm etiam strenuè defendit. Si enim Joannis Apostoli non sit, necesse est fallacis hominis esse se Joannem Apostolum simulantis, atque assumentis sibi Apostoli personam ad fidem visis conciliandam. Verùm qui mentitur, in eo ipso quod menditur, et fallit, impulsorem Deum non habet; auctor ergo Apocalypseos, nisi Joannes Apostolus sit, non potuit divinitùs librum conscribere. Sed paucis ad objecta respondeamus. In aliis epistolis Joannes nomen suum reticet, in hâc se nominat, quia in aliis prætermitti optimè poterat; in hâc autem non poterat, nisi omninò à prophetarum, quibus quidquam apparuit, consuetudine recessisset. An non usitatissimum est prophetas futurorum cognitores per visum de seipsis loqui, et nomen suum repetere? Daniel ut minimùm octies ait: *Ego Daniel.* Quid ergo novum sit Joannem ter dixisse: *Ego Joannes?*

Neque tanta est styli distantia libri Revelationis ab Epistolarum, atque Evangelii stylo, nisi illa, quam necessariò postulat propheticus ab historicâ, atque epistolari oratione sermo, et rerum obscurarum à notioribus. Capite primo Evangelii, vers. 14, scribit: *Vidimus gloriam ejus;* capite ultimo, v. 24: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus, quia verum est testimonium ejus.* Epistolæ 1 exordium est: *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus....., de verbo vitæ...., et testamur.* In Apocalypsis autem initio: *Qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcumque vidit.* Vocabula præterea, *verbi et agni,* qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quæ propria videntur Joannis Apostoli, utrobique adhiben-

tur; sunt ergò alicubi in Evangelio, in Epistolis, in Apocalypsi sententiæ eædem, eademque locutio.

Iterùm si impolitior stylus prophetici libri est, aliorum verò nitidior, à rerum obscuritate id proficiscitur, non à diversâ auctoris personâ. Illud etiam minùs mirandum est, virum in exilium inter barbaros, et ignotos scribentem, quibus ad emendandum, et perpurgandum sermonem uti vel non poterat, vel non expediebat, minùs politè locutum, quàm dum Ephesi versaretur in cultiore provinciâ, ubi notarios, vel amicos græcè magis scientes adhibere commodum erat ad abstergendam à nævis locutionem.

Quid verò aut debuerint, aut potuerint in Apocalypsi commemorari epistolæ, quas nescimus, an scripserit antequàm in exilium pelleretur, et credibilius est post reditum ab exilio scripsisse? Paulus ad Timotheum scribens epistolæ ad Romanos datæ non meminit; sicut neque in aliis epistolis, quas seriùs misit; ergone ad Romanos epistola Paulo adjudicabitur? ad summam scriptor Apocalypseos Joannes ille est, et Ecclesiarum Asiæ administrator et in Pathmos insulam abductus; at nulli Joanni alteri hæc conveniunt præter Apostolum. Apostolus ergo Apocalypsim scripsit, quidquid Dionysio Alexandrino visum sit, qui certè ab antiquioribus Patribus Justino, Irenæo, aliisque hâc in re discessit.

Nullam fuisse Thyatirensem Ecclesiam apostolicâ ætate Epiphanius Alogis dedit, qui hoc ipsum objiciebant; respondit autem Joannem prophetico spiritu edoctum, quæ ventura erant, prævidisse; nempe futuram Thyatiræ Ecclesiam, quæ postea Phrygianorum erroribus disturbaretur. Verùm quod concessit Epiphanius eâ forte de causâ, quòd publicis monumentis probare non posset Thyatiræ Ecclesiam ab Apostolis institutam, plerùmque ab interpretibus negatur; nam apertiùs ex Apocalypsi, atque ex historiâ constat exstitisse; nullis verò rationibus contrarium suadetur. Si quis autem velit cum Grotio dicere ex gentilibus quidem ecclesiam nondùm fuisse coactam: sed ex Hebræis jam coaluisse, quomodò Thessalonicæ Ecclesia erat, antequàm illùc Paulus adventaret, dicat quidem, per me licet.

Deinde theologum et nos maximè dicimus Joannem Apostolum, quo titulo neminem æquiùs unquàm insigniri decuit. Cùm enim theologus is sit, qui aptè de divinis loquitur; Joannes autem Patrum ferè omnium judicio ideò volanti aquilæ compararetur, quòd cæteris de humanitate Christi scribentibus altiùs ad majestatem divinitatis ascenderit, quis est, qui theologorum omnium præstantissimum Joannem non fateatur; Quo nomine et Dionysius Areopagita in epistolâ ad eumdem Joannem, et auctor Synopseos, et alii veteres Joannem Apostolum nuncupârunt. Crediderunt autem procul dubio Græci antiquiores Patres hunc eumdem, qui theologus ab iis dicitur, et Apostolum esse, et Evangelistam; theologi autem titulum Apostoli titulo accommodatiorem esse ad argumentum, quod in Apocalypsi tractatur.

Reliquum est, ut Marcionitas, Alogos, et reliquos hujus furfuris hæreticos audiamus, quorum etiam accusationes Dionysius idem Alexandrinus, et Epiphanius in scripta sua retulerunt. Aiunt illi non paucos veteres Apocalypseos librum sprevisse, et singula capita refutâsse, ut omni sensu vacua, nihilque sacri habentia, neque id sine causâ; nam ejus libri initio aperta falsitas est, quæ tegi nullo quæsito colore possit. Dicitur enim beatus homo, qui legerit, audierit, servaverit ea, quæ in libro sunt scripta (vers. 3); at quis unquàm neque intellecta, neque unquam futura ut intelligantur, sequi faciendo potest? Sunt autem tantâ caligine, tam spissis tenebris involuta, tamque in profundo demersa, quæ in Apocalypsi leguntur, ut vel acutissimus desperare debeat se illorum scientiam assecuturum; ex quo sequitur neque Joannis, neque apostolici viri eum librum esse. Rursùs Cerinthus ejus libri inventor meritò creditur, qui glorioso Joannis nomine somnia sua texit, nemini unquàm probanda, nisi Joannem se esse finxisset. Quod et Caius orthodoxus scriptor, de quo jam supra dictum est, apud Eusebium, lib. 3 Hist. Eccles., cap. 28, Cerintho exprobrat revelationes scripsisse illum, ac si magnus fuisset Apostolus, mentitumque ab angelis sibi fuisse exhibitas, inter cætera futurum post resurrectionem terrestre Christi regnum excogitâsse, hominesque corporeis voluptatibus fruituros Hierosolymis, et annos mille in apparatissimis nuptiis acturos; quæ omnia in Apocalypsi Joannis descripta sunt. Præterea inepta multa, atque indigna divini Spiritûs majestate in totâ Apocalypsi leguntur, cujus generis illa sunt de septem candelabris, septem angelis, septem tubis, septem phialis, septem sigillis, etc. Illa quoque de nuptiis agni, aliaque permulta. Addatur his sanctum Hieronymum in epistolâ ad Dardanum fateri à Græcis Apocalypsin non recipi : *Nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsin Joannis eâdem libertate recipiunt.* Epiphanium verò, hæresi 51, cap. 32, n. 3, de Alogis, veniâ illos, atque excusatione dignos fore censuisse, si solam Apocalypsim repudiarent. Eusebium, lib. 3 Hist. Eccles., cap. 14 et 15, dubitanter de Apocalypseos auctoritate loqui. A Cyrillo Hierosolymitano, ab Amphilochio, à Gregorio Nazianzeno, et Laodicenâ synodo in catalogo sacrorum Librorum prætermiri. Hæc sunt quæ hæreticis magna videntur.

Sed videte, quàm non sit difficile respondere. Ad primum quidem, non ægrè adversariis assentimur veteres quosdam multam suspicionem de libro hoc nostro habuisse; imò et librum non approbâsse; at quemquam ex iis capitum singulorum refutationem suscepisse, ut Dionysius Alexandrinus apud Eusebium reliquit, assentiri non possumus. Quî enim fieret, ut Hieronymus ipse, et Eusebius, atque alii priscorum temporum Patres talium scriptorum non meminissent? Dùm enim commentarios scriptos in Apocalypsin aiunt à Melithone Sardicensi, ab Hippolyto, à Pictaviensi Victorino, à Justino, ab Irenæo; dum non dissimulant ab aliquibus Apocalypsi non esse creditum, opportunum erat et adjungere ab aliis locos omnes confutatos; quod cùm ii non addiderint, Dio-

nysius autem nullum adversarium scriptorem nominaverit, ideò retrahimur ab adhibendâ omninò ipsi fide. Si tamen uspiàm tentavit quis Apocalypsis libro librum opponere, neglectum hominem fuisse oportet, et opus pariter contemptum, quoniam neque hominis, neque operis apud ullum Patrem mentio est. Illud jam non curo, librum quibusdam omninò imperceptum apud eosdem auctoritatem non obtinuisse; nam qui sensu vacuum, et carentem sanctitate dixêre, ii certè nihil intellexerunt.

Etsi verò obscuriores sæpè sint in Apocalypsi sententiæ, ignorantiùs opponitur intelligi omninò nihil, et falsò scribi beatum eum esse, qui prophetiæ verba servaverit. Apertissimum est in libro id agi, ut adducantur homines ad peccatorum pœnitentiam, ad patientiam in periculis, in vexationibus, in cruciatibus, atque ad perseverantiam in fide, ac bonis operibus; unde et præcepta vitæ clarissima traduntur de constantiâ in adversis, quæ hominum perversitate accidunt, de odio habendis hæreticis, de fugiendis pseudoprophetis, quæ omnia simplices fideles intelligunt, et sequi debent sine abstrusiorum prophetiarum investigatione. Sunt et multa de judiciis Dei, de summâ Dei majestate, de obsequio Deo præstando, de adorandis divinis mysteriis, quæ inter prophetiarum obscuritatem emicant, atque à fidelibus ad divinum verbum audiendum paratis magno cum emolumento percipiuntur. Dicemus autem mox de eâ, quam exaggerant, Apocalypseos caligine, et tenebris toti sermoni offusis.

Cerintho librum attributum esse ab iis, qui Cerinthi deliria in eo tradi putabant propter mysteriorum ignorationem, non disputo. Verùm adeò distat sancta doctrina Joannis ab ejus hæresiarchæ erroribus, ut nihil magis, nihilque tam contrarium sit, si rectè illa intelligatur. Millenariorum ineptias prodidisse auctorem Apocalypseos, ii tantùm dicere potuerunt, qui mystico litteræ sensu non inspecto, quæ de Agni gloriâ post victorias, post inimicorum cædem, post triumphos propagatâ; item quæ de magnâ celebritate actâ ad millenos annos, id est, ad tempus nullo limite definitum, sub imagine nuptiarum describuntur, dicta acceperunt de veris nuptiis, deque corporeis voluptatibus, ut sonare littera videbatur, vel saltem de spiritalibus sanctarum animarum in hoc seculo deliciis, priusquàm illæ æternâ in cœlis beatitate fruerentur. Caius autem illustris scriptor apud Eusebium dixit quidem Cerinthum, ac si magnus fuisset Apostolus, revelationes suas edidisse, easque damnat; at nihil planè loquitur de Apocalypsi apud nos in canonicos libros relatâ. Scripserat enim Cerinthus librum revelationum, Theodoreto etiam teste, qui ait ab hæretico illo revelationes scriptas, quas ipsemet se habuisse fingebat, in quibus maximè sermo erat de terrestri Christi regno mille annis duraturo Hierosolymis in cibo, et potu, corporeisque voluptatibus; quare et Valesius ambigua Eusebii verba sic interpretatur : *Cerinthus per revelationes à se, tanquàm à magno quodam Apostolo conscriptas, comminiscebatur...* Librum ergo revelationum à Cerintho magni Apostoli instar suomet, non alterius nomine Apostoli inscriptum refellere Caius voluit. Porrò librum istum alium longè esse ab Apocalypsi nostrâ ex Caii sermone cognoscitur. Cur enim Caius, quandoquidem magnum Apostolum nominabat, non dixisset magno Apostolo Joanni absurdum eum librum impudentissimâ falsitate à Cerintho tributum, si de nostrâ Apocalypsi loqui voluisset? ubi etiam in Apocalypsi Joannis legit Caius fore ullam et cibi, et potûs, et corporis beatitatem per mille annos, et quidem Hierosolymis fore, cùm hæc Joannes non scripserit dicat autem Theodoretus hæc ipsa Cerinthum scripsisse? Igitur tenendum est cum Tillemontio librum revelationum Cerinthi à Caio notatum, non autem Apocalypsin Joannis ab ipso adscriptam auctori Cerintho. Quòd si indicare voluisset Caius, quas habemus, Joannis revelationes, ignoscendum homini esset æstu disputationis abrepto contra Millenarios, qui earum auctoritate se tuebantur, quomodò et de epistolâ ad Hebræos eum Montanistis respondisse monebamus; ignoscendum, inquam, esset homini, qui bonâ fide dicebat, etsi nullum majorum testimonium proferret, et novam prorsùs iniret viam evadendi adversariorum ictus. Cùm enim contra Millenarios disputaret, auctoritatem Apocalypseos errori suo obtendentes, censuit optimum fore ad totum errorem convellendum, si Cerinthianam illam diceret, putans saltem, quæ de mille annis regni Christi in verâ Joannis Apocalypsi leguntur, à Cerintho adjecta, utpote Cerinthianorum errorum quoad litteram penè similia.

Nemo negat, ut veniamus ad Apocalypseos argumentum, in eo obscuritatem inesse; negant verò boni omnes quidpiam ineptum, aut divino Spiritu indignum ibi reperiri. Veterum omnium, qui commentarios in Apocalypsin scripsêre, opinio fuit sublimissima mysteria, futurasque res abditissimas, ut plurimùm humanæ menti inaccessas, Joannem verbis suis texisse, ut præteritis cæteris Hieronymus in antiquiorum scriptis versatus in epistolâ ad Paulinum exclamat : *Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba; parùm dixi, et pro merito voluminis laus omnis inferior est, in verbis singulis multiplices latent sententiæ.* Voluit enim Deus, ut plerùmque sentiunt, mysticè describi adversa omnia, quæ futurum erat, ut servis suis, et Ecclesiæ acciderint usque ad mundi conflagrationem, vel sub ipsum mundi excidium, eosdemque præmuniri ad fortiter ferendum malum quodlibet spe perpetuæ victoriæ, et maximorum bonorum, quæ fuissent temporarias calamitates consecutura. In his etiam multa à sacro scriptore dispergi voluit, quæ distinctim non intelligimus, atque ea maximè, quæ futura adhuc sunt; vel si sunt præterita, non satis accommodare ad figuras novimus. Sunt tamen divina omnia : imò verò eo ipso diviniora, quò magis ad intelligendum difficilia; tum infirmitatis nostræ ea nos admonent, fidem nostram excitant, in admirationem, divinorumque consiliorum venerationem rapiunt, nullam humanæ inventionis, et commenti suspicionem injiciunt. Quanta enim veterum prophetiarum erat obscuritas, antequàm Christi adventu, et novæ legis promulga-

tione nubes dispelleretur? Quæ etiamnùm manet in Ezechiele interpretando difficultas, etsi post Christi obitum omnia à veteribus prophetis significata mysteria reclusa esse videantur? Cùm igitur non minùs propheticus Joannis liber sit, quàm quilibet alterius veteris scriptoris, qui remota providerit; nec minùs Joanni, quàm Danieli, et Ezechieli portenta, ac veluti monstra apparuerint, nulla esse obscuritas potest, quæ libri dignitati officiat. Quamobrem licèt cum quibusdam Patribus sentiremus, nonnisi post omnium seculorum lapsum affuturam lucem, quâ apertè adspiciantur, quæ Joannes perscripsit, nemo nos præjudicii, nemo scriptorem potest ineptiarum arguere.

Jam importunissimus esset, qui nunc à me ullam Apocalypseos symbolorum explicationem postularet, quam oportet ab explanatoribus sacrarum Scripturarum haurire; dicam tamen festinanter, quæ dici solent à Patribus, et rei sacræ interpretibus de significatione rerum quarumdam, quas Angelus Joanni monstravit. Omitto hìc, ut videtis, dùm Patres nomino, insulsas æquè, ac impias hæreticorum interpretationes calumniæ, et contumeliæ plenas à clarissimo Bossueto præsertim confutatas, qui sub bestiæ, meretricis, Babylonis symbolo Pontificem Romanum, Romam, Romanam Ecclesiam in idololatriam prolapsas notari volunt, eidemque Ecclesiæ, propter defectionem à fide, gravissimas calamitates, et subversionem denuntiari, quas effutiunt jam à ducentis annis imminere in proximos dies. Ex patribus autem, et interpretibus, qui probabilia dixêre, alii omnia de postremo judicii die, alii de agitatissimo Ecclesiæ statu inter horribiles vexationum procellas ante judicii diem, visiones, et prophetias plerùmque explicant; nam qui ad moralem sensum totam Apocalypsin traducunt, ab omni difficultate se citiùs expediunt quidem; at fortassè Joannem non intelligunt, et potiùs, quæ viderunt ipsi, quàm quæ vidit Joannes, proponunt. Primi in septicipitem bestiam Antichristum intelligunt; in duobus testibus Enochum, et Eliam; in septem plagis, septemque phyalis iræ Dei plenis omnes calamitates interitum mundi proximè antecedentes; in regno mille annorum felicitatem justorum per annos mille in terris cum Christo perduraturam, ac si ipse nuptias celebraret. Verùm isti licèt cætera non peccarent, hoc postremum certè, profligato dudùm Millenariorum errore, nemini probare possunt. Reliqua verò minùs cum Joannis verbis videntur consentire, si omnia ad mundi finem rejiciantur. Nam Angelus jubet, Apocalyps., cap. 22, v. 10, librum non obsignari : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim propè est.* Quæ autem vix tandem sunt eventura, apud Danielem, cap. 8, v. 26, obsignari, et claudi jubentur : *Tu autem visionem signa, quia post multos dies erit.* Quæ ergo hìc non sunt à Joanne signanda, multa saltem, debent fieri citiùs quàm mundi machina dissolvatur.

Alii magnam jam rerum à Joanne provisarum partem evenisse arbitrantur; et quamvis dissideant inter se in visis singulis aptandis ad ea, quæ acciderunt, conveniunt tamen omnes ab Ecclesiasticâ, et profanâ Romanorum historiâ repetendam esse prophetiarum explicationem, atque in tres veluti partes totam Apocalypsin esse dispertiendam. Primam, tria priora capita complectentem, in quibus Joannes septem Asiæ Ecclesias reprehendit, admonet officii, confirmat in bono. Secundam, continentem sexdecim sequentia capita, ubi calamitates, ærumnas, res adversas, bella Ecclesiæ inferenda à tyrannis persecutoribus primùm describit; deinde victricem hostium Ecclesiam, et ultorem Deum fusi martyrum sanguinis. Tertiam, tribus posterioribus capitibus comprehensam de Antichristi adventu, de mundi interitu, de triumpho filii Dei, de beatorum martyrum felicitate, de mortuorum revocatione ad vitam, de postremo judicio. In hâc distributione prima pars vix ullam habet difficultatem. Quid tertia contineat, intelligitur quantum est opus, quanquàm singularum figurarum vim quis est, qui assequatur? Secunda illustrari potest historiæ usu. Sanè nihil est, cur interpretes istos reprehendamus, dum, aiunt ex. gr. : Bestia septiceps significat septem imperatores insectatores Ecclesiæ; altera autem cornibus instar agni instructa, Julianum Apostatam; decem cornua iis succedentia decem barbaros reges, qui in Romano imperio sedem posuerunt; mulier à dracone fugiens, pariensque in deserto Dei Ecclesiam, quæ coacta quidem est in persecutionibus velut delitescere, at ex latibulo peperit, et crevit. Anni autem tres cum dimidio, seu quod idem est menses quadraginta duo, seu dies 1260, indicant tempus, quo Diocletianus Ecclesiam afflixit; terra Babylon meretrix Romam idololatriæ deditam; plagæ, quas Deus in terram immisit, et quas effudit iræ suæ phyalis, animadversiones Dei in Romanum imperium; liber signatus ab agno reclusus, divina consilia, quæ Christus Jesus cognovit, et Joanni manifestavit, ut reliqua hujus generis prætercam, et alia, quæ ad declarandam Dei majestatem, potentiam, magnificentiam propheticis imaginibus assumuntur angelorum tubis clangentium, templi, candelabrorum, arcæ, vestium sacerdotalium, altaris, victimarum, throni, animalium, seniorum. Hæc enim omnia similia sunt figurarum, quibus veteres prophetæ, præsertim Ezechiel et Daniel, futura prædixêre. Numeri autem vel angelorum, vel tubarum, et phialarum non est, cur rationem quis exigat. Septenarius enim numerus in Scripturis ponitur pro numero quolibet ingenti. Sed his contenti simus, quibus ostenditur ineptias non esse symbola futurarum rerum à veteribus etiam prophetis usurpata vel ad reverentiam divinæ majestatis inspirandam, vel ad regnorum vicissitudines, et Ecclesiæ Christi modò depressionem, modò gloriam exprimendas. Nihil dico de Agni nuptiis, quibus jam monui Christi Domini cum justis animabus, cumque Ecclesiâ sponsâ æternam conjunctionem indicari.

Denique nihil est, quòd ex quibusdam paucorum Patrum ambiguis alicubi sententiis concludatur, cùm eosdem ipsos plerùmque à nobis testes amplissimos adhiberi compertum sit. Hieronymus, vel quia non le-

geretur ætate suâ in græcis Ecclesiis Apocalypsis Joannis, vel quia Amphilochius, Gregorius Nazianzenus, in carmine, Gregorius Nyssenus, concilium Laodicense inter Scripturas canonicas Apocalypsin non numeraverint, ait à Græcis non recipi; cæterum ab iis receptam suadent non modò, sed et persuadent testimonia supra commemorata, et Epiphanii præ cæteris S. Hieronymo annis provectioris, qui contra Alogos, et Theodotianos Apocalypseos auctoritatem tuetur, eorumque accusationibus respondet. Epiphanio verò eidem nunquàm in dubium venit ejus libri fides, etsi dum Alogos totum Joannem cum Evangelio, et epistolis rejicientes confutat, excusatione quâdam dignos fore dicat, si Apocalypsin tantùm parvi facerent; majoris certè iniquitatis hæreticos arguit, quòd Evangelio, et primæ saltem epistolæ, quàm quòd Apocalypsi non crederent. Nihil enim habebant, quo protervitatem suam illi colorarent, isthæc certissima usquequàque contemnendo Joannis scripta, cùm tamen Apocalypseos repudiationem libri saltem obscuritate quâdam, apud nonnullos etiam Catholicos dubitatione, possent prætendere.

Esto autem, Eusebius in historiis monumenta veterum tractans dubitanter scripserit; at in chronico affirmatè ait, Joannem in Pathmos insulâ Apocalypsin vidisse, quam postea interpretatus est Irenæus. Gregorius verò Nazianzenus, in carmine, prætermittit Apocalypsin in canonem sacrarum scripturarum conferre; sed oratione trigesimâ secundâ, quam ad centum, et quinquaginta episcopos habuit, Joannis esse pro certo habet : *Nec mihi dubium est, quin alii aliarum Ecclesiarum præsides, et patroni sint, quemadmodùm in Apocalypsi Joannes me docet.* Reliquos autem paucissimos Patres, qui in Catalogo Apocalypsin non posuerunt, in ambiguo fuisse ultrò concedimus. Quid autem ii contra tot, ac tantos efficiant?

Atque hæc tandem sunt de canonicis libris, quæ si seriùs, quàm quis voluisset, absolvuntur, rerum amplitudini assignet; spero autem futurum, ut ex iis prolixius tractatis studium etiam in se nostrum cognoscat. Quòd si longior videatur oratio, cum utilitatis magnitudine comparetur; ita fortassè etiam brevior videbitur.

THESES

DE DIVINITATE ET CANONICITATE

SACRORUM BIBLIORUM GENERATIM.

I. Libri probatæ auctoritatis in sacrorum catalogum, nempe *canonem* collati, *canonici* dicti sunt; in eum non conclusi *apocryphi*, quasi obscuri, vel funditùs repudiati, vel, propter publici judicii silentium, dubitabiles. Canon non illicò totus confici potuit, sed crevit processu temporis, ut Librorum dignitas declarabatur. Moyses primùm Libros Legis sacro volumine compegit; Mosaico illi accessionem fecit Esdras, et Synagoga magna reliquis appositis, quos Hebræi suscipiunt. Deinde Christi Ecclesia cùm propagata est, apostolicos, solo publico consensu, absque editione decreti, in canonem recepit; demùm lege latâ paucos quosdam cùm stante, tùm eversâ Synagogâ à divinis viris, ab Apostolis descriptos, sanctissimo, gravissimoque consilio approbavit; unde orta est *proto*, *et deutero-canonicorum* distinctio, quâ prius, et posterius approbationis tempus in pari omnium dignitate notatur. Hanc Ecclesiæ legem nemo reprehendet, siquidem nôrit, quomodò ab Hebræis in canonis collectione processum sit, et causas in genere consideret, quibus permota, non modò de apostolicis libris, sed et de quibusdam à Synagogâ profectis judicavit.

II. Canonici libri omnes eâ sunt antiquitate, quam indicant, non scripti seriùs, priscis autem hominibus attributi ad jactandam vetustatem. Ne infinita sit quæstio, exemplum transferendum æqua ratione per cæteros ponatur in Mosaicis; hi enim plus reliquis exagitantur. Mosaici libri antiquissimi sunt, Hebraico populo traditi vel antequàm poetæ ulli, philosophi, historici cæterarum gentium quidquam eorum mandarent litteris, quæ constet mandâsse. Neque dubitandum est, quin externi ii scriptores multa ex Mosaicis excerpserint, rectè scripta detorserint, profano ornatu vestierint, et magnâ ex parte fabulas invenerint. Prædicent ergo infideles, quantùm velint, Ægyptum sapientiæ totius parentem, nunquàm efficient, exstitisse ante Legis Mosaicæ scriptionem Ægyptios sacerdotes, qui de Religione, de moribus, de rebus publicis administrandis scripserint, quos Moses expresserit.

III. Cum antiquitate conjuncta est dictorum, et factorum veritas tam à domesticis Judæis omnibus, quàm ab externis non minùs ad hæc idoneis testibus confirmata. Oportet autem fateri, non esse scriptum quidquam alienum veritatis, seu res sub immensi populi oculos caderet, seu ad præteritam ætatem referretur; multa enim, atque illustria adeò veri indicia sunt, ut veritatis amator non sit, qui ea non adspexerit (quæ si in suis codicibus Judæi vident, necesse est, ut in Matthæo quoque, et cæteris Evangelistis videant). Increduli, qui Mosaicorum librorum scriptorem cum Græcis, cum Romanis fabulosis legislatoribus comparant qui populi Hebraici decipi facilis ruditatem, atque insulsitatem exaggerant, ut veritati historiæ detrahant, ridiculi ipsi sunt, et insulsi. Qui verò obtrectant descriptioni creationis, atque interitûs rerum ex aquis diluvii, quòd cum naturæ legibus, ac motibus narratio non conveniat, suspicionem nobis non movent,

ne fortassè nunc verum non sit, quod tantam approbationem semper habuit.

IV. Quòd si veritas est scriptarum rerum, erit et divinitas, quæ à veritate non disjungitur. Nempe divina erit cùm Mosaica Lex, tùm Evangelica, quæ utique à solo Deo esse potest, et tota pariter Scriptura divino afflatu, ac præsidio edita. Hæc firmiùs stabiliuntur evulsis plurium errorum capitibus. Summæ arrogantiæ est putare vim propheticam in naturali facultate pro ingenii, et temperamenti ratione in humorum ex atrâ bile abundantiâ, in vivaciore imaginandi vi sitam, aut studio, et arte acquisitam; ignorantiæ verò tenere nihil omninò in Pentateucho esse dictum de animæ immortalitate, de æterno præmio bonis proposito, suppliciove indicto malis, atque ex Legis infirmitate et abrogatione colligere divinam auctoritatem non habuisse. Deinde, quod contra universam Scripturam sumitur, non esse divinitùs traditos libros, quòd obscuri sæpè sermones sint, repugnantes invicem loci, incredibiles, ineptæ, indignæ Deo sententiæ, et scribi omnia solo humano spiritu potuerint. Quod demùm sigillatim ad novum Testamentum attinet, impudentiùs Judæi Apostolos litteræ, et sententiarum veteris Instrumenti corruptores appellant, cùm prophetarum vaticinia ad novæ Legis significationem transferunt. His confutatis, quas habemus, divinas esse Scripturas, quantùm nunc in genere fieri potest, effectum est.

V. Etsi verò divini toti, atque omnes Libri sint, id est, afflante Deo descripti; tamen neque verba singula, neque singulas sententias dictavit Deus, tanquàm discipulis dicta Magistri scriptò excipientibus. Neque erat necesse ita inspirari sanctos viros, quasi exstinctis, aut abstractis notionibus animo olim insitis, quæ ad opus à Deo institutum valebant, infudi eædem, aliæve debuissent. Nam si adsit Spiritus sanctus scribenti, quem primùm ad scribendum excitârit, eumque singulari præsidio tueatur; si mentem oppleat lumine, quod omnem vitiosam ignorantiam depellat, oblivionem, inconsiderantiam; si opportunè suggerat, quæ scribi velit; si vi suâ confirmatum decipi, labi, errare, ineptum verbum scribere non patiatur; si arcana, sublimia, ignota revelet; si nullam denique Scripturæ partem vacuam tutelâ suâ relinquat, erunt haud dubiè Libri à Deo inspirante, quanquàm sermo, et sententiæ plerùmque ab hominibus ingenio, memoriâ, scientiâ, studio proficiscantur.

VI. Ut autem nobis non probantur, qui sacrorum scriptorum facultati nihil relinquunt, sic justiùs et vehementiùs displicent, qui res nec fidei, nec morum humanâ tantùm industriâ locutos dicunt, quocirca et interdùm lapsos imprudentiâ, memoriæ imbecillitate, oblivione. Discessitne Spiritus sanctus à Scriptore, quem gubernandum susceperat; aut partem unam Scripturæ tuitus est, alteram deseruit, et cùm initio adfuisset, in cursu sermonis se abdidit? Divina porrò sunt omnia gubernantis mentem Dei, vel minimum errorem prohibentis, approbantis singula. Nemini igitur in mentem veniat, prophetam, aut Apostolum, scribendo ullo in loco peccâsse; sed si res eò deducta esset, ut diligentiâ omni explicandi adhibitâ, adhuc absurdi aliquid videretur, corruptum exemplar, vel interpretem lapsum, vel imbecilli nos ingenio esse dicamus, non valentes assequi loci intelligentiam, ut S. Augustinus inquiebat.

VII. Sacros Libros totius vitæ magistros summo studio primùm Synagoga, deinde Christi Ecclesia custodivit, vel maximis utriusque Reipublicæ temporibus, ne perirent, aut depravarentur. Ante Babylonicam captivitatem quidem Mosaicos intercidisse, sive Hierosolymæ incendio fuisse absumptos, ut oportuerit, quos temporum iniquitas, et Judæorum incuria perdiderat, Esdram recenter effundere, visi sunt quidam Patres sentire; unde et totum illud opus, quod habemus, Esdræ laudi tribuerunt. Verùm assentiri non possumus. Quidquid negligentiæ olim admissum sit in servandis Legis præceptis, non interierunt sacri Libri, neque iis bellum indictum est à Babyloniis, neque Esdras, etsi multâ aliâ laude clarissimus, amissos, ut aiunt, eructavit.

VIII. Post Esdram sacri Codices Esdrino, quem vocant, canone conclusi ad Christi Ecclesiam, ad nos usque integri, non vitiati, non corrupti devenerunt; dicitur autem de eo vitii genere, quo quid abrasum, intrusum, mutatumve sit malitiosè, fraude, dolo, non fortuito librariorum errore, oscitantiâ, inscitiâ accidere potuerit; jamque de Hebraicis potissimùm codicibus disputatur, quos, si Christi, et Apostolorum ætate sinceri erant, nunc quoque sanos esse perspicuum est. Nam qui Judæorum fraudem in Scripturis adulterandis, et Masorethярum operam mutationi inducendæ susceptam objectat, peccatum imputat scelestissimis cæteroquin hominibus, quòd non peccârunt, neque peccare potuerunt, si voluissent, nullo certè Patrum testimonio, nullo exemplo unquàm probandum. Eadem planè nunc sunt Prophetarum scripta. Quòd si in rebus, quæ fidem et mores non attingunt, quædam esset verbi mutatio, nihil referret ad causam: in lectionis enim ambiguitate, ob litterarum similitudinem, et varietatem exemplarium, satis est lectionem unam assumere, alteram notare, quod Masorethæ fecerunt.

IX. Quæ de Hebraicis veteris, eadem et de Græcis novi Testamenti codicibus sint dicta, quibus nunquàm contigit errores ullos consultò admisceri. Ex utriusque versiones in alias linguas sunt ductæ, ut Græca et Latina ex Hebraicis veteribus, ex novis Græcis Latina Biblia sumpta sunt, quæ licèt in paucis sibi invicem, et cum exemplaribus interdùm discrepent; tamen, quia in præceptis credendi, atque agendi nihil discrepant, verendum non est, ne divina eloquia immutata in aliis quoque linguis non maneant. Non est autem necesse disputare de Hebraicis, Græcis, et Latinis, utra præferenda alteris sint; debeatne textus ex versione corrigi; an contra, ubi fortuitæ mendæ irrepsissent. Unum hoc loco affirmatur Hebraicos, Græcos, et Latinos codices in doctrinâ, in fidei, et morum præsertim rebus consentire: Hebraicâ veteris,

et Græca novi Testamenti exemplaria pristinam dignitatem retinere; ex fontibus auctoritatem versioni conciliari, et concilii Tridentini decreto, Vulgatam Latinam versionem authenticam declarantis fontium dignitatem non esse extenuatam.

DE DIVINITATE ET CANONICITATE SACRORUM LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI SIGILLATIM.

I. Omnis de librorum veteris Testamenti divinitate duplex potissimùm est quæstio. Unum genus est, quod ad auctoritatem librorum pertinet; alterum, quod positum est in inveniendis auctoribus, ut vel dignitatis, vel temporum, vel præceptorum ratio declaretur. Primum perpetuò constitutum esse volumus contra infideles, atque hæreticos, de quocumque tandem libro in posterum dicturi sumus; de altero, quia inter fideles sæpè disputatur, et obscurum est, ponentur interdùm in medio interpretum sententiæ. Exordiamur à Pentateucho, in quo utrumque facile est expedire. Non modo quinque libri Legis appellati divini sunt, verùm etiam omnium est Moses auctor. Intoleranda enim est Hobbesii, Peyrerii, Spinosæ arrogantia, obtrectantium Legis libros aliis planè de causis Mosi tributos, non quòd ipse scripserit. Nec minùs temerè sibi sumpsit Simonius primis capitibus libri 1 Hist. critic. vet. Test. solam legem, et præcepta Mosi referre; historiæ verò corpus scriptoribus publicis, et notariis Hebræorum reipublicæ, quos prophetas nominat. Locum, et tempus designare, quo scriptum à Mose sit, non est, cur adeò curetur; quanquàm post exitum ab Ægypto, et promulgationem Legis libros omnes describi cœpisse putamus, et postremo vitæ Mosis anno Deuteronomio totum opus conclusum res ipsa loquitur.

II. In ponendo Scriptore libri *Josue*, ea interpretes argumenta deficiunt, quibus freti Pentateuchum Mosi vindicant; unde sunt Patrum, atque interpretum discrepantes sententiæ, quæ tamen libri divinitati nihil derogant. Nobis quidem videtur prudenter fieri ab iis, qui ab re non exploratâ assensionem cohibent. Qui Josuam libri auctorem credunt, quos nominare supervacaneum est, suadere id fortassè possunt, quod sentiunt, non persuadere : qui contra à Josuâ librum eripiunt, ut Samueli, aut Esdræ tribuant, ineptiùs, quasi de re confectâ, gloriantur; idque nos movet, ut potiùs omni conatu tueamur, nihil adeò solidum pro negante parte afferri, cui satis apta responsio adhiberi non possit, etsi adjectitia quædam esse non diffiteamur.

III. Major est inveniendi scriptoris librorum *Judicum*, et *Ruth* difficultas, qui ex librorum compactione in unum unus utriusque auctor esse creditur. Quod ad Judicum librum attinet, Samuelis esse historiam Hebræi arbitrantur, quos nemo convincet erroris; nam regnante Saüle, aut ineunte regnum Davide, vixisse scriptorem, ex locis quibusdam non obscurè concluditur; Samuelis quoque non repugnat esse librum Ruth, qui in parvo opusculo primùm spectaverit Davidis genealogiam describere.

IV. Quatuor libri Regum, *duo Samuelis*, et *duo Regum* ab Hebræis appellati, quòd primis materia ab initio subjecta, quam tractat auctor, et in quâ versatur, res gestæ Samuelis sunt, postremis autem propositum est utrorumque regum in unum memoriam colligere cui, quibusve auctoribus adscribantur, frustra quæritur. Primos duos ex monumentis prophetarum Samuelis, Nathanis et Gadi desumptos damus ultrò, sed ipsissima esse illorum trium prophetarum scripta non placet. Hæc tamen ignoratio nostra tantùm valere non potest apud Religionis inimicos, ut propterea in suspicionem veniat librorum dignitas, quam nullus discors aliis canonicis libris locus infirmat. Duos posteriores evolutis partim annalibus commentariis regum Juda atque Israel, partim prophetarum monumentis, qui libro præsertim secundo Paralipomenon memorantur, ignotus nobis auctor lapso Judæorum imperio, et perdurante adhuc Babylonicâ captivitate, vel fortassis jam solutâ, composuit, retentis tamen sæpè non modò sententiis, sed et verbis prophetarum et scribarum, quibus stans adhuc imperium significari videretur.

V. Libri *Paralipomenon*, sive *Prætermissorum*, si velimus latinè interpretari, sive דברי הימים *dibrè ajamim*, *verba dierum*, *et chronica*, ut Hebræi vocant, pars sunt à veteribus prophetarum monumentis expressa, atque à libris ephemeridum post Babylonicam captivitatem strictim excerpta à libris amplioribus; quocirca multùm differunt *à libris verborum dierum regum Juda*, *et dierum regum Israel*, sæpè tam in libris Regum, quàm in his ipsis Paralipomenon commemoratis. Judæorum judicium est, Esdram auctorem esse, paucissimis exceptis libri 1, cap. 3, v. 21, etc., quod quanquàm non sumimus tenaciùs defendere, non videmus tamen quomodò improbari possit. Illud tuemur constantissimè, ex discrepantiâ inter Paralipomenon et Regum libros, nihil de divinorum Paralipomenon pretio decedere.

VI. Priorem *Esdræ* librum Esdras ipse, alterum Nehemias scripsit; nec unquàm efficiet aut Daniel Huetius, doctissimus cæteroquin vir, prima Esdræ capita non esse Esdræ, aut Spinosa alterum non esse Nehemiæ. Hi autem duo in unum olim volumen apud Hebræos compacti sacri libri sunt, à summis viris apud Judaicum populum gratiosissimis, et quasi totius Reip. reparatoribus relicti. Nam quos dicunt tertium et quartum Esdræ, quantamlibet olim apud quosdam Ecclesiæ Patres dignitatem habuisse videantur, locum tamen in canone nunquàm obtinuerunt. Tertio libro græcè conscripto conjecturâ assequimur veterem Hellenistam allaborâsse, qui historiam vitæ Zorobabelis augere volens, et gloriosiora quædam de tanto principe cum auctoritate prædicate, exscriptum multis in locis verum Esdram popularibus traditionibus conspersit, quas tamen neque Synagoga, neque Christi Ecclesia potuit probare. Quartum verò solis latinis litteris editum, non modò conjecturâ, sed certis indiciis deprehenditur recentem esse, à Christiano homine ex Ju-

dæis ad Christi fidem traducto excogitatum, et piâ quâdam fraude uso ad conciliandam libro auctoritatem.

VII. Hactenùs eos libros produximus, quos nemo negavit esse divinos, nisi qui Deum Judaici populi curatorem non agnovit, et divinitatis fidem omnem sustulit. Nunc ad alterum genus pertinet historicus Tobiæ liber soli catholicæ Ecclesiæ probatus, apud Hebræos verò atque hæreticos auctoritate carens. Ut omnia hâc de re complectamur, quod in Tobiæ libro describitur fabella non est ad componendos mores inventa, neque ab hominis industriâ divini Spiritûs præsidio muniti historia illa profecta est. Rem, quæ contigit, scriptor Deo fretus litteris consignavit, isque non sine causâ Tobias uterque creditur, Chaldaico sermone usus, qualem homines in Assyriam deportatos decebat. Librum Hieronymus in latinum transtulit multò accuratiùs, nobiliùs et præstantiùs, quàm vetus interpres, qui ex pravâ græcâ latinam interpretationem fecerat non bonam. Hieronymianæ postea universa Ecclesia meritò divinos honores decrevit, leges certas secuta, quibus sacer à profano libro discernitur; quanquàm Esdras in sacros libros Tobiæ historiam non retulisset; nascens verò Christi Ecclesia, atque adolescens à ferendo judicio prudenter abstinuerit.

VIII. Eadem fermè de Judithæ historiâ subjicimus. Judithæ librum è Chaldaico pariter sermone D. Hieronymus in latinum convertit, *magis sensum è sensu, quàm verbum è verbo transferens*, ut ipsemet affirmat præfatione in Judith. Tota sacra narratio historica est, fatentibus Judæis, non commentum, aut parabola ingeniosi auctoris volentis Judæam et Synagogam Dei patrocinio fretam poeticis imaginibus, inductisque in scenam personis describere. Etsi verò explicare non possemus quando factum acciderit, de quo magnorum hominum variæ sunt discrepantesque sententiæ, nostra hæc trepidatio, aut ignorantia veritati historiæ, et libri divinitati non obesset. Sed, si quis multùm interesse putet ad historiæ veritatem, ac divinitatem libri, quemadmodùm tempus constituatur, quo res contigerit, consentaneè cum rei totius summâ poni potest, stante potiùs Judæorum imperio, quàm Persarum, et Manasse imperante, quàm Cambyse, aut Xerxe factum contigisse. Scriptorem equidem non invenimus; verùm consentit cum reliquâ doctrinâ hominem Israelitam fuisse in captivitate detentum, qui historiam litteris tradiderit, ut fratrum suorum ægritudinem levaret.

IX. De toto Estheris libro minor non est controversia, de quo paucis hæc sunto. Propiùs ad veritatem accedere Thalmudistarum sententiam, quâ proditum est, Synagogam magnam jussisse veram historiam scribi, et probâsse non modò novem capita, et quatuor priores decimi versiculos, ut Hebraicum habet exemplar, divina esse; sed et cætera in Græcis Septuag., et Latinis Bibliis exstantia postrema capita, quæ *additamenta* vocant, ab Hebraico exemplari et ipsa translata, unà cum septuag. Interpretum versione magnæ Synagogæ approbationem habuisse; demùm quæ de magno Assuero, sive Artaxerxe ex Medorum et Persarum regibus narrantur, veriùs Darii Hystaspis filii rebus congruere, ut sacram cum profanâ historiam conjungenti constabit.

X. In *Jobi* historiâ illustre nobis moderatissimi, et patientissimi hominis exemplum reliquit Deus, sive prosperâ utamur fortunâ, sive premamur adversâ. Vera oratio est, etsi poetico scribendi genere, sublimi, figurarum pleno exornata, aucta, amplificata, illustrata parabolis, ut non minùs utilitatis, quàm jucunditatis legentibus afferret. Ut veram historiam, sic et divinum librum agnoscimus, in cujus explicatione de Jobi genere, patriâ, religione, ætate, libri scriptore versamur quidem in tenebris, non tamen adeò, ut omne sit lumen ereptum. Jobus ipse, vel Eliu, vel alter quispiam Arabs, aut Idumæus, Arabico, vel Idumæo sermone paucis rei eventum complexus est, quàm Hebræus antiquior propheta, quicumque tandem is fuerit, multis ornavit, multaque convenienter personis, loco, et tempori adjunxit, quædam solutâ oratione describens, quædam strictâ illigans, et in Jobi, atque amicorum colloquiis sensus, non verba utrinque usurpata referens, et si interdùm ad litteram Arabem, vel Syrum scriptorem expressit.

XI. Librum *Psalmorum*, videlicet *Hymnorum, et Laudum,* mirandum est ignorantiâ quorumdam, et impudentiâ minùs antiquum, et minùs sacrum haberi. De numero verò, divisione, auctore, titulis quæri rationabiliùs posse videtur; verùm nemini dubium esse deberet, solos 150 psalmos ad Hebræis, Græcis, et Latinis perpetuò in canonem receptos, divinâ auctoritate valere; psalmum contra 151, de *monomachiâ Davidis cum Goliatho*, idiographum dictum, à Syro, atque Arabe interprete cæteris adjectum, ut et 18 alios *Salomonis* inscriptos spurios esse, et apocryphos. Item omnes 150, sine certo rerum, aut temporum ordine ab Esdrâ, vel ab Hebræorum doctoribus, vel à Synagogâ magnâ uno libro olim comprehensos, non in libros quinque distributos, ut deinceps Hebræis visum est dispertiri. Conjunctionem autem duorum in unum, aut contra sectionem unius in duos, quam exemplaria Hebraica, secùs atque Græca et Latina exhibent, cùm ab initio non satis apertum esset distinctionis indicium, arbitrio potiùs, quàm accuratâ ratione factam. Insuper maximam psalmorum partem Davidi auctori jure optimo tribui quidem, sed omnes nullo modo posse. Hactenùs tutò, et sine trepidatione affirmatum est; quæ consequuntur verecundiùs ponimus. Non constat titulos omnes, ne eos quidem, qui in solis Hebraicis exemplaribus leguntur, à viro prophetâ, vel divino auctore scriptos; imò verò gravis suspicio est, qui in Hebraicis codicibus sunt, nonnullos, re non satis consideratâ, fuisse appositos; qui absunt, litteræ, historiæ, argumento sæpè esse discordes. Quare sua sit titulis laus propter vetustatem, et Ecclesiæ mandatum eos jubentis præscribi; exspectandum tamen esse arbitramur apertiùs Ecclesiæ judicium, ut de omnibus liquidiùs judicetur, divinamne fidem faciant; interim, tanquàm à re incertâ definiendâ, esse abstinendum.

XII. Proverbia, gravissimasque sententias toto capite 29 libri contentas Salomon vir Dei effudit, quas tamen non ipse in unum codicem conjecit. Bis enim, tertium, aut quartum etiam facta est diligens ejusmodi sententiarum conquisitio, et recens collecta vitæ præcepta priùs descriptis addita. Quæ trigesimo capite concluduntur, non videntur esse Salomonis, sed Aguris filii Jaké quæ utpote breves, familiares, solidæ, acutæ, vibratæ, facilè in animum fluentes, ad prudentiam, ad sapientiam, ad œconomiam, ad politiam, ad totius vitæ rationem compositæ, locum inter Salomonicas habere potuerunt. Postremum caput, si rursùs affirmas esse Salomonis, conjectura est diligenti Scripturarum scrutatori probabilis. Summa tamen est totum librum non ex homine, sed ex divino Spiritu esse profectum.

XIII. Alter Salomonis liber est Ecclesiastes, ac si diceres latinè Liber concionem habentis, perperàm Ezechiæ, Isaiæ, Zorobabeli à quibusdam tributus, qui videri volunt cæteris acutiores. Nonnulla, quæ sonant interire animum, corpora autem non revocari ad vitam, suspicionem attulerunt de libri divinitate; verùm si cogites Salomonem plures in medium posuisse stultorum, impiorum, ac malorum philosophorum sententias, et in utramque partem agitâsse, persecutum, quid voluptarii homines sentiant; demùm verò conclusisse totam hominis felicitatem Dei timore, divinorumque præceptorum observatione contineri, suspicio omnis elabitur.

XIV. Tertium ejusdem auctoris opus est Canticum canticorum, sive nobilissimum canticum ab adolescentiore confectum, quod reprehendant, qui profanis oculis legunt, nos admiramur animum abducentes à sensibus. Epithalamium est, in quo loquentes inducuntur sponsus, sponsa, amici, amicæ, et quotquot sponsum, sponsamque deducebant; loquuntur autem amatorium sermonem, eumque vividiùs, ac vehementiùs ultrò, citròque teniores animi motus exprimentem, quo purissimus Dei amor ostenditur erga Synagogam, ut Hebræi inquiunt; ut nos, summa Jesu Christi benevolentia adversùs Ecclesiam, quam sibi sponsam acquisivit sanguine suo, naturam humanam, quam arctissimo nexu sibi conjunxit, animam præditam sanctitate, quam sibi in fide, et charitate consociat. Non est igitur nudum carmen pro Salomonici conjugii celebritate compositum, neque mera spiritalium nuptiarum cum terrenarum prætermissione descriptio, sed utrumque, alterum ex altero consequens, utrumque à Spiritu Sancto intentum. Salomon enim, cùm propè abesset, ut uxorem duceret appellatam suomet nomine Sulamitidem, animo intuens veluti in imagini spiritaliores nuptias, extulit se, easque nobili carmine complexus est, dum prædicabat suas, ut mos erat prophetarum, qui rebus præsentibus futurarum typis ad novæ Legis mysteria pronuntianda utebantur.

XV. Præter tres commemoratos Proverbiorum, Ecclesiastis, Canticorum libros, nullum alterum habemus Salomonis, non Sapientiam, non Ecclesiasticum, quos putandum est, nonnisi propter quamdam eloquii, et præceptorum similitudinem, Salomonis dici, ut ait Augustinus. Et de auctore quidem libri Sapientiæ nihil affirmamus, contenti aliorum sententias confutare, qui aut Salomonem, aut Philonem quempiam nomine, sive seniorem, sive Biblium, sive Alexandrinum auctorem crederent. In divinis tamen libris sine periculo erroris Sapientia numeratur, ac, si quid augurari conjecturâ licet, Judæus Hellenista post versionem septuag. Interpretum propè ab ætate Machabæorum in scriptis philosophorum, et Græcorum poetarum versatissimus librum edidit.

XVI. Ecclesiastici liber et ipse, tametsi à Canone Hebræorum abest, non minoris est dignitatis, quàm cæteri sacri libri. Jesu filius Sirach Salomonem imitatus, exscriptis etiam quibusdam ipsius præceptis, studuit sapientiæ amorem excitare. Quoniam verò propter scriptorem ipsum (cap. 50) ejusque nepotem (in præf.) magnæ auctoritatis græcum interpretem, concedendum est, spatio interjecto Simonis pontificatum, et Ptolomæi Evergetis regnum, librum fuisse conscriptum; quâ de re notissima est chronologorum dissensio, an Ptolomæi Philadelphi temporibus post Simonem I, an verò sub initium regni Antiochi Epiphanis in Syriâ post Simonem II propè finem vitæ Oniæ III, auctor scripserit; consultiùs visum est, intelligi ex adjunctis quibusdam cùm ab auctore, tum ab interprete notatis, descriptâque in Machabæorum libris rerum Judaicarum historiâ, non Ptolomæi Philadelphi Ægypti regis ætate, sed Philometoris, sub initium regni Antiochi Epiphanis, et propè finem vitæ Oniæ III, anno circiter calculi Usseriani 3829, scripsisse Sirachidem, qui Hierosolymis in Ægyptum se receperat.

XVII. Ad vetustiora tempora, unde delapsi sumus, redit oratio, et ad eos canonicos scriptores, quos fuisse propheticos viros ignorare non possumus. Eorum alii, quorum prolixior oratio est, majores, quorum contra brevior, minores prophetæ dicuntur. Primo loco propter claritatem generis, et rerum visarum sublimitatem conjunctam cùm puritate sermonis est Isaias filius Amosi, alterius quidem ab Amoso Propheta. Cùm longævam vitam vixisset, imperantibus quatuor regibus Juda, ut initio prophetiæ legimus, senior per medium sectus creditur ligneâ serrâ, jussu Manassis regis impiissimi, quem propheticâ libertate impietatis arguebat; cui opinioni temerè contradicitur. Iniquiùs verò, atque arrogantiùs scripsit Spinosa, ex fragmentis quibusdam Chronicorum regum Juda, atque Israelis, nullamque inter se connexionem habentibus compactum esse librum, Isaiæ nomine perperàm inscriptum, eique deinde ab Ecclesiâ tributum. Isaiam certè non modo prophetiarum volumen descripsisse comperimus, sed et res gestas Oziæ in separato codice, qui temporum injuriâ periit. Libros contra titulo *ascensionis, visionis Isaiæ* evulgatos falso prophetæ rejicimus.

XVIII. Isaiæ prædictiones consequitur liber prædictionum Jeremiæ, qui Baruchi notarii operâ est usus. Tota ejus prophetæ oratio est, si caput 52 excipias ab Esdrâ fortassè adjectum; ipsius est et epistola, quæ inter Baruchi capita sextum locum tenet; ipsius quoque Lamentationum liber. Falsus est autem Josephus putans lugubri isto carmine mortem Josiæ, ut libro 2,

Paralip. narratur, prophetam doluisse. Manifestissimum enim est, eò urbis cladem, non alterius mali incursum lugeri.

XIX. Idem ipse Baruchus à Prophetâ Jeremiâ ad omnem scriptionem adhibitus epistolam suam et ipse edidit in canonem ab Ecclesiâ relatam, quam dicimus Prophetiam Baruchi, sacram, et divinam, quidquid contra sentiat præsertim Hugo Grotius. Hebraicis litteris epistolam scripsit, quanquàm desideretur in codice Hebraico; Babylone scripsit anno quinto à capto *Sedeciâ;* quæ omnia loco, et tempori optimè congruere deprehendetur, si animo præjudiciis vacuo divinum verbum legatur.

XX. Ezechiel à Nabuchodonosore unà cum Jechoniâ, et præcipuo militiæ, ac Reipub. robore Babylonem abductus, quæ eventura Judaico populo, et vicinis gentibus divinitùs vidit, divino libro comprehendit, difficili tamen ad intelligendum. Istum Spinosa adversarius, atque obtrectator perpetuus genuinum esse negat Ezechielis volumen. Thalmudistæ verò ignorantiâ, et levitate hebraicâ tribuunt magistris Synagogæ magnæ, quòd futurarum rerum præsensio, et provisio, ipsorum arbitratu, scribi extra terram sanctam non potuerit.

XXI. De Danielis libro prolixior, atque agitatior cum incredulis, cum Hebræis, cum hæreticis disputatio est. Disputari namque solet, utrùm Daniel librum scripserit Babylone captivus, an seriùs Hebræus quispiam legis studiosus Danielem scripsisse finxerit; rursùm, prophetisne annumerandus Daniel sit, an verò scriptoribus, quos *Agiographos* vocant; item, an historiæ Susannæ, Beli, et Draconis, cum Azariæ oratione, et trium Puerorum Cantico, veræ sint, et canonicam dignitatem meritò obtineant; demùm, an eas quoque libri partes idem Daniel litteris tradiderit, ut reliquas, quæ solæ apud Hebræos supersunt. Sed, quia prima faciliora sunt expeditu, vix ulla ponenda opera est, ut à Porphyrii calumniis Danielis liber vindicetur, atque insipientiæ, ac stultitiæ Hebræi arguantur Danieli injuriosi ob detractum prophetæ officium. Deinde verò studiosiùs danda opera est in Heterodoxorum refutatione; damus autem, ut historiæ, omniumque additamentorum veritas, et canonicitas confirmetur, totusque liber cum additamentis omnibus, qualem habemus, eidem Danieli asseratur, nullaque libri pars in hæreticorum reprehensionem incurrat, nulla eripiatur Danieli.

XXII. Minorum prophetarum libri, quos omnes conjunctim uno sermone attingimus, neque in Hebræis, et Latinis, neque in Græcis codicibus eo ordine dispositi sunt, quo prædicere futura quisque cœpit, neque alter alteri ita præstat ætate, ut scripta ferunt. Sed neque Oseas inter æquales cæteros vaticinando præcessit, qui tamen in Bibliis omnibus ordinem ducere videtur. Nobis Jonas antiquior omnibus propheta est, etiamsi in quinto loco collocetur. Difficile autem est adeò de quibusdam judicare, qui sint, unde venerint, ex quâ tribu, utrum superent alios ætate, an subsequantur, ut sæpè aliorum sententias recitandas, ipsi nihil affirmandum putemus. Tenendum de omnibus est, viros fuisse Deo plenos, ea scribentes, quæ divino Spiritu acti providerint, quorum plerique ante Babylonicam captivitatem scripserint, quæ ipsorum libri exhibent; tresque posteriores Haggæum, Zachariam, Malachiam solutâ jam captivitate non minùs prophetas fuisse, quàm superiores cæteros. Ex his Haggæus secundo anno Darii, filii Hystaspis, qui fuit quartus à Cyro; non Darii Nothi, filii Artaxersis à Cyro rege noni datus à Deo est auctor, ut populum ad templum ædificandum permoveret. Zacharias non immeritò visus est Hieronymo alter à prophetâ ejusdem nominis, quem Christus Dominus, Matth. 23, inter templum, et altare cæsum Judæis exprobravit : Christum enim de Zachariâ filio Joiadæ, de quo lib. 2 Paralip., cap. 24, locutum Hieronymus congruentiùs docuit. Malachias insipienter ab Hebræis creditur aut angelus sub hominis specie, aut idem, qui Esdras.

XXIII. Historico libro duplici de nobilissimis Mathathiæ gestis, filiorumque facinoribus, et de immanitate, quâ ab Ægypti, Syriæque regibus in Judæos sævitum est, vetus Testamentum desinit. Uterque Machabæorum est dictus ex Judâ Mathathiæ filio, qui sive ob eximiam virtutem, sive ob notam militaribus vexillis inscriptam Machabæus usurpabatur, inclytumque cognomentum ad reliquos fratres traduxit. In utroque vera, et divina sunt omnia, torqueant se licèt, succenseant, irascantur hæretici, exaggerentque doctrinâ sententiis quibusdam inter se repugnante, et contraria opinionem omnem de eorum divinitate ex animo evelli. Nos autem invictissimum SS. Patrum, Ecclesiæque Catholicæ judicium, quod unicè ad hanc rem valere potest, constanter opponimus. Librorum alter Hebraico idiomate, alter Græco scriptus est ab auctoribus duobus, diversas æras secutis supputando; et primi quidem, quisquis est, præclarissimæ familiæ laudes eo libro prædicavit; auctor verò secundi repetitam altius historiam, è quinque libris Jasonis, sive Jesu Cyrænensis Hebræi perstrinxit. Et de veteribus libris inter sacros relatis satis diximus. Nam tertius Machabæorum, licèt humanæ historiæ fidem non amiserit, sacram non habet dignitatem; quartus verò jamdudùm ne inter apocrypha quidem legitur, neque constat, quem librum veteres Machabæorum quartum nominaverint.

DE DIVINITATE ET CANONICITATE SACRORUM LIBRORUM NOVI TESTAMENTI SIGILLATIM.

I. Quæ de veteris Testamenti Scripturis, non tam pro Synagogæ defensione, quàm Ecclesiæ præsidio alio loco disputata sunt, eadem commodiùs ad novi Fœderis libros traducimus, ut contra infideles quoslibet Ecclesiæ Christi dignitatem tueamur, et gloriam prædicemus. Apostoli scilicet, atque apostolici viri Jesu Christi discipuli, qui aderant, qui viderant, qui audierant, Evangelia, Epistolas, codices omnes, quibus novum Testamentum continetur, litteris consignâ-

runt, viri aperti, simplices, ingenui, justi, boni, non falsi, non vafri, neque lucri, honoris, popularis gratiæ colligendæ causâ simulantes quidpiam, vel dissimulantes, ullamve adhibentes orationis vanitatem. Quæ verò scripsêre, certa sunt, in luce, atque omnium oculis acta, ignorata nemini, vulgata, comprobata plerùmque externorum testium narratione, confirmata signis, et prodigiis; veraces igitur descripserunt vera. Quod argumenti genus vim magnam certè habet adversùs omnes infideles, adversùs Judæos verò maximam. Quousque ergo audebunt isti dicere vera esse, quæ Moises, quæ prophetæ scripto reliquerunt, quæ contra Apostoli, inania, fabulosa, dolo conficta, ad fallendum composita? Ex quo consequitur novi Testamenti scriptoribus adfuisse Deum, et libros, moderante Dei Spiritu, à viris salutis nostræ studiosissimis esse profectos. Accedit obsequium Ecclesiæ, judiciumque tanti faciendum, ut majoris fieri nullum possit; quo efficitur et in librorum confectionem Spiritum Sanctum operam suam contulisse, et nullam deinceps meditato insinuatam esse falsitatem. Quocirca apud Ecclesiam sacros, et divinos Apostolicos libros exstare perspicuum est. Nihil autem facit ad distinctionem auctoritatis, alios ociùs, alios seriùs Ecclesiæ judicium obtinuisse; eadem planè est omnium auctoritas. Hæc in genere tantùm, quæ uno in loco posita ad singulos libros, ut opus erit, transferantur.

II. Et quoniam de Evangeliis, de Epistolis, de apostolicis scriptis, et scriptoribus singulis sermo esse debet, ne unâ oratione commiscuisse omnia videamur, primò sit, quatuor tantùm divina esse Evangelia, id est historias factorum Jesu Christi, et dictorum memoratu dignissimorum. Patres enim, atque Ecclesia, quorum semper fuit prudens, sincerum, incorruptumque judicium, non susceperunt, nisi quæ Matthæus, Marcus, Lucas, et Joannes ediderant; cætera verò, vel quòd scripta ab iis essent, qui carerent auctoritate, vel quòd vitium haberent, aut nunquàm probaverunt, aut funditùs repudiàrunt. Quo ordine videmus in codicibus collocatos libros, eodem, et scriptos esse creditur, contemptâ Bezæ, Basnagii, Clerici sententiâ, qui Lucam Apostolis omnibus in scribendo præstitisse inconsultò arbitrantur. Quòd si ulli vetusti codices post Matthæum habent Joannem, deinde Lucam, sive Lucanum, postremò Marcum, in his ratio dignitatis Apostolicæ effecit, ut Matthæo Joannes accederet, suusque primùm apostolis, deinde apostolicis viris esset locus; ex apostolicis verò ille præponeretur, qui alterum scripti magnitudine superaverat. Quanquàm verò hæc explorata sint; quo anno tamen quisque scripserit, variæ priscorum Patrum, discrepantesque sententiæ nos ad confessionem ignorationis adducunt.

III. Matthæus, qui et Levi, et Levi Alphæi à Marco, et Lucâ appellatur, Judæus genere ex publicorum conductore adscitus Apostolus Evangelium Hierosolymis scripsit gentili linguâ, Hebraico nimirùm sermone, et litteris, rogatu Judæorum, qui Hierosolymam, et finitimos locos incolebant, non Græco, ut præ cæteris Matthias Flacius Illyricus, coactis superiorum se Catholicorum quorumdam, multò verò magis Hæreticorum argumentis, neglectâ Patrum auctoritate, injuriâ conatus est persuadere. Hebraicus autem ille sermo Syro-Chaldaicus erat, qualem Hebræi tum loquebantur. Evangelium eo idiomate Hierosolymitanis traditum ad Nazaræos, deinde ad Ebionitas delatum est; et illi quidem amplificârunt narrationibus fide bonâ ex Patrum traditione acceptis; isti verò abraserunt, et omninò vitiârunt. Intercidit deinceps Hebraicum omne exemplar cùm purum illud, quale à Matthæo prodierat, tum ampliora alia, et resecta hæreticorum. Verendum tamen nobis non est, ne verum, et divinum Matthæi Evangelium non habeamus, quia proferre autographum non possumus; nam Græco apographo, unde Latinum exstitit, ex puris Hebraicis desumpto, et ab Apostolorum usque ævo gentibus ad Christi fidem conversis tradito, quisquis demùm interpres fuerit, Ecclesiæ usus conciliavit auctoritatem. Quamobrem dubitare, quin divinum, integerrimum, et nativâ nullâ suî parte discors Matthæi Evangelium apud nos exstet, intolerandæ et arrogantiæ.

IV. Marcus Petri discipulus atque interpres, Evangelium alterum Græcum rogatus à fratribus Romæ edidit, ut à Petro audierat; neque enim à Christo ipso acceperat. Græcum dicere malumus, quàm Latinum; plus enim apud nos valet veterum Patrum, et Hieronymi præsertim, atque Augustini testimonium, quàm quælibet vel à Marci officio, vel à Græco exemplari prioris, ut aiunt, latinitatis colorem retinente, vel à loco scriptionis, vel ab incertis monumentis deprompta ratio. Scripsit autem Marcus totum decimum sextum caput, in quo Christum Dominum à morte ad vitam rediisse narratur, ut nihil sit in toto nostro Marci Evangelio non divinum, et canonicum.

V. Lucas itinerum Apostoli Pauli comes, cui se adjunxerat, ut Petro Marcus, cognitis omnibus, quæ ad Christi vitam, et sermones pertinebant, Evangelium et ipse suum in Achaiæ, Bœotiæque finibus tum composuit, ut doctorem suum defenderet, et manantem falsitatem cohiberet, cùm pseudo-apostoli falsis evangeliis per loca, ubi Paulus docuerat. Bonæ disciplinæ fructum perdere per inscitiam, vel invidiam tentabant; quo et Theophili præsertim, viri spectatissimi, popularis sui voluntati satisfecit. Non hunc Apostolum facimus neque Christi auditorem, neque Judæum genere, neque pingendi, aut sculpendi arte peritum, neque eumdem ac Lucium in Pauli Epistolis commemoratum; sed Apostoli sectatorem, Anthiochenum, proselytum, Medicum, quod Scripturæ, et Patribus consonat. Ei scribenti non modò Ecclesia Christi sciens, et prudens credidit, verùm etiam Marcion tantùm honoris tribuit, ut unum ex Evangeliis omnibus approbaret; circumcidit autem exemplaria scelestus ille hæreseos suæ præjudiciis patrocinium quæsiturus, amputavit, corrupit. Totum, cujusmodi apud nos est, Evangelium scripsit Lucas, et illud primum capitis 19, Christum super Hierusalem flevisse; tùm alterum capitis 22, sudâsse sanguineo sudore, et angelum, ut levationem concidenti animo

afferret, è cœlo delapsum. Quare et hæc duo, ut partem Evangelii Lucæ, in Scripturarum canonem justissimè recipimus.

VI. Joannes Apostolorum postremus Ephesi in Asiâ minore divinissimum omnium, si licet dicere, Evangelium dedit fidelibus, qui contra perniciosissimum Cerinthi, atque Ebionis perditorum hominum errorem instrui, atque armari petierant, ut nihil insulsius dicere hæretici, ab Epiphanio appellati *Alogi*, potuerint, quàm istud esse Cerinthi Evangelium. Ibi et historia mulieris adulteræ, ab ultimo capitis 7 versiculo ad duodecimum usque 8 canonica et ipsa est, non minoris auctoritatis, quàm reliqua, undecumque quis velit sive ab externis, sive à rei insitis argumentis de historiæ veritate, et canonicitate judicare. Frustra enim Beza, frustra Anabaptistæ, productis quibusdam priscis exemplaribus, aut conquisitis conjecturis enituntur ab historiâ fidem, à fidelium animis eripere veritatem. Morosior quoque criticus fuit, et abutens otio Grotius, qui 21 caput non à Joanne scriptum, sed adjectum putavit ab Ephesinâ Ecclesiâ, quæ absolvendum sumpserit, quod Evangelistæ deerat.

VII. Hactenùs de Christi vitâ, factis, et dictis tantùm Apostoli duo, duo item apostolici viri scripserunt; non enim novam Ecclesiam coiisse, et cœpisse propagari vivente magistro scribere poterant, qui non quales doctrina fructus peperisset, sed quis esset sator, et quatenùs, in historiam suam referre susceperant. Lucas deinde idem ipse, quem nuperrimè nominabamus, græci eloquii peritissimus Ecclesiæ ortum, adolescentiam, propagationem in gentes brevi sermone perscripsit, atque in librum inclusit, Acta Apostolorum deinceps nuncupatum, quo triginta annorum memoriam paucis colligavit; brevi quidem sermone, quod gravissimis occupationibus districtus, se multùm avocari nollet. Huic Lucæ libro, ut divino, habendus is honor est, qualem Ecclesia semper habuit, nec ullus unquàm detraxit, nisi qui Pauli nomen ne audire quidem volebat. De aliis Apostolicorum Actorum libris, unde, quæ in breviore Lucæ historiâ desunt, videntur suppleri, nostrum non est hoc loco judicare diligentiùs, quibus divinos libros ab Ecclesiâ probatos tueri propositum est. Si tamen quis cætera cum his nostris comparet, is profectò intelliget ea, ut nunc sunt, non habere fidem, atque in iis errores esse, quos nulla apostolicorum virorum inscriptio tegat.

VIII. Sequuntur Pauli Epistolæ. Porrò qualis, et quantus vir fuit Paulus? Is ex Hebraico genere, tribu Benjamin natus in Tharso Ciliciæ urbe, Romanus civis (non eo ab infantiâ traductus Giscalâ Galilææ vico, ut Hieronymo est visum) ex Christi insectatore acerrimo factus Christi legis patronus, et Apostolus tantâ virtute armatus à Deo est, tantoque divinæ legis zelo incaluit, ut unus supra humanas vires effecerit, quæ multi conjunctim homines laboris patientissimi quocumque humano auxilio freti non potuissent; et plus omnibus ad perpetuam ecclesiarum salutem et sermonibus, et scriptis allaboraverit. Quatuordecim scripsit Epistolas, gravissimis credendi, et agendi præceptis abundantes, modò ad Ecclesias, modò ad singulares homines datas. Sed nunc decimam quartam ad Hebræos secernamus à cæteris, de quâ, cùm gravior ea disputatio sit, separatim tractari est opus. Itaque tredecim, inscripto Pauli nomine, viri scilicet Apostoli à reliquis Apostolis probati, atque in suum recepti, exstant Epistolæ planè divinæ, invitis licet Ebionitis, et Marcionitis, quibus Paulus, et Pauli nomen erat odiosissimum. Has non ipse eo, quo sunt, ordine disposuit pro scriptionis tempore, sed nescio quis, qui primo Ecclesiarum, deinde personarum dignitatis, et quasi nobilitatis rationem in eâ distributione habendam censuit. Idcircò, quæ ad Romanos scripta est, primas habuit in canone, quod, cùm cæteris Ecclesiis illustrior Romana sit, æquum videretur et Epistolæ primas dari. Cæterùm cœpit Apostolus, et prosecutus est scribere Epistolas, *primam ad Thessalonicenses*, tum *alteram*, deinde *ad Galatas*, *utramque ad Corinthios*, *ad Romanos*, *ad Philemonem*, *ad Philippenses*, *ad Colossenses*, *ad Titum*, *ad Timotheum*, *ad Ephesios;* si illa quidem ad Ephesios missa præstat altera ad Timotheum, quod dijudicare est difficillimum. Argumentum epistolarum, locus unde scriptæ dicuntur, et notata sæpè adjuncta quædam indicio sunt hoc esse inter se ordine collocandas. His alteram ad Laodicenses à Sixto Senensi editam inserere, aut ullam ab Apostolo ad eosdem datam credere non possumus.

IX. De Epistolâ Pauli ad Hebræos sejunctim dicere hùc reservatum est, quòd olim non ignobiles viri ab Apostolicarum numero excerpserint, atque etiamnùm hæretici homines ejusdem auctoritatem negligant. Verùm apertæ adeò Pauli notæ, et quasi lumina quædam Apostolici animi ibi perspiciuntur, ut nemini, nisi Paulo tribui meritò posset, quanquàm taceret veterum auctoritas; quantò igitur magis cùm Græci Patres, ne repugnantibus quidem antiquioribus hæreticis, summâ id consensione tradiderint, à quibus deinde ad Latinos eadem judicatio manavit? Apostolicorum certè temporum epistola est, peritissimi autem, expertissimi, atque intimiora Mosaicæ legis penetralia olim ingressi Hebræi, ut vix fieri etiam hâc de causâ possit, quin Paulo adscribatur, non Clementi Romano, non Lucæ, non Barnabæ, quod conjiciendo potiùs, quàm constituendo Latini quidam scripserant. Quo idiomate primùm conscripta Epistola sit, parùm refert, quod ad inveniendum scriptorem attinet; perinde enim est sive Hebraico, sive Græco dicas, sive ex Hebraico in Græcum traductam; sive solus Apostolus cùm sententias, tùm verba invenerit, sive accitis Clemente, aut Lucâ adjutoribus verba construxerit, ut ii facere solent, qui in re graviore, etsi ipsi per se valeant, adhibent tamen socios ad ornandam orationem omnium judicio exercitatiores. Si tamen quis urgeret acriùs, et vellet linguæ genus dari sibi, Græcum, quàm Hebraicum autographum mallemus dicere. Jam auctoris nomen epistolæ pretium satis commendat; si enim hoc verum est, et probatum Paulum scripsisse, consequens et alterum Epistolam divinam scripsisse. Sed quisquis

demùm ad Hebræos scripserit, canonica epistola profectò est, et Luthero, qui ait audaciùs, multa auctoritati canonicæ adversari, facillimè resistitur. Româ à primis vinculis propè solvendus Apostolus epistolam dedit veriùs ad Hebræos unius provinciæ, cujusmodi Palæstina erat, non ad omnes per Romanum imperium diffusos.

X. Paulinis Epistolis septem aliæ succedunt, quas *Catholicas* appellant, quòd sint ad universos fideles scriptæ, vel eos saltem, qui ex Judæis fidem Christi susceperant, seque in omnes mundi partes effuderant; nam et posteriores duæ Joannis in idem volumen conjectæ commune nomen et ipsæ sumpserunt. Prima omnium Jacobi est, et quidem justi, alio cognomento Minoris, unius ex Apostolis duodecim, filii Alphæi, fratris Domini, Hierosolymorum antistitis. Cùm enim Jacobus auctor epistolæ sit, nequeat autem is esse Jacobus Zebedæi, tertiumque Jacobum alterum ab Alphæi filio exstitisse episcopum Hierosolymorum fingatur potiùs, quàm probetur, necesse est hæc omnia nomina Apostoli, filii Alphæi, Justi, Minoris, propinqui cum Jesu, Hierosolymitani antistitis in uno epistolæ catholicæ scriptore convenire, ut ex Scripturis etiam, et quibusdam venerandæ antiquitatis monumentis elicitur. Hæc tamen theologorum disputationibus utrinque agitari sine fidei detrimento possunt. Illud rusticè, atque arroganter Lutherus dixit, *stramineam* epistolam esse, quod, cùm non modò Calvino, et Socino, sed ne discipulis quidem suis probare non potuerit, hoc ipso iniquissimè dixisse convincitur; et ille quidem contemptor epistolæ erat, quâ sentiebat errorem suum convelli. Mirandum potiùs est in levissimas ineptias incidisse severiores quosdam criticos è Catholicis; veriti enim hi, ne temerè assentiri viderentur non usquequaque cognitis, et perspectis, indignam dixerunt Apostoli gravitate. Quamobrem unius audaciâ, et vanâ aliorum subtilitate repressis, canonicam esse epistolam, et divinam teneamus, quod ne hæretici quidem minùs iniqui non approbare non potuerunt.

XI. Ex duabus Petri epistolis, altera omnium Ecclesiarum approbationem semper habuit, altera primùm visa est dubitabilis. Primam Romà scripsit Apostolus, supposito Babylonis nomine, cui loquendi generi Judæi assueverant, deditque Hebræis ad fidem traductis; quanquàm Augustino, Thomæ, Bedæ, aliisque non repugnemus omninò Petrum Gentes quoque cum Judæis fide conjunctas allocutum; alterius fidem quorumdam vetus dubitatio non imminuit; ea item Petri est Apostolorum principis ex eâdem urbe, et ad eosdemmet, ad quos priorem miserat. Prædicet magno hiatu Lutherus cùm qui dubitaverint, tùm dubitationis causam; dispulsum satis est vel à Calvino, et Mathià Flacio Illirico, quamvis cavillatore in multis importuno, quidquid veteribus quibusdam suspicionem injecerat. Licentior est autem Grotii conjectura ex scriptoris verbis, et scriptionis tempore ducta, non Simoni Petro, sed Simeoni alteri, vel Simoni sancti Jacobi Minoris in episcopatu Hierosolymitano successori tribuendam epistolæ confectionem; non potest enim, quo magis certos fines transgreditur critica disquisitio, eo non fieri ineptior.

XII. Iterùm è tribus beati Joannis Evangelistæ epistolis prima unica est, cui ab Apostolorum ætate ab omnibus perpetuò sit creditum; quod mirum videri potest, cùm præsertim in primâ scriptor se omninò celaverit, in reliquis nomen, saltem indicium dignitatis, et officii præscripserit. Ad quos, unde, et quando missa illa sit, adeò obscurum est, ut nullis verbis illustratum iri putemus; ponimus ergo in medio Patrum atque interpretum sententias, sive habeant ii, sive careant, quo se tueantur, nihilque certi constituimus præter id unum, Apostoli Joannis esse. Reliquis vero duabus propter quasdam animi Joannis apparentes notas, et vetustissimorum gravium virorum testimonia processu temporis cæteris scriptoribus, totique Ecclesiæ probata non veremur tantum deferre, quantum priori. An idem omnium scriptor sit, subtiliùs intemperantiores quidam critici disputando nihildùm attulerunt, quo efficiant Joannem alterum, non dilectum Christi discipulum, duas postremas scripsisse. Malè enim intellecto Papiæ loco, imprudenter commune præsidium dimittunt, neminem autem proferunt gravem dubitationis suæ auctorem. Electa, cui Epistola secunda inscribitur, nobilis quædam matrona erat, parùm Epheso distans, sive eo nomine, vel cognomento, sive ita appellata, quòd esset fide, vel diaconissæ officio conspicua; nam cœtum fidelium, et Ecclesiam Electæ nomine vocatam non placet. Ita Caium, seu Gaium, cujus nomen est tertiæ epistolæ inscriptum, quis, et unde fuerit, utcumque dici potest, affirmari non potest.

XIII. Postrema Catholicarum Epistolarum scripta est à Judâ Thadæo fratre ejus Jacobi, de quo paulò ante dicebamus. Et de hoc quidem Judâ libentiùs audiremus ab altero dici, ubi fidem propagaverit, unde, et ad quos epistolam miserit, quàm, ut nos percunctaretur. Ut proto-canonica non sit, jam pridem fidelium animis exempta suspicio est, in quam ventum erat de epistolæ auctore, et dignitate; nam et de eà Hieronymus testatus est: *Auctoritatem vetustate jam, et usu meruit et inter sacras Scripturas computatur*. Id persuasum adeò est Calvino, Unitariis et Confessionis Augustanæ vindicibus, ut jam non reperiatur, qui Lutheri impudentia dicta non improbet, et consilium avertendi suos ab adhibendâ epistolæ fide. Hic rursùs imprudens Grotius est, et novitatis cupidior, qui Judam secundo Ecclesiæ seculo, Hadriano imperante, Hierosolymorum episcopum dixit, hanc epistolam edidisse; exscriptorem verò, ut in Apostolicarum ordinem, digniorumque fidem intruderet, inscriptioni apposuisse: *frater autem Jacobi*. Si licet fingere additum quidpiam, vel demptum, ut liberemur incommodis, non est, cur tantam operam in sacrarum litterarum studio ponamus.

XIV. Libros omnes novi Testamenti liber Apocalypseos beati Joannis Apostoli divinus sanè, et propheticus excipit, cujus defensione noster hic sermo con-

cluditur; et ea quidem duo, *divinūm librum, et beati Joannis Apostoli, atque Evangelistæ esse*, adeò inter se conjunguntur, ut, si alterum quis tollat, necesse sit alterum esse sublatum. Quamobrem miramur Dionysium Alexandrinum episcopum, qui contra Alogorum, et Marcionitarum errorem pro tuendâ libri fide acerrimè pugnavit, alterum ab altero sejunxisse, confessum adduci se non posse, ut Joannis Apostoli et Evangelistæ librum crederet, cùm recentiores hæretici adversùs vetustiores Dionysio Patres resistere non potuerint. Sed egregio viro illud videbatur multò absurdius, Cerinthum dici nostræ Apocalypseos inventorem, qui sua glorioso Joannis nomine somnia texerit, probanda certè nemini, nisi Joannem se finxisset. Abditissima quædam esse in Apocalypsi, tenebris circumfusa, in profundo dimersa, quæ vel sapiens desperet se extracturum in lucem, monitoris non eget res; at certa quædam capita ab optimis interpretibus aperiuntur, unde curâ, et cogitatione possit omnis ad omnem intelligentiam cognitio duci. Hujusmodi prolatis capitibus, nunc ad eorum auctoritatem nos conferimus, neque nobis sumimus difficiliora illa explicare imò verò recipimus nos in portum, atque, ut decet divinorum eloquiorum scrutatorem, quò difficiliora sunt ad intelligendum, eò diviniora credimus; ea nostræ nos angustiæ, atque imbecillitatis admonent, fidem excitant, ad orandum compellunt, in admirationem Dei consiliorum, et venerationem rapiunt, non ullam humanæ inventionis, et commenti suspicionem movent. Atque hæc sunt, quibus disputatio omnis nostra continetur.

SCRIPTURÆ HISTORIA NATURALIS,

SEU BIBLIÆ GEOLOGIÆ, BOTANICÆ, ZOOLOGIÆQUE,

EXPOSITIO DESCRIPTIVA,

(*Auctore WILLIAM CARPENTER*)

EX ANGLICO SERMONE IN LATINUM A ***, È DIOECESI BAJOCENSI PRESBYTERO, TRANSLATA.

Ecce! variis in nostris paginis arridet Creatio, suis purissimis adornata leporibus. Fluctus et venti, fructus et flores, et quidquid vivit et movet, aut mundum exornat, simul congregata inexhaustam admirationis et laudis materiem afferunt! (MONTGOMERY.)

MONITUM.

Opus quod hìc editur etsi nihil fidei catholicæ evidenter oppositum contineat, plurima tamen in eo loca occurrunt in quibus auctor, qui ad Protestantium sectam pertinet, nimis audacibus opinionibus indulget, et liberiore modo Scripturæ sacræ textus interpretatur. Hos Scripturæ sacræ textus non juxta Vulgatam, sed juxta Anglicam et quidem ad usum Protestantium versionem citat, eosque non juxta Regulam catholicam, Ecclesiæ scilicet, Patres et concilia, sed juxta aut proprium aut profanorum heterodoxorumque scriptorum sensum interpretatur. Quotiescumque igitur in hoc opere dicitur *nostra Biblia, nostra versio, nostri Interpretes* aut *commentatores*, verba ista de Anglicâ Bibliâ et versione, de Anglicis heterodoxisque scriptoribus intelligenda sunt. Cùm tamen in iis omnibus qui in hoc opere afferuntur, textibus nulla Vulgatam nostram inter et Anglicam versionem differentia intersit quæ ad sacra dogmata spectet, sed de quibusdam tantùm agatur descriptionibus aut rerum profanarum, arborum, plantarum animalium et locorum nominibus, de quibus sæpè inter ipsos interpretes catholicos controvertitur lectorem ad loca *Cursûs completi Scripturæ sacræ*, in cujus partem hoc ipsum opus ingreditur, et ubi illi iidem textus juxta legitimas et catholicas regulas exponuntur explananturque remittendum satiùs duximus.

Introductio.

Inter varia scientiæ genera quæ se inquirentium menti offerunt; nullum magis formâ allicit aut fructu delectat quàm historia naturalis, quæ inter alia præcipuum hoc affert commodum, quòd in beneficum

naturæ auctorem et conservatorem admirationem simul et pietatem necessariò moveat. Nemo enim attento animo, manuum ejus opera prosequi potest, quin in se sacros eosdem experiatur sensus ac Psalmista, cùm exclamaret : *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientiâ fecisti*, Ps. 103, 24.

Quantam in Scripturas lucem effundat hoc scientiæ genus, notum magis et agnitum est, quàm ut in eo demonstrando diù insistamus. Nisi enim quæ saltem Orientis historiæ naturalis notitia suppetat, genuinus multorum in sacris libris locorum sensus inquisitiones nostras fugiet; vel si de verborum sensu certi simus, vis tamen et gratia sermonis, proprietas quoque et accurata allusionum significatio omninò periret.

Hujus operis scopus est, modo omnium gratissimo, notitiam dare rerum ad historiam naturalem pertinentium, quæ in Bibliâ occurrunt, eâ mente ut notitia hæc Scripturis illustrandis subservire queat.

Utinam de ingenti rerum copiâ quarum à nobis mentio fiet, juxta institutum à Linnæo vel Cuvierio ordinem disserere liceret, labor noster longè facilior evaderet, et sacrorum scriptorum doctrina longè mirabiliùs explicaretur! Sed illud tam expetendum præstari nequit, eò quòd plurima Scripturæ animalia et plantæ necessariò nobis nisi imperfectè non innotescunt, ideòque ea ad aliquam horum systematum classem referre nequimus.

D. Taylor, cui recentior quisque in hâc scientiæ naturalis parte scriptor multa debet, res ad historiam naturalem in Scripturâ pertinentes in tres classes distribuit, servato triplici Moysis ordine, in suâ philosophicâ et exquisitissimâ creationis narratione. Sic habemus : 1° Geologiam, Gen. 1, 1 ; 2° Botanicam, Gen. 1, 12; 3° Zoographiam, Gen. 1, 20-26.

Ea sunt tria naturæ Regna, *animale*, scilicet, *vegetale* et *minerale*, nostris contemplationibus exposita. Quàm latè patens ordo! quàm abundans pretiosissimorum documentorum fons, et piæ meditationis materia!

Omnis natura speculum est Deum reflectens; sicut sol in mari reflectitur, qui pro nimiâ gloriâ in orbe suo conspici nequit!

Mosaicus ordo simplex est, licèt systematicus, ab inerti materiâ ad vegetationem, ab hâc ad vitam animalem, et indè ad ens intellectuale procedens.

Quæque divisionis pars in tres alias iterùm subdividitur, quæ sunt : I. Quoad Geologiam (1), 1° Terra; 2° Aer; 3° Aqua. II. Quoad Botanicam (2), 1° Herbæ; 2° Arbusculæ; 3° Arbores. III. Quoad Zoographiam (3), 1° Animalia aquatica; 2° Terrestria; 3° Rationalia.

Horum duo posteriora rursùs eo modo subdividuntur : I. Aquatica in 1° Animalculas; 2° Amphibia; 3° Volucres. II. Terrestria in 1° Animalia domestica; 2° Feras bestias; 3° Reptilia.

(1) Ex Græco γειλόγια, *tractatus de terrâ.*
(2) Ex Gr. βοτανή, *herba, semen.*
(3) Ex Gr. Ζοογράφια, *tractatus de animalibus.*

Quàm speciosa gradatio ! Sic inter se vinculis connectuntur totus ordo et series entium ! In quâdam lapidum classe, quidam inveniuntur fibrosi, laminisque vel quodam folliculorum genere coalescunt ut *ardosia*, *talcus*, *lithophytæ*, seu lapideæ marinæ plantæ, et *amianthus*, seu lapideus fodinarum flos : iis à minerali ad vegetale regnum perducimur. Infimum regni vegetalis locum tenere videtur *tuber*, cui proximè accedunt numerosæ *musculorum* et *muscorum* species, inter se *mucoribus* aut *lichenis*, quasi medio, connexæ. Plantæ illæ omnes sunt imperfectæ, et regni vegetalis propriè tantùm fines constituunt. Polypo vegetale animaleque regnum uniuntur. Ab externâ verè singularis hujus productionis specie, nihil aliud quàm plantam esse existimares, nisi in eâ animalis vitæ motus agi deprehenderetur. *Vermes* qui ad limen regni animalis stant, ad *insecta* et *testacea* nos ducunt. Hæc inter, vel potiùs his proxima adsunt *reptilia*, quæ mediante aquatico serpente, piscibus adhærent. *Piscis volans* ducit nos ad *volucres*. Struthio, cujus pedes capræ pedibus simillimi sunt, et quæ cursu magis quàm volatu fertur, quadrupedibus volucres devincire videtur. Tandem simius quadrupedibus manum dat et hominibus.

Ea est naturæ harmonia et gradatio in variis suis et, primâ fronte, incongruis partibus. Neque horrendum *vacuum*, neque abruptæ et innaturales transitiones : exquisitissimæ gradationis scala Omnipotentis manuum operationes dirigit, potentique voce sapientiam quâ duce agit testatur.

Omnipotens Deus ! Illum comprehendere nequimus ; sublimis in potentiâ et judicio est!

Antequàm ad plurimarum animatæ naturæ partium examen deveniamus, in quantum demerentur ut iis attendatur in recensendâ Bibliæ historiâ naturali, generales paucas notiones quoad earum biblicam historiam et scientificum ordinem, ante oculos ponere non erit inutile.

Quòd sublimissimum magnificentissimumque omnium cùm veterum, tùm recentiorum poematum, liber Job, modo quàm accuratissimo astruat historiæ naturalis, et præsertim regni animalis historiæ studium in latè retrò primævi mundi seculis viguisse, maximâ etiam et sedulissimâ generum et specierum curâ habitâ; quòd insuper accuratissimæ ad cæterorum animalium habitudines et mores, undique in omni Hebræorum scriptorum parte, et speciatim in Psalmorum et Prophetiarum libris sparsæ allusiones occurrant; quòd tandem clara fiat Salomonis in hoc gratissimo studio scientificæ assiduitatis mentio (3 Reg., 4, 23), arguendum est hoc studii genus in remotissimis ævis non exstitisse modò, sed et etiam diù multùmque in Ægypto, Syriâ, Arabiâque gratissimum et de more fuisse.

Jam de datâ à Moyse rerum ad historiam naturalem pertinentium divisione diximus. Est et alius ejus scriptorum locus cui attendere nos oportet, quippe qui eamdem animatorum entium regularem et systematicam ordinationem exhibet. Vide Deut. 14, 16-18, ubi

systema sic ponitur : 1° Homo ; 2° Bestiæ ; 3° Volucres ; 4° Reptilia ; 5° Pisces.

Istam in zoographicâ scriptorum suorum parte, de quâ agitur in 3 Reg. 4, 33, Salomon ordinationem sequitur. *Ipse* (Salomon) *disputavit super lignis, à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete*; *et disseruit de bestiis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus.*

Celeberrimi hujus naturalistæ systema longiùs prosequi non possumus, sed ritè concludi potest tantâ scientiâ elaboratum operis propositum, æquali judicio et arte ad finem perductum fuisse. Re ita se habente, inde nobis inferendum est non Aristoteli primùm inter philosophos in mentem venisse rerum creatarum ad methodicum ordinem adducendarum necessitatem, nec ab ipso primo opus hoc absolutum fuisse.

Alius est etiam in scriptis Moysis divisionis modus, ritualibus Judæorum legibus profundiùs connexus quàm ut illum innotatum prætereamus ; videlicèt animalium divisio in *munda* et *immunda.*

Consultè animadvertit Michaelis nos pronos esse ad habendas voces *munda* et *immunda* quasi nobis omninò ignotam animalium divisionem involventes, miraturque propterea quòd Moyses, historicum agens, cùm diluvii circumstantias describit, quod multis antè suæ legis promulgationem seculis locum habuit, de animalibus mundis et immundis loquatur, atque ita divisionem hanc illis tam remotis temporibus jam factam præsupponat. Verùmtamen nos ipsi, et certè gentes ferè omnes, hâc utimur distinctione, licèt eam iisdem verbis non exprimamus. Animalia munda ab immundis nihil ampliùs differunt, nisi quòd prioribus vescimur, non verò posterioribus. Et quòd sunt animalia non venenosa, sed perfectè esculenta, quibus tamen non vescimur, etsi ab eorum carne multi inter nos non ita abhorrerent, eâ solâ ratione quòd ad eis vescendum ab infantiâ assueti non fuimus.

Statim igitur ac innotuit nobis genuina mundorum et immundorum animalium significatio, multi errores, quorum quidam risum movent, et quorum tamen magnæ scientiæ viri non omninò expertes fuêre, subitò evanescunt. Vox *immunda*, animalibus applicata, non est degradationis epitheton. Ex omnibus animalibus homo fuit immundissimum, id est, humana caro est omnium rerum minimè esculenta, et ita apud omnes gentes, quæ inter cannibales sedem non habent, censitum est. Leo et equus sunt animalia immunda ; Hebræis tamen non magis quàm nunc nobis contemptui fuerunt.

Ad hæc notanda ex hoc Levitici loco adducti sumus, Lev. 11, 4 ; ubi admittendorum et rejiciendorum animalium regula ex distinctionibus quas in eorum pedibus natura impressit, deducitur.

I. Quadrupedes. *Solipedes*, seu animalia quæ unicam habent ungulam, ut equus et asinus, immunda sunt. *Fissipedes*, seu quorum ungula in duas partes fissa est, sunt munda ; hæc autem ungulæ fissio integra, non partialis tantùm ; realis, non tantùm apparens, et ejus exterior constitutio non minùs quàm interna et anatomica huic conformationi strictè congruere debet. Insuper, animalia quorum pedes in plures quàm duas partes finduntur, immunda sunt, ita ut eorum digitorum numerus, ut tres, quatuor aut quinque ea rejiciendi causa sufficiens sit, quantiscumque aliis dotibus polleant. Sic animalium in munda et immunda divisionis principium esse videtur eorum pedum conformatio. Ruminatio quoque distinctionis est signum ; sed istud signum absque jam prænotatis, magis obviis et evidentibus, ex conformatione eorum petitis, lineamentis, nihil omninò prodest.

II. Volucres. Nullum peculiare eas in mundas et immundas dividendi signum datur : adest tantùm quædam exceptionum series quoad eas quæ prohibentur, non enumeratis quæ permittuntur. Notandum est non prohiberi quæ granis pascuntur, et hæ, cùm sint domesticæ species, id etiam aliis verbis exprimere possumus eo modo : prohibentur generaliter aves prædones, id est, quibus est aduncum rostrum et valido tali, sive volucres, sive bestias, sive pisces prædentur ; dùm è contra ut legitimæ admittuntur quæ vegetalibus vescuntur. Ita, in certo gradu, eadem de volucribus, ac superiùs de animalibus regula ponitur.

III. Pisces. De iis quoque simplicissima à Moyse statuta est distinctio : quibuscumque pinnulæ sunt et squamæ, ii sunt mundi ; cæteri omnes immundi.

Quoad istam distinctionem, notat D. Taylor, pennas analogiam dicere ad terrestrium animalium pedes. Sicut igitur sacer legislator distinguendorum animalium regulam ex eorum ungulis et unguibus sumit, ita statuit pisces, quibus aperta non sunt distinctaque membra ad loco movendum apta, immundos reputandos esse ; dùm è contra mundi sunt qui pennulas habent, dummodò quoque squamæ adsint.

IV. Reptilia et insecta generaliter prohibentur, Lev. 11, 20. Excipiuntur tantùm insecta pennata, quibus cùm sint crura quatuor ad ambulandum, sunt etiam duo ad saliendum super terram longiora crura. Hoc ad genus pertinent locustæ, quæ in quatuor suis existendi modis mundæ declarantur, communeque alimenti genus in Oriente habentur.

Id est ab antiquo Judæorum naturalistâ admissum, quoad animale regnum, divisionis systema. Quibus innitatur momentis inquirere nostrum non est. Ratio credendi est ea diversi generis fuisse ; sed probare promptum foret ea in accuratâ naturæ animalis creationis notitiâ fuisse innixa, et, sub quodam respectu, ex diæteticalibus et moralibus considerationibus inducta.

De hâc primâ hujus divisionis parte notat Michaelis : *Si in tam primævâ mundi ætate*, ait, *adeò egregiam systematicam divisionem invenire est, ut ea post tot et tanta historiæ naturalis incrementa, non modò non obsoleverit, sed è contrario utilis adhuc à maximis scientiæ magistris habeatur, non nisi verè mirabilis existimanda est.*

His quoque principiis plùs minùsve innixus fuit ferè quisque in scientiâ naturali posteà institutus ordo methodicus. Systemata Ray, Linnæi et Cuvierii celeberrima sunt.

PARS PRIMA.

GEOLOGIA

..... Jube Atlantem, qui, ut fingunt poetæ, cœlum sustinet, suas effundere subterraneas opes! Pande, eas luci aperiens, metallicas Abyssiniæ montium, quibus compelluntur nubes, et declivium montium lunæ cavernas! Qui superas giganteos omnes hos terræ natos! — Horrendæ Andes, quæ à radiante lineâ ad procellosa maria, circa meridionalem polum, tonitruum instar, mugientia, consistunt, horrida sua explicent latera! O stupendum spectaculum!

Vox *Geologia* à *γῆ*, *terrâ*, et *λόγος*, *verbum*, aut *sermo*, definiri potest *tractatus de terrâ*. Directus hujus scientiæ scopus est solidam terræ substantiam explicare, quibus causis plurimæ ejus partes aut concinnatæ aut disturbatæ fuerint detegere, atque unde generalis materiarum ejus stratificatio, externæ ejus faciei asperitas, immensaque corporum quibus coalescit varietas exortæ sint.

Nostri non est operis topicas has ex ordine prosequi formas, sed iis quædam sunt res connexæ, quas, propter intimam suam cum sacris Scripturis connexionem, nobis præterire non licet.

Controversiam quâ olim Græcæ scholæ exarserunt de materiæ æternitate et spontaneâ atomorum formatione rursùs excitare necesse non est. Adversùs influxum principiorum morali hominis felicitati adeò infestorum stant adhuc Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, et cæteri. D. Cudworth, in suo *verum intellectuale Systema mundi* suæ vitæ meliorem partem in producendis veteribus illorum argumentis, additis quæ recentior præstat litteratura, consumpsit, eâ mente ut hujus ævi liberè sentientes penitùs dejiceret. Moralistæ, poetæ, Ecclesiæque ministri ipsum suis laboribus de se benè meritum esse confitentur. At arma induere veritatem adhuc necesse est. In revelationis doctrinas gladium semper exerunt bellicosæ hominum libidines. Nunc et deinceps novus latus nostrum urget hostis, cupiens nos insidiosos suos conatus non animadvertere, quin nos in fronte ferierit. Iste sub scientiæ amictu accedit, nostrasque aures ut rationis et veritatis amicus obtinet. Cum verò in nos aliquid philosophiâ suâ profecit, et eloquentiâ placuit, sensim in hoc æternum quod rupibus et promontoriis Oceanus bellum indixit, et in incommensurabile nostrorum continentium durationis tempus irrepit.

Porrò, si ejusmodi doctrinæ starent, et ex terræ characteribus, legitimis deductionibus, profluerent, Moyses erraret, mundique originis ignari forent veteres patriarchæ; insuper nugatoria essent revelationis jura et populorum credulitati imponerent. Nisi igitur naturæ historia argumenta suppeditet, mentique mille ad convincendum aptis vocibus loquatur; nisi terra ipsa comparativè juvenilis existentiæ chronometros præstet, nil ampliùs nobis agendum quàm ut victi et silentes, palmâ in infidelium manibus derelictâ, recedamus. Si enim materia verè sit æterna, ens, cui gloriam creationis referimus, à materiâ dependet, nec diutiùs liberum est, sed necessariò agens; nec jam adorandum, utpote quod jam nec exaudire nec salvare potest.

Atverò oppositum prorsùs de christianâ fide est. Nos credimus Ens supremum solum esse æternum, ab omni creaturâ independens, et infinitè in se beatum. Creationem arbitramur voluntariam bonitatis ejus effusionem, ut mentes intelligentes in ejus operum contemplatione et ejus gratiarum possessione felices esse possent. Nos creationem admiramur ut Creatorem adoremus. Totam naturam ejus perfectionibus plenam videmus. In Creaturarum immensitate formarumque varietate Dei sapientiam prosequimur, qui in cujusque creaturæ formatione, et causarum cum effectibus connexione, omnes agendi possibiles modos ante oculos habuit, optimumque in cunctis casibus elegit. Præviso torridarum zonarum solari influxu, ille refrigeros fructus ad alleviandos febrium æstus, et auras propemodùm continuas ad refrigerandum aerem providit. Ipse camelum superiore stomacho donavit, in quo aquæ supplementum haberet, dùm æstu succensa deserta peragraret. Non minùs de septentrionali frigore sollicitus, cibos homini solidiores, calidissima ovibus, quas delectant colles, lanæ vellera, mollem et obviam myricam bestiis quæ inter rubos degunt providit. Quæque creatura in minerali, vegetali animalique regnis simili modo ejus sapientiam, bonitatem et providentiam revelat. Inde fit ut nihil incrementi, ne minimum quidem naturæ operibus addi possit: nam quæcumque perfecit Dei dextera, vel minimum incrementi modum ab humano ingenio non recipient unquàm.

Magnum itaque et stupendum fidelem et credentem inter et incredulum discrimen! Merè geologista, dùm fodinas et abyssos naturæ contemplatur, dùm præcipitum collium lapsum attendit, dùm imaginaria continentium nunc existentium casûs, et novorum consequenter in locum veterum è sinu maris surrecturorum idea ei timorem incutit, ipse in sui sepulcri abyssum oculos conjicit, sepulcrum in quod jamjàm casurus est, non surrecturus; christianus è contra totam naturam lætis oculis et hilari vultu percurrit. Cùm hic minerale regnum opibus abundare videt quæ neque vegetali, neque animali regno, suo in genere, cedunt, ipsius menti subit, Deum, qui hæc omnia

suo *fiat* effecit, infinitè suis operibus esse gloriosiorem (1).

Ex inquisitionibus quæ de solidâ terræ crustâ factæ sunt, quantùm altè intùs penetratum est, evidenter patet *rudimentalem* orbis materiam in ejus primævissimo tempore sub unâ confusæ et liquidæ molis formâ exstitisse, eam postea progressivâ operationum serie et uniformi legum systemate, quarum magis obviæ videntur *gravitatis* et *crystallizationis* leges, separatam et *organizatam* fuisse; eam quoque terribili quâdam commotione convulsam disturbatamque, et inundatione quæ omnem regionem amplexata est, magnamque organicæ et inorganicæ creationis partem in promiscuam molem rursùs projecit.

Inde Plutonicæ et Neptuniæ hypotheses, quarum prior mundi originem in suo præsenti statu ignis fusioni ascribit; posterior verò aquarum solutioni. Utraque hypothesis ab antiquissimis ævis excogitata, utraque ingenti æstu et argumentorum plausibilitate cùm veteribus tùm recentioribus temporibus discussa fuit. Præcipui Plutonicæ hypotheseos in recentioribus ævis propugnatores D. Hutton, professor Playfair et sir J. Hall. exstiterunt; sed iis vehementissimè obluctati sunt viri summæ auctoritatis Werner, Saussurius, Kirwan, Cuvierius et Jameson quibus generalis accinit virorum scientiis addictorum consensus.

Ex his systematibus Plutonicæ forsàn veriùs audaciæ conceptuum et illimitati consilii laus deferretur : in multis enim ex suis modificationibus non tantùm de præsenti terræ, sed et de totius mundi statu rationem reddere intendit, hypothesimque struit quâ planeta quæque, aut quodque planetarum systema in infinitum, et fortè in æternum, perpetuâ *instaurationis* et *libramenti* serie produci potest.

Huic systemati Neptunium adversâ fronte pugnat. Terram solummodò et præsentem ejus faciem tantùm amplectitur, genuinam rerum originem in aquarum actione resolvit; dùmque ignes subterraneos ad certum extensionis gradum existere, et plurima phænomenum quibus maximè afficimur, ex hâc ordinatione fluere posse admittit, hanc tamen ordinationem solam esse vel universalem præsentis rerum statûs causam, eamque ad id efficiendum competentem fieri potuisse, peremptoriè negat.

Huic theoriæ propter ejus generalem cum Scripturarum geologiâ concentum, præcipuè et libentiùs adhæreremus. Mosaica enim narratio, audacibus et in sublime raptis alis latè immensam solaris systematis, si non totius mundi, amplitudinem pervolitat, et in suâ simultaneæ ejus systematis originis historiâ, geologiæ præcipuè insistit, quippe quæ nostrâ majoris interest. Atverò quantùm ad hanc doctrinam attinet, Moyses satis strictè Neptuniæ hypothesi consonat, amplissimo naturæ libro, in quantum nunc pervolvitur. Narratio ejus ab initio tria ponit distincta facta quæ sibi in mundi visibilis origine regulari serie successerunt. Primò *absolutam creationem*, tanquàm in oppositum ad meram cœli et terræ remodificationem, quæ primum in processu creationis gradum constituebat. Secundò, *terræ statum*, quando primariò sic è nihilo educta est, qui informè et indigestum chaos erat. Et tertiò primos indigestam hanc molem in ordinis et harmoniæ conditionem adducendi conatus. *In principio*, ait sacer historicus, *Deus creavit cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei movebatur* (1) *super aquas*, Gen. 1, 1.

Ad id igitur necessariò sumus adducti, ut inferamus informe chaos primâ, quam post suam è nihilo eductionem, mutatione subiit, in universam aquosam solutionem conversum fuisse, utpote quòd suam primariò super aquarum faciem divinus Spiritus operatricem potentiam exercuit. Deinde edocemur hanc chaoticam molem formam induisse, non actutùm, sed intra sex distinctorum dierum, seu generationum, id est, epocharum, ut postea eas vocat Moyses, seriem, Gen. 2, 4; et probabiliter ope institutarum quibus nunc regitur gravitatis et crystallizationis legum.

Tradit Moyses primâ die, seu generatione, evolutam fuisse, quæ juxta gravitatis leges primùm evolvi debuit, lucis et caloris materiem, omnium materiarum subtilissimam, tenuissimamque, per quam solummodò sol agit, semperque in terram cæterasque planetas egit et quæ identicæ esse possunt quibus ipsius essentia (2) constat substantiæ.

Tradit etiam ex luminosâ materiâ sic evolutâ lucem absque solis et lunæ auxilio, quæ in cœlo firmamentove nondùm appensa, nec, usque ad quartam diem, vel generationem, legibus subjecta fuerunt, prodiisse; lucem ita productam quasi per æstus profluisse, et ita alternis intermissam vicibus, unam tantùm diem et unam tantùm noctem ex unaquâque harum epocharum generationumve, quæcumque fuerit earum duratio, quâ de re nulla nobis adest notitia, effecisse.

Tradit quoque secundâ die aut generatione subtiles liquores, seu *fluidos*, vel, ut poeticè et pulcherrimè dicuntur, *aquas firmamenti* progressivè altam petivisse, et æthereum cæruleumque vacuum vitali atmosphærâ replevisse.

Tertiâ die aut generatione, aquæ propriùs sic vocatæ, seu crassiores et compactiores fluidi generalis molis separatæ sunt, et unà in vasto Oceani gurgite congregatæ. Tunc apparere cœpit arida, detectis cacuminibus, aut altioribus primitivorum montium locis. Ita incœpto actutùm ab inorganicâ materiâ ad vegetalem organizationem progressu, terræ facies, tam quæ supra aquas quàm quæ sub aquis, plantis et herbis suum proprium semen juxtà suas proprias species ferentibus, operta fuit; sicque basis substrata est carbonaceis iis materiis, vegetalium substantiarum reliquiis, quæ in quibusdam stratis aut formationibus è classe primitivarum rupium, quæ sunt omnium infimissimæ, identidem occurrunt, quin ipsis ne minimâ

(1) Sutcliffe, *Introd. ad studium Geolog.*, p. 4-6.

(1) Vulgata : *Ferebatur.*
(2) Herschel, *Phil. trans.*, vol. 84.

quidem animalium reliquiarum particulâ intermixta appareat.

Tradit insuper Moyses quartâ die aut epochâ solem et lunam, cùm tunc completa forent, in firmamento collocata fuisse, solare systema perfectum, ejus statutas leges, cœlestemque planetarium moveri incœpisse; unde regulares signorum et æstatum, dierum et annorum vicissitudines primâ vice potentem suum concentum ediderunt.

Quinta verò periodus aquaticarum volucrum et innumerabilium quæ in aquis vivunt creaturarum tribuum productioni exclusivè fuit impensa, et consequenter infimorum vitæ animalis ordinum formationi, testaceorum scilicet, vermium, corallorum et aliorum zoophytorum, quorum solummodò in secundæ classis rupibus, seu transitionis formationibus, et faciliùs adhuc in tertiis, seu horizontalibus formationibus reliquiæ deprehenduntur. Hæc enim sola tunc creata fuerant animalia, cùm aer, aqua, summaque altiorum montium cacumina solam terræ tunc habitabilem partem constituerent. Unde patet servatâ adhuc magnâ eâdem et exquisitâ gradatione, sub hujus periodi finem, cùm aquarum moles tota in præparatum sibi locum satis recessisset, sextam et ultimam periodum terrestrium primò animalium et postremò quasi *totius* partis præcipuæ, hominis formationi fuisse impensam.

Sic igitur juxta progressivum ordinem prodiit stupendum mundi systema. Natali ejus die, lucida astrorum matutinorum caterva certatim applausit, et æternus Conditor perfectum suum opus, in eò complacens, respexit, dixitque *quòd esset bonum* (1).

Nunc nobis notandæ sunt desolationes, mutationes, novæque formationes quas in superficie et superioribus terræ stratis universale diluvium exercuit.

De ipso diluvio ultra omnem dubii possibilitatem certi facti sumus. Sola ejus demonstrandi difficultas rationum superabundantia est. Illud simul astruunt sacri profanique scriptores, quantùmvis data ab istis obscurata sit et adulterata narratio. Plutarchus in suo *de animalium Industriâ libro*, de arcâ simul et columbâ loquitur. Quæ ab Ovidio traditur de aquarum inundatione, quæ, regnante nomine Deucalione (2) totam Thessaliam submersit, et ex quâ rex et uxor ejus in monte Parnasso salvi facti sunt, narratio, confusa Mosaici diluvii et partialis cujusdam inundationis traditio esse videtur.

Montes non modò operuit diluvium, sed in altissimis etiam cacuminibus, quantùm nives nos ascendere sinunt, stratificationes reliquit. In Switzerland, ut asserit comes de Saussure, marinæ petrificationes non excelsiùs occurrunt quàm 2800 pedibus supra mare, in cavernis autem ad altitudinem 1200 pedum: ibi insuper collium vertices aquarum devastationes signis generalem assensum rapientibus exerunt.

Hujus prorsùs inexpertæ catastrophes causa moralis, extremæ et inemendabili hominum antidiluvianorum malitiæ omninò ab Hebræo historico ascribitur. Et verò quid magis decebat divinas perfectiones, cùm universalis esset apostasia, cùm omnis caro corrupisset viam suam, cùm magnatum filii filias pauperum rapèrent, cùm terra violentiis impleretur, cùm prophetia Enoch et translatio nihil profecisset, cùm Noe prædicatio et arcæ constructio contemptum magis quàm pœnitentiam moveret; quid, inquam, Dei perfectiones magis decebat quàm, unâ servatâ quæ à recto non defecerat familiâ, impuros terræ habitatores aquis mundare?

Causa verò physica à doctore Halley, et duobus aliis tribusve astronomis proximiori ad terram cometæ accessui attribuitur, quæ, ut D. Whiston sentit, in ecliptici faciem delapsa est. Istis theoriis et hypothesibus opponi possunt difficultates prorsùs insuperabiles. Cur tanto temporis lapsu, non redierit et sæpè redierit eadem cometes? Cur alluviarum terrarum strata numerosiora inveniantur quàm pro maris æstibus qui, intra breve spatium temporis quo terra in cometæ vicinio remansisset, locum habere potuerunt? Illud innotatum præteriri nequit, hominem scilicet, qui sedato animo præscriptas Oceano metas investigatur, definitosque et certos in fluxu et refluxu maris gravitatis gradus, nunquàm ad id adduci posse, ut sibi persuadeat prodigiosos aquarum æstus, quibus devastatus est vetus mundus, ad supereffluendos montes absque speciali Dei naturæ mandato attrahi potuisse.

Veteres Rabbini, quos maximè sequuntur christiani Patres in commentandis his Moysis vocibus: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*, latentium aquarum eruptionem supponebant, quibus terræ facies ad altitudinem montium operta est. Sed ejusmodi aquarum incrementum nedùm terram, ut illam nunc reperimus, stratificasset, immensâ è contrario pressurâ ejus superficiem duravisset. Recedente enim æstu maris, ubique arenæ, non ampliùs tamen quàm quadraginta aquæ pedibus prementibus, adeò compactæ sunt, ut vix in eis citato cursu equus ungulam imprimere possit. Consequenter, prodigiosorum tantùm aquarum æstuum fluxus refluxusque sola videntur esse theoria quâ naturæ studentes terræ stratificationum rationem reddere possint. Et verò, cùm luna nunc æstuum varios regit motus, si conjecturis indulgere liceat, existimari potest Deum, qui mediis semper maximè obviis et facillimis utitur, mundum, auctâ orbitæ lunæ ellipticitate, aquis submergere voluisse.

Mosaica diluvii historia à Lightfoot, qui in Hebraicis litteris Rabbinis impar non erat, sedulò fuit examinata. Integra diluvii duratio, juxta illum, unus solaris annus fuit; quadraginta sex hujus temporis dies in afferendis quæ ad hominum et animalium in arcâ concludendorum victum erant necessaria, septem verò in inducendis intrò bestiis et pecoribus, expensi fuerunt.

(1) Good., *Lib. nat.*, series 1ª, sect. 6.

(2) Etymologia nominis Deucalionis ex δευτερὸς, *secundus*, et καλέω, *vocare*, societatis sub patriarchâ Noe restaurationem importat. Mos erat apud veteres gentes nova principibus dandi nomina, magnorum eventuum significantia; qui mos non omninò obsolevit. Deucalionis et uxoris ejus in Parnasso mansio nihil aliud est quàm confusa mansionis arcæ in monte Ararat mansio.

Pluere cœpit decimo octavo die mensis Hebraici marchiesvan, et quadraginta continuos dies pluviæ ceciderunt. Dùm plueret, tenebrosissimam fuisse atmosphæram existimare licet, cùm postea promissum fuerit, *diem et noctem non ampliùs requieturas*, Gen. 8, 22. Dies centum et quinquaginta creverunt aquæ : decrescere verò cœperunt primâ die sivan, centumque dies et viginti decreverunt. In eo igitur Dei consilium, non verò accidentalem cometæ accessionem detegimus quòd Noe messis ante pluvias colligendæ tempus concessum fuerit; et ex arcâ egredi jussus sit eo ipso anni tempore quo, aquis recedentibus, semina in proximum annum succedere poterant.

Naturæ mutationes et devastationes vi fluctuum impetuosæ apprimè congruunt. De hoc inter viatores et geologistas omnes convenit, quòd in quolibet continente et insulâ montes, colles et declives campi terrâ innumeris in locis nudati existant, asperique et nudi relicti; multæ rupes ab audacioribus montibus et prostantibus promontoriis abruptæ, longo ab altis cacuminibus ad quæ pertinebant olim, intervallo jacent; fluctuum fluxus et refluxus tanto impetu in promontoria et audaciora littora acti fuerunt, ut bases eorum pluribus in locis subederint, partesque ita subrutæ in mare præcipites ruerint, relicto in locis unde cavernis et fissuris disruptæ fuerant, murali et horrendo gurgite, ad obluctandum in futuras generationes incessantibus Oceani insultibus.

D. de Saussure calcariarum montis Brezon in Switzerland rupium gurgitem quasi celeberrimum simul et horrendissimum quem viderit unquàm descripsit, atque aquarum actionem ducentos sex pedes supra Genevensis lacûs faciem prosecutus est. Episc. Pontoppedon, in suâ Norway Historiâ, scribit aquam circa rupes generaliter trecentas quadringentasve orgyas altam esse. In Floge-Creek, addit ille, imum attingere nequit linea mille orgyarum. Nordall-Creek nongintas orgyas alta esse refertur; alterique alii Norway sinus, qui ad decem leucas in terram se immittunt, semper trecentas quadringentasve aquæ orgyas habent. Ima quoque horum sinuum pars terræ quæ in montibus, vallibus et asperis rupibus invenitur similis est. Plurimi ex nostris Anglicis navigatoribus idem nobis referunt de occidentalis Americæ septentrionalis plagæ sinibus, et in ipso quoque Nootka Sound vicinio. Quàm terribilis et horrenda ipsa etiam sola diluvii aquarum ex tam altis promontoriis proruentium idea! Quàm profundos abyssorum gurgites ipso suarum cataractarum impetu excavaverunt! Notandum est tamen omnes has disruptas et immotas rupes in eodem prorsùs statu à diluvio permanere : mare enim, ut ex historiâ topographicâ patet, nisi in promontoria et littora mollioribus terris composita, parùm processit.

Inde igitur fieri debuit ut quæcumque terræ partes impetu aquarum è quodam loco fuerunt abreptæ, eas in alio fuisse depositas. Ea est immutabilis Oceani lex. Unde unus æstus glaream et marinas exuvias, vi fluctuum, qui in littus volvuntur, jam abruptas attulit, alter arenam, tertius argillam. Sed, quamvis omnia alluvia strata ex veterum terrarum detritu coalescerent primariam tamen formationem permixtione iterabant. In varias nempe silicum, rupium margarum et mineralium species convertebantur, dùm alia, quæ in terras neutraliores ceciderant, in suo primitivo statu remanserunt. Ita etiam altissima terræ strata aquis ascendentibus, superposita sunt; argillosiores verò terræ gradatim recedentibus et dilabentibus aquis. Hæc diù continuata aquarum actio et depositio tutam ad exponendas has omnes conformationes et heterogeneas moles, quæ in plerisque alluviæ terræ partibus occurrunt, regulam subministrat.

Hæc opinio, scilicet profundiora alluvia strata crescentibus aquis superposita fuisse, nobis adjumento est ad explicandum carbonis fossilis depositum. Est enim, omnium assensu, vegetale fossile, ipsiusque stratorum nitor convincentissimum argumentum præstat, illum olim in aquis maris fluitâsse. Quem si analysi subjicias, ligneum carbonem præcipuam ejus essentiæ partem constituere senties. Acidulas aquas, bitumen hydrogeniumque in variis gradibus continet. In ejus ad comburendum aptitudine et cineribus agnosci potest ista ex vegetalibus origo. Species vocata *bovey coal*, et ille qui acriter urit et in albos cineres absumitur, ligneas fibras exhibet. Argilla, substantiæque animales, quæ moli necessariò sunt immixtæ, in ejus propriam substantiam, ut in cæteris naturæ permixtionibus accidit, converti debuerunt. Color ejus à ferro deducitur, quod vehementissimè attrahit, nec de eâ re dubium attendenti cuilibet quanta sit in omnibus vegetalibus contenta ferri copia, quantâque vi minerale hoc quoscumque colores in nigrum permutet. Variæ fossilis carbonis species, sive gagata, sive communis, sive *cannele*, ex variis lignorum generibus, vel ex contiguis terris distingui videntur; sed bituminosissimæ speciei major evidenter inest animalium substantiarum copia, quæ etiam in aquis fluitârunt.

Fluitantium lignorum, à diluvio eradicatorum strues, radicibus et ramis implicatæ, vegetaliumque tam à marinorum quàm terrestrium aggregationibus auctæ, haud dubiè, aquis recedentibus, in his quietis terræ partibus superstratæ sunt, ubi sua mari deposita linquere placebat. Illud apertè patet ex stratificatione terræ supra et infra carbonem fossilem, et ex artificialibus operibus quæ in massâ aliquando sunt inventa. A Pennante traditum est lapideam securim à vetere Gallo in fossilis carbonis strato repertam esse. Nemini dubium quin hæc securis in aliquâ posita fuerit arbore, deinde hùc ab Oceano allata. Ubicumque stratum inferius horizontale est, carbo est horizontalis; ubi verò inclinatum, ut plerùmque, carbo quoque est inclinatus; atverò ubi rupibus asperum est, inæquali etiam lineâ jacet carbo, et est in moles abruptus. His in locis subitò fossor amittit stratum, quod tamen effossâ circùm terrâ rursùs apparet.

Atverò, dicet aliquis, carbo fossilis sæpè jacet altè, longèque infra maris faciem, et quidquid plantarum herbarumque unus æstus in sinibus deposuit, proximo sequenti æstu rursùs sublevatur et pro maximâ parte

inde aufertur. Propè Newcastle-in-Tyne, præcipua *Montague* fodina carbonica ampliùs quàm centum et viginti orgyas à superficie demissa jacet, septuagintaque et quatuor stratis cooperitur. Staffordshirensis carbo declivior, et superfaciei propior adest. Quàm profundum descendat carbo non novimus, quippè fodinæ non magis quàm septuaginta orgyas in altum excavantur.

Omnes istæ considerationes difficultates magis quàm objectiones habendæ sunt. D. Sutcliffo, dùm Staffordshirensis carbonis situi studeret, in mentem venit solutio hæc, quæ satis esse accurata videtur. Primò, fluitans ingens vegetalium et lignorum, radicibus et ramis, perpetuis fluctuum undulationibus inter se perfectè implicatorum strues, molli in areâ, quam præcedens reliquit æstus, deposita est. Secundò variæ ericeæ plantæ, quibus majorem ferri copiam nullæ aliæ continent, simulque cætera cuncta vegetalium genera, et sæpè etiam substantiæ animales inter arborum truncos delapsa sunt, ita ut molem effecerint, vehementerque radices et ramos in molli solo compresserunt. Inde proximè sequens æstus indicibili impetu recedens, et, quantùm aqua ferre potest, turbidus, vegetalem massam sibi concatenatam et jam terræ adhærentem, sublevare nequibat, donec aquæ notabiliter in littus, quod quarto quoque fluctu unum *yard*, ut hìc accidit, in aquis immergebatur, processerint. Interea, turbida materia, dùm quietam molem radices et rami continerent, tam celeriter depositum reliquit ut, antequàm satis ascenderint aquæ ad sublevandam struem istam, moles his in circumstantiis, ferè actutùm et subitò, incumbenti strato, penitùs coacta compactaque fuerit. Alterum stratum proximè sequens æstus superposuit, et quisque tertius, quartus aut quintus æstus novam adduxisse lignorum classiculam, eamque in occidentali montis latere, ubi, ut in casu præcedenti, compacta facta est et strata, reliquisse videtur. Eo modo, quantùm tremendas diluvii operationes prosequi licet, in brevi decem leucarum spatio, quinquaginta sexagintave carbonis strata inter Burslem et Nawcop superposita fuêre, immensus futuris ævis thesaurus. Stratificationum numerus inter unumquodque stratum, forsan quot æstus in primitivum hunc montem ante cujusque classiculæ accessum voluti fuerint indicat. In orientali ejusdem montis clivo, unde cursum suum ducit Trent amnis, oppositam viam invadit carbo, omni loco varius, pro aquis ablutis littoribus, in quibus lignum depositum fuit. Quàm igitur exile est quod asserit D. Kirwan carbonem fossilem esse creationi coævum, quia ipsæ calcariæ rupes viginti septem ex centum carbonis partibus continent. Haud dubiè cunctæ *coal* familiæ, carbonis expertes, et verè ardosiariæ, turbidis diluvii depositis copiosè immixtæ sunt.

Nunc attendendum nobis est ad naturales formationes in alluviâ, seu recens stratificatâ terrâ, in quam plenâ vi omnes affinitatis et attractionis leges egerunt. Notandum est tamen multa ex iis quæ vi diluvianâ superstrata sunt, ut rupes, silices, mineraliaque, cùm jam formata essent, primariorum stratorum, mutationis expertium, contactu esse detrita. Nihilominùs heterogeneæ moles, partium quibus constabant conflictu innumeras formationes effecerunt: etsi enim vi minori quàm in primâ creatione pollerent, in agendo tamen eædem permansêre. Aquæ inter quodque stratum illabentes, subterraneos sibi alveos excavaverunt, atmosphæricusque aer his rivulis ubique intensus, terræ crystallizationes adjuvit. Naturalis quæque substantia in concretam massam hoc conflictu coalescere debuit, totaque alluvia congeries, colorem, qualitatem, characteremque mutare, et varias induere species. Novis granulis ex omni parte et quâlibet formâ silex accrescens eorum colorem, ut in primis formationibus, induit; maximè calcariæ massæ in varias calcariorum lapidum species concrevêre, dùm alumen maximè *neutralizatum* colores qualitatesque suas, pro additâ sibi circumjacentium substantiarum parte, variavit. Omnia igitur hæc, latentis caloris extensione et humoris diminutione in massas, quales nunc existere inveniuntur, fissuris confracta sunt (1).

At recentiorum geologistarum inquisitiones sacram historiam non tantùm quoad terræ originem et universale diluvium, sed et etiam quoad terræ ætatem abundanter confirmârunt. Proximè, postremo seculo, et paucos equidem abhinc annos, plurima geologica phænomena ab inquisitoribus, summa tantùm rerum delibantibus, habita sunt quasi indicia ad probandum orbis quem incolimus creationem multò remotiorem esse quàm ex historiâ sacrâ discimus. Imò iidem theoristæ hucusque procedunt ut mundum ab æterno existere profiteantur. Quæ opiniones tamdiù tantùm stetêre, quamdiù geologia fuit in infantiâ. Successivus quisque in hujus scientiæ progressu gradus earum falsitatem evidenter patefecit. Ex recentiorum verò et accuratiorum philosophorum investigationibus patet, non omninò tamen demonstratur, terram, saltem in suo præsenti statu (2), non anteriùs quàm ex Mosaicâ narratione constat, existere potuisse. Absolutè falsas esse multas assertiones positivas, et speciosas illationes, scripturali chronologiæ hostiles, evictum fuit, atque inde novum ad confirmandam libri hujus, qui antiquissimam omnium et maximi momenti historiam continet, authenticitatem, præsumptivum prodiit argumentum (3).

(1) Sutcliffe, *Introd. ad Geolog.*, p. 20-29.

(2) D. Faber ut obviam iret quorumdam nostrorum geologistarum objectionibus, quæ ex fossilibus phænomenis in terræ stratis occurrentibus desumuntur, asserit semiurgicos sex dies immensæ incertæque durationis periodos fuisse, intra quas magna quædam accidit revolutio, cui stratorum horum, magis quàm Mosaico diluvio attribuenda est origo. Tract. *de tribus Dispens.*, lib. 1, cap. 3.

(3) Hirwani *geologicæ Prælusiones*; Milleri *Retrospectio* à Shaw citata; *Panorama naturæ*, p. 14. — D. Townsend in suis *geolog. et mineral. Inquisitionibus*, nobis egregia exhibet plurima geologica chronometra, deltas scilicet, lacus, freta, arenas mobiles, montesque in pulverem resolutos. Ex his chronometris quæ effectibus consistunt causarum notarum, ab

CAPUT PRIMUM.

LAPIDES.

..... *Sterilis ipsa rupes, te irrigante, in tenebroso recessu lucidum format lapidem. Tuos purissimos radios ebibit igneus* ADAMAS, *lux coalescens, compacta...... Tibi lucet rubicundus* CARBUNCULI *splendor, undantique luce fulget intùs. Ex te* SAPPHIRUS, *solidus aer, cœruleum suum colorem sumit; atque vespertino rubore, purpuram volvens* AMETHYSTUS, *tuus est. Te arridente, flavus ignescit* TOPAZIUS. *Non viridiori colore veris amictus, ubi primùm illum australibus auris permittit, tingitur, quàm viridis* EMERALDUS.

(THOMPSON.)

Nostri propositi non est variam atque supra modum diversam vocis Hebraicæ ABEN, *lapis*, in sacris Scripturis applicationem notare, nec nostrum est recensere plurimos usus ad quos lapideæ substantiæ à Judæis populisque finitimis adhibebantur. Illorum tantùm lapidum examini incumbemus, de quibus specifica fit in Bibliâ mentio, nobisque dolendum est de angustissimâ quam de ferè iis omnibus notitiâ habemus. Cùm paucæ sint eorum species, et difficillimè ad identitatem adducantur, scientificum ordinem non tentabimus, sed in alphabetico sistemus.

ADAMAS.

Istud est unum ex nominibus pretioso huic lapidi datis; sed ex locis Scripturæ ubi de *shemir* agitur, Jer. 17, 13, Ezech. 3, 9, Zach. 7, 12, illud tantùm colligere possumus, scilicet, illum esse durissimam substantiam. Existimat Scheuchzer illum esse *smirim*, de quo ad insculpendum, expoliendum, aliosque duros lapides et vitra secandum (1) utebantur.

ACHATES.

Vox *shebo* in Exodo tantùm reperitur 28, 19, et 29, 12. In eo satis generaliter concordes sunt interpretes quòd achatem indicet, quæ nomen ab Achates amne, in Siciliâ, habet, in cujus viciniâ magnam ejus lapidis copiam obtinebant veteres.

Achates lapis est semi-perlucens è quartzorum familiâ, in quibus, ait Lamy, sibi ludere natura videtur cum variis quas in ipsis imprimit rebus. Notissimum est achatem speciem mutare vel in infinitum variare; libentiùsque existimat Parkhurstus vocem *shebo* esse posse speciei nomen ex hâc circumstantiâ sumptum, quasi diceretur *varians*.

Notandum est achatem non esse, ut putant quidam scriptores, merum et simplex minerale; constat enim variis quartzorum familiæ speciebus intimè secum commixtis. Ex istis mineralibus aliquando duo tantùm, aliquando tria aut ampliùs in eâdem achate occurrunt, et ideircò numerosissimæ sunt ejus varietates. Aliquando mirabilissimæ sunt figuræ quæ ex his permixtionibus exoriuntur, sed quibusdam in casibus varietates hujusmodi opus esse hominis suspicamur. Unam memorant in ecclesiâ S. Marci, Venetiis, quæ regis capitis, superaddito diademate, speciem exhibet. In alio vir in currentis habitu exhibetur. Sed omnium celeberrima ista fuisse videtur, ait Bingley, quæ novem Musarum, medio stante Apolline, speciem gerebat.

In Isa. 54, 12, et Ezech. 27, 19, translatores nostri aliud et diversum nomen *bedeched* achatem reddiderunt. Episc. Lowth putat esse rubim; D. Parkhurstus autem *pyropum*. Posterior hæc versio voci Hebrææ magis congruere videtur, quæ à radice venit cujus sensus est *propellere, emittere*.

ALABASTRUM.

Hoc est sulphati calcarii, vel calcis cum acido sulphurico commixtionis genus, cujus textura lucida est et micans, color verò albus, cinereo vel rubro immixtis; aliquando lineis, venis aut maculis distinctum occurrit. Cùm marmore multò sit tenerius, tractatu facilius est, eoque veteres, ut nos ipsi, ad vasorum et aliorum ornamentorum fabricam utebantur. Ea est aliquando alabastri perluciditas ut ad vitrea adhibitum fuerit. Florentiæ est ecclesia quæ per ejus substantiæ medium lumen accipit (1).

De alabastro mentio fit tantùm apud S. Matth. 26, 6-7, et locis congruentibus : *Cùm autem Jesus esset in Bethaniâ, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens* ALABASTRUM *unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.* S. Marcus addit: *Fracto* ALABASTRO; quæ circumstantia alicujus discussionis locum dedit. Doctor A. Clarke clausulam reddit eo modo : *Ipsa fregit sigillum;* notatque hanc esse optimam hujus loci translationem, seque illam sequentes ob rationes dare : Primò, probabile non est vas in se pretiosissimum fractum fuisse, ut quod continebat effunderetur; secundò, fracti vasis particulæ valdè incongruæ, si non injuriosæ, Domini nostri capiti et mulieris manibus fuissent; tertiò facile non fuisset oleum à fractis partibus reipsà separare; et quartò, mos erat apud Orientales nationes lagenas, in quibus unguenta includebantur, cerâ sigillare, ita ut ad contentos effundendos liquores nihil ampliùs necesse foret quàm sigillum frangere; quod fecisse videtur mulier ista, quæ fracto sigillo nihil ampliùs agendum habuit quàm ut liquidum unguentum effunderet; quod fractâ lagenâ facere nequivisset. Lagenæ quæ continent rosarum subtilem succum *ottyr*, qui ex Oriente defertur, addit ille, eodem modo signatæ sunt. In ulteriore hujus translationis defensione D. Bloomfield ait vocem συντρίψασα, quæ fuisse videtur vox *signata*, usurpatam fuisse ad exprimendam lagenarum olei aperturam, quæ fiebat frangendo extremam angusti colli partem, quæ sigillo signata erat ut nardus servaretur, genuinaque esse declararetur, ut à Plinio discimus. Sic usurpatam ab Evangelistis phrasim illi assimilare

ortu continentium nostrorum agentium, quarumque progressus, in notis temporibus, monumentis indicatur, hic ita rectè concludit continentes nostros remotiore non esse antiquitate, quàm quæ iis à sacro Scriptore, in sui Pentateuchi exordio, ascripta fuit.

(1) *Phys. sacra*, in Jer. 17, 1.

(1) Bingley, *utilis Notitia*, vol. 9, p. 117.

possumus, quâ familiariter utimur, ubi loquimur de lagenæ ad aliam percussione. Syriacus et Æthiopicus, metaphorâ sublatâ, dicunt simpliciter : *Aperuit lagenam.*

AMETHYSTUS.

Nulla ibi adest ratio dubitandi quin vox Hebræa *achlemeh* et Græca ἀμέθυστος reddi possit *amethystus.* Ratio hujus denominationis est, ait Plinius, quòd, etsi ad colorem vini accedat, illum tamen non attingit, et violaceo sistit. Alii putant hunc lapidem amethystum fuisse vocatum, quia vini aquâ mixti colorem refert; et eo fine nomen suum ab α *privativo*, et μέθυ, *vinum*, sumit (1). Orientalis amethystus est rarissima gemma. Igni admota colorem suum amittit, perlucidaque fit, et tunc ab adamante difficilè discerni potest.

AMIANTHUS.

Hoc est subviridi aut argenteo colore minerale, fibratæ texturæ, generaliter notum sub *arbesti* nomine, quæ vox à Græcâ radice est, et *incombustibile* seu igne indestructibile significat.

Minerale istud, et præsertim ipsius sericea varietas in longis tenuibus fibris, notissimum fuit veteribus, qui eo utebantur ad conficiendum quoddam incombustibile vestimenti genus, in quo mortuorum suorum corpora urebant, ideòque cineres, quin aliquid ipsis immisceretur, colligere et servare poterant (2). Hoc vestimenti genus Romani ingenti pretio requirebant. Narrat Plinius se vidisse lintea mensalia mantilia et mappas ex amiantho, tolli è mensâ, magnæ festivitatis die, projici in ignem, et præsente cœtu combusta; eâque operâ nitidiora quàm si aquâ abluta fuissent (3), facta esse.

Cùm amianthi igne non destrui proprium sit, vox *amianthus* figuratè sumitur pro *sempiterno*, *indestructibile* (4). In 1 S. Petri 1, 3, 4, legimus : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem.* Illa *pretiosa hæreditas* vocatur ἄφθαρτον, *incorruptibilis*, quia non, sicut Chanaan terrestris, criminibus habitatorum suorum (Levit. 18, 28) corrumpetur; nam *non intrabit in cœleste regnum aliquid coinquinatum.* (Apoc. 21, 27.) Dicitur *indestructibilis*, quia nunquàm destruetur aquis diluvii, ut terra ista fuit, neque igne, ut in ultimo terra destruetur; dicique debet *immarcescibilis*, quia gaudia ejus non marcescent, sed in omnem æternitatem nova recentiaque manebunt.

BERYLLUS.

Interpretes nostri reddunt TARSHISH, *beryllus*, sed septuaginta Interpretes et generaliter aliæ Græcæ versiones reddunt, *chrysolithus*, ut ipsa Vulgata. Suum Græcum Latinumque nomen ex pulchro suo flavo

(1) Parkhurst, *Lexic. Græc.*, in voce.
(2) Kirwani *Mineralogia*, vol. 1, p. 189.
(3) Bingley, tom. 1, p. 93.
(4) Quæ sequuntur ex D. Harris sumpta sunt.

aureoque colore sumere putatur, nuncque à gemmatorum operum artificibus *topazius* vocatur, et ubi perfectus, maculisque expurgatus est, pretiosissima gemma est; quo in statu tamen rarissimè habetur. Numerandus est inter gemmas quæ sub rotundâ aut calculi formâ tantùm reperiuntur. Pulchrè flavo colore semper sunt, sed, ut in cæteris gemmis, plurimi sunt hujus coloris varii gradus. Pulcherrimæ omnium habentur quæ verè et perfectè aureo colore gaudent, sed sunt quædam saturatiores, quædam pallidissimæ, ita ut vix tinctæ appareant (1).

Insinuat Lamy (2), vocem *chrysolithus*, fuisse potuisse generale pretiosorum lapidum nomen, qui ad aureum colorem vertunt; sed inde non sequitur eam non datam fuisse quibusdam particularibus, qui nullo alio mixto colore, ut purum aurum, fulgent. Eum genuinum fuisse *tarshish* aut chrysolithi colorem patet ex Dan. 10, 5, 6, et Cant. 5, 14.

CARBUNCULUS.

Vox hebræa *berketh*, quæ in nostrâ Bibliâ redditur *carbunculus*, in Septuag. et Josepho et Vulgatâ redditur *emeraldus.* Apud veteres emeraldus fuit gemma exquisitissima; vocabant eam *smaragdus*, eamque ex Æthiopiâ et Ægypto petiisse dicuntur. Unus est ex tenerrimis pretiosis lapidibus, ejusque valor speciosissimo colori ferè exclusivè debetur. Lucida rubis purpura, aureum topazii flavum, cœleste sapphiri cæruleum, æquè placent; sed viridis emeraldi color maximè gratus est, et oculi, inspectis cæteris omnibus, huic insistere delectantur. In Apoc. iris emeraldo confertur, cap. 4, 3, haud dubiè ex suo colore. Vide *Emeraldum.*

CHALCEDONIUS.

De hoc mentio tantùm fit Apoc. 21, 19. Statuit Parkhurstus Aretham, qui de Bithyniâ scripsit, dixisse hanc gemmam nomen suum ex Chalcedoniâ, quæ est urbs regionis Bysantio oppositæ, p tere, coloremque ejus carbunculi similem esse. Magna hujus lapidis copia adhuc in hâc superioris Asiæ parte reperitur.

CHRYSOPRASUS.

Inter beryllos hanc gemmam collocat Plinius; optima est, inquit, quæ viridi marino est; secundo loco chrysoberylli, quæ paululùm pallidiores sunt, et in aureum colorem inclinant; proximè accedit pallidior adhuc, et, juxta alios scriptores, distincta species, *chrysoprasus* vocata, cujus color, ut alio loco observat, porracei succi similitudinem exhibet; paululùm tamen in aureum colorem inclinat. Unde nomen ejus componitur ex χρύσος, *aurum*, et πράσος, *porrus.* Invenitur in Apoc. 21, 20.

CRYSTALLUM.

Gemma hæc in Hebræo vocatur *kerech*, ex suo nitore et glaciei similitudine. Notari potest, ait Park-

(1) *Novum et completum artium Diction.*, à Parkhurst citatum, in voce.
(2) *Apparatus Biblicus*, p. 440.

hurst, Græcum crystalli nomen primariò *glaciem* significare, et forsitan Septuag. illud usurpant in sensu glaciei vel gelu, in Ezech. 1, 22, ubi hebræa vox, juxta Bate, reddi potest, *lucens*, ut splendor glaciei; sic vox hebræa *gelu* et *glacies* in pluribus locis redditur.

Diamond (Gallicè *diamant*, latinè *adamas*).

Diamond (1) seu veterum adamas est gemmarum pretiosissima, durissimumque corporum nunc cognitorum. Cùm purus est, perfectè perlucidus est, etsi plerùmque incoloratus, aliquando tamen alio modo invenitur.

Vox in Exod. 28, 18; 29, 11, quam interpretes nostri *diamond* reddiderunt, est *jahlem*, quam Septuag. et Vulgata *jaspidem* esse intelligunt, et Josephus *sapphirum*. Arguit Braunius *diamond* esse his argumentis: Primò, impossibile est *diamond*, quæ pulcherrima gemmarum est, omissam fuisse in summi sacerdotis pectorali, ut accidit, si is non sit ejus vocis sensus; secundò etymologia vocis hujus esse *diamond* ostendit. Vox *jahlem* è verbo oritur significante *frangere in partes*; notissimumque est diamondum facilè frangere omnes alios pretiosos lapides, quamvis ipse in partes frangi malleo facilè possit. Ad refellendum id quod objicitur, scilicet diamondum non fuisse tam citò notum quàm Moysis diebus, arguit ille scriptor, pretiosos summi sacerdotalis rationalis lapides ope diamondi insculptos necessariò fuisse, quippe ad hoc nulla satis dura substantia reperiri poterat. In eo tamen errat; nunc enim notum est ejusmodi insculptiones ordinariò factas fuisse ope lapidis duri *smyris* dicti. S. Joannes, in Apoc. 21, 19, 20, ubi à pluribus scriptoribus censetur summi sacerdotis pectoralis lapides intendisse, diamondum prorsùs silet; quod sanè alicujus momenti esset (2). Vox reddita *diamondus* in Jerem. 17, 1, eadem non est ac ista, sed *shemir*.

EMERALDUS.

Argumenta jam deduximus, ex quibus supponi potest vocem Hebræam *berket* (Anglicæ Bibliæ carbunculum) esse *emeraldum* potiùs quàm vox *nephech*, quæ sic redditur etiam, sed quam Græci et Latini pro carbunculo sumunt.

Gemma hæc apud veteres nota erat sub *anthracis* vocabulo; sapphiro duritie par est; ejus color est rubrum saturatius, coccineo mixtum; sed ubi ad solem levatur, suum saturatiorem colorem amittit, urentisque lignei carbonis colorem inducit. Inde nominis ipsi à veteribus dati proprietas.

HYACINTHUS.

Pretiosa hæc gemma, de quâ mentio in Apoc. 21, 20, ubi vocatur in Græco textu *hyacinthus*, ut etiam apud Plinium (3), modernorum amethystus esse nunc putatur. Veterum amethysti nunc *carchedonia* vocantur.

JASPIS.

Græcum et Latinum *jaspis* vocabulum, non minùs quàm Anglicum *jasper* apertè deducitur ex Hebræo *jaspeh*, inquit Parkhurstus, aliquodque dubium linquit quæ gemmæ species indicetur Exod. 28, 20; Ezech. 28, 13, etc. Jaspis est quoddam scrupi genus, complexæ et irregularis structuræ, magnæ colorum varietatis, pulcherrimorum marmorum aut semi-perlucidarum gemmarum speciem æmulans.

MARMOR.

Septuaginta, Vulgata, Aquila et Theodotio per vocem Hebræam *shesh*, Parium lapidem, seu marmor intelligunt, cujus color albus et speciosissimus est. Ejus nomen à Paros insulâ deducitur, unde affertur. Lapis hic speciosus et pretiosus invenitur inter materias quas ad templum erigendum David providerat (1 Paral. 29, 2), eoque pavimento stratum est Assueri palatium (Esth. 1, 6).

Speciosissima hucusque servata Græca sculptura Pario marmore constat. Præcipuæ ex eo marmore nunc existentes statuæ sunt Venus Medicisiana, Diana venatrix, Venusque è lavacro egressa. Pario quoque marmore notissimæ Oxonienses tabulæ inscriptæ sunt.

ONYX et SARDONYX.

Si nobis dijudicare liceat ex variis interpretationibus à Septuaginta datis vocis Hebrææ *shohem*, certam speciei lapidis sic designati notitiam habuisse non videntur. Eam illi variis modis topazium, emeraldum, beryllum, sardonychem, sapphirum et onychem interpretantur. Vulgata semper *onychem* reddit. Braunius sardonychem esse putat, quæ, juxta Plinium, est pretiosus lapis coloris carnei, in album vergentis.

Onyx, quæ species est chalcedonii, è Græcâ linguâ nomen suum habet, quod ipsi datum est, propter ejus quoad colorem similitudinem albæ huic lineæ quæ ad basim humanorum unguium apparet. Discrimen quod factum esse videtur inter onychem et sardonychem oritur ex eo quòd prioris colores concentricè aut leviter confusè, dùm posterioris regularibus sulcis et lineis disponuntur. Ex sardonyche veteres conficiebant magnifica illa camehuia, quorum pluribus nostra adhuc exedria et musæa exornantur.

Ista lapidis species cum auro et bdellio amnis Pisonis in Eden horto inveniebatur, Gen. 2, 12; et Exod. 28, 9-18, jubetur Moyses sumere duos onychis lapides, et in eis nomina filiorum Israel insculpere. Ex 1 Paral., 29, 2, discimus vocabulum *shohem*, seu *onyx*, cuidam marmoris speciei datum fuisse, nec ullo modo probari gemmæ istius ingentem copiam à Davide in templi ædificationem inventam fuisse. Septuaginta intelligunt lapides *sloam* vel *sloom*. Theodoretus septuag. Interpretum *soam* reddit per *onyx*; quod secuti sunt plerique interpretes. Marmor hoc

(1) Angli duplicem habent adamantem; unam vocant *adamant;* alteram verò *diamond*. De priori dictum est supra, col. 507.
(2) Lamy, *Apparatus bibl.*, lib. 3, c. 4.
(3) *Hist. nat.*, lib. 37, c. 9.

Græcè vocabatur *onychites;* et à Plinio ut *caramaniæ lapis* (1) datur.

MARGARITÆ.

Substantiæ hæ quæ reperiuntur in testaceo pisce, ostreæ similitudinem gerente, etsi à nostris gemmati operis artificibus ex numero esse gemmarum putentur, et magno pretio habeantur, è morbo solummodò oriuntur in creaturis à quibus producuntur, ut est lapis bezahar et aliæ lapideæ concretiones in pluribus alius generis animalibus.

Unâ tantùm vice de margaritis fit mentio in nostrâ veteris Testamenti versione, Job. 28, 18, easque in hunc locum introducendi proprietas multùm et rectè controversa est. Vox Hebræa in textu est *gebish*, quæ in pluribus locis pro grandine sumitur (Ezech. 13, 11, 13, 38, 22); et ubi lapidibus attribuitur, crystallum probabilissimè designare videtur; sicque eam Septuag. intelligunt.

At verò, cùm in novo Testamento de margaritis adeò communiter mentio fiat, censitum est mirandum esse quòd omninò non appareant in propheticis scriptis. Doctissimus ergo Bochartus asseruit voces esse Hebræas in veteri Testamento quæ indubiè margaritas designant, etsi ab omnibus cæteris translatoribus non notentur. Ejus sensu evidens est vocem *bedolah* (Gen. 2, 12) margaritam designare, quia terra Hevilath magis quàm alia mundi pars his substantiis abundat; quia etiam manna (Num. 11, 7) *bedolah* comparatur, propter suam rotunditatem et albitudinem. Vox *dar* in Esth. 1, 6, putatur quoque margaritam denotare, ut in Arabicâ linguâ dicitur; Hebraica vox insuper propriè aliquid rotundum designat. Attamen, qualicumque fidei gradu dignæ sint hæ conjecturæ, parùm dubii est vocem *peninim* in Job. 28, 18, Prov. 8, 11, et pluribus aliis locis, *rubis* in nostrâ Bibliâ redditam, realiter margaritas significare. Inde, ut observat Bochartus, voces *pinna, pinninos lithos, pinnikon*, in Græco et Latino servantur sive pro margaritæ ostreâ, sive pro margaritâ ipsâ (2).

Aquila vocem libri Job interpretatur *conspicuam*, *illustrem*, apertè alludens ad significationem verbi *peneh;* ostenditque Bochartus magni valdè pretii fuisse in æstimatione non solùm Judæorum, sed et Romanorum, quin etiam Medorum, Persarum et Indorum.

In S. Matth. 7, 6, Dominus noster admonet discipulos suos non jacere margaritas suas ante porcos, congruenter loquendi modo Rabbinorum à quibus præcepta sapientiæ, dicebantur margaritæ. Sic etiam in S. Matth., 13, 46, Evangelium comparatur margaritæ magni pretii.

RUBIS.

In præcedenti articulo statuimus vocem Hebræam *peninim*, redditam *rubis* in Bibliâ nostrâ, probabiliter margaritam designare magis quàm pretiosam hanc gemmam.

SAPPHIRUS.

Magnifica hæc gemma nomen suum retinuit in plerisque linguis, et de ejus identitate nullus est dubitandi locus.

Orientalis sapphirus gemma est cærulei coloris, transitque in varios coloris gradus, à pleno et saturatiore ad ferè incoloratam formam. Inde Deus Israel repræsentatur pavimentum habens sub pedibus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cùm serenum est, Exod. 24, 10; Ezechiel. quoque sapphiro thronum Dei comparat, cap. 1, 26.

Jeremias, describens antiquam habitantium sanctæ civitatis formam, ait: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* (Lam. 4, 7.) Et sponsa de dilecto suo ait: *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.* (Cant. 5, 14.) In illis Scripturæ locis alluditur ad speciosum sapphiri colorem, exquisitissimæ marmoris albitudini connexum. Niveum pellis nitorem illustrabant intersecantes venæ, quæ sapphirino colore erant.

SARDIUS vel SARDINIA.

Sardius et sardinia S. Joannis (Apoc. 21, 20) idem esse ac *adem* Moysis (Exod. 28, 17) et Ezechielis (cap. 28, 13) putatur, sed nulla nobis suppetit id astruendi ratio.

TOPAZIUS.

Sic interpretantur Septuag., Josephus et alii vocem *peted* veteris Testamenti, et *topazion* S. Joannis. Sed certum est veterum topazium lapidem fuisse valdè ab illis qui eo nomine apud nos vocantur absimilem. Nam veterum topazius coloris erat pallidè viridis, fulvo intermixto, dùm nostra cærulea, violacea vel alba. Antiqua topazius, quæ dicitur nomen suum habere ab insulâ Rubri maris, idem probabiliter est ac *chrysolites* noster.

Cùm plerique lapidum in descriptione rationalis summi sacerdotis (Exod. 28, 17) tantùm referuntur, et in descriptione fundamentorum Ecclesiæ (Isai. 54, 11, 12) et cœlestis Jerusalem (Apoc. 21, 19, 21), mirum non videtur nos non posse certam et strictam notitiam dare qualitatum quibus plerique pollebant. Arbitrati sunt enim quidam scriptores Apostolum, dùm novæ Jerusalem describeret fundamenta, intendisse ad pectorale summi sacerdotis, lapidesque enumerare in eodem ordine ac Moyses. Illud nullo modo probabile est, et quidquid tentatum usque nunc fuerit ad detegendam inter eos connexionem, minimè profecit. Oppositè ad hanc nimiam omnem locum et rem in Bibliâ occurrentem ad spiritualem sensum convertendi libidinem, quæ reconditam aliquam et magni momenti significationem in unoquoque horum lapidum reperit, episc. Lowth ritè observat, eos videri generales imagines ad exprimendam pulchritudinem, magnificentiam, puritatem, fortitudinem et soliditatem, juxta Orientalium gentium ideam, nec unquàm intentum fuisse ut strictè expenderentur, sive minutè et particulari modo explanarentur, quasi eorum quisque aliquem præcisum definitum et spiritualem sensum haberet (1).

(1) *Script. illust.*, Expos. Index, p. 121.
(2) Vide etiam Bruce, *Itinera*, vol. 6, p. 276.

(1) *Nota in Isaiam*, lib. 12 nova translatio.

CAPUT II.

DE TERRIS.

Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientiâ fecisti : impleta est terra possessione tuâ.
Ps. 103, v. 4.

Nobis indulgeat lector, iterùm precamur, si à methodo per occasionem recedimus, quam requireret stricta scientificæ analysi adhæsio. A multiplicandis divisionibus abhorremus, ubi inde nulla orirentur commoda.

SULPHUR.

De istâ notissimâ sulphuris præparatione frequenter mentio fit in sacris Scripturis, quasi una sit ex materiis quibus justa sua peccatores inemendabiles puniendi decreta perficienda voluit Deus; quasi etiam significantissimum desolationis et sterilitatis signum. In Hebraicis Scripturis *gophrith* vocatur, quod Septuag. interpretantur *θεῖον ἐκ θεῖος*, divinus, de quo sequentes Parkhurstus ex Holloway affert rationes.

Apud variarum gentiumi dololatras sulphur adhibebatur ad religiosas purificationes. Una aliquem purificandi methodus apud Græcos fuit, cum ter circuire, terque laureo ramo, vel alicujus resinosi ligni tædâ, quæ priùs ex altari accensa fuerat, et deindè mersa in sacram aquam, quæ cum mixturâ salis et sulphuris consecrata fuerat, aspergere. Nam, cùm solaris ignis, vel in solis orbe dæmon præcipuus ipsis esset agens Deus, igni supremam purificandi et sanctificandi se vim adscribebant : itaque ut efficaciter securiores essent de istâ igni datâ vi, eam duobus vel tribus modis habendam curabant, ut in alicujus terebinthi tædâ, quam in ignem, addito sulphure, ponebant. Inde Juvenalis de quibusdam animabus in infernalibus regionibus et in quibusdam circumstantiis ait :

. . . . . . *Cuperent lustrari, si qua darentur*
Sulphura cum tædis, et si foret humida laurus.

Si media eis suppetivissent, ut lauri ramus in aquâ sanctâ mersus, cum tædâ et sulphure, purificati fuissent. Lucianus in suo Philopseudes loquitur de plateæ cujusdam purificatione, quæ perfecta fuit, plateam ter circumeundo *θειῷ καὶ δᾳδιῷ* cum sulphure et tædâ, cujusdamque antiqui libri sacra septem nomina recitando. Inde sulphur ab ipsis vocatur eminenter *θεῖον*, id est, res divina, aspergendique et lustrandi sulphure actus *περιθειοῦν*, deificare. Propterea, non omissis tamen aliis rationibus, Deus illud vindictæ suæ instrumentum fecit in Paganos et alios delinquentes, eos et terram eorum ad sulphur et ignem in æternum damnans. Vide Job. 18, 15; Psal. 11, 6; Deut. 29, 23; Isa. 34, 9; et Judam, v. 7, de ruinâ Sodomæ et Gomorrhæ (1).

PIX.

In Anglicâ Bibliâ duæ voces redditæ sunt *pitch, pix* : Zepheth (Exod. 2, 3; Isa. 34, 9), et chemer (Gen. 6, 14), quæ posterior iterùm redditur slime, *glarea*, in Gen. 11, 3, et 14, 10. Voces istæ usurpatæ putantur pro *asphaltium* aut *bitumen*, quod substantia est fragilis nigro et aquilo colore, et paulò duriore quàm pix consistentiâ.

Hæc veteribus notissima fuit substantia, quæ nihil aliud est quàm minerale *tar* induratum solidatumque. Invenitur ad superficiem effluviorum volcanicorum, partibusque solidis, et ingenti copiâ supernatat asphalticum lacum, qui indè nomen accepit.

Invenitur quoque juxta veterem Babylonem, supponendique ratio adest mortarium apud veteres celeberrimum, et quo connectebantur muri Babylonis, nihil aliud fuisse quàm hujus substantiæ præparationem (Gen. 11, 3). Certos nos facit Herodotus veteres compositione quâdam calidi bituminis, arundinum permixtis capitibus, in modum mortarii usos fuisse. Quæ narratio confirmatur à recentioribus viatoribus, qui asserunt inventas fuisse ædificiorum reliquias, in quibus sic primò bitumen adhibitum fuerat. Hàc pice, haud dubiè usus est Noe ad claudenda arcæ interstitia (Gen. 5, 14); materque Moysis, ut aquis imperviam faceret fiscellam in quâ natum suum super Nilum posuit (Exod. 2, 3). Ad ejusdem generis fines eo adhùc utuntur Arabes.

Statuit Josephus (1) bitumine uti solere in condiendis mortuis corporibus.

SAL.

Notissima hæc fossilis substantia in Scripturâ sæpiùs occurrit, et de usibus quibus à Judæo populo adhibebatur satis amplam requiret mentionem. Ejus Hebræum nomen est *melech*, à verbo significante *liquefacere*, notumque est illud esse corpus aquâ solubile.

Quòd sale ad purificanda corpora, et à putrefactione præservanda uterentur, haud dubiè præscriptum est ut sal adesset omnibus sacrificiis, quæ offerebantur sub lege Mosaicâ : *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tuâ offeres sal.* Lev. 2, 13.

Sal erat fermento oppositum, quippè quod à putrefactione et corruptione servabat, puritatemque et perseverantem fidelitatem, quæ in Dei cultu erat necessaria, adumbrabat. Omnia ritè sale condiebantur, in signum puritatis et perfectionis, quæ in cunctis divini officii partibus et in cordibus et vitâ servorum Dei effundi debebant. Vocatum fuerat sal fœderis Domini, quia sicut sal est incorruptibile, ita quoque fœdus initum cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, et aliis Patriarchis de mundi redemptione per incarnationem et mortem Jesu Christi. Apud Paganos sal communiter ingrediebatur in omnibus eorum sacrificiis, et quemadmodùm ad vitæ sustentationem et conservationem essentiale putabatur, perfectissimumque tùm corporis tùm animi dotum symbolum, ita unum censebatur ex gratissimis quæ diis suis offerre poterant, nec à sacrificiis unquàm aberat.

(1) Holloway, *Origin.*, lib. 1, p. 174, 175; Parkhurst, *Lex. Græc.*, sub voce.

(1) *De Bello*, lib. 5, cap. 6.

Parkhurst præcipuè notat phrasim de quâ utitur Moyses in præcepto dato, Lev. 2, 13, sal purificans (seu ad purificandum) *tua aleim;* unde infert sal omnibus aliis sacrificiis admixtum, typum esse Jesu Christi puritatem et innocentiam, et quod credentes purificat, adumbrantem. Porrò fides in Christo et ejus gratia est, quæ credentes purificat, et inde nata spes Deum videndi per ipsum (Act. 15, 9; 2 Pet. 1, 4; 1 S. Joan. 3, 3; 1 Cor. 3, 12). Sal igitur typus erat ejus fidei purificantis et spei quæ donum est Spiritûs sancti. Rom. 15, 13; 1 S. Pet. 1, 22; Eph. 2, 8 (1).

In Num. 18, 19, et 2 Paral. 13, 5, legimus *pactum salis*, quod plerique commentatores intellexerunt ut relationem dicens ad pactum quod Deus cum populo suo inierat, et quod confirmatum fuerat expiationis oblatione aut sacrificio, in quo, ut vidimus, necesse erat sal offerri. D. Taylor aliam tamen suggessit ideam, quæ attentionem demeretur. Intelligit pactum salis ordinem dicere ad fœderis genus in quo sale utebantur ut confirmationis signo, hocque inter alia talis usûs ex Baron. du Tott, exemplum affert:

« Moldovanjic Pacha in meî familiaritatem venire « cupiebat, cùmque dolere videretur quòd res suæ non « sinerent se diutiùs stare, profectus est, promittens « ad breve se rediturum. Jam mediam graduum par- « tem eum comitans descenderam, cùm subito stans, « et conversus ad unum ex meis famulis, qui sequeba- « tur me: Affer mihi nunc, inquit, panem et sal. Non « mihi stupenda minùs idea hæc quàm obsequii cele- « ritas. His allatis, paululùm salis inter digitos su- « mens, illudque more mystico in panis frusto ponens, « piâ gravitate comedit, asserens me nunc in se con- « fidere posse. Mox, significantis hujus cæremoniæ « sensum edoctus sum; sed idem ille vir, *visir* factus, « juramentum hoc meî gratiâ factum, frangendi cupi- « dine motus est. Cæterùm, si solemne hoc pactum « non semper religiosè teneatur, at saltem Turcis adeò « innatum vindictæ studium temperat. » In notâ addit Baron. du Tott: « Turcæ arbitrantur atrius esse ni- « hil quàm ingrato animo esse adversùs virum de quo « victum recepimus: hoc significat panis et sal in istâ « cæremoniâ (2). »

Baronis famuli celeritatem notare debemus ad probandum eos, cùm apprimè regionis suæ mores noverint, perfectè intellexisse quid futurum esset; insuper, pactum hoc ordinariè sedulò observari; et, ubi non est ita, illud tamen vim servare cohibitionis in eum quocum initum est, qui si transgressor fuerit, è gratiâ excidit.

D. Harmer optimè illustravit phrasim: *Nos saliebamur sale palatii* (Vulgata verò: *Nos memores salis quod in palatio comedimus*), 1 Esd. 4, 14; lectorique ejus annotationes gratum facient. « Ut omnibus conjectu- « ris finem imponamus, sat est verba recitare mo- « derni Persarum monarchæ, cujus Chardin aulam « aliquandiù, negotii causâ, secutus est. Cùm irâ mo- « veretur in præfectum qui eum decipere tentaverat, « gladium exerit, eum ferit et in partes dissecat, ad « pedes magni Visir, qui tunc aderat, cujusque gratiam « infelix ille præfectus decipiendo ambiebat. Tunc « oculis in eum et alios magnates, ad utrumque latus « stantes, defixis, indignans ait: Nùm istiusmodi ser- « vos et proditores sal meum comedentes habeo! Cer- « nite gladium hunc, ipse hæc perfida capita amputa- « bit. » Evidens est hæc verba: *Comedentes principis hujus sal*, idem esse ac *victum ab ipso recipientes.*

Apprimè novi, ait Parkhurst, communem esse incolarum Orientalium Indorum loquendi modum: *Sal comedo alicujus*, id est, ab illo sum pastus. Tamerlane in suis Institutis de quodam Shaw Behaun loquitur, qui à se defecerat, ad hostem transierat, et contra se præliatus erat: « Tandem, ait ille, sal meum quod ederat, « illum remorsibus affecit; ipse ad misericordiam « meam confugit, humiliavitque semetipsum coram « me (1). »

Etsi sal parvâ quantitate adjumento esse possit ad conterendas fœcundandasque terrarum obstinatarum quasdam species, tamen, ut observat Plinius, ubicumque sal invenitur, solum est aridum nihilque producit (2).

Quid in vegetationem agat sal, ubi abundat, describitur unâ voce *comburens* (Deut. 29, 22): *Tota regio est sulphur et sal combustionis*, vel *sal comburens*. Juxta Vulgatam verò: *Deus illam afflixit sulphure, et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subversionis Sodomæ et Gomorrhæ*, etc. Volney, loquens de oris lacûs Asphaltitæ, seu maris Mortui, ait: « Vera causa cur desint « hìc vegetalia et animalia est acris salsitas aquarum « quæ infinitè superat salsitatem maris. Terra quæ « circa lacum jacet, cùm eâdem salsitate sit imbuta, « herbas producere negat. Aer ipse, qui eâ quoque « evaporatione oneratur, et insuper sulphuris et bitu- « minis vapores recipit, vegetationi favere nequit: « inde illa mortis imago quæ circa lacum jacet (3). » Eo modo *terra salis* (Jer. 17, 6) idem est ac loca exusta in solitudine, et est ariditatis descriptio, ut salsugo quoque, Job. 39, 6; Ps. 108, 34; Ezech. 47, 11.

Hinc mos antiquus urbem ab hoste captam sale conserendi in perpetuæ desolationis signum, Jud. 9, 45. Sic postea urbs Mediolanum combusta est, rasa, sale sata ab exasperato imperatore Friderico Barberousse (4).

Ex mentione factâ non tantùm de sulphure, sed et sale in Deut. 29, 23 (conf. 14, 3) colligere possumus, posteriore non minùs quàm priore Deum usum fuisse in subversione Sodomæ et Gomorrhæ, indeque explanari potest quod dicitur de Lot uxore (Gen. 19, 26): *Versa est in statuam salis*, scilicet, cùm oculo cupido respiceret versùs Sodomam, comprehensa est miracu-

(1) *Lex. Hebraicum*, in voce.
(2) Baron. du Tott, pars 1, p. 214, Angl. edit.

(1) *Fragmenta* ad Calmetum, n. 130.
(2) *Hist. nat.*, lib. 31, cap. 7.
(3) *Iter in Syriam*, tom. 1, pag. 822.
(4) *Compar. geolog. Systema*, lib. 1, pag. 282.

loso salo-sulphureo imbre, hìcque fixa et incrustata in modum statuæ stetit (1).

In Syriâ, ubi sunt salis lacus, probabile est similitudines et etiam proverbia ex rei quam præstabant proprietatibus sumpta fuisse. Sic legimus: *Bonum est sal*, id est, in genuino suo statu; *sed si evanuerit, in quo salietur?* Quomodò ei sapor redderetur? Salinariorum lacuum superficies tenuissimaque salium crusta, propè lacuum oras, post pluvias, et præsertim post diù continuatas pluvias, salinarias particulas amittit, quæ aquis tolluntur et arripiuntur, salis tamen, quasi perfectissimi, formam et apparentiam retinet. Propterea qui sal ex lacubus colligunt, jumenta et vehicula sua ducunt super hâc nulli pretii materiâ (quæ ita pedibus conculcata in cœnum lutumque vertitur), ut interiùs in lacum ingrediantur, ubi sal est melius; sæpèque superficiem disrumpere coguntur ut sal purum et acre obtineant (2).

Ex Ezech. 16, 4, novimus morem fuisse infantium recens natorum corpora sale aspergere : quod excogitatum fuisse putat S. Hieronymus ad siccandum humorem et claudendos pellis poros. Traditum est Tartaros et Græcos hâc consuetudine uti adhuc (3).

Sal est sapientiæ symbolum (Coloss. 4, 16), necnon perpetuitatis et incorruptionis, Num. 18, 19; 2 Paral. 13, 5, non minùs quàm ariditatis et sterilitatis.

Unus hìc nunc nobis locus notandus remanet : S. Marcus, 9, 48 : *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur;* qui locus perobscurus est, multorumque doctorum ingenium exercuit. Inutile foret ponere ante lectoris oculos varias conjecturas et lectiones quæ de hoc textu propositæ sunt; videri possunt in Polo, Wolfio et Kœcher; probabiliores verò earum in Bloomfield, qui notam elaboratam claudit asserendo se non posse alicui ex hactenùs notis interpretationibus accedere, eò quòd omnes objectionibus pateant.

Etsi non asseramus sequentem interpretationem liberam esse ab eo quod cunctis cæteris inhærere videtur, ea tamen supponitur tanquàm loci bonum sensum præbens : *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.* Hæc sententia præcedenti connectitur, ut particula *enim*, quæ causalis est, indicat. In præcedenti versu legimus eos qui Deum offendunt mittendos esse in gehennam ignis, ubi inextinguibilis ignis eos uret, eorumque criminum conscientia perpetuò cruciabit. *Omnis enim*, id est, omnis qui mittetur in gehennam ignis, condietur, servabitur in igne isto. Ignis iste in malos qui in ipsum mittentur aget, quasi muria in carnes in quas effunditur. Ignis iste eos solidabit, nedùm consumat; cæteris ignibus absimilis, iste vitam non destruet, sed eam è contra producet. Is est status omnis inemendabilis peccatoris.

Nunc dicendum remanet quæ sit fidelium futura sors. Omnis discipulus fidelis qui adeò sincerè christianæ causæ devotus est, ut pro ejus defensione mori sit paratus, ibi adumbratur sub figurâ sacrificii *sale conditi. Omne sacrificium*, ait Christus sic præparatum et mihi devotum habebitur ut sale conditum. Judæi intelligere docebantur sacrificia sic præparata Domino esse acceptabilia. Omnis verus discipulus ibi per anticipationem et prolepsim *sacrificium* denominatur; quâ denominatione præmonebatur de eo quod persecutionis gladius perficere non omitteret. Simili modo ad sacrificia spectans Paulus, sic scribit ad Philippenses : *Si impenderer.....;* et ad Timoth.: *Ego enim jam delibor...*

Ita postea malis infligenda punitio et quæ manet fideles remuneratio exprimuntur verbis sumptis ex his sacrificalibus ritibus, in quibus Judæi conversabantur. Commentatores putantes sensum esse : *Consumptus igne*, legendum proposuerunt, loco *salietur*, *destruetur*. Sed contrarius voci *consumptus* est sensus intentus. Doctissimus criticus ait quidem, *quoad saliri igne, nihil de eo fieri potest.* Sed multùm et multò utiliùs de eo fieri potest quàm de quâlibet voce quam critica in suo emendandi ardore, ipsi substituendam conari potuit (1).

(1) Parkhurstus, ubi supra.
(2) Calmeti *Bibl. encycl.*, in *sal.*
(3) Vide Burder., *Orient.*, lib. 2, p. 183.

SAPO HERBA BORITH.

Septuaginta reddunt *berith*, in Jer. 2, 22, *herba;* S. Hieronymus et Vulgata *herba borith.* In Mal., 3, 2, Septuag. reddunt BERITH MEKBESIM, *herba lavantium*, et Vulgata *herba fullonum.* Quoad herbam *borith*, ait Goguet : Arbitror eam esse SAL-WORTH, *herbam salis.* Hæc planta in Judæâ, Syriâ et Arabiâ vulgatissima est. Uritur herba ista, et aqua in cineres ejus effunditur; aqua copiosissimè lixiviali sale fit saturata, quod maculas aut sordes à lanâ et vestimentis diluendo idoneum est (2). Michaelis (3) tamen putat *berith* significare nec plantam nec herbam sodæ, sed *alcalinum*, aut lixiviale sal ex illius aut aliarum plantarum cineribus extractum, quanquàm confiteatur illud posse etiam in Jer. 2, 22, reddi *sapo*, ex tali sale factus. At Mal. 2, 2, intelligit illud de alcalino ipso sale, quali reverà utuntur fullones; sed de quo, in loco quem allegat, mentio tantùm fit quoad ejus usum in liquefaciendis et purificandis metallis (v. 3) vitrificando eorum sordes, et in scorias vertendo, metallo puro relicto. Eodem modo ille interpretatur *ber* in Isa. 1, 25. « *Ego liquefaciam*, « ut SALE ALCALINO, *scoriam tuam*, cunctaque mala tua « metalla removebo. (Vulgata verò reddit: *Excoquam* « *ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum* « *tuum* (4). »

NITRUM.

Conjunctim cum sapone, seu alkali præcedentis articuli, Jeremias propheta mentionem facit de nitro (cap. 2, 22) : *Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus Deus.*

Substantia hæc, *nitrum*, parùm admodùm differt à *berith*, de quo facta modò mentio. Merum est et nati-

(1) *Critica Biblica*, vol. 2, p. 264.
(2) *Origo legum*, vol. 1, p. 132. Edim.
(3) *Supp. ad Lex. Hebr.*, p. 280.
(4) Parkhurst, Lex. Hebr. in voce.

vum sal, omninò diversum à nostro nitro, et ideò ab omnibus nativis salibus; verum est alkali, omninò ex naturâ alkalium ex vegetalibus ope ignis sumptorum. Nitrum, sive nativum, sive expurgatum, dissolvitur in modicissimâ aquæ quantitate, et hæc solutio usui est in plurimis Asiæ partibus ad lavandum, ubi in saponem quoque componitur miscendo illud oleo. Incolæ illud converrunt ex superficie terræ, vocantque *saponis terram, soap-earth.* Antiquissima quam de eo notionem habemus est in Scripturis, ubi edocemur sal, nitrum vocatum his in temporibus fermentare cum aceto, habereque abstersivam qualitatem, ita ut in balneis et lavacris usui esset.

Salomon cantilenarum ad gravatum cor cantum oppositis comparat dotibus aceti et nitri; quòd nitrum præter hanc qualitatem de quâ mentio fit in jam citato loco, alias qualitates insuper exhibet quæ perfectè congruunt cum hoc sale, sed nullo modo cum nostro nitro aut salnitro.

Veteres Ægyptii dicuntur multùm usi fuisse hoc nitro ad mortuorum suorum conservationem, eos conficiendo in eo plures menses antequàm eos condirent.

MINIUM.

De specioso hoc colore in duobus tantùm Scripturæ locis fit mentio; quorum in uno exhibetur ut usurpatus ad exornandas splendidas domus (Jer. 22, 14) et in altero ut adhibitus ad delineandum pingendumque. Ezech. 23, 14.

Minium, in usu præsenti, notum est ut mercurii et sulphuris præparatio; sed docet nos Plinius, quod vocatum fuit à Græcis *milton*, in argenti fodinis reperiri sub formâ rubræ arenæ, eoque magnoperè usos esse Romanos, eo ævo, in modum fuci, et primariò ad sacros fines fuisse adhibitum. Comp. Ezech. 23, 14. Observat Bochartus lacum esse in Africâ à Phœnicibus vocatum Sisara, sic vocatum, juxta ipsum, propter minium seu rubrum fucum (ab Hebræis vocatum *sesер*) propter quod hæc regio erat celeberrima; et etiam propter vicinum amnem, æquè latinè vocatum *rubicatus*, rubro colore tinctus.

ARGILLA, seu LUTUM.

De notissimâ hâc substantiâ dicitur in pluribus Scripturæ locis, ex quibus evidenter patet eam adhibitam fuisse ad fabricam diversorum utilium et ad ornamentum inservientium vasorum, à primævâ mundi ætate.

Unus tamen tantùm ex his locis elucidatione indiget, illeque multas biblicis interpretibus molestias intulit. Lectori non displicebit articuli sequentis longitudo, cujus auctor est magni ingenii vir Landseer, à quo sacri scriptoris sensus dilucidatus, ejusque scientiæ profunditas et accuratio manifestata fuit. Locus dilucidatus est, ut sequitur : *Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum; ut finium terræ potiretur, ut mali excuterentur ex eâ. Convertitur ut lutum ad signaculum; et stant ut vestimentum. Ablata est ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur.* Job. 38, 12-14 (1).

Doctor Joannes Mason Good à quo nova et lucida extraordinarii hujus libri ordinatio translatioque prodiit, asserit nullum vix esse in toto hoc poemate locum qui elucidatu adeò difficilis supponatur, ac supracitatus; nec, addit ille, ullam inveni translationem quæ sit perspicua, criticumque examen ferre possit. Schultens ait se comparavisse expendisseque animo attentissimo varia interpretum tentamenta in explanando quatuordecimo versu, confiteturque ex nullo eorum se ipsius sensum extrahere potuisse; insuper Reishe audacissimus, quem hujus libri interpretem habeamus, exclamat in fine : *Fateor me non capere!*

Porrò, Schultens et Reishe à proposito suo defecerunt, non (ut rectè supponi posset), ob doctrinæ judiciive defectum, sed localis antiquariæ scientiæ, quam antiqui cylindri, recenter Babylone effossi supplent; et doctor Good ipse in hoc loco (quantumvis mirificè sub alio respectu rem suam tractaverit), ob eamdem causam, nihil magis quàm prædecessores sui profecit. Ab eo data hujus loci versio hæc est : *In diebus tuis tune auroram ordinâsti, dieique nascenti suum locum signâsti, ut aurum in extremis terræ collocarent, et mali excuterentur ex eâ? Potesne eos circumflectere ut lutum ad formam, ita ut stent sicut vestimentum?*

Cùm illorum versiculorum sensus sit obscurus, cùm discrepent à versione cæterorum aliorum Hebræorum doctorum quos consultavi, nec sensui communi, vel sibi ipsis concordes esse, etiam adjuvantibus duabus notarum paginis, videantur, arguere non verebor illum non esse genuinum textûs originalis sensum. Credere enim rectè possumus malos in diebus Job magis quàm nunc, excussos non fuisse ab extremis, vel aliis terræ partibus, ubi aurum conditum fuerat. Neque *mould, forma*, in locum *seal, signaculum*, substituto, sensus ullo modo magis perspicuus efficitur; nam doctor Good in hunc versiculum animadvertens, ait : *Potesne eos circumflectere ut lutum ad formam;* paulò magis litteraliter redderetur, si demeretur *ad*, et scriberetur : *Potesne circumflectere eos ut lutum formam.* Sed hic etiam, quia ab ideâ *signaculi* abhorret, genuinum sensum esse dicit, non, *ut lutum circumflectit formam*, sed, *ut forma circumflectit lutum.*

Ego nunc attentionem requiram, dùm factorum et consequentiarum serie horum versiculorum sensum prosequar modo qui mihi simplicissimus et maximè perspicuus videtur, oculos non avertens interea ab hoc tam ad afficiendum animos idoneo capitis in quo continentur, exordio, quod sub fine temporum, in auribus biblicorum criticorum terribiliter personabit.

Caput incipit : *Respondens autem Dominus Job de turbine dixit : Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Et post magnas interrogationes, quæ toties moverunt admirationem, de terræ, nubium et maris formatione, sic prosequitur : *Numquid post or-*

(1) Vulgatæ versio hoc in loco ab Anglicanâ differt. Legitur enim in Vulgatâ, Job. 38, 13 : *Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex eâ? Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum : auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur.*

tum tuum præcepisti diluculo? Numquid ostendisti auroræ locum suum, ut extremos terræ fines obtineret ut ex eâ mali excuterentur?

Aliquem confusionis gradum inter lucem matutinam et religiosam hanc lucem, seu orientem veritatis et justitiæ diem, cui assimilatur, in Anglicâ saltem versione existere confitendum est; huncque à naturali luce ad lucem personalitate donatam, scientiâque et potentiâ investitam, transitum, vel Hebraicæ linguæ idioma, vel sublimis poetæ mentis ardor explicat. Quod si hæc interpretatio planè accurata non est, sublimis saltem est, vixque grammaticalis constructionis defectûs levem umbram in generalem sententiæ sensum affert, nec ullo modo signaculi metaphoram quæ sequitur, et quam evolvendam in animo habeo, afficit. Quòd in secundâ interrogatione diluculum intelligendum sit, poeticè à S. Lucâ indicatur, cap. 1, 7, 8, occasione datâ Zachariæ prophetiæ in ortu S. Joannis Baptistæ, qui fuit aurora solis justitiæ; aït enim : *Visitavit nos* Oriens, seu diluculum, *ex alto*, *illuminare his qui in tenebris... sedent...* Apud Job autem personalitate donatum *diluculum fines terræ dicitur obtinere*, *ut mali ex eâ excutiantur*, id est, manifestatâ eorum malitiâ, pœna, quam infligit justitia legalis, manifestationem hanc sequetur. Sensus ille ad hujus etiam temporis Bibliæ lectores attinet; sed quantò terribiliori modo hos disputatores, qui per totum poema *involverunt sententias sermonibus imperitis;* quod explanandum tentare à nostro antiquario proposito alienum putaretur.

Proximè sequens versiculus sic habet : *Convertitur ut lutum ad signaculum, et illi stant ut vestimentum;* vel, ut posterior sententiæ pars à Junio et Tremellio redditur : *Illi quasi ejus operimenta sese offerunt...*

Rectè hìc notari videtur, ut textus innuit, gentes quæ terram Hus et Euphratis ripas incolebant, luto, seu fluminis hujus limo, ad signandum, illâ remotâ ætate uti solitas fuisse, quæ eadem forsan erat substantia, levigata, ex quâ Babylonii depicti lateres conficiebantur, necnon et optima hæc vasorum fictilium species, quibus Babylonis et Susæ sedes etiam nunc abundanter consperguntur, lutum scilicet fictile, de quo veteres prophetæ loquuntur, quod adhuc in quibusdam Orientis partibus ad signandum (1) adhibetur. Notandum est etiam ex variis substantiis (ut cerâ, pastâ, etc.), quibus vetera signacula imprimere sum conatus, lutum mihi maximè idoneum, sive ad recipiendas, sive ad retinendas impressiones visum fuisse; et quanquàm Copernicanus quidam objectator arguere possit non matutinam lucem, sed terram respectu lucis converti (quod sanè casuisticum foret), poeta, à quo prodiit mirabilis ille liber, probabiliter alio modo sentiebat; vel, si res ista alicujus adhuc momenti videretur, sic responderi posset : Signaculum quod terræ assimilatur reipsâ (dùm scilicet in axi suo inter imprimendum versatur) circùm lutum volvitur; et, si verum est, ut asserit Volney, plurimas ex antiquis gentibus existimâsse terram esse cylindraceam; illamque hâc formâ in hieroglyphycis suis symbolis adumbrâsse, longè completior fit metaphora, vocesque in nostrâ versiculi præcedentis anglicâ translatione contentæ, *ut obtineret fines terræ*, perfectè et omninò sunt accuratæ; sive subjectum verbi *obtineret* referatur *ad lucem matutinam;* sive omnia pervadentem Providentiæ radium designet, qui moralem turpitudinem in lucem prodit. Ad posteriorem tamen sensum specialiùs spectat præcedens textus. Verba hæc : *Convertitur ut lutum ad signaculum....*; *ipsi stant, vel sese offerunt, ut vestimentum*, sic intelligenda sunt : Mali, de quibus in præcedenti versiculo agitur, stant manifesti et oculis expositi, ut, accedente lumine, vestimenti Phrygium opus; vel potiùs, meo sensu, versiculo isto unà cum præcedente considerato, in eo stat analogia quod mali, et quæ in cœlaturâ occulta latebant, æquè excutiuntur, ut vestimentum ab eo quod involverat et cui adhæserat, excutitur.

Sic igitur litteralis et figurativi sensûs permixtio, quod et occurrit in aliis omnibus versionibus quas mihi consultare licuit, locum istum implicuit, et unà cum cylindraceorum sigillorum quâ laborabant ignorantiâ, et astronomiæ scientiæ neglectu, iis quoque molestiam intulit commentatoribus, qui in eo explanando insudârunt. Arbitrati sunt enim signacula regionis Hus non potuisse alius esse formæ ac quæ in recentiorum populorum sunt usibus. At verò nunc, cùm versatilia hæc sigilla producuntur (1), in spem adduci debeo quòd doctarum conjecturarum nebulis, quibus obvoluta res fuerat, depulsis, verus hujus mystici loci sensus, quasi lux matutina nobis, sub magnificæ metaphoræ formâ illucescet. Nam ex toto hoc loco, unà cum sigillis considerato, momentosa prodit et magnificentissima similitudo inter tria verè dissimilia, lucem scilicet matutinam, quæ, emissis suis radiis, tenebris jacentem mundum circumlustrat, et quidquid in eo latebat detegit; hanc quoque intellectualem lucem, ex Deo emanantem, quæ sub genuinis suis formis tenebrosa facta et morales malorum ho-

(1) D. Harmerus ait : « Januæ horreorum Josephi, « in veteri Cairo, sedulò signatæ servantur; eorum au- « tem inspectores hoc in casu cerâ non utuntur, sed « sigillum suum in luti pugillo apponunt. Mos iste « traditionalem habere potest ad ipsius Josephi usum « relationem; cùm pateat, ex D. Harmeri narratione « seram esse in horreorum januâ. » *Observationum* vol. 2, p. 457.

(1) Istæ magni pretii antiquorum temporum reliquiæ variis sunt dimensionibus. Generaliter loquendo, ter quartam unciæ partem in longitudinem habent, et à paulò minùs quàm uncia ad tres uncias in circuitu. Forma eorum sigillorum, ut jam supra statutum est, cylindracea est. Quædam ex ipsis regulares cylindri sunt, ratione habitâ, ut decet, detritûs quem necessariò subierunt; alia verò non sunt admodùm cylindracea, sed, ut pyrgus paululùm concava et excavata sunt in lateribus; cuncta autem longitrorsùm perforata : In unoquoque cylindrorum horum varia *intaglio* elaborata cælata sunt emblemata. Introduc intùs metallicum axim, ait doctor Landseer, qui pretiosarum harum gemmarum egregiè depictarum seriem dedit; et aliquam ex his cælatis gemmis quasi *volventem horti lapidem* apta; tunc fit confestim signaculum, usu facile, et rerum copiam continens.

minum turpitudines (1) manifestat; et demùm unius cujusdam ex his cylindraceis signaculis in luto impressionem, quod lutum, dùm cylinder in imprimendo circumagitur, inflectitur, eoque signaculum quasi vestimento involvitur (donec illud ad planum, dùm adhuc udum est, reducas), sicque ante oculos conspicuum ponit, quod *intaglio* cælatura tectum continebat.

Quòd similis ad signaculum allusio, ad signaculum forsan ejusdem generis in altero ex antiquissimis poematibus exstiterit; quòd Hebraicæ citharæ poetæ libri Job Græca lyra responderit, illud est aliud mirabile factum quo, si ejusmodi confirmatione opus esset, confirmari posset poeticæ analogiæ veritas. In Orphei ad Apollinem, seu Solem hymno, deus iste signaculum habens exhibetur, quo tenebris insidenti mundo futuras imprimit temporum varietates. Locus sic à D. Good redditur : « Tribus terræ, non minùs « quàm naturæ, TUÆ HARMONIÆ temporum varietatem « et jucundas vices debent; ideò tu totius mundi si- « gnaculum possides; » et in prævià hymni parte, eamdem cœlestem invocans potestatem, ait poeta : *Tua sunt totius mundi extrema :* quod etiam strictè congruit huic libri Job strophæ, quoad *diem orientem*, seu *diluculum, qui novit locum suum, ut obtineat fines terræ.*

Atverò, ut jus suum auctori Hebraici Arabicive poematis, ex qualicumque sit origine, tribuatur, hunc textum non linquam, quin etiam notaverim quàm alta astronomiæ scientia in eo contineatur : *Numquid post ortum tuum præcipisti diluculo? Numquid causa es cur diluculum locum suum noverit, ut obtineret fines terræ?* Ille textus, si componatur cum hâc sublimi Jehovæ potentiæ descriptione : *Manus ejus incurvavit serpentem fugientem* (2), ostendit apertè poetam, et hos ex ejus lectoribus quos immediatè alloquebatur, notam habuisse viam spiralem, id est, apparentem annualem viam, quam sol in cœlis decurrit. Supposito igitur quòd auctor et ejus lectores, vel auditores hoc noverint, inde emphatica et validissima significatio venit ad quæstionem : *Numquid tu ostendisti diluculo locum suum?* Quippe de die in diem locus iste mutatur. In vernaculo tempore, et in remotâ patriarchæ ærâ, dies ex Tauri sideribus oriebatur, et in æstivo ex Leonis sideribus.

Veritas et altitudo observationis quæ prodit ex textu : « *Spiritu suo ornavit cœlos; manus ejus incurvavit ser-* « *pentem fugientem* » ; et creatrix, præsidensque Jehovæ potentia, quæ in eo asseritur et evolvitur, non planè et omninò manifestantur, quomodò locus communiter fuit explanatus. Non latiùs patet sensus quàm quod capit auris; sed quod auris capit, mens æquè capere non potest, nisi sub astronomico respectu, et communis annotatorum pars è contra supposuerunt voces *fugientem* aut *curvum serpentem* (ut redditur in communi Anglicâ Bibliâ), alludere litteraliter ad terrestris serpentis incurvationes (1).

(1) Verba quæ apud Job ista sequuntur perfectè homogenea sunt explanationi quam hìc submittere aggredior. Nam hæc : *Ab impiis ablata est lux sua*, apertè significant Providentiam manifestare malos impiorum actus quibus sua eos infatuatio obcæcat. Reliquus versiculus quindecimus facilè intelligitur, nec ad cylindros refertur.

(2) Sic enim redditur à D. Good, cui libentissimè assentio, quoad astronomicam interpretationem huic versiculo apponendam. Immediatè præcedentia contextûs verba : *Spiritu suo ornavit cœlos*, haud dubiè illum ad ita concludendum duxerunt, nec ad aliud concludendum, rectè eum ducere poterant.

CAPUT III.

METALLA.

Non in externâ tantùm terræ facie, quam colles vallesque et virentes saltus, in modum magnificæ comæ exornant, tua apparet potentia, sed usque in internis et profundi demissis cavernis mineralia tuam potentiam testantur.

AURUM.

Aurum est gravissimum, purissimum et maximè ductile, et sub his respectibus, pretiosissimum omnium metallorum. Frequentiùs nativum reperitur, rarissimèque in minerali statu (gallicè *minerai*), id est, suâ metallicâ formâ exutum, ejus particulis cum sulphure intimè immixtis; et ubi, quod rarissimè accidit, in hoc statu reperitur, nunquàm tamen peculiare minerale constituit, sed inter aliorum metallorum mineralia intermixtum est, et frequentissimè inter mineralia argenti, aut in quibus, licèt alius cujusdam metalli sint, magna tamen inest argenti copia, in quâ aurum degit in suo minerali statu. Reperitur aliquando in massis magni voluminis, quarum plurimæ unam libram et ampliùs ponderant : hæ inveniuntur in auri fodinis vocanturque *aurum obrizum, obrizium*, sed rarissimæ sunt : ejusmodi tamen aliquando ex Germanicis fodinis prodierunt. Communiter apparet in suo tenuissimo statu, sub formâ aurei pulveris ; hoc est nativum aurum, in tenuioribus et vulgò sanè tenuissimis particulis, quæ fluviorum arenis immiscentur. Hoc genus invenitur in omnibus ferè mundi partibus, sed maxima copia ex Guinææ littore est. Ex omnibus inquisitionibus in hâc causâ factis, simplicissima omnium substantiarum aurum videtur. Rubigine prorsùs caret, pulsatumque sonorum est. Vehementi igne opus est ut liquefiat, inalteratumque manet in hoc caloris gradu, in quo stannum et plumbum liquefiunt, sed tamen minùs vehementi igne fluit quàm necesse est ad liquefaciendum ferrum aut cuprum.

De auro mentio fit in totâ Scripturâ, hujusque metalli usus apud veteres Hebræos, sive in nativo, sive in mixto statu, et ad eosdem fines quàm nunc adhibetur, communis fuit. Arca Testamenti puro auro circumvestita est, et propitiatorium, vasaque et ustensilia quæ ad tabernaculum pertinebant, erant ex auro, et etiam vasa domûs Domini et vasa potatoria regis Salomonis. Ex auro catenulas, armillas et alia ornamenta, nummos, numismata, coronas, etc., conficie-

(1) Landseer., *Sabææ Inquisitiones*, p. 11-17. Ad ampliorem et accuratiorem hujus loci interpretationem, vide *Cursum compl.* Scripturæ sacræ, tom. 14.

bant. Ex Ophir fodinis maximam auri sui partem obtinebant David et Salomon (1).

In Job, 27, 15-17-19, de auro quinquies fit mentio, et quatuor ex verbis quibus exprimitur, in textu varia sunt : 1° *segor*, cujus sensus esse potest *aurum in fodinâ*, aut conclusum (ut sensus est radicis), in minerali; 2° *kethem*, ex *catham*, *signare* vel *imprimere;* aurum in nummos cusum et circulans, aureus archetypa qui sui valoris notam exhibet; 3° *zahab*, elaboratum aurum, purum, politissimum; 4° *paz*, soliditatem, densitatem et vim denotans, probabiliter aurum in varia lancium et vasorum genera confectum (2).

Suas olim aurarias fodinas habuit Arabia. Aurum Saba (Ps. 71, 15) est, juxta Septuag. et Arabicas versiones, Arabicum aurum. Saba enim vetus est Arabiæ felicis vocabulum. Certos nos facit Sanchoniaton, ut ab Eusebio et Herodoto citatur, Phœnicenses, permagnum hujus auri commercium fecisse, etiam ante ætatem Jobi, qui de eo loqui supponitur, cap. 22, 24. Sed D. Good contendit, vocem originalem *auphir*, generaliter redditam *ophir*, hoc in loco, additum habentem aurum, ut integer fiat sensus, directè Arabicum verbum esse, ex *apher* aut *afr*, significareque *fluere*, *ruere*, *pertransire*. Quicumque Hebraicos versic. 24 et 25 considerat, ait Chappelow, pronus esse debet ad censendum ibi esse figuram *paranomasiam*, ut vocant rhetores, id est, *proximam affinitatem in litteris et sono.*

Tu igitur conservabis ut pulverem (aphar) *thesaurum* (betzer);
Fluet igitur (auphir) *ut thesaurus* (betzer) *rivorum ;*
Et igitur Omnipotens erit ærarium tuum (betzereca)!

Sunt et Davidis ex Psalmis designati *aurei* Psalmi, cujus designationis sensus diversè fuit à commentatoribus conjectus. Harmer probabilissimam hujus distinctionis rationem assignavisse videtur (3).

Nonne sexagesimus psalmus et quinque cæteri qui epitheto hoc distinguuntur, *aurei* vocari potuerunt, ait, quòd in aliquâ circumstantiâ, aureis litteris scripti fuerint, suspensique in sanctuario vel alibi? Non certè, hoc fieri potuit, eo quòd superiorem cæteris hujus collectionis hymnis excellentiam habere putati sint, absolutè loquendo; sed quòd quibusdam particularibus circumstantiis appropriati sint, quæ occasio fuerunt cur præcipuo hoc honore affecti fuerint. (Vide Isai. 37, 14.)

Opera septenorum excellentissimorum Arabum poetarum qui ante tempus Mahumetismi florebant, vocata fuêre *Al moallacat*, quia successiva, quodque suo honoris ordine, templi *Meccæ* foribus affigebantur; et insuper *al modhahebat*, cujus sensus est *auratum* vel *aureum*, quia scripta erant litteris aureis in Ægyptiaco papyro (4). Idem scriptor in sequenti paginâ (5) statuit Arabes, ubi alicujus poema laudare volebant, solitos fuisse dicere : *Hi sunt aurei versus illius viri;* quæ consuetudo oriri ipsi visa est ex eo quòd hæc poemata litteris aureis scripta erant.

(1) Calmeti *Biblia encycl.*, artic. *aurum.*
(2) Doctor A. Clarke, *Comment. in Exod.*, 25, 3.
(3) *Observ.*, vol. 3, obs. 6.
(4) D'Herbelot, *Bibl. orient.*, p. 586.
(5) Idem, p. 593.

ARGENTUM.

Metallum hoc, non minùs ac illud de quo in præcedenti articulo agitur, notum est, et ei proximum accedit in pretio; ut illud, à primævis ætatibus in nummos cusum, aut saltem permutationum causâ impressum, et quoque in varia ustensilium genera elaboratum est. Vid. num. 7, 13, 84; 10, 2; 1 Paral. 28 15, 17, etc.

AMBARUM vel ELECTRUM.

Evidens est ex modo quo propheta Ezechiel loquitur de *chesmel, ambarum* (cap. 1, 4, 27; et 8, 2), eum non intendere bituminosam substantiam nunc tam clarè notam sub hoc nomine. Septuag. reddunt vocem Hebræam ἤλεκτρον, cujus sensus est *electrum*, id est, metallum auro et argento mixtum, *crystallum.* Ex hâc Ezechielis versione, cap. 1, 4 : *Et de medio ejus* (venti turbinis) *quasi species electri..... in medio ignis*, apparet interpretes, per ἤλεκτρον significare potuisse neque *ambarum*, neque *crystallum*, quippe prius fit obscurum statim ac ignem sentit solviturque subitò in resinosam piceamque substantiam; et posterius vix unquàm in igne ponitur; et, si poneretur, ex ipso igne nihil nisi fuliginem et opacitatem perciperet. Restat igitur ut significent mixtum illud metallum quod ab antiquis multùm fuit celebratum propter magnificum splendorem, quòdque igni expositum, ut aliæ materiæ, lucidius et splendidius fit. Inde Septuag. translatione suâ proximè videntur accessisse ad sensum genuinum vocis Hebrææ; nam, cùm Ezechiel apud Chaldæos prophetizaret, post Joachim captivitatem, hìc, ut in aliis locis, Chaldaicâ voce usus esse videtur; et, ut talis considerata, vox *chesmel* derivari potuit ex *nechesh*, *cuprum* (demptâ initiali *n*), et ex Chaldaico, *melel*, *aurum*, quale è fodinâ egreditur; atque ita designat vel metallum cupro et auro mixtum, ut *æs pyropum*, de quo apud veteres Græcos et Romanos scriptores, sicque vocatum ex igneo suo colore, et *æs Corinthium;* vel aliter *chesmel* significare potest speciosam cupri speciem, quale erat illud de quo Aristoteles ait quòd colore et apparentiâ, externâ facie ab auro discerni nequibat, et ex quo probabile est Darii crateras, de quibus idem auctor mentionem facit, et duo vasa ex specioso cupro (flavo aut lucido ære), pretioso ut aurum (Esd. 8, 27) confecta fuisse. Scheuchzer (1), qui inter varias vocis *chesmel* interpretationes posteriorem præfert, addit hanc speciosi cupri speciem adhuc notam esse in orientalibus Indis sub nomine *suassa*, eoque utuntur ad conficiendos annulos et crateras, ad magnatum usum, et æquis auri et ruberrimi cupri partibus componitur (2).

CUPRUM.

Metallum hoc quod ex omnibus imperfectis auro et argento propiùs accedit, occurrit tantùm in 1 Esd. 8, 27, in Anglicâ Bibliâ, cùm translatores nostri vocem

(1) *Phys. sacra*, in Ezech. 1, 4.
(2) Parkhurst, *Lex Hebr.* — Vide etiam Harmeri *Observ.*, vol. 4, obs. 87.

nechseth in aliis locis reddiderint *æs*, quanquàm, juxta maximam interpretum partem, anachronismi rei fuerint, eò quòd, ut putatur, factitii hujus metalli formatio non præcesserit ævum longè subsequens tempora in quibus, juxta ipsos, de eo mentio jam fieret.

Doctor Adamus Clarke (1) tamen pronus videtur ad translationis nostræ veritatem defendendam; sicque agere videretur. Doctor Geddes, quippe qui eamdem interpretationem admittit, animadvertit prior metallum factitium, *æs* communiter vocatum, formari ex combinatione oxidæ vel mineralis xinci, *lapis calaminaris* vocati, cum cupro; æs illud longè antiquitùs in usu fuisse; et ad cupri præparationem quâ in factitium hoc metallum transformaretur, sagacissimè alludi in Job. 28, 2 : *Ferrum de terrâ tollitur, et æs ex lapide liquescit*. Quod sic transfert Vulgata : *Ferrum de terrâ tollitur; et lapis solutus calore, in æs vertitur*. Longiùsne procederemus dicendo lapidem hìc referri posse ad lapidem calaminarem de quo utebantur ad vertendum cuprum in æs? Quòd æs capax esset tàm speciosi nitoris ut lucidissimum fieret, diutissimèque nitorem servaret, ex illo apud cunctas gentes arma cùm ad nocendum, tum ad tegendum confecta fuêre; et cuprum nullo modo fuisse reputatum videtur, nisi quòd ad æs conficiendum usui esset.

Supponit Parkhurstus cuprum vocari *necheshet*, quia color ejus (*nechesh*), serpentium coloris similitudinem gerit, animadvertitque serpentem Moysis jussu confectum, ut exaltaretur, ex cupro confectum fuisse, Num. 21, 9; ubi expressio est notabilis : *Wiosh mesheh nechesh nechechet*. Sic aurum ob suum splendorem vocatur *zeheb*, argentum verò *keseph*, propter suum pallorem. Cùm enim homo animalia haud dubiè ante mineralia nota habuit, (comp. c. 2, 19, 20 Gen. cum c. 4, 22) valdè probabile videtur, ut ingeniosus notat criticus, linguam primævam potuisse aliquando, et ubi qualitatum aderat similitudo, mineralia exprimere nominibus derivatis ex iis quæ primariò animalibus data fuerant; et, in præsenti casu, notandum est, cuprum non tantùm serpentino esse colore, sed noxiorum horum animalium simile esse quoque in vi suâ destructivâ, quippe quod in omnibus suis præparationibus venenosum reputatur (2). Doctor Harris proponit legendum *netshet*, loco *necheshet*, quod deducere possumus ex verbo *netesh*, effodere; genuina vocis *fossilis* significatio, quæ deducitur ex latino *fodio* (3). Valdè tamen conquerendum est auctorem hunc conjecturalium sacri textûs emendationum studio teneri. In præsenti loco dicere non præsumit se alicui manuscripto aut versioni inniti; non poterat equidem; quapropter ipsius conjecturam, quantumvis ingeniosam, excidere necesse est.

Interpretes nostri vocem Hebraicam *maroth* reddiderunt *speculum vitreum* in Exod. 33, 8, et Job. 37, 11. Sed ars conficiendi specula ex vitro, hydrargyro cooperto, prorsùs moderna est inventio. Doctoris Adami Clarke nota est super locum Exodi, in quo versio nostra Moysem exhibet labrum æneum et basim ejus æneam, ex mulierum speculis conficientem. Hìc, inquit, metallum optimè politum indicari potest, cùm vitrum nondùm erat in usu, et quanquàm jam in usu fuisset, certi sumus labrum æneum non potuisse confici ex speculis vitreis. Vox igitur reddenda erat *mirror*, speculum, non *looking-glass*, *speculum vitreum*, quod in versiculo præcedenti absurdissimum est, quùm ex his *maroth*, speculis labrum æneum confectum fuerit. Prima hominibus nota specula, clari et quieti fontes, et tranquilli lacus fuerunt. Factitia specula primò ex ære, postea ex acie, et ubi increvit luxus, ex argento, confecta sunt; sed à remotissimis temporibus, ex mixto metallo, specialiter stanno et cupro, quorum optima, si Plinio fides, primò Brundusii conficiebantur (1); sed juxta ipsum, specula stannea majoris fiebant; dicitque argentea specula adeò vulgaria facta esse, ut famulæ etiam iis uterentur (2). Ubi Ægyptiæ mulieres templa adibant, sua secum semper specula ferebant. Idem egerunt mulieres Israelitarum; et D. Shaw asserit mulieres Arabum ea constanter mamillis suspensa ferre.

Notari potest vocem *looking-glass*, *speculum vitreum* occurrere in nostrâ Ecclesiast. versione, 12, 11 : *Non credas inimico tuo in æternum; nam sicut ferrum* (ad marg. *æs*) *æruginat, sic malitia illius. Quamvis se humiliet et incedat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo, tuque illi eris quasi speculum vitreum lavavisses, noscesque rubiginem ejus non penitùs extersam esse* (3). Probat locus iste, mentione factâ de rubigine, specula metallo polito confecta fuisse.

Pulchrum æs Apoc. 1, 15 et 2, 18, redditur à Vulgatâ *aurichalcum*, ostenditque Bochartus vocem *aurichalcum* usurpatam fuisse à Romanis pro duabus metallorum speciebus quorum unum nativum, alterum verò factitium erat; unum pretio aurum adæquabat, alterum longè inferius erat. Quoad ex duobus his metallis pretiosius, quamvis de eo apud Hesiodum mentio fiat, sub vocabulo ὀρειχάλκον, et apud Virgilium sub nomine *aurichalcus*, à diebus tamen Aristotelis in quæstione est utrùm ejusmodi metallum reipsà exstiterit. Plinius, qui fuit Apostolorum coævus, expressè declarat nihil ejusmodi longè ante reperiri (4). Satis nobis igitur certum est χαλκολίβανον in Apoc. designare pessimam *aurichalci* (5) speciem quæ ex cupro et *ladmian* terrâ componitur, valdèque æri nostro similis. Nam cupri massa cum æquali calaminæ, seu la-

(1) *Comment. in* Exod. 25, 3.
(2) *Hebr. Lex.*, sub voce.
(3) *Hist. nat.*, p. 54.

(1) *Hist. nat.*, lib. 33, c. 9.
(2) *Ibid.*, lib. 34, c. 17.
(3) Vulgata alio modo locum hunc reddit : *Non credas inimico tuo in æternum, sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius; et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo. Non statuas illum penès te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne fortè conversus in locum tuum inquirat cathedram tuam; et in novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris.*
(4) *Hist. nat.*, lib. 4, c. 2.
(5) Comp. Vulgatam, Eccles. 47, 20, ubi respondet Græco κασσίτερου, *stannum*.

pidis calaminaris quantitate soluta, notabiliter augebitur, fietque hâc operatione flavum cuprum, quod æs dicitur (1). In de observat Bochartus Gallos tunc vocare æs *archal*, corruptâ latinâ voce *aurichalcum*, nuncque phrasi *fil d'archal* uti pro æreo stamine (2).

In duobus vel tribus locis interpretes nostri reddiderunt *nechest*, *acies*.

FERRUM.

Hoc est, sine controversiâ, utilissimum, et consequenter pretiosissimum omnium metallorum notorum. Ejus ope terra culta fuit et subdita, domus erectæ, civitates constructæ, naves confectæ, mechanica orta, nationesque ditatæ sunt.

Ferrum rarò in statu nativo reperitur; generatim cum aliquo acido *mineralizatur*, formamque mineralis assumit. Evidenter patet ex Deut. 8, 9, Palæstinam hujus metalli fodinis abundare, etsi, nunc in nullâ istius Regionis parte excepto Libano existere noscantur. Cur nos lateat earum existentia causa, est Arabum invidia, qui nullum viatorem internas terræ partes indagare sinunt, ne quo thesauro qui ibi jacere posset potiatur. Evidens est ex antiquissimis veteris Testam. libris ferrum usui fuisse, jam Moysis ætate, non modò ad arma conficienda, sive ad nocendum, sive ad tegendum, sed ad ustensilia quoque domestici usus. Reipsà, ejus usus Patriarchis antediluvianis evidenter notus erat, qui artem metallurgiæ à Tubal-caïn edocti fuerant. Gen. 4, 22.

Cùm inter omnia metalla vehementissimum ignem ut solvatur requirat ferrum, speciali proprietate gaudet vox *fornax pro* ferreo seu fornax ferrea, ad exprimendas violentas acerbasque afflictiones, ait Parkhurst, Deut. 4, 20; 3 Reg. 8, 51.

PLUMBUM.

Juxtà aurum et hydrargyrum, gravissimum omnium metallicarum substantiarum plumbum est; sed duritie cedit omnibus cæteris. Colore pallidè lividèque cinereo est; merum, insonum est, et supra modum flexibile. Communissimè è fodinâ extrahitur, in statu permixtionis cum sulphure et parvâ argenti quantitate, ex quâ separatur ope fornacis, in quâ ad fluidum statum reducitur.

Singularis adest locus apud Jer. 6, 28-30: *Omnes isti... sunt æs et ferrum; universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum* (1). *Evanuit plumbum* (de quo utebantur ad mundandum minerale); *frustra conflavit conflator, sed malitiæ eorum* (seu forsitan malæ heterogeneæ materiæ, (*non sunt separatæ* (et hìc casus occurrit); *reprobatum*, (seu repulsum) *argentum vocabuntur, quia Dominus projecit illos.*

Ex Job. 19, 23, 24, videmus plumbo inscriptas fuisse in primævis temporibus res quas longâ temporum serie servandas volebant. Plures plumbei libri in orientalibus Regionibus inventi sunt (2).

In 4 Reg. 9,30, et Jer. 4,30, de quâdam substantiâ mentio fitquâ mulieres uti solebant ad depingendos sibi oculos; etquæ, vocata *pouk* generaliter censetur fuisse sive plumbei mineralis pulvis, sive nigrum plumbi recrementum. Statuunt Shaw (3) et Russell (4) priore ad hoc uti mulieres Barbariæ et Aleppi.

STANNUM.

Metallum istud tot ad usus nunc adhibitum, in Moysis ætate quoque notum erat, qui de eo loquitur inter enumerandum sex metalli species. Num. 31, 22.

Nulli metallo tantùm nocet stanni admixtio quàm argento: minima enim illius quantitas hoc non secùs ac vitrum fragile reddit, et, quod pejus est, difficillimè rursùs ab eo separatur. Ipse stanni vapor idem agit ac metallum, in auro, argento et cupro, eaque fragilia reddit. Inde nobis patet, ait Parkhurstus, quàm accuratè loquatur Dominus, cùm per prophetam Isaïam hæc denuntiat, c. 1, 25, comparato enim, vers. 22, populo Judæo cum argento, declarat, v. 25: *Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum.* Ubi Aquila, Symmachus, Theodotion et Vulgata legunt *stannum tuum*; Septuag. è contra legunt *malos*. Illa Dei denuntiatio, si cum præcedenti subsequentique contextu conferatur, indicare videtur Deum velle, viâ judicii eos mundare, qui apud Judæos mundari poterant, non minùs ac exprobatos et inemendabiles destruere. Comp. Jer. 6, 29, 30; 9, 7; Ezech. 22, 18-20; Malach. 3, 3.

Apud Ezech. 27, 12, Tharsis exhibetur producens stannum, quæ regio, si fides Bocharto, generaliter putatur esse vetus Tartessus in Hispaniâ (5).

(1) *Natura explicata*, vol. 3, p. 289.
(2) Parkhurst. *Lex. Græc.*, sub Χαλκολίβανον.

(1) Ità Keri, *Targum*; 24 *Kennicott* Codices, et Septuag.
(2) Vide *Fragmenta* ad Calmetum, n. 74.
(3) *Itinera*, vol. 1, p. 413.
(4) *Hist. nat.* Aleppi, p. 132.
(5) Parkhurst, Heb. Lex., *sub voce*. Visendæ sanè notitiæ de Phænicensium cum Britannis, stanni, quod illorum terra producit, commercio, peti possunt ex Vallanceq, *Collect. de Reb. Hibern.*

PARS SECUNDA.

BOTANICA.

Innumerabilis est vegetalium viridans multitudo sicut astra quæ cœlorum sursùm faciem exornant. Ut ordine disponantur eorum cunctæ tribus, et sive genericâ sive specificâ serie struantur, hujus, ô mirande Sweet, requireretur scientia cujus vasta mens, ut olim philo-

sophus rex Tadmor, ex hyssopo quæ crescit in pariete, usque ad superbos Libani cedros pertinebat. Tanta solertia quâ triplex copiosum metitur naturæ regnum arte nostrâ non indiget, cujus unica cura est notare has generales formæ, dimensionis, incrementi, durationis, virtutis et coloris proprietates, quæ iis primariò fuerunt impressæ, quando, in ortu temporis, verbum quo forma data et vita fuit inspirata, ea omnia è nihilo protulit

(Transl. ex Mason.)

Hæc naturalis historiæ sectio, quæ ad vegetalia pertinet, vocata fuit *Botanica*, ex Βότανη, *planta* vel *herba*; et *Phytologia*, ex φύτον, *planta* et λόγος, *discursus*. De eorum structurâ et vitalibus motibus, de eorum systematicâ ordinatione; variarumque specierum denominatione, eorumque specialibus proprietatibus et usibus tractat (1).

Si cunctæ nobis notæ res, quæ super terræ faciem diffusæ jacent, quorumdam hominum sedulæ et laboriosæ investigationis patientium, sed cujuscumque hucusque propositæ ordinationis ignarorum examini subjicerentur, parùm dubium esse potest quin eadem ab omnibus classificatio admitteretur, et res illæ in tres magnos ordines distribuerentur, scilicet *mineralia*, *plantas* et *animalia*; hæc est enim, respectu saltem descriptionis, accommodatissima quæ dari possit distributio. Nulla quidem adest difficultas distinguendi hoc *minerale* ab hâc *plantâ*, vel hanc *plantam* ab *equo*, *elephante*, aut alio quovis quadrupede; cùm verò devenimus ad considerandos cujusque naturæ regni fines, tum adeò tenuia esse lineamenta et gradus invenimus, talique gradatione pollere transitiones unius corporum classis ad alteram, ut res sese sæpè offerant, quarum difficiliter propriùs ordo assignaretur (2).

Quantumcumque igitur animalis et vegetalis vitæ in earum perfectissimis et maximè elaboratis formis discrimen pateat, ubi ad contiguos utriusque regni fines accedimus, discrimen hoc gradatim sic effugit, *obscurum, invisibile*, *in umbram dilabens*, mutuique accessus adeò sunt stricti et intimi, ut difficillimè tunc inter ea distinctionis linea designaretur, et ad quod regnum res quælibet pertineat assereretur.

D. De Mirbel, in suo excellentissimo tractatu, *De plantarum Anatomiâ et Physiologiâ*, discrimen animalis et vegetalis regni delineare enixus est, ut sequitur, hæcque distinctio à sir Edward Smith adoptari videtur: « Solis plantis datum est victum sumere ex inorganicâ materiâ, merâ terrâ, salibus et aere, quibus substantiis ali nequeunt animalia quæ iis solummodò vescuntur, quæ sunt vel fuerunt materiæ organizatæ, sive vegetali sive animali naturâ. » Itaque solius vitæ vegetalis esse videretur res vitâ carentes in corpora vitâ et organis prædita transmutare.

Illud vegetalis et animalis vitæ discrimen oppugnat Doctor Good, notatque nos, dùm distinctivum pro animalibus et plantis characterem delineamus, hunc ex cujusque speciei perfectissimo deducere cogi, et casus extremos definiendos linquere ex chimicorum compositione, quam ex partium dissolutione novimus. Sub vasto isto rei aspectu ad id notandum procedit, quòd dùm inter se conveniunt de origine per generationem, de incremento per nutritionem, de fine per mortem, de organizatâ structurâ, de interno vitali principio, longè differant quoad dotes quibus vitale principium pollet et effectus quos producere potest. In plantis, quantùm id prosequi nobis licet, irritabilitatis, contractilitatis et meri instinctûs proprietatibus circumscribitur, in animalibus verò, supradictis proprietatibus additur muscularitas, sensatio et voluntaria motio (1).

Mira verè est vegetalium structura et à nobis admirationem attentionemque postulat. Quàm excellenti modo radices ad firmiter inhærendum in genitrice suâ terrâ, non secùs ac ad alimentum sumendum in plantæ sustentationem, humoremque ebibendum ex vicino solo, coaptantur! Quàm convenienter varia tubuli et fibræ quibus truncus et stipes componuntur, ut ascendat succus, extremosque foliorum et ramorum fines attingat! Quàm accurata foliorum structura ad varios et maximi momenti usus quibus in vegetationis œconomiâ inservire debent! Quàm exquisitum indumentum affert cortex non tantùm ad stipitem et ramos ab externis injuriis, sed à noxiâ etiam frigoris et æstûs vi protegendum! Quàm evidentia sapientiæ et consilii signa in suâ speciosâ et exquisitissimâ structurâ flores evincunt! Quàm exquisita eorum constructio ad tutelam et alimentum primorum et tenerorum fructûs initiorum, et cùm firmior solidiorque evasit fructus, quàm celeriter officium suum linquunt, lapsaque cadunt, ubi jam non ampliùs necessaria! Quàm mirabiliter, quibusdam in classibus, semens contegit et defendit fructus donec maturitatem attigerit! Quàm tandem exquisitum stupendumque organizati mechanismi opus est ipsum semen, et, cùm sit necessarium ad specierum suarum regerminationem, quàm insigniter earum conservationi et continuatæ seriei provisum est! Quid aliud quàm Dei sapientia providere potuit ut semina quæ sylvarum incolarum vastationibus magis essent obnoxia, non duplici, sed et quædam ex ipsis triplici indumento protegerentur (2); ut quæ magis requirerentur ut alimentorum genus tantam tamque fœcundam generandi vim haberent (3); utque semina in

(2) Vide *Botanic. Grammar.* Smith, p. 1, 2; et *utilem Notit.* Bingley, vol. 2, p. 1, *de Vegetalibus*.

(1) Vide in hanc materiam seriem dissertationum Dublinii, in Mechan. Instit. habitarum à doctore Mc Keeven, et editarum in Lancet, vol. 12.

(1) *Liber naturæ*, vol. 1, p. 171.

(2) Ut in nuce, primò crassum carneum operimentum habemus, deinde durum corticem, intùs est semen duplici membranâ inclusum.

(3) Frumentum non tantùm est planta maximè prolifica, sed maturitatem in calidis et frigidis, non minùs quàm in temperatis climatibus attingit.

genere quæ tot casuum lusibus et injuriis subjiciuntur diuturnæ vitalitatis principio gauderent, cujus ope, vi suâ frugiparâ non facilè sanè spolientur! Plantæ quoque variis modis multiplicantur et propagantur, quibus earum continuatæ seriei firmiùs providetur.

Nec minùs visibilis est Providentiæ digitus in modis quibus ad diffundenda disseminandaque vegetalia utitur, quàm in curâ quâ eorum continuandæ seriei providit. Bonitatis Dei plena terra dici potest; sed undè hoc, quòd in locis homini imperviis, et in ruinosorum ædificiorum tectis varia tot vegetalis creationis specimina reperiantur? Nonne è modo quo magnus naturæ Agricola semina sua circumfundit? Dùm quarumdam plantarum semina satis sunt gravia ut in terram decidant, sedemque suam collocent propè nativum locum; alia, postquàm à quadrupedibus absorpta fuêre, in solo vicino deponuntur; quædam ab aeris volucribus in remotiores plagas, vel, mollibus levibusque plumis prædita, in loca sibi destinata ventis cœli feruntur. Ne quædam propiùs remaneant elasticis casis includuntur, quibus, ut plenè sunt matura, ruptis, undequâque fugiunt quæ in illo carcere detinentur; ne verò quædam longiùs abeant uncinis et hamis providuntur qui ea fugientia sistunt, eaque locis naturæ suæ maximè congeneribus infigunt. Hæc sunt aliqua *opera Domini et* sunt *mirabilia in oculis nostris!*

Quoad plantarum structuram magnum discrimen observamus in trium classium consistentiâ. Comparatus cum ruborum specie quàm durus, firmus et tenax augustæ quercûs stipes; et cum herbaceâ tribu comparatus, quàm lignosus, tenax et elasticus est albæ spinæ surculus! At ideò, quomodò potens sylvarum rex procellæ furori resistere potuit? Dùm vilissimi humillimique rubi tantâ texturæ firmitate non indigent, eos flexibilitas et elastica tenacitas, necnon et aculeata quâ instruuntur lorica, quo in loco exponuntur, injuriis minùs obnoxios reddunt.

Herbacei ordinis distinctivus character est mollities cui accedit major adhuc flexibilitatis gradus; quàm sapienter id fuit ordinatum ad varios usus quibus herbæ creatæ sunt! Si ipsis inesset arborum firmitas quarum aculeatis culmis lenis lanuginosusque naturæ tapes locum cessit; si ruborum tenacitas, quomodò pecoribus nostris pabulum ministrarent?

Sunt et multæ aliæ propriæ et peculiares vegetalis regni qualitates, in quibus mirabilis divinitatis actio lucet præeminetque. Quàm stupendum, quòd, exempli gratiâ, si inversâ positione semen terræ mandetur, junior radix spontè se deorsùm deprimat, dùm stipes altiùs in solum illabi denegat, seque circum inflectit ut per terræ faciem emergat! Quàm mirum est quòd arboris aut plantæ radices, ubi lapidem vel alium progressibus suis sub terram obicem obvium habent, directionem suam mutant eumque devitant! Quàm admirabile quòd innumeri surculi, qui è radice pullulant, ut humorem inquirant, sequuntur quasi quodam instinctu, viam quæ ad illum ducit, è sterili ad fertilius solum transeunt, quòdque plantæ in tenebroso loco inclusæ inflectuntur vel irrepunt ad aliquam aperturam quâ luminis radii introduci possint!

Sub hoc respectu dici potest vegetales tribus aliquâ ad vitam animalem analogiâ referri; sed ibi non stat adhùc similitudo. Quàm stupendum phenomenon est, quod vocatur *plantarum somnus* (1), sexualeque Linnæi systema, quod in eo stat quòd in vegetali non secùs ac in animali regno sexuum discrimen existere detexerit!

Quàm mirabilem staturæ, formæ colorisque varietatem in hoc copioso rerum ordine invenimus! Quàm diversas ab aliis quædam habent proprietates! Quàm propè quædam accedunt ad ordinem sibi immediatè superiorem in existentiæ scalâ! Sensitiva planta, ubi vel leviter tacta, aliquid non absimile ab innoxiorum nostrorum animalium timiditate evincit. *Hedysarum gyrans*, seu *planta mobilis Orientis* incessantem et spontaneum motum exhibet foliorum suorum per diem sub cœlo calido et sereno; sed per noctem, vel absente luce et æstu, ejus motus cessat, atque, ut ante, in quietis statu remanet. Americana venus *muscas vorans*, ut avis prædatrix, quasi in insidiis latere videtur ut imbelle insectum deprehendat.

Plantæ nihilominùs ne levissimum quidem sensationis principium habere videntur, admisso quòd sensatio sit nervosi systematis effectus; neque aliam rem novimus ex quâ procedere possit. Attamen, licèt plantarum vasa aliquas musculares fibras habere non appareant, sunt nobis evidentes contractilis et irritabilis vis ex alio principio rationes; factaque supra allata, multa inter alia quæ referri possent, in hoc altè probabilè evincendum concurrunt quòd ejusmodi principii ope *fluidi* varii per suos proprios alveos propelluntur. Nulla alia suppetit methodus quâ talis propulsionis notio rationabilis dari possit.

Quâ in plantarum parte vitale principium præcipuè existet, aut quò hiemale se recipiat non novimus; sed æquè quoad animalem vitam ignari sumus. Utrinque in quamque partem agit, in toto consistit, in toto residet; illud existere convincimur quòd suas ferè omnes functiones exerceat, combinationesque suas efficiat in directam oppositionem legibus chimicæ affinitatis, quibus aliter non minùs regeretur ac mineralis mundus, et quibus constant, statim ac unquàm vegetale emortuum est. Inde, crescit planta et amplior fit, singulis annis surculorum novam progeniem emittit, speciosissimisque, pulmonum instar, frondibus (quæque frons enim in se distinctus est pulmo) ad novæ sobolis respirationem vestitur; concinnâque actionum serie, quam nunquàm nimiùm mirabimur, alimenti perpetuum supplementum, in variis cunctis formis, ad animalis vitæ incrementum et perfectionem administrat, dùm abundantissimè ex earum excidio et imminutione, necnon et dissolutione, novarum sobolum, novorum surculorum et aristarum producendorum copiam recipit.

(1) Maximè varii sunt modi quibus nocturno tempore folia plicantur et dormiunt, sed id notandum est ea omnia ita disponi ut optimam junioribus stipitibus, gemmis, floribus et fructibus protectionem præbeant.

Gelu et sol, aqua et aer fœcunditatem suis quæque modis æquè promovent, termitæque, seu albæ formicæ, talpa, *hampster*, et terrestris vermis terram foraminibus abrumpunt vel eam intùs excavant, ut ipsa salutaribus eorum influentiis fruatur. Eodem modo, ipsi sunt quoque putrefactionis et dissolutionis ministri; hepatica et fungi, formicæ et scarabæus, roboris et navium vermis, et picus ad generalem effectum concurrunt, robustissimarumque quercuum truncos, si dilapsi nullique usui adhibiti jaceant, ad sua elementaria principia mox reducunt, ita ut feracissima successivæ animalium aut vegetalium progeniei materia fiant. Eæ sunt simplices, sed valdè mirabiles naturæ vices. Omnia vivunt, florent et decidunt, omnia moriuntur, sed nihil omninò perit; magnum enim vitæ principium formam solummodò mutat, uniusque generationis destructio est novæ et sequentis vivificatio. Indè, Indici mythologistæ, vi et elegantiâ verè mirabili, cui par nihil in Græcorum Romanorumve theogoniis apparet, Ens supremum describunt, quod *Brahm* vocant, ut formans et regens orbem, triadis inferiorum deorum ope, quorum quisque generali effectui æquè contribuit, sub Brahma, Visnu et Iswara nominibus, quibus potentia generans, potentia conservans et consummans, et potentia dissolvens designatur. Indè christianus philosophus simplicitate eò Indico philosopho sublimiore quò veraciore exclamat, contemplatâ regulari confusione, intricatoque scenarum coràm se surgentium concentu : « Hæc, ut mutantur, Pater omnipotens, hæc nihil sunt quàm varius Deus! Annus vertens plenus est tuî (1)!

Jam advertimus ad systematicos Moysis Salomonisque ordines, in introductoriâ libri hujus sectione; hìc tantùm addemus, juxta verba D. Caroli Taylor, nullas clariores systematis rationes è quocumque scriptore produci posse quàm quas exhibet, Gen. 1, 11, 12; 3 Reg. 4, 33. Uniformis est à minore ad majus progressus, ex graminibus quibus includuntur minutissimæ omnium viridantium plantarum species, ad rubos qui minoris speciei arbores haberi videntur; ex his verò ad arbores quæ non tantùm amplioribus dimensionibus, sed et etiam duratione differunt.

CAPUT PRIMUM.

GRAMINA ET HERBÆ.

Hinc nascuntur vivaces herbæ, latè super totam viridem terram profusæ, quorum tribus enumerare Botanistæ vires superat! (THOMPSON.)

Vox Hebræa herbacearum productionum in genere est *desha*, quanquàm specificè quoque graminibus detur. Vox Græca χόρτος, in novo Testamento huic respondet. Notat Wetstein Hebræos cuncta vegetalium genera in arbores et herbas dividere; priores ab hellenistis vocantur ξύλον, posteriores χόρτος, sub quo nomine gramina, frumentum et flores comprehenduntur. In S. Matth. 6, 30, et S. Luc. 12, 28, vox ista

(1) Good, *Lib. naturæ*, ubi suprà.

certè dirigitur ad designanda lilia agri, de quibus Salvator noster modò locutus fuerat (1).

Valdè impropria locutio in nostrâ Proverb. versione occurrit 27, 25 : *Apparet fœnum, tenerumque gramen se ostendit, herbæque montium cernuntur* (2). Certè si tenerum gramen apparere tantùm incipit, fœnum, quod est gramen sectum et aridum, postquàm maturitatem attigit, nullo modo illi associari potest, minùs adhùc illud præcedere. Super hunc locum animadvertit D. Taylor nullum Dictionarium aut Lexicon dare accuratam significationem vocis translatæ per *fœnum*, quam ponit ille significare priores surculos, novos, recènsque gemmantes graminis apices. Sic vir Sapiens ait : *Teneri graminis surculi surgunt et moventur, gramenque* (gramen in priore suo statu) *gemmas agit; et graminis congeries ex eâdem radice procedentes simul colliguntur, et itâ montium summa jucundâ viriditate vestiri incipiunt.....* Sanè pulcherrimus vegetationis progressus, ut in hoc loco describitur, ab omni viro judicio prædito magis poeticus haberi debet, quàm ut pereat; quid verò esse debet orientali spectatori, viro cujus imaginatio spiritu poetico exaltata est, viro qui recenter sterilitatis undique circumfusæ et gramine carentis solitudinis testis astitit!

Eadem locutionis improprietas, sed contrario ordine, et ubi forsàn anglicus lector illam minùs probabiliter detegere poterit, occurrit in nostrâ Isai. versione, 15, 6 : *Nam aqua Nimrim* (aqua præcipuus est vegetationis fons) *desolabitur, dilapsa mortua erit; ita ut* (*fœnum* in nostrâ translatione, sed, ut esse deberet) *teneri recèns nati graminis surculi aruerunt; graminis gemmæ omninò periêre* (jam non est viride, in nostrâ versione). Sequens versiculus sic verti potest : *Eo quòd quæ sibi recondidit, et depositum quod magnâ curâ in suppositâ securitate posuit, ducentur ad salicum torrentem* (3).

Similis gradatio poeticæ imaginis adest in 4. Reg. 19, 26 : *Qui habitabant in eis, humiles manu erant; contremuerunt et confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri* (vegetalia in genere,) *velut virides graminis gemmæ, velut tener herba quæ est in tectis domorum, et hæ quoque vento percussæ, antequàm creverint usque ad ascensionem in altum* (4). Quæ infirmitatis gradatio!

Nonne infaustum est quòd in duobus solis veteris Testamenti locis, ubi interpretes nostri voce *fœnum* utuntur, necesse sit vocem prorsùs contrariæ significationis substituere, ut genuina locorum citorum significatio nativis (orientalibus) auctorum ideis accommodetur (5)?

(1) Parkhurst., *Lex Græc.* in voce.
(2) Vulgata habet : *Aperta sunt prata et apparuerunt herbæ virentes, et collecta sunt fœna de montibus.*
(3) Vulgata habet : *Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Secundùm magnitudinem operis, et visitatio eorum; ad torrentem salicum ducent eos.*
(4) Vulgata habet : *Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt et confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri et virens herba tectorum, quæ arefacta est antequàm veniret ad maturitatem.*
(5) *Fragmenta* ad Calmetum., n. 178.

Eruditissimus Ursinus biblicas herbas in quatuor classes distribuit, sic : esculentæ, ornamentales, medicinales et vestiariæ, vel quæ in vestimentorum fabricam usurpantur. Talis ordo tamen proposito nostro non stat, idcircò non adoptabitur.

SECTIO PRIMA.

GRANUM, SEU FRUMENTUM.

Visitâsti terram et inebriâsti eam : ubertate ditâsti eam rivo Dei, qui plenus est aquâ. Præparas eis frumentum, quandò sic ei providisti. Sulcos ejus abundanter irrigas, sulcos ejus tu statuis ; eam pluviis emollis; germini ejus benedicis, annum bonitate coronas, et vestigia tua rorant pinguedine. Valles frumento cooperiuntur ; ipsæ gaudio exultant, ipsæ quoque canunt. Ps. 64, 9-13. (Translat. ex Hebr.)

Genericum apud Hebræos grani seu frumenti nomen est *dagen*, haud dubiè ex abundanti ejus fructificatione. In Gen. 26, 12, et S. Matth. 13, 8, frumenti mentio fit quasi faciat fructum centuplum; antiquamque Palæstinæ fertilitatem omnes auctores unanimi concentu testantur. Statuit Burckhardt, in quibusdam Haran partibus, quæ est pas regionis ad orientalem amnis Jordanis plagam jacentis, se invenisse hordeum reddens fructum octogesimum, etiam nunc, cùm hæc regio sit prorsùs neglecta et inculta (1).

Evidenter patet ex Ruth 2, 14; 2 Reg. 17, 28, 29, et aliis locis, frumentum frixum partem constituisse ordinarii Israelitarum victûs, ut est etiam nunc Arabum. Frumentum ad panis fabricam sequenti modo præparabant : Frumentum terebatur vel baculo, vel flagello, pedibus animalium (Deut. 25, 4, vel *plaustro triturante, rostrâ serrantia habente* (Isai 41, 15) quod plastro non longè absimile erat, et super frumentum equis aut bobus trahebatur. Ubi terebatur frumentum, à paleis et pulvere excutiebatur, in aerem vanni aut palæ ope jactum (Matth. 3, 12; deinde granum cribro succernebatur, ut ab omnibus immunditiis purgaretur (Amos. 2, 9; S. Luc. 22, 31). Inde areæ aperto cœlo erant. Jud. 6, 11; 2 Sam. 24, 18. Granum sic præparatum in farinam vertebatur molis trusatilibus, quæ componebantur inferiùs ex molâ lapideâ, cujus superior facies concava erat, et superiùs etiam molâ lapideâ, cujus inferior facies erat convexa. In superioris molæ medio foramen erat ad recipiendum frumentum, et inter molendum, inferiori molâ fixâ jacente, superior verò velocissimè manuum ope circumvertebatur. His molis adhùc nunc utuntur in Oriente et in quibusdam Scotiæ locis, ubi vocantur *querns, pistrillæ*. Illud molendi genus solis feminis addictum est; hâcque consuetudine illustratur prophetica Salvatoris nostri animadversio de Jerosolymæ destructionis die : « Duæ erunt (mulieres) molentes in molâ : una « assumetur, et una relinquetur. » Matth. 24, 41.

D. Pennant à quo specialis data fuit notio harum molarum, ut in Scotiâ iis utuntur, observat, mulieres voces suas semper stridoribus lapidearum molarum associare ; ubi verò decem vel duodecim habentur sic occupatæ mulieres, furibundos cantus tam altè attolli, ut, salvâ etiam charitate, mulierum à dæmone correptarum turbam censere posses. Cùm molarum labor vulgò manè oriente die perficiebatur, mulierum molæ trusatili laborantium tumultus in totâ civitate audiebatur, quo indolentium earum dominorum somnus sæpè abrumpebatur. Scripturæ hujus tumultûs absentiam ut desolationis signum notant, Jer. 25, 10, et Apoc. 18, 22. Humana lex erat : *Nemo accipiet loco pignoris inferiorem et superiorem molam, quia in pignus accipit vitam hominis.* Deut. 24, 6. Suum enim ille quotidianum panem molere nequiret (1).

Recentior Calmeti editor (2) pretiosas quasdam habet notiones de frumenti assumptione in futuri statûs symbolum. Apologiâ non indigemus ut lectoribus nostris ejus inquisitionum fructus offeramus.

Vitæ finis maturâ ætate comparatur acervo frumentorum perfectè maturorum : *Ingredieris sepulcrum in plenâ ætate, sicut infertur acervus tritici* (in granarium) *tempore suo.* Job. 5, 26. Vide etiam Gen. 25, 8, et Job. 42, 17.

Salvator noster comparat se grano frumenti quod decidit in terram, et postea multum fructum affert, Joan. 12, 24; et Osee propheta, 14, 7, habet : *Crescens quasi vinea et reviviscens quasi frumentum.* Reipsâ vegetationis reditus in verno anni tempore, ut expressivum resurrectionis symbolum generaliter sumptus est. Simili locutione utitur Paulus Apost. de vitâ post resurrectionem : *Seminatur nudum granum, ut putà tritici, aut alicujus cæterorum ; sed, post proprium tempus, id surgit ad lucem, viriditate vestitur, siliquis et aliis ipsi pertinentibus et accessoriis, juxtà naturam quam huic seminis speciei affixit Dominus.....; his consonat corporis resurrectio*, etc., 1 Cor. 15, 37. Nam, siè jusmodi comparatione veteres uterentur (et Gemma Monsfalconii ejus antiquitatem astruit), ea difficilè ignota Corinthiis in suâ doctâ et politâ civitate, quæ Græciæ lumen erat, remansisset; neque philosophis hujus loci tantùm restricta, sed iis quoque nota esse debuit ad quos Apostoli generaliter scripserunt. Quòd si ita sit, non tantùm sacer scriptor ab omni culpâ eximitur quòd illam explicationis causâ selegerit, sed etiam major ipsi quàm supposuerunt moderni inconsiderati quidam, aderat ratio eos vocandi *insanos* qui non satis ad id attendebant, quod apud ipsos notum et admissum erat.

Potuit Apostolus, nec hoc ulli dubium, in humanæ vivificationis progressu divinam potentiam adumbrare; indeque inferre eamdem potentiam quæ à principio vitam contulit, eam certè ad vitam revocare posse quidquid unquàm vitâ fruitum est. Potuit enim verbis tectis uti, et de vegetali semine loqui elegisse, quippè communi hominum notitiæ magis obvium; non intendens autem cogitatum suum intra quamdam vegetationis qualitatem includere. Eumdem loquendi

(1) *Itinera in Syriâ*, etc., p. 296.

(1) Vide auctoris *Biblic. Socium*, p. 536.
(2) *Fragmenta*, n. 212.

modum apud Menu invenimus, qui de natis discurrens ait: *Quæcumque sit qualitas seminis agro debito tempore præparato mandati, planta ejusdem qualitatis in hoc agro exsurgit, propriis quibusdam visibilibus additis proprietatibus. Contingere nequit ut alia planta seminetur, alia producatur; quodcumque semen terræ mandetur, id propriam suam speciem producit. Nunquàm semen effundatur in alterius agro.* Hâc metaphorâ vetus legislator adulterium prohibet, ut statim postea effusè statuit.

Valdè inexpectato metaphoræ genere utitur Apostolus Paulus ad Rom. 6, 3-5: *An ignoratis quià quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem... ut et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Sed quid de baptismo ad plantationem? In quo eorum consistat similitudo, ut legitima fiat hìc usurpata comparatio? In S. Pet. 1 Epist. 3, 21, Apostolus loquitur figurativè de baptismo quo *salvi fimus;* alluditque ad Noe qui diù in arcâ inclusus remansit, ut frumentum diù sepultum in terrâ jacet. Itaque, quemadmodùm homo conversus, postquàm recepto baptismo veteris suæ vitæ consuetudini mortuus est, tanquàm ad novam vitam resurrexisse censetur, sic, postquàm segregatus fuit à veteribus suis affectibus, quasi à natali thalamo, et mortuus est in eo quòd fuit *complantatus*, tanquàm ad novam vitam resurrexisse quoque existimatur. Eædem prorsùs sunt igitur ideæ Apostoli in istis versiculis, etsi variæ sint metaphoræ. Cæterùm, si olim commune fuerit de homine baptizato loqui quasi ad novam vitam surrexerit, granumque etiam considerare ut ad novam vitam germinans, indè nobis apparet quàm facilè Hymenæus et Philetus (2 Tim 2, 17, 18) contrà veritatem erraverint dicentes (hominis) resurrectionem jam esse in baptismo factam (quasi in eo quòd plantatus fuit, id est, in eo quòd ad Christianismum transiit). Hoc errore nihil aliud agebant quàm christianæ institutioni veteres suas paganismi notiones adnectere. Facilis admodùm erat transitio; sed nisi error opportuno tempore fuisset repressus, periculosissimus fieri potuisset.

FRUMENTUM, seu TRITICUM.

Hæc est præcipua et pretiosissima omnium grani specierum. Vocatur ab Hebræis *chetah;* de vocis hujus etymologiâ aliquid certum offerre facile non est. Varias conjecturas lector videre potest apud Parkhurst, qui radicem ex Samaritanâ et Chaldæâ linguâ deducens, suggerit *delicatum* vel *deliciosum* aut aliquid simile, idealem esse ejus significationem, granique hoc genus ita vocari ex eo quòd cætera grana sapore et deliciis superet. In 2 Sam. 17, 28, vox ista in plurali formâ occurrit, undè infert Scheuchzer illam olim omne granorum frumenti genus comprehendisse, quæ ab immunditiis purgata sunt. Hoc tamen dubium videtur; nam hordeum ipsi connexum expressè dicitur; pertinet forsan ad plures frumenti species; vel, quod probabilius est, exemplum est laxi hujus loquendi modi qui adeò vulgaris et sanè in omni linguâ necessarius.

Carnis oblationes, ut in Anglicâ Bibliâ vocantur, Leviticæ dispensationis, non erant quod earum denominatio implicare videretur, *animalis caro*, sed frumentum, sive in simplici suo statu, sive in farinam resolutum, sive in placentas subactum. Vide Lev., cap. 2.

Triticum, Jer. 28, Joel. 2, 24, et Amos 5, 11, haud dubiè est *burr*, seu agreste triticum Arabum, de quo loquitur Forskal. In Gen. 4, 35, eadem vox redditur *frumentum.*

HORDEUM.

Notissimum hoc granum nomen suum Hebraicum *shoreh* sumit ex longis aristis quibus ipsius spicæ muniuntur (1).

In Palæstinâ hordeum mense octobri terræ mandabatur, et colligebant illud desinente martio, statim post Pascha. In Ægypto, tempore septimæ plagæ (Exod. 9, 13), quæ paucis diebus antè Pascha locum habuit, hordeum in viridibus spicis erat, undè videtur ibi messem tardiorem fuisse quàm in terrâ Chanaan, etc.

In 3 Reg. 4, 28, de hordeo agitur quasi usuali jumentorum pabulo, sicque in Syriâ esse perseverat, ut videri potest apud Hasselquist. Itin. in Syriâ, etc., p. 294, 295, Burkhardt (2) et alios viatores.

Plinius, teste Menandro, statuit hordeum fuisse antiquissimum generis humani alimentum, evidenterque patet ex pluribus Scripturæ locis, illud usui fuisse ad conficiendos panes apud Judaicum populum. Vide 2 Jud. 17, 28; 4 Reg. 4, 22; 2 Paral. 2, 15; S. Joan. 6, 8-10, etc.

SECALE.

Hæc grani species vocatur *cesmeth*, probabiliter ex longis suis crinibus vel aristis. Aquila et Symmachus, necnon et Septuag., Theodotionque vertunt illud *spelt.* Quamvis inter se conveniant Græcæ versiones, doctor Shaw tamen supponit oryzam esse granum ab auctore intentum, Pliniumque citat asserentem oryzam fuisse veterum olyram. Ex aliâ parte statuit Hasselquist Ægyptios oryzæ culturam didicisse sub califis; et Parkhurst ostendit viatorem malè Romani naturalistæ testimonium intellexisse. In Ezech. 4, 9, vox Hebræa vertitur *vicia*, quod est zizanii genus.

MILIUM.

Hebraicum hujus grani nomen est *dechen* è radice quæ significat *pulsare, propellere*, etc., sicque forsitan vocatur quòd granorum ita innumeram, supra omnes notas nobis plantas, copiam producat. Itaque Latinè dicitur *milium*, quasi unus culmus mille grana ferat (3). Haud dubiè idem grani genus est quod vocatur nunc in Oriente *durra*, quod est, juxta Niebuhr (Arabiæ descriptio, p. 45, 135-136), milii species; ex eo malus conficitur panis cum cameli lacte, oleo, butyro vel

(1) Vide Martini *Lexicon etymolog.* in *hordeum*, vel Parkhurstum sub voce.
(2) *Itinera.*, p. 129.
(3) Martini *Lexicon etymolog.* in *milium*.

adipe, qui unicum ferè alimentum quo vescitur vulgus in Arabiâ felice. Ipsi adeò injucundus visus est, ut libenter hordeaceum panem prætulisset. Notio ista ad Ezech. 4, 9, illustrandum intendit.

SECTIO SECUNDA.

ARUNDINES.

Generale nomen *arundo* adoptamus, Hebræo *agmun*, respondens, velut includens plurimas cannæ et juncorum species de quibus mentio fit in Scripturis, quasque singulas recensebimus. Attendere necesse est duobus vel tribus locis Scripturæ, in quibus generica *arundo* vox ab interpretibus nostris usurpata fuit, qui eam specificæ plantæ, originali textui respondentis, designationi anteposuerunt.

Arundines in immensam copiam pullulant in ripis et alveo Nili, indeque probabiliter in 4 Reg. 8, 21, Ægyptia regio vocatur arundo : *An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam? Sic est Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in se.* Propheta Ezechiel ducis Assyrii observationis veritatem testatur : *Et scient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus; pro eo quòd fuisti* (rex Ægyptius) *baculus arundineus domui Israel. Quando apprehenderunt te manu, et confractus es, et lacerâsti omnem humerum eorum, et innitentibus eis super te, comminutus es, et dissolvisti omnes renes eorum*, cap. 29, 6. Indè novimus quid intelligendum sit per calamum quassatum in Isa. 42, 3 ; et, si referatur ad Ecclesiam, de modicæ fidei homine illud intelligere debemus, vel forsan specialiùs de homine cujus cor confractum et contritum est ob præteritas iniquitates.

In 3 Reg. 14, 15, Israelis prævaricationes sequentem pœnæ interminationem postulant : *Percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aquâ, et evellet Israel de terrâ bonâ hâc quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumen : quia fecerunt sibi lucos ut irritarent Dominum.* Eadem habetur allusio in S. Matth. 11, 7, ubi Salvator noster ait de Joanne Baptistâ illum non esse *arundinem vento agitatam.* Nihil versatile aut instabile in ejus indole erat ; mens ejus in veritate constans et fixa stabat, ejusque testimonium in Salvatoris characterem semper idem erat.

Ex Ezech. 40, 3, et Apoc. 11, 1, discimus longum arundinis stipitem in modum virgæ mensuralis adhibitum fuisse ; et ex Isai. 46, 6, in modum lancis juxta forsitan Romanæ stateræ formam usurpatus fuisse videtur.

In Suez viciniâ quædam ex istis arundinibus duodecim *yards* altitudinem attingunt ; inde nobis patet quàm facilè, unius ipsarum ope, miles qui stabat ad pedes Salvatoris nostri crucis, ad os ejus spongiam aceto imbutam admovere potuerit. S. Matth. 27, 48.

Innotatum linquere non debemus arundines scribendi arti fuisse appropriatas ante vulgarium nostrarum pennarum inventionem, cùm plures sint ad illas allusiones in sacris Scriptis, licèt in Anglicâ Bibliâ non discernantur.

PAPYRUS.

Arundo hæc duobus verbis exprimitur in veteri Testamento, *agmen* et *gema*, quæ Anglicâ Bibliâ diversè vertuntur *rush* et *Bulruch*. Nullum dubium est tamen quin Ægyptiacam arundinem denotent, seu *cyperem papyrum* Linnæi.

Papyrus adolescit in Ægypti paludibus vel in stagnantibus Nili partibus, quæ ex cursu fluminis oriuntur, ubi profunditas duos cubitos non excedit. Radix ejus tortuosa est, et quatuor vel quinque unciarum crassitudine ; culmus est triangularis decem cubitorum altitudinem attingens, desinensque in tenuium fibrarum, crinium speciem referentium, coronam, quibus thyrsum veteres comparare solebant.

Tanta erat papyrorum copia in Nili ripis ut eas sylvæ comparet Cassiodorus : *Ibi ad conspectum surgit hæc absque ramis sylva, hic absque foliis rubus, hæc aquarum messis, hoc paludum ornamentum* (1).

Papyrus inter graminosas plantas vel gramina ab antiquis botanistis collocabatur. Ignari quam ad peculiarem speciem pertineret, illum sub nomine *papyri* designavère, cujus duæ erant species, Ægyptius et Siciliensis. Ostendere enixi sunt recentiores duas has unam et eamdem esse cyperi speciem. Hoc sub genere inveniuntur in catalogis et plantarum descriptionibus publicatis ab editione Morrisonis operis, in quo papyrus vocatur *cyperus Niloticus*, vel *Syriacus maximus papyraceus.* Cesalpinus tamen, qui plantam ipse examini subjecit, statuit papyrum Siciliensem ab Ægyptio differre (2).

Arundinis hujus maximus usus erat regionis in quâ nascitur incolis. Medullâ in stipite contentâ ad alimentum, ligneâ verò parte ad navium confectionem utebantur. Quo consilio eam juncorum instar, in fasciculos componebant, iisque simul connexis, naviculis suis legitimam formam et soliditatem dabant. Vasa papyri (Isa. 18, 2) de quibus in sacrâ profanâque historiâ agitur, ait doctor Shaw, nihil aliud fuère quàm latiores species fiscellæ scirpeæ, in quâ positus est Moses infantulus (Exod. 2, 3), quæ tabulis et aliis solidioribus materiis locum cesserunt, et in usu esse desivère. Loquitur Plinius (3) de naviculis ex papyro confectis, noliticisque navicularum ornamentis, et alio in loco (4) ait : *Ex ipso papyro nautica vasa conficiunt.*

Papyri tamen utilissima pretiosissimaque pars est tenuis cortex, vel pellis, quâ usi sunt veteres ut in eo scriberent. Sic ad hunc usum præparabatur papyrus ; plurimæ fibræ quibus truncus constabat magnâ curâ separatæ, et super mensam extensæ, solertèque coæquatæ et simul compressæ Nili aquâ humectabantur, quâ cùm dissolverentur glutinosi plantæ succi, fibræ illæ simul strictissimè adhærebant. Postea etiam premebantur, deinde in sole siccabantur, et ità idoneæ fiebant ut in eis scriberetur, litteræque colorato liquore

(1) Lib. 2, cap. 38.
(2) Shaw, *Panorama Naturæ*, p. 793.
(3) *Nat. Hist.*, lib. 6 cap. 16.
(4) Lib. 13, cap. 2.

per cavam arundinem fluente depingebantur.

Vegetalium hoc genus magnâ aquarum copiâ indiget ut incrementum capere possit. Ubi igitur amnis, cujus in ripis nascitur, imminuitur aquis, ante alias plantas perit. Illud explicat Job. 8, 11, ubi ad hoc alluditur velut ad fugacis prosperitatis imaginem : *Numquid vivere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum* (seu arundo) *sine aquâ* (1)?

Cùm papyrus sit planta esculenta, minimè mirum est eo vesci populos, ut indicatur Jer. 15, 16; Ezech. 3, 1; et Apoc. 10, 10.

CANNA.

In Anglicâ Bibliâ habemus *suavis canna*, *calamus* quoque et *suavis calamus*, quæ omnia idem designant, et Hebræo *kaneh* respondent, cui aliquando additur *beshem*, *aromaticus* vel *suavis*, et aliquando *toov*, *bonus*, *placens*, etc., etc.

Calamus aromaticus, seu *suavi olens canna*, nascitur in Ægypto, in Judæâ, et in plurimis Syriæ partibus, sed melior species in Arabiâ et Indiâ reperitur. Planta hæc probabiliter admixta erat cæteris quas regina Saba Salomoni obtulit. Ea est ejus fragrantia, ut dicatur aerem ingenti aromatico sapore repleri, eâ adhuc vividâ (vide Cant. 4, 13, 14), ubi verò arida et in pulverem resoluta, in pretiosissimorum unguentorum partem venit. Ad hunc finem eo utebantur Judæi. Exod. 30, 23; Isa. 43, 24.

Dicunt Theophrastus (2) Pliniusque (3) optimam hujus arundinis speciem nasci in Syriâ propè montem Libanum; sed illud difficilè conciliari potest cum Jerem. (cap. 6, 20), qui de pretiosâ aromaticâ cannâ loquitur, quasi è longinquâ regione, undè sanè non fuisset allata, si æquè bona tàm propè inventa fuisset. Probabilius est, ut suggerit doctor Harris, hanc arundinem non minùs ac incensum, de quo simul fit mentio, ex Sabâ provenire, ubi, uti certi facti sumus à Strabone et Diodoro Siculo (4), nascitur abundanter. Plinius quoque in citato loco de eâ loquitur quasi nascatur in Arabiâ; et Dionysius eam inter fragrantes hujus regionis productiones numerat. Saba, ut novimus, sita erat versùs meridionalem Arabiæ peninsulam, ita ut reipsà, respectu Judææ, regio longinqua esset; sic quoque apud Joelem 3, 8. Salvator noster loquens de reginâ Sabæ, quam vocat reginam Austri, eam è terræ finibus venisse ait, Matth. 12, 42. In lib. Exod. quoque calamus venire dicitur è longinquâ regione (5).

GLADIOLUS.

Duæ sunt in Hebræo voces, *achu* et *suph*, aliquandò redditæ *flag*, *gladiolus* in Bibliis nostris, quamvis in Gen. 41, 2, 18, prior vertitur *pratum*, et in Jon. 2, 5, posterior *weeds*, *malæ herbæ*. Designatur probabiliter gladiolus vel longum gramen, quod in niloticis pratis nascitur.

(1) Good *Translatio*.
(2) *Hist. plant.*, lib. 9, cap. 7.
(3) *Hist. nat.*, lib. 12, § 38.
(4) Lib. 3, p. 125, edit. Rhodom
(5) Harris, *Hist. nat.*, in voce.

SECTIO TERTIA.

PISUM.

Vox *pisum* plantis leguminosis, vel granis seminibusve illis quæ in siliquis nascuntur, data fuit; sed Hebræum *keli*, quod ubicumque occurrit, aliquod granorum horum assorum vel testorum denotare videtur. In 2 Sam. 17, 28, vox ista bis occurrit : unâ vice hordeo et farinæ mixta est, atque rectè in nostrâ versione *frumentum frixum* vertitur; alterâ vice, fabas et lentes sequitur, proprièque intelligitur *cicer frixus*. Duo ista nunc etiam populorum orientalium victûs partem constituunt. Itaque, ait Hasselquist (1), in viâ ab Acrâ ad Seide, pastorem vidimus prandentem; prandium ejus spicæ frumenti semi-maturæ erant, quas ipse frigebat, edebatque non minori appetitu quàm Turcicus homo *pillans* suos. Frixæ frumenti spicæ, addit ille, vetus sunt esculentum in Oriente, de quo mentio fit in libro Ruth 1, 22. Quoad *frixum cicerem*, 2 Sam. 17, 28, docet nos doctor Shaw (2) *garvancos*, *cicerem*, multùm reputari, ubi frixum in sartagine aut clibano fuit, tuncque vocari *leblebby*. Iste summæ esse antiquitatis videtur. Plautus de eo velut de re tunc temporis vulgatissimâ loquitur. Idem apud Aristophanem occurrit. Leblebby istorum temporum probabiliter esse potest *keli*, *cicer frixus*, sacræ Scripturæ.

LENTES.

Ea est pisi species quâ abundat Ægyptus, quâque multùm alimento utuntur. De Alexandriæ lentibus ut specialiter pretiosis loquitur S. Augustinus (3). Parvi à Romanis æstimabantur, infraque eas grani species, ex quo cervisiam quamdam conficiebant, *alicam* scilicet, ponebantur. Statuit verò doctor Shaw in Barbariâ eas non minùs ac fabas incolarum victûs præcipuam partem constituere. Eodem modo ac fabæ parantur, inquit ille, id est, elixantur incoquunturque cum oleo et allio, facilèque in massam solutæ pulmentum efficiunt, chocolati colorem referens. Ea fuit, addit doctor iste, coctio rufa, pro quâ Esaü, inde vocatus Edom, primogenita sua vendidit. Gen. 25, 30, 34 (4).

FABÆ.

Fabam Hebræi vocant *pul*, ex verbo *separarè*, *dividere*, etc., alludentes probabiliter ad modum quo nascuntur. Non enim crassâ tantùm involvuntur siliquâ, quâ ab externo aere separantur, sed unaquæque ab alteris in ipsâ siliquâ dividitur. Fabæ numerantur inter cibaria Davidi Mahanaim allata (2 Reg. 17, 28), et etiam inter res quibus suum panem conficere jussus est Ezechiel propheta, cap. 4, 9. Illustrari possunt ista loca ex dictis à doctore Shaw de hodierno Barbariæ (5) populi victu. Fabæ postquàm elixæ et coctæ cum allio sunt, omnis ordinis personarum præcipuam escam constituunt.

(1) *Itinera*, p. 166.
(2) *Itin.* vol., 1, p. 257.
(3) *In Psalmum* 46.
(4) *Itin.* vol. 1, p. 256.
(5) *Ibidem.*

SECTIO QUARTA.

ALGÆ.

In Jonâ, 4, 6, vox Hebræa *suph* vertitur *weed*, et hic est unicus Anglicæ Bibliæ locus ubi sic vertitur. Ut collectivum nomen, ait Parkhurst, plantas seu algas significat, quæ in littore maris aut fluminis nascuntur, perpetuòque fluctibus verruntur et deterguntur. Hujus speciei plantæ sanè Jonæ libri loco apprimè concordant.

Hebræum maris Rubri nomen est *jam suph*, mare algosum; Diodorusque Siculus et Artemidorus in Strabone, quem citat Bochartus, præcipuo modo attenderunt ad muscos et algas seu plantas marinas quibus abundat, et ex quibus ejus insigniter viridem colorem repetunt. Comp. Sap. 19, 7. Attendit quoque doctor Shaw ad algarum et fuci varietatem quæ in alveo ejus nascuntur, et cùm aquæ decreverint, præcipuè post magnos æstus, ventos et currentes, in littore maris ingenti copiâ relictæ jacent (1). Atverò quantùm hoc doctoris Shaw testimonium ad algas extendendum sit, dubio esse potest, ait Parkhurst; quippe quòd D. Bruce (2) positivè asserit in mari Rubro, quod in totâ extensione invisit, se nunquàm ullius generis algam vidisse. Supponit igitur mare hoc suum nomen sumere ex magnis albi curalii arboribus vel plantis, quæ, in ejus sinu, undequàque diffunduntur, perfectamque terrestrium plantarum similitudinem referunt.

Quod asserit D. Bruce tamen, ei non contradicitur tantùm à doctore Shaw, sed et à pluribus non infimæ notæ viatoribus. Auctor *Scenarum et impressionum in Ægypto*, qui mare illud perlustravit à Mochâ, quæ est vix ultrà fretum Bab-el-Mandeb, usque ad Kosseir, quæ non ampliùs quàm centum et quinquaginta milliariis ad Australem sita est partem sinûs Suez, et cui igitur adfuit opportunitas totam maris extensionem explorandi, expressè loquitur de stratis viridis marinæ algæ in aquis ejus (3). Lord Valentia asserit mare Rubrum magis quàm ullum alterum algis abundare; et D. Dawson Turner in suo pulcherrimo *de fuco* opere tabulis depicta dedit plura ex iis quæ domum, jussu suo, specimina allata fuerant (4).

ACONITUM.

Hebræa vox *basheh* quam vertimus *cokle*, petunculus, solummodò in Job occurrit 31, 40, et diversè in versionibus redditur. Isaias propheta, 5, 2, 4, cujusdam plantæ vel fructûs simillimi nominis *bashin* mentionem facit; in Anglicâ versione *labrusca* est, sed Hasselquist albidum solanum esse putat, quod in Ægypto, Palæstinâ et Oriente commune est, vitique perniciosissimum. Michaelis (5) tamen, etsi ad Hasselquist opinionem attendat, contendit, post Celsium, utramque vocem *aconitum* designare, plantam venenosam, quod in apricis collibus, qui ad vineta eligi solent, spontè nascitur. Hanc interpretationem certam esse dicit, quia, ut observavit Celsius, *bish*, in Arabicâ linguâ aconitum denotat, illudque loco Jobi citato magis congruere, ubi nasci loco hordei dicitur.

(1) *Itin.* vol. 2, p. 325.
(2) *Itin.* vol. 1, p. 237.
(3) *P.* 35.
(4) Vide *modern. Viatorem*, Arabiâ, p. 221 et 222, nota.
(5) *Supplem. ad Lex. Hebr.*

VICIA.

Duæ sunt in Hebraicâ Bibliâ voces quas Anglici translatores viciam reddiderunt, *ketzach* et *hesmet*; posteriorem ut *secale* designantem habuimus; nobis igitur nunc de priori inquirendum, quæ solummodò in Isaiâ 38, 25-27, occurrit, et de quâ non conveniunt critici. Hieronymus, Maimonides et Rabbini eam intelligunt de *gith*, quod à Græcis vocatur μελάνθιον, et à Latinis *nigella*; et rabbinus Obdias de Bartenorâ expressè ait barbaricum seu vulgare *ketzach* nomen esse *nielli*, nigellam (1).

Ausonius ait *gith* pungere ut piper, et Plinius (2) addit semen ejus ad cibos condiendos idoneum esse. Statuit etiam illud magno esse usui in pistrinis, deliciosumque pani condimentum afferre, cùm forsan, velut apud nos careo et aliis parvis seminibus, eo panis conspergitur.

Censet Parkhurst *gith* idem fuisse ac nostrum feniculum, Ballesterumque citat dicentem *gith* communiter in hortis inveniri, cubiti altitudinem et aliquandò ampliùs attingere. Folia parva sunt, ut feniculi; flos cæruleus, et ubi flos decidit, ovarium in summâ parte apparet, papaveris ad modum, parvulis cornibus instructum, oblongum, membranisque in plurimas partitiones et cellulas divisum, ubi nigerrimi coloris, ac porri non absimilia, sed fragrantissima semina includuntur. Atverò, ut rectè suggerit D. Taylor circumstantiam Ballesteri *gith* feniculo comparantis, decretoria est contra id quod notat Parkhurst particularem esse plantam. Ejusdem esse ac feniculum classis admitti potest, minimè verò idem esse (3).

CAPUT II.

PLANTÆ ET ARBUSCULÆ.

SECTIO PRIMA.

PLANTÆ AROMATICÆ.

Ubi in eo ordine dispositi sunt omnes anni fugacis colores, ab habili latenterque operantis naturæ manu, splendescit hortus liberumque aerem prodigâ fragrantiâ implet.

CAMPHORA.

Hebræa vox *kepher* abruscula est in Cypri insulâ vulgaris, unde Latinum nomen habet. Botrus Cypri, ait D. Mariti, raræ et exquisitæ uvæ species esse supponitur, ex Cypro in Engaddi transplantata; sed botrus Cypriis incolis notus est ut odorifera arbuscula, *henna* vel *alkanna* vocata (4).

Arbuscula ista primò habita est ligustri vel cypri quædam species, cui reipsâ multùm affinis est; sed differentia in fructificationis partibus botanistas im-

(1) Vide Harris, *Hist. nat.*, in voce.
(2) Lib. 2, cap. 8.
(3) *Script. illust.*, expos. index, p. 170.
(4) *Itin.*, vol. 2, p. 4; et vol. 1, p. 353.

pulit ut distinctum genus ex eâ facerent, quod à Linnæo vocatur *lawsonia*, et quoad speciem de quâ tractamus *lawsonia inermis*. Arabicum nomen est *henna*, et, addito articulo, *al-henna* (1).

De alhennâ mentio fit in Cant. 1, 14, et 4, 13, ut de *unguento*; in priori loco ad fasciculos ejus attenditur. Doctor Shaw eam describit speciosam suaveque olentem arbusculam, quæ ad decem duodecimve pedes altitudinis assurgit, floresque in fasciculos emittit qui suavissimum, camphoræ (2) similem, odorem effundunt. At completissima alhennæ descriptio datur à Sonnini, ex quo sequentia extrahemus.

Alhenna alta est arbuscula, supra modum abundans in Ægypto; folia sunt oblongè ovatâ formâ, sibi invicem opposita, et pallidè viridi colore. Flores in extremâ ramorum parte nascuntur in longos patulosque fasciculos; tenues ramuli quibus inhærent rubri sunt, parique modo oppositi, ex axillæ cavitate parvulum folium, propè rotundum, et in aculeum desinens exoritur; corolla quatuor petalis constat, crispis et fulvo colore. Inter quodque petalum duo sunt alba stamina cum flavo apice; unicus est albus pistillus. Pediculus, quâ ramo adhæret, subruber est, et in pallidum viride se subducit. Calix in quatuor partes resecatur tenerè virentes suprà, versùs extremam partem quæ subrubra est. Fructus seu granum, antequàm maturescat, capsula viridis est; ubi maturescit, rubrum colorem assumit, fuscumque ubi aruit. Dividitur in quatuor cellas, ubi inclusa sunt semina, triangularia et fusco colore. Stipitis et ramorum cortex cinereus est, lignumque intùs leviter flavescit; quanquàm ejus figura in plurimis historiæ naturalis libris jam vulgata sit, in nullo tamen fideliter, et eâ singularum partium accuratione quâ illam Rosettæ depinxi, exhibita est.

Reverà una est ex arbusculis visu saporeque jucundissimis. Lætè saturatus stipitis color, frondium viridis nitor, suavis albi flavique mixtio quâ flores in longos fasciculos, ut liliacum, collecti, colorantur; ruber ramusculorum quibus adhærent color, jucundissimi aspectûs copulationem constituunt. Flores isti, quorum adeò sunt umbræ gratæ, suavissimis undequàque circùm odores emittunt, hortosque et domos quos exornant gratissimè perfundunt. Pulchritudinis ergò sunt floridus fasciculus. Mulieres (quæ invidiæ carcerum ornatus sunt, dùm totius regionis decus esse possent) pulcherrimis istis fragrantiæ fasciculis semetipsas domusque exornare, ad balnea eos ferre, in manibus tenere, uno verbo, sinum suum iis perfundere delectantur. Tanti possessionem hanc, quam cœli temperies, culturæque facilitas sibi raro denegat, faciunt, ut eam sibi libenter vindicarent exclusivè, ægroque animo Christianas et Judæas mulieres in partem ejus venire patiantur....

Nec mirandum adeò exquisitum florem gratissimas Orientali poesi allusiones obtulisse, et amatorias similitudines. Hoc quoque responsum suppeditat ad solvendam quadragesimam quintam Michaelis quæstionem. Nam *hennæ* flos in fasciculos disponitur, Ægyptiæque mulieres, quas ejus suavitas multùm delectat, illum secum ferendi studio capiuntur, ut dixi, in loco textu indicato, sinibus suis (1).

At verò non ad id tantùm hennâ utuntur mulieres in Oriente. Statuit doctor Shaw hujus arbusculæ folia, siccata, in pulveremque resoluta, in magnam utilitatem Tuneti usurpari. Quæcumque enim Africanæ matronæ pulverem istum emere possunt, eo labia, crines, manus pedesque tingunt, sicque ferrugineo croceoque colore fiunt, qui apud ipsas speciosissimus habetur (2). Eamdem apud Ægyptias matronas consuetudinem describit Sonnini, Russelque apud Alepianas (3). Mulieres in quibusdam Yemen, seu Arabiæ Felicis tractibus eamdem tenent consuetudinem (4), nobisque asserit Hasselquist se quarumdam momiarum ungues alhennâ tinctas vidisse; ex quo patet quàm sit antiqua hæc consuetudo (5). Alluditur probabiliter ad istam consuetudinem in Deut. 21, 12, ubi legimus, *circumcidere* seu *facere* ungues, aut potiùs, *adornare* vel *colorare* ungues. Sic quoque in 2 Reg., 19, 24, probabiliter agitur de tingendâ plantâ pedum arbusculæ hujus succo: *Mephiboseth pedes suos non paraverat*, id est, pedes ejus hoc colore tincti non fuerant.

Ut alhennæ nativæ regio non Palæstina, sed India et Ægyptus videatur, deque eo in Cant. 1, 14, mentio fiat tanquàm de re rarâ et singulari in Engaddi vineis nascente, probabile est, non obstantibus locis ad quæ modò allusimus, Judæos eo tanquàm tincturâ et colore uti calluisse antequàm odoriferam ejus qualitatem experti sint, illumque ex priori hâc causâ vocare *kepher*, quod significat *tegere, diffundere* (6).

ALOE.

Latè extenditur plantarum hæc tribus, quarum præcipuæ species ad novem referuntur. Valdè inter se quoad volumen differunt; sed Calmetus communiùs notam sic describit: Arbusculæ hujus frondes duabus circiter unciis crassæ sunt, aculeatæ, canaliculatæ; medius surgit stipes; ex flore granum nascitur album, nitidissimum, propèque rotundum. Duobus circiter pedibus assurgit aloe, cùm floribus sex sint stamina. Linnæus eam in sexto ordine ponit, qui vocatur *hexandria monogynia*.

Ex hâc plantâ exprimitur liquor catharticus, dictus *aloes*, qui est amarissimus, et de quo in condiendis corporibus utuntur ad removendam putrefactionem. Nicodemus attulit libras ferè centum myrrhæ et aloes ut condiret corpus Salvatoris nostri. S. Joan. 19, 39 (7).

(1) *Fragmenta* ad Calmetum, n. 404.
(2) Itin., vol. 1, p. 214.

(1) *Itin.*, vol. 1, p. 234, etc., ut citatur in *Fragment.* ad Calmetum, ubi supra.
(2) *Itin.*, vol. 1, p. 214.
(3) *Histor. nat.*, Aleppi, p. 103.
(4) Niebuhr, *Arabiæ descriptio*, p. 57, 58.
(5) *Itin.*, p. 246.
(6) Vide Parkhurstum *Lex. Hebr.*, in voce.
(7) Censent quidam commentatores aloem, de quo

MYRTUS.

Nostro sub insalubri cœlo myrtus parvula est arbuscula, sed in aliis, genialioribusque regionibus in parvam arborem aliquando exsurgit. Solidus est et ligneus stipes, qui ingentem parvulorum flexibiliumque ramorum copiam emittit, frondibus instructorum, buxi speciem referentibus, sed minutioribus acutioribusque, tactu lenes sunt, lucidæ, molles, speciosè virentes et odoriferæ. Flores inter folia nascuntur, et quinque albis petalis constant in rosæ formam dispositis : ipsis est grata suavitas decorusque aspectus. His succedit ovatum, oblongum granum coronulâ calicis segmentis confectâ ornatum; in tres cellulas dividitur semina continentes (1).

Magnas inter arbores myrtus in Scripturâ aliquandò collocatur, ut cedrum et olivam, quibus comparata amplitudinis respectu, minutissima est. Ubi verò attenditur prophetam variæ excellentiæ et pulchritudinis scenam describendi in animo habere, evanescit ista, quæ primariò apparebat improprietas. *Dabo in solitudinem cedrum, et spinam et myrtum et lignum olivæ.* Isa., 41, 19; id est, ait Paxton. horrendum et nudum desertum arboribus staturâ, formæ magnitudine et pulchritudine, saporisque fragrantiâ famosis, adornabo. Et rursùs : *Pro urticâ crescet myrtus, et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.* Isa. 55, 13.

Hæc, prosequitur modò citatus scriptor, relationem dicunt ad effectum Evangelii seu regni Christi in mundi statum et animorum dispositiones; his prænuntiatur moralis paradisus creatrice Jehovæ potentiâ producendus, ubi scelus et miseria ante dominabantur. Myrtum eligit propheta Zacharias ad exprimendam pulchritudinem, utilitatem depressamque Ecclesiæ conditionem : *Vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo*, cap. 1, 8...Visionis ista scena, dùm rectam humilis et depressi Ecclesiæ statûs ideam exhibet, multasque gratissimas de ejus conservatione et securitate sub ejus Salvatoris protectione reflexiones suggerit, ea optimè congruit naturæ aspectui in Oriente, ubi myrteta tam frequenter ad magnam altitudinem se extollunt, etsi non tantam ut virum equo sedentem contegere possint, præsertim ubi ille vir opportunè in loco elato stat, vel ut Propheta in visione stetisse videtur.

Naturæ aspectus ad quem alludunt hæ Scripturæ, magnificentissimè evolvitur vivido Savary calamo in ejus *de Græciâ* Epistolis. Scenam in extremâ Plataneæ sylvâ describens, ait : « Myrti roseis lauris intermixtæ « nascuntur in vallibus, decemque pedum altitudi- « nem obtinent. Earum niveo candore flores intùs « orâ purpureâ circumdati, modo insigniter felici « sub viridi fronde emicant. Ipsis myrtus quæque « onusta est, odoresque exquisitiores rosis exhalant; « suaviter quisque permulcetur, suavibusque sensi- « bus anima repletur (1). »

Nativum Estheris Judaicum nomen est *hedeseh*, femininum genus *hedes*, MYRTUS (Esth. 2, 7). Chaldaici Targum nota in hunc locum cui attendatur digna videtur : *Vocabant eam* HEDESEH, *quia justa erat, justique sunt qui myrto comparantur* (2).

LILIUM.

Notissimus ille et speciosissimus flos in Hebræo *shushan* et in Græco *κρίνον* vocatur; quæ voces lucem, quam tam potenter reflectit ut Salomon ipse in omni gloriâ suâ non coopertus sit sicut unum ex ipsis, Matth. 6, 28-29, denotare videtur.

. . . . *Vide quomodò lilia ebibunt*
Latentes rivulos per gramina lentè fluentes, augerique superbiunt.
Vel speciosâ profusione humidas ripas exornant!

Suggerit D. Taylor florem istum probabiliter esse designatum à sponsâ, quæ seipsam flori, in orâ rivuli (Cant. 2, 1), non qui in culto horto nascitur, comparat. Album lilium flos est agrestis in Perside, et quædam ejus specierum agrestes quoque dici possunt in Judæâ. Insuper ibi invenitur *martagum*, corona imperialis, et alia colorata lilia. Si Domini nostri similitudo ad candorem vestis Salomonis referenda sit, splendidum sanè lilii candorem nunquàm attigit; si verò ad colorum splendorem, tunc colorum mixtura, splendor et igneus nitor in quibusdam lilii speciebus, excedit et superat quidquid ii, qui pannos conficiendos curant, pro Salomonis vestiario componere poterant. Præsens forsàn aderat lilium camporum, et illud ostendebat divinus Magister, quandò verba ista protulit. Si res ita se habet, ad agreste lilium illum intendisse certum est (3).

Plinius lilium habet rosæ in excellentiâ secundum; et sequens D. Salt in Abyssiniam Itineris (pag. 419) locus istius ordinationis improprietatem ostendet : « Paucis ab Adowâ milliariis, novas et speciosissimas « amaryllidis species detegimus, quæ decem vel duo- « decim florum spicas in unoquoque stipite ferebant, « non minùs ac belladonæ latorum, quæ à communi « fonte erumpebant. Generalis corollæ color albus « erat, et quodque petalum lineâ solummodò lucidæ « purpuræ infra medium signabatur. Flos suavè ole- « bat, ejusque odor, licèt multò gravior, lilii val- « lium suavitatem referebat. Omnium admirationem « movit magnifica hæc arbuscula, mihique in animum « subitò revocavit pulcherrimam similitudinem quâ « usus est Salvator noster in particulari occasione : « *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni glo-* « *riâ suâ coopertus est sicut unum ex istis.* »

Dicitur lilium originaliter allatum fuisse ex Perside,

hìc mentio, non esse plantam aloem, sed aromaticam arborem, dictam quoque *agollochum*, atque *hylaloem*, cujus ligno pariter utebantur Ægyptii in condiendis cadaveribus. Vide Celsium, Hieros. 1, 35, Michaelem, sup. ad Lex. Heb. 1, 32, Salmasium. *Exerc. Plinii*, 747; Rosenmuller, *Schol.* num. 24, 6. Vide etiam caput 3, inferiùs, de Arboribus, sect. 2, § 1.

(1) Harris, *Hist. nat.*, p. 276.

(1) Paxton, *Illustrationes*, vol. 1, p. 250, 251.
(2) Parkhurst. *Lex. Hebr.*, in voce.
(3) *Script. illustrata*, in loco.

cujus præcipua civitas dicebatur *Shushan*, unâque ex ejus provinciis Susianâ, ex pulcherrimorum horum florum sponte nascentium copiâ. In Oriente, ut apud nos, symbolum est puritatis et excellentiæ moralis; unde Persicus poeta Sadi amabilem adolescentem comparat albo lilio in lecto Narcissino, quòd bonitate juniores omnes pastores superabat (1).

In Cant. v. 13, sponsa comparat labia dilecti sui liliis distillantibus suavè olentem myrrham; quod referendum est, juxta P. Souciet, è societate Jesu, quem citat Calmetus, ad *coronam imperialem*, seu lilium Persicum, quod rubrum est, et aliquem liquorem distillat. Deorsùm semper incurvantur, in modumque coronæ in extremâ stipitis parte disponuntur, qui foliorum fasciculum comam habet. In imâ parte cujusque floris hujus folii, aquosus quidam adest humor, formans, si fas ita loqui, candidissimam gemmam, quæ gradatim nitidissimas purissimasque aquæ guttulas distillat. Hoc probabiliter sponsa myrrham vocat.

Inter ornamenta quibus templum instruebatur, conspicuum locum tenebat lilium. *Labium maris fusilis floribus lilii sculptum erat*, 3 Reg., 26; *capitella quæ erant super capita columnarum quasi opere lilii fabricata erant*, v. 19; *et super capita columnarum opus in modum lilii posuit*, v. 22.

Sir Robertus ker Porter, describens architecturæ fragmentum, quod in ruderibus palatii quadraginta columnarum Persepoli observat: Quisque ferè in hâc processione in manu suâ velut speciem loti tenet. Flos iste apud veteres significationum plenus erat, et ubique in Oriente occurrit. Ægyptus, persis, Palæstina Indiaque illum in architecturâ ubique offerunt, in manibus vel in capite figurarum sculptarum, sive sint signa sive anaglypha. Invenimus illum quoque in sacris vestimentis et architecturâ tabernaculi et templi Israelitarum, deque eo à Salvatore nostro, velut peculiaris pulchritudinis et decoris imagine, mentio fit, cùm naturæ opera artis decorationibus comparat. Adest quoque in omnibus picturis salutationis Gabrielis archangeli ad Virginem Mariam; et reipsà mysticæ venerationi omnium gentium et temporum populis fuit. Vetus heroicum opus *Theatrum honoris*, in Galliâ editum circiter ducentis abhinc annis attentione dignam hanc loti liliive rationem dat. Symbolum est divinitatis, puritatis, abundantiæ, amoris in perfectione completissimi, charitatis et benedictionis; ut in Scripturâ, hoc castitatis speculo, Susanna dicitur Susa, quod significat *lilii florem*, præcipuâ Persarum civitate nomen hoc per excellentiam ferente. Hinc tria lilii folia in Galliæ insignibus pietatem, justitiam et charitatem significant. Quæcumque peculiaris veneratio generaliter huic pulcherrimo et fragranti flori collata sit, at Persæ illi peculiarem sanctitatem attribuebant (2).

CYMINUM.

Hebraicum hujus arbusculæ nomen *cemun* generaliter retentum est in Arabico *kimmum*, Latino *cyminum*, Græco κύμινον, et Anglico *cummin*. Umbellifera est arbuscula speciem feniculi referens, abundantissimum in minori Asiâ, Ægypto, Syriâ, Hispaniâ, Italiâ et aliis calidis regionibus. Semen profert, quod amarè acri gustu mordet, aromaticumque odorem, non ex gratissimis, exhalat. Illud in agris seminant Judæi, et, ubi maturum est, baculo grana excutiunt, Isa. 28, 25-27. Illud quoque seminant Melitenses (1), eodemque modo grana colligunt. Scribas et Pharisæos reprobat Dominus noster, quòd tam scrupulosè mentham, anethum cyminumque decimant, neglectis bonis operibus, et essentialiorè divinæ legis obsequio, Matth. 23, 23.

ANISUM.

Professor Campbell errorem ostendit in quem translatores nostri ceciderunt. Permixtis duobus verbis quæ nullam connexionem habent, ἀνεθὸν et ἀνισὸν. Prius in textu occurrit, significatque non *anisum*, sed *anethum*; posterius *anisum* designat, sed in sacris Scripturis non occurrit.

HYSSOPUS.

Vegetale hoc vocatur *azub* ex suis detersivis et purgativis proprietatibus, unde eo utebantur ad spargendum paschalis agni sanguinem (Exod. 12, 22); ad mundandos leprosos (Levit. 14, 4, 6, 51, 52); ad conficiendam purificationis aquam (Num. 19, 6), illamque spargendam, v. 18. Typus erat vis purgativæ amarorum Christi dolorum, idque in animo prophetam habuisse, Psal. 1, 9, planum est (2).

Hyssopus planta est amaro gustu inque montibus propè Jerusalem nascitur, non minùs ac in civitatis muris. De quâdam hyssopo loquitur Hasselquist, quod minutissimus muscus erat, altæque et augustæ cedro singulari modo dispar. Vid. 3 Reg., 4, 33.

Bochartus, Scheuchzer, Parkhurst et alii critici, ut se ab apparenti inter Evangelistas discrepantiâ expediant, arbitrati sunt hyssopum, Joan. 19, 29, synonymum esse posse arundinis seu cannæ, Matth. 27, 48, et Marci 15, 36; indeque Wolfius aliquid laboris et operæ in eo posuit, ut ostenderet illud quamdam fuisse hyssopi speciem, cujus stipes aliquando duobus pedibus longus erat, et consequenter idoneus ad attingendum hominem cruci affixum, quæ nullo modo tam alta erat, quàm aliqui putaverunt (3). Sed difficultas, ut ostendit doctor Harris, in ipso textu non stat, qui satis intellectu facilis et apertè cum cæterorum Evangelistarum narratione conciliari potest. De arundine non loquitur S. Joannes, sed ait, milites, postquàm hyssopo spongiam circumposuerint, id est, postquàm amarum acido, seu fel aceto miscuerint, ori Salvatoris nostri, arundine, haud dubiè, admovisse.

JUNIPERUS.

Valdè dubium est utrùm de hâc arbusculâ mentio

(1) Harris, *Hist. nat.*, p. 246.
(2) *Itin. in Georgiam, Persiam*, etc., vol. 1, p. 627.

(1) Harris, *Hist. nat.*, p. 92.
(2) Vide Scheuchzer, *Phys. sacrâ*, Exod. 12, 22.
(3) Ibid., Matth. 27, 48.

fiat in Scripturâ, licèt in nostrâ versione occurrat. Plerique interpretes conveniunt inter se Hebræum *retem* significare genistam, seu Hispanicam genistam, vocatam quoque ab Arabibus *retemeth*.

Vox *retem*, ait doctor Good (1), est Arabica, generaliterque significat hæc arbuscularum genera, quæ in modernâ botanicâ sub nominibus spartii, genistæ et ulicis nota sunt. Occupatâ ab unâ ex potentissimis Arabum domibus Hispaniâ, regnoque sub nomine Occidentalis *califat* constituto, vocem istam conjunctim cum multis aliis in linguam Hispanicam transire necesse fuit; indeque *retama* generale est totius hujus arbuscularum familiæ nomen Hispanicum, ut *retamal* myricæ vel graminis quæ simul nascuntur cum ipsis.

In 3 Reg. 19, 4, agitur de prophetâ sedente in umbrâ juniperi, *retem*; quod non consistere putatum est cum opinione quæ tenet *retem* genistam esse, quæ nisi mediocrem contra urentem solis æstum umbram afferre posset. Idem tamen pari, si non majori vi, objici posset de junipero quæ humilis arbusculæ tantùm staturam habet. At verò, ut suggerit Parkhurst, textus hanc sententiam involvit magis quàm ei contradicit, et eos inferre licet prophetam umbrâ genistæ (2), quam in deserto nasci notat Bellonius, meliore deficiente, contentum fuisse, quemadmodùm Jonas modico cucurbitæ tegmine uti lætatus est contra oppressivum solis ardorem. Jon. 4, 6.

In Job 30, 3-4, afflictus patriarcha de sibi illudentibus ait :

Qui heri rodebant in eremo, in desertis et in solitudinibus,
Urticasque ex rubis, aut juniperi (retem)
Radicem in victum avellentes.

Locus iste multùm nobis præstò non est ad definiendum utrùm *retem* sit *juniperus* an *genista*, neutrius enim aut alicujus alius arbusculæ radices in his solitudinibus esculentam nutrimenti speciem offerre possunt. Illud notatur ut earum extremæ destitutionis argumentum, ostenditque Parkhurst, ex pluribus scriptoribus, minimè alibiles substantias comestas fuisse à multis populis, in temporibus et locis famis et inediæ. Hunc Lucani locum citat doctor Good, ut singularem cum Jobi descriptione affinitatem habentem :

..... *Aspicit miserabilem turbam*
Pecorum pabula arripientem, dumos aculeatos
Carpentem, nemusque morsu tondendo cædentem.

Psalmista (Ps. 120, 4) loquitur de *retenim* carbonibus ut vividissimum ignem ex omnibus materiis concipiendo alendoque igni aptis, quæ in deserto inveniuntur, et ideò aptissima videntur linguæ dolosæ pœna : *Qui detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis* (Hebr. *retenim*) JUNIPERI. Id est, ira Dei, quasi acuta hamataque sagitta, ab Omnipotentis arcu emissa, solidissimam armaturam perfodiet, et durissimum cor profundè feriet, et velut productæ juniperi flammæ, angoribus ineffabilibus mendaces torquebit, Paxton, vol. 1, p. 246.

(1) Job. translatio, p. 344.
(2) Optimum de Grotii et Petri martyris opinionibus quoad prophetæ consilium se umbrâ *retem* protegendi articulum habet Harmer. *Observ.* vol., 4.

SECTIO SECUNDA.

CUCUMERA.

Magna hæc est vegetalium familia aut tribus, plurimas involvens species à se volumine, colore internisve qualitatibus dispares. Solæ tamen species de quibus Scriptura loquitur, *cucumer* propriè dictum, melo et mandragora sunt; quibus quidam scriptores cucurbitam addunt; sed cùm dubium sit utrùm hæc propriè fuerit identificata, in aliâ hujus operis parte locum obtinebit.

CUCUMER.

Vulgarissimus est apud nos fructus, sed multò adhuc in Ægypto vulgarior, ubi gustu jucundior, digestuque facilior est. Supponit Hasselquist cucumer de quo in Num. 11, 5, esse *cucumis chate*, seu cucumerum reginam, quod sic describit : « Nascitur in fertili solo, « circa Cairum, post Nili inundationem, non verò in « alio Ægypti tractu, nec in ullo alio solo. Cum aquo- « sis peponibus maturatur, ejusdem ferè substantiæ « carnem habet, sed longè minùs frigidam. Eo ve- « scuntur magnates quasi jucundiorem nullum cibum « invenientes, et à quo minùs sit ipsis metuendum. « Exquisitissimum est ex iis quæ hujus familiæ nunc « nota sunt. » (*Itin.*, p. 258.)

« Hunc locum invenimus apud D. Jowett in ejus « *christianis Inquisitionibus :* Latè patentes melonum « cucumerumque maturantium agri amnis (Nili) ripas « adornabant; adeò abundanter nascuntur ut nautæ « liberè sibi non deessent. Custodes tamen in iis con- « stituuntur. Per occasionem, sed longis desolatisque « intervallis parvum tugurium observare nobis licet, « arundinibus constans, unius tantùm viri capax; et « reipsâ vix aliud quàm à septentrionali vento pro- « tectio erat. His in tuguriis aliquando pauper vir « senilis, fortè membro captus, infirmè proprietatem « protegens mihi apparuit. » Id accuratè illustrat illud Isa. 1, 8 : *Et derelinquetur filia Sion.... sicut tugurium in cucumerario...* Maximè necessariorum horum vegetalium copia in animum revocat Israelitarum murmurationes : *In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, porrique et cæpe, et allia; sed nunc anima nostra arida est*, Num. 11, 5.

MELO.

Melones in Hebræis Scripturis vocantur *ablechim*, ex verbo *belech*, cujus sensus est inhærere, etc..., sicque profecto vocantur, quòd eorum surculi omnibus iis adhæreant, quæ attingere possunt, ut sustineantur. « Melo, inquit Hasselquist, colitur in Nili ripis, in « pingui et argilloso solo, quod inundationis tem- « pore recedit, et in insulâ Deltâ, præcipuè Burlos, « unde ampliores melioresque afferuntur. Iis utuntur « Ægyptii ad victum, potum, medicamentumque; « eorum caro cum pane editur; succus verò in fora-

« mine, quod in melone fodiunt, colligitur, maximèque « refrigeratorius, sed aliquando periculosus est potus; « idemque succus rosaceâ aquâ et parvo saccharo « mixtus unicum est medicamentum quo vulgus ad « febrem discutiendam utatur. Patienti gratissimus « est, quippe qui eo refrigeratur (*Itin.* p. 355) refi- « citurque. » (Vid. Num. 11, 5.)

MANDRAGORAS.

Arbuscula hæc, in Hebræo *dudaim* dicta, melonis species est, de quâ veteres, interque cæteros Josephus plures singulares ideas conceperunt. Duo sunt genera : feminea, quæ nigra est, folia lactucæ non absimilia habens, licèt minora angustioraque, quæ in terrâ se explicant, injucundumque emittunt odorem. Fert fructus sorbi non nihil similes, pallidos, gravè olentes, intùs grana piri similia habentes. Ipsi duæ tresve sunt amplissimæ radices simul implicatæ, albæ intùs, nigræ extra, densoque cortice involutæ. — Altera species, seu masculæ, vocatur *morion* seu *insaniæ*, quia sensuum usum suspendit. Baccas producit femineis bis ampliores, suavè olentes, crocoque proximantem colorem habentes. Folia ejus alba, lata, expansa, tactu lenia, velut fagi frondes. Radix ejus femineæ similis est, sed crassior ampliorque. Planta ista stupefacit eos qui eâ utuntur, intellectu eos aliquando destituens, sæpèque talium vertiginum et lethargiæ causa est, ut qui ita capiuntur, si præsens, non adsit auxilium, in convulsionibus pereant. Pythagoras primus mandragoræ nomen *anthropomorphos*, quod vulgatissimum evasit, contulit. Quam ob rationem hoc fuerit datum cognomen notum certè non est; statuit Calmetus id fuisse, quòd radices in medio deorsùm dividuntur, femorum, tibiarumque similitudinem non nihil referentes (1).

Ex Cant. 7, 13, patet *dudaim* insignem odorem effundere, quo tempore vites et malusgranata florebant; quod in Judæâ evenit circa finem aprilis aut initium maii. Probabile est ideò, quod hìc de sapore dicitur, fructibus potiùs quàm floribus esse referendum, præsertim cùm Brookes (2), à quo plantæ particularis data est descriptio et pictura, expressè observet fructum gravem et nauseosum odorem habere, etsi nihil de floris odore dicat. Illud nobis quodam modo rationem reddet de eo quod animadvertit Hasselquist, nempe Arabes Nazareth illam nomine vocare, cujus in eorum linguâ sensus est, *diaboli victualia.* Sic à summo Samaritanorum pontifice audiit Maundrell mandragoras esse plantas latæ frondis, quoddam fructûs genus ferentes, formâ malis simile, maturescens tempore messis, sed malè olens et insalubre. Addit verò ipsis vim inesse conceptionis adjuvandæ, ubi sub geniali cubili positæ fuerint; mulieresque iis nunc ad hunc finem uti solitas esse, ex opinione quam de earum vi prolificâ retinent (3).

Ex eo quod de mandragoris retulimus evidenter

(1) *Biblia encyc.*, art. *Mandragoras.*
(2) *Hist. nat.*, vol. 6, pp. 253, 254.
(3) *Diarium* martii 24.

patet Rachel iis indigere non potuisse sive ad victum sive ad fragrantiam; et ex toto narrationis tenore in Gen. cap. 30, comparato ad cap. 29, 32-34, apparet utrasque Rachel et Liam talem quamdam habuisse notionem, ac summus Samaritanorum pontifex de earum vi geniali conceperat. Et nonne de iis à Judaicâ reginâ mentio facta in Cant. 7,13, aliquid similis generis intimat, eamdemque opinionem ætate Salomonis (1) apud Judæos prævaluisse ostendit? Nec solorum Judæorum fuit hæc opinio : eadem mandragorarum notio Græcis erat et Romanis, à quibus huic fructui cognomen datum est *malum amoris* et Veneri cognomen *Mandragoritis.* Julianus imperator in suâ ad Calixenem Epistolâ ait se mandragoræ succum bibere ad excitandos amatorios affectus (2). Et antea Dioscorides (3) de eâdem plantâ observaverat : radix supponitur usui esse ad philtra poculaque amatoria (4).

Quidquid sit, parùm dubium videtur utrùm planta ista qualitatem productivam habuerit, ideòque Hebraicum ejus nomen *dudaim* propriè deduci potest ex *dedim, amoris deliciæ.*

SECTIO SECUNDA.

SPINOSÆ ARBUSCULÆ ET PLANTÆ.

..... *Conspicuus in latè patentibus campis, vel ad radices sepis, ubi profusæ nascuntur violæ, vel in sylvarum sepibus, quercum propè, vel, ab hominis lapsu, in Eden specioso horto profusus, caput attollit* TRIBULUS *altum petens, licèt ipse maledictus, omnisque terræ maledictionis symbolum et particeps.*

Maledictio quâ Deus terram feriit, Gen. 3, 17-18, ait doctor A. Clarke, multò plura involvit quàm vulgò existimatur. Stupenda quorumdam ex communissimis tribulis et spinis fœcunditas, ea latæ in hominem sententiæ exequendæ aptissima facit instrumenta. Supra modum multiplicantur tribuli : species quæ dicitur *carolina sylvestris* fert ordinariè à viginti ad quadraginta capita, quorum quodque à centum ad centum et quinquaginta semina continet. Alia species, *acanthum vulgare* dicta, 100 circiter producit capita, quorum quodque à 300 ad 400 semina continet. Supponatur, inquimus, tribulos istos, sumpto medio termino, 80 solummodò capita producere, et caput quodque 300 semina ferre, prior eorum messis ad 24,000 assurgeret. Serantur hæc; messis eorum 576 milliones attingeret. Sere iterùm ; tunc habebis 13,824,000,000,000, seu tredecim billiones, octingentos et viginti quatuor millionum millia ; unicaque hujus posterioris proventûs seminatio producet 331,776,000,000,000,000, seu trecenta et unum et triginta millia, septingenta et sex et sexaginta billionum millia, quæ tertii tantùm anni proventus erunt; quarti anni proventus erunt 7,962,624,000,000,000,000,000, id est, septem millia nongenta et duo et sexaginta trilliones, sexcenta et quatuor et viginti billionum millia ! Quæ progenies ad im-

(1) Vide *Prælud. novi commentarii* in Cant. Salomonis, p. 329.
(2) Calmetus, ubi suprà.
(3) Lib. 9, cap. 67.
(4) Parkhurstus, *Hebr. Lexic.*

plendam non tantùm orbis universi, sed et omnium planetarum, in solari systemate, faciem sufficeret, ita ut nulla alia plantæ aut vegetale nasci posset, assignato cuique plante unius tantùm pedis quadrati spatio! Carduus vulgatissimus viarum, seu communis sepium tribulus, prætermissâ propè infinitâ alatorum seminum copiâ quam emittit, radices suas plurimas circùm *yards* extendit, surculosque ubique agit, qui vice suâ non ferunt fructus tantùm, sed et radices emittunt, sobolescuntque, parentis more, aliamque omnem vegetationem suffocant et destruunt.

Quoad spinas, paliurus, qui adeò communis occurrit, adeòque est nocivus, sufficiens adest argumentum quàm benè media ad securitatem finis disponuntur. Genista, seu *spina vulgaris*, ab aliis dicta *spinosa genista*, ab aliis *ulex*, unus habetur ex maximè noxiis rubis super faciem terræ. Eum propè nihil nasci potest, tamque densis aculeis instruitur, ut ferè impossibile sit absque vulneribus eam tangere. Valdè prolificus est, mediâ ferè anni parte floribus cooperitur, siliquas granis plenas producentibus. Radices insuper longè latèque emittit, ex quibus surculi et juniores stipites perpetuò enascuntur, et alios vice suâ producunt. Ubi illi dilatandi datur facultas, mox universum solum occupat, ejusque radicibus terram purgare supra modum difficile est, in quâ semel sedem fixerit. Sic Deus justus implendam providit maledictionem quam in omnem terram tulerat, propter habitantium crimina (1).

SPINA.

Spinæ plures sunt species, et ad eas designandas variis vocibus utuntur sacri scriptores, quas accuratè et confidenter discriminare facile non est. Recentior Calmeti editor octo voces apud originalem textum numeravit, quæ in versione nostrâ *spinæ* vel *myricæ* vertuntur, quorum adhuc catalogus à doctore Harris extenditur (2).

Ista arbusculæ species primâ vice occurrit, ubi denuntiat Deus pœnam in genus humanum, Gen. 3, 18, *spinas* et *tribulos*, juxta Septuag. ἀκάνθους και τριβύλους. Iisdem verbis utitur S. Paulus ad Hebr., 6, 8, ubi posterius *myricæ* redditur. Reperiuntur quoque apud Jos., 10, 8. Vox *keutz* in aliis locis pro spinis ponitur, Exod. 22, 6; Jud. 8, 6; 28, 24; sed utrùm specificum spinæ genus denotet, an verò genericum sit nomen pro cæteris spinarum speciebus, incertum est. Pulcherrimum est apophthegma in Prov. 15, 19: *Iter pignorum quasi sepes spinarum; via justorum absque offendiculo.* Pulcherrima textûs originalis oppositio in Anglicâ versione conspicua non est: *Angusta via pigrorum est quasi perplexa semita inter acutas spinas, dùm lata via justorum alta est ripa* (agger aut moles), id est, *plana* et *aperta*, *offendiculis libera, directa*, *conspicua, aperta semita.* Hunc in locum animadvertit doctor Taylor: « 1° Communiùs utriusque hujus indolis « hominum vitæ cursus isti similitudini respondet; « 2° eorum incumbendi rei, vel eam transigendi mos, « isti respondet: *Piger* intricatiorem semper præfert, « magis obliquum et exitu dubium, spinosiores pro- « positi sui perficiendi modos; *justus* verò liberalissi- « mum et apertissimè planum (1). »

Jam animadvertimus vocem in novo Test. pro spinis usurpatam esse *akantham*. Variæ sunt apud criticos opiniones de naturâ spinæ quâ nostri Salvatoris corona confecta est, Matth. 27, 29. Haud dubiè ex quâdam acutâ rubi specie, quanquàm nihil de eo certi nunc dici potest.

PALIURUS.

Vox *atard* in Jud. occurrit, 9, 14, 15, et in Ps. 58, 10. In posteriori loco vertitur *spinæ*, in priori verò *paliurus*. Parùm dubium est *rhamnum* esse, seu *nabiam paliurum athenæi*, quæ communis est in Oriente, spinis instruitur, ramuli ejus lenti et flexiles, frondes ejus altè viridantes, hederæ similes. Certum est eam arbusculam ad ritè denotandum tyrannum usurpari, quæ nedùm umbram et protectionem affert iis qui ejus petunt auxilium, è contra suis eos spoliant, ut paliurus spoliat ovem quæ propè accedit, aut in umbrâ suâ jacet (2).

Locus est in Hollandi translatione Plutarchi quo mirum in modum illustratur res de quâ inter nos agitur: « Interea putatum est eum (Demosthenem) signa « sua reliquisse et fugam cepisse; cùm verò festi- « naret, paliuro occurrit, quâ vesti suæ à tergo ad- « hærente, ipse conversus ad paliurum. *Serva mihi* « *vitam*, inquit, *et pretium sume.* » (Folio 567.)

URTICÆ.

Quæ sunt voces variæ, quæ in Anglicâ Bibliâ *urticæ* vertuntur: *Kimosh* (Prov. 24, 31; Isa. 34, 13; Jos. 9, 6, 9), de quibus non disputatur; atque *cherul* (Job. 30, 7; Prov. 24, 31; Zach. 2, 9), quas identificare nullo modo possumus, et quæ profectò *urtica* esse nequeunt. Doctor Good, post doctorem Stock, Jobi locum sic vertit: *Inter rubos gemebant*, *sub sentibus confusè latebant*; animadvertitque: « Cur Junius et « Tremellius, Piscatorque *cherul* verterent *urtica*, et « communis nostra lectio, post ipsos, *nettle*, id me « fugit. In quocumque loco occurrit vox ista, ea sem- « per *spina*, *paliurus*, *rubus* vertitur (3). » D. Scott locum non minori vi et proprietate sic reddidit: *Ad spinarum umbraculum gementibus turmis festinabant*, *commixtimque abjectè coacervati rubum benedicebant.* Talis recessûs incommoda patent in hoc Denonis loco: Hoc afferunt incommodum Ægypti vegetales sentes, quòd sub ipsis remanere difficile sit, quòd nona pars ex decem arborum et plantarum inexorabilibus spinis instruitur, quæ inquietam tantùm umbraculi possessionem, magnoperè tamen desiderabilem, permittunt, cùm semper necesse sit cautè se ab ipsis defendere.

(1) Vide Hale. *veget. stat.*
(2) Quisque studens utiliter consultare potest Hilleri *Hierophyt.*, p. 470; Ursini *Arboret. Bibl.*, cap. 23, etc.

(1) *Expositorius Index*, p. 148.
(2) *Script. illustrata*, *Expos. Ind.*, p. 82.
(3) *Job Translatio*, p. 346.

SECTIO QUARTA.

BULBOSÆ PLANTÆ.

Cæpæ.

Vox *batzal* in Num. 11, 5, solummodò occurrit, sed de ejus sensu nullum dubium occurrit. Hebraicum nomen adhuc servatur in Arabico *basal*, CÆPE... Quisquis cæpas in Ægypto gustavit, ait Hasselquist, fateri debet nullas meliores in quâvis orbis parte posse reperiri; ibi suaves sunt, alibi, in aliis regionibus, nauseosæ et graves; ibi molles, alibi in septentrionalibus et aliis regionibus duræ, corticesque adeò compacti, ut duræ sint digestionis. Inde nullo in loco, minori incommodo et majori voluptate quàm in Ægypto edi possunt. Iis frixis, in quatuor partes divisis, aliquot additis carnis frixæ offulis, quas Turcæ in Ægypto *kebab* vocant, vescuntur, hâcque escâ adeò delectantur, ut audiverim eos cupere se eâ in Paradiso fruituros. Ex iis quoque *suppam* conficiunt, cæpis in parvas offulas sectis : hæc est una ex optimis escis quibus unquàm usus sim (1).

Ad illustrandum ampliùs locum, cui jam superiùs allusimus, observare possumus Maillet, qui ab Harmero citatur, asserere, inter vegetalia quibus ad victum Ægyptii utuntur, pepones, cucumeres et cæpas vulgatissima esse. De postremis ait ille : *Suaviores sunt quàm in ullâ aliâ orbis parte;* et Cairi per vias venales sunt, paratæ ad esum (2). Addit Harmerus, juxta Plaistead, eos qui solitudines peragrant, cæpas inter alios cibos frequenter secum ferre. Si antiquitùs ita ageretur, murmuratores Israelitæ Ægypti cæparum vix oblivisci poterant, cùm in solitudine in eâ deperirent quibus in Ægypto frui fuerant.

Notum est Ægyptios cæpe adorâsse. Hanc superstitionem ad imaginariam inter plantam istam et lunam affinitatem refert Plutarchus. Porri quoque et varia legumina simili æstimatione gaudebant (3).

ALLIUM.

Vox *shum* ut *batzal* in uno tantùm Scripturæ loco occurrit (Num. 11, 5), ubi porris et cæpis adjuncta est, ejusdemque speciei planta haberi deberet. D. Harmerus tamen dubium movit utrùm vox ista ad denotandum allium tendat, cùm præsertim asserat Hasselquist allium in Ægypto non nasci, atque, quamvis eo multùm utantur Ægyptii, hùc ex Archipelagi insulis adferri. Si ita sit, arguit ille, servi Israelitæ allio valdè assueti non erant; itaque probabilius est radices colocasiæ quæ latæ sunt, fermè rotundæ et subrubro colore, in loco de quo nunc agitur designare (4). Atverò, non obstante Hasselquist testimonio, quod impugnandi animus nobis non est, nobis adest Dioscorides (5) asserens allia antiquitùs abundantissimè in Ægypto nasci, ubi comesa simul et culta fuêre, atque Buxtorf plurima Talmudi loca citavit, quibus patet allium in magnâ æstimatione habitum fuisse, eoque multùm usos esse Judæos.

PORRUS.

Vox Hebraica *chetzir*, quæ vertitur *porrus* in Num. 11, 5, generale, ut jam superiùs notavimus, nomen est herbarum vel graminum, sicque multis in Bibliæ locis redditur. Alludens ad 3 Reg., 18, 5, ait Harmerus vix concedi posse *chetzir* significare porrum, quia ibi ad exprimendum equorum et mulorum pabulum sumitur; sed apprimè his stare posse vegetalibus quæ, ut intuba et cichoria, cum gramine promiscuè crescunt; quæ cùm frigidissimæ naturæ sint et in Ægypto usitatissima, ea intentam ab originali textu herbam esse habet ille (1).

Censere tamen nequiemus illud esse satis magni ponderis ut à sensu recedatur quem originali textui anglici nostri interpretes, Septuag., qui in Ægypto sedêre, innixi, dederunt. Ut herba ista *chetzir*, ex suâ peculiari structurâ et tubulari formâ dicitur, nonne ita denominari per excellentiam potuit porrus, quasi dicatur rotunda planta? *Karrat*, seu porrus, ait Hasselquist, unum profectò est ex iis in quæ deperibant Israelitæ, ab omni enim hominum memoriâ in Ægypto cultus est. Illius valdè studiosi sunt Ægyptii, et plebecula eo crudo cum pane, ad jentaculum præcipuè vescitur.

SECTIO QUINTA.

LINUM.

Notissimum illud est vegetale, in quod humana industria maximo fructu et utilitate exercita est. Ubi lini campum quis pertransit, stupore tactus considerat hanc externâ facie nullius momenti plantam, humano labore et industriâ planè novam speciem et formam assumere, voluptatique et valetudini jucundum et decorum nobis apparatum præstando, inservire posse !

Ab omni hominum memoriâ celebris erat Ægyptus (2) pro lini productione et fabricâ. In inferiores vestes elaboratum præcipuus erat incolarum vestitus, nec presbyteri aliud vestis genus superponebant (3). Subtile Ægypti linum celebratur apud omnes veteres auctores deque ejus superiore excellentiâ mentio fit in Scripturis (4). Lini fabrica adhùc viget in hâc regione. Rabbi Benjamin Tudela de fabricâ Damietæ loquitur, et Edmont Heymanque describit linum hujus fabricæ, ut speciosissimo colore, adeòque subtiliter netum, ut fila vix discerni possint.

In Deut. 27, 11, linum simul et lanam in vestem intexere prohibetur. Originalis vox, quæ vertitur linum et lana (Lev. 19, 19) difficilis est explanationis. Proni sumus ad eam potiùs referendam ad vestitum variarum specierum, quàm ad eum quem *linsey-wool-*

(1) *Itin.*, p. 290.
(2) *Epist.* 9.
(3) Minutius Felix, *Octav.*, p. 278.
(4) *Observ.* 28.
(5) Lib. 1, p. 80.

(1) *Observ.*, vol. 4, obs. 28.
(2) Herodotus, lib. 2, p. 121; cap. 105, p. 151; Plin. *Hist. nat.*, lib. 19, cap. 1, p. 156; Arrian., *Peripl.*, p. 145; Kircher, *Ægypt. rest.*, p. 370; Philostr., *Vitâ Apoll.*, p. 258.
(3) Herod., p. 116.
(4) Prov. 7, 16; Ezech. 27, 7.

sey, Gallicè *tiretaine*, vocamus, ad vestitum variis specierum partibus consutum, vario colore et ordine dispositis, ad superbiam forsan et ostentationem, ut tunica polymita quam Jacobus Josepho fecit, Gen. 37, 3.

Vaticinatus est Isaias quantâ lenitate, prudentiâ, benignitateque Messias opus suum perfecturus erat (Isai. 52, 3), illudque proverbio feliciter illustrat: *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet.* Ille quassatum etiam lignum non conteret, qui confringitur statim ac aliquo gravi pondere premitur; nec fumigans etiam linum extinguet, aut lampadis ellychnium, quod, ubi ardere incipit, levissimo motu exstinguitur. Benigno hoc et clementi vultu in populi infirmissimos, et datis his primis magnæ spei indolis initiis et indiciis, procedet ille, donec *in veritate educat judicium* (1), seu, donec justæ suæ causæ det victoriam. Locus iste in Matth. citatur 12, 20, ubi facili metonymiâ, materiâ pro re ex eâ factâ, linum pro lampadis ant candelæ ellychnio usurpatur, et insuper synecdoche pro lampade et candelâ ipsâ quæ, jamjam defectura, fumum magis quàm lucem emittit. Ipse non exstinguet nec auferet morientem lampadem (2).

In Jerem. 13, 1, *lumbaris linei* mentio datur; et in Ezech. 40, 3, *funiculi linei*, seu *mensuræ lineæ* (3).

Comparato Ezech. 44, 17, 18, cum originali instituto in Exod. 18, 29; 39, 27; et Lev. 7, 10, *pishtah* substitutum *bad* et *shesh* vocibus invenimus, quibus Judæi rabbini Ægyptiacum Indianumque linum vocabant (4). Sed probabilius videtur *pishtah* genericum esse lini nomen, et, per metonymiam, omnium quæ ex lino conficiuntur, qualia sunt fila, funes, ellychnia, et lineæ vestes. *Bad* vestem agrestioris texturæ, *shesh* verò delicatioris denotare, vel etiam posterius ad lini candorem referri potest (5).

Ad notionis hujus confirmationem animadverti potest, comparato Exod. 25, 4; 26, 23, cum 2 Paral., 2, 14; et Exod. 26, 31, cum 2 Paral., 3, 14, patet *butz* vocari *shesh*; et comparato Exod. 28, 42, cum cap. 29, 28, *bad* quoque vocari *shesh*.

Cùm versio nostra de specioso Ægypti lino haud semel loquatur, plurimi ex populo, ait D. Harmer (6), proni fuerunt ad censendum eorum lini fabricas delicatioris speciei fuisse, donec è contra agrestes tantùm erant. Hoc probatur ex examine linteaminum quibus eorum mumiæ involutæ reperiuntur (1). Itaque observat Hasselquist (2): Multa dixêre veteres de pulchro Ægypti lino, pluresque ex nostris doctis viris illud adeò pulchrum pretiosumque fuisse arbitrantur, ut artem etiam amiserimus, nec adeò bonum conficere posse. Ad ita censendum eos impulit quidquid in lini Ægyptiaci commendationem profusè Græci protulêre. Istis ita agendi legitima causa fuit: linum enim non habebant, intexendi artis rudes erant; quòd si verò lini Hollandiæ pannum ei comparetur in quo positæ sunt mumiæ, quodque ex antiquissimis optimisque Ægypti fabricis exierit, nobis valdè agreste videbitur speciosum Ægypti linum, comparato eo quod nunc conficitur. Ægyptiacum linum pulchrum erat, et à regibus principibusque emebatur, dùm Ægyptus unica fuit regio quæ linum coleret, eoque uti calleret.

D. Harmerus (3) producit longiùs ingeniosas suas notiones de variis lini generibus in Ægypto fabrefactis, quibus quædam addidit doctor Harris; pauca ex eo extrahemus.

Quemadmodùm Ægyptiacum linum antiquitùs celeberrimum exstitit, ita ratio adest putandi varia fuisse vestium linearum genera apud veteres; nam, quamvis paucissimè copiosa sit Hebraica lingua, in eâ tamen non minùs quàm quatuor sunt variæ voces, quæ versæ sunt *linum*, vel *pulchrum linum*, à translatoribus nostris. Illud vix evenire posset, si variæ non essent species.

Translatores nostri infeliciter supposuerunt unam ex istis vocibus *sericam* significare posse, prætermissis ex gossipio factis vestibus. Ubi Josephus in Ægypto prorex constitutus est ejus regionis, exhibetur stolâ byssinâ vestitus (Gen. 41, 42); sed cùm ipsis vocis sensus dubius ibi videretur, eam in margine *sericam* verterunt. Hoc infelicissimum fuit; ii enim non tantùm vocem *shesh* in multis aliis locis *linum* reddìdêre, sed profectò, quicumque possit esse sensus, certè serica esse nequit, quæ in usu non fuit, ut ex justissimis causis putamus, in hâc orbis parte, usque longè post Josephi ævum (4). Longiùs processêre: vocem enim *sericam* Hebraicæ vocis *shesh* textualem translationem fecerunt in Prov. 31, 22, quo versiculo mulieris Judææ industriæ felices effectus describuntur: *Stragulatam vestem fecit sibi; byssus et purpura vestimentum ejus.* Supponunt igitur Judæas mulieres, nec eas primi et altissimi ordinis, Salomonis ævo, indutas fuisse vestimentis ex materiâ tam pretiosâ in remotis temporibus, ut, sic enim traditum est, æquali auri pondere solverentur; quam ob causam, ut aiunt, Aurelianus imperator ex hâc materiâ vestem conjugi suæ denegavit, etsi illa ejusmodi molestè cuperet; Aurelianus,

(1) S. Matth. 12, 20, habet: *Donec ejiciat ad victoriam judicium.*

(2) Campbell, in loco.

(3) Sic Græci voce σχοῖνος (undè forsan nostra Anglica vox *skein*) *funiculus*, pro mensurâ aut perticâ utebantur.

(4) Maimonidis Tr. *kel hammak.*, c. 8, conf. Sheringham ad Tr. *Jòma*. Abarbanel ad Exod. 25: *Shesh est linum Ægyptiacum, quod est præstantissimum omnis generis lini.*

(5) D. Harmerus his verbis inferri posse existimat vestis colorem; vulgis color in Ægypto cæruleus erat. Obs. vol. 4, p. 102, quarta edit. — Ex *shesh* sumitur nostra vox *sash*, linum, sericumve cingulum.

(6) *Observ.*, vol. 4, obs. 34.

(1) Vide *Comment.* doctoris Hadley, in *Phil. trans.*, pro 1764.

(2) *Itin.*, p. 398.

(3) *Observ.*, vol. 4, p. 95, quarta edit.

(4) Boothroyd in Gen. 41, 42, citat Forsterum ut probantem textum originalem significare *nebulam lineam*, quam describit Plinius, declaratque presbyteros eam pro vestibus ferre propter ejus tenuitatem et candorem.

princeps qui super omnem Syriam et Ægyptum, super regiones de quibus nunc loquimur et super reliquas Romani imperii partes regnabat, quique annos ferè mille et trecentos post Salomonem vixit, propiorque tempori quo adeò vulgaris facta est serica, hoc valdè mirum videtur!

Si sericam impropriè introduxerunt, ut aliquando hæsitantes circa significationem vocis communiter *linum* redditæ, id etiam causam afferre potest, cur vestimenta ex gossipio facta omiserint, cujus magna copia in Ægypto et Syriâ nunc producitur, earumque regionum commercii notabilis pars est (1).

Maximè tamen fieri potest gossipium in Syriâ non à remotissimâ antiquitate inveniri: ibi tamen plurima abhinc secula, id credere nobis licet, plantatum fuit; et antequàm illud colere incœperint, fabricas gossipii ex locis in Oriente remotioribus allati nôsse poterant, et profectò noverunt (2). Inde enim adhuc nunc *calicota* et nebulæ lineæ in Syriam afferuntur (3), et, cùm juxta ingeniosissimum *Ruinarum Palmyræ* Editorem, Orientalis Indiæ commercium tam antiquum esset quàm dies Salomonis (4), et Palmyra hujus commercii causâ condita fuerit, quædam ex istis tenuissimi gossipii fabricis à caravanis inde, ut probabile est, allatæ sunt; hicque est genuinus Hebraicæ vocis *butz* sensus. Septem (octo) in locis, ut censemus, vox *butz* occurrit in veteri Testamento. Prima de eo mentio fit in hoc 1 Paral. loco, cap. 15, 27, ubi dicitur David indutus fuisse stolâ byssinâ, *burtz*, quandò arcam ex domo Obededom in Sion deduxit. Duo alia loca ad Salomonis templi ornamentum referuntur, quartus ad levitarum vestitum; in quinto describitur, ut una ex mercibus quæ de Syriâ Tyrum ferebantur; et duo cætera ad Assueri Persidis regis regiam referunt. Quàm naturæ consentaneum est loca hæc intelligere de Orientalis Indiæ fabricis, nebulis lineis et tenuissimis *calicotis!*

CAPUT III.

ARBORES.

Tota frondosa sylva stat explicata plenèque
Luxurians gementibus auris; ibi dama fugit
Per implexas sentes, et aves canunt latentes.

Arbor in Scripturâ vocatur *otz*, ex verbo *otzeh*, *figere*, *confirmare*, seu *stabilire;* sicque ab herbis vel plantis distinguitur, quæ molliores laxioresque sunt.

Lucos paganismi diis consecratos fuisse notum esse debet cuicumque veterem historiam legit. Ista adeò antiqua est consuetudo ut templorum et altarium consecrandorum usum antecessisse reputetur; quod tamen valdè dubium est, nam *asnel* Abrahami, quod in Anglicâ versione *lucus* vertitur, cùm diversè à consecratis lucis, de quibus in veteri Testamento mentio fit, exprimatur, intelligendum est potiùs mera arbor, quercus forsan aut tamarinus. Quidquid verò sit, certum est sacrorum lucorum usum ad mysteriorum celebrationes, à remotissimâ esse antiquitate, et forsan omnium universissimum. Primùm in his lucis neque templum, neque ara erat; meri recessus erant quò profanis, aut deorum servitio non devotis, aditus nullus. Postea his in recessibus erecta templa, utque tàm antiqua servaretur consuetudo, lucos, quotiescumque id in eorum potestate fuit, plantandos curaverunt circa templa et aras; qui luci non tantùm consecrati sunt diis, quorum in honorem templa fuerant erecta, sed et ipsi sanctuarium, aut asylum reis erant, qui hùc in refugium confugerant.

Quæ prævaluit ista consuetudo ortum duxisse videtur ex hâc ideâ quòd umbra et solitudo religiosis ritibus mysterii et pietatis speciem afferant, idoneæque erant ad solemnem et superstitiosum deorum, quos his in locis astantes credere edocebantur, cultoribus injiciendum timorem. Si invenias, inquit Seneca (1), lucum antiquis quercubus densatum, quæ in magnam altitudinem creverunt, arborum proceritas, loci recessus umbræque jucunditas subitò tibi in mentem ingerit ibi deum quemdam sedem habere. Propheta quoque hanc fuisse causam intimat: *Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama, super quercum, et populum et terebinthum, quia bona erat umbra ejus.* Ose. 4, 13.

Cùm istis in lucis proximiùs agerentur impuri et obscœni ritus qui præcipuus plerorumque idololatrici cultûs systematum character erant, Judæorum legislator prohibuit ne populus lucos plantaret circa aut propè Dei altare: Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui, Deut. 16, 21. Adeò tamen ad imitandos vicinarum gentium mores proni erant Judæi, ut sacrificiorum in excelsis et in lucis oblatorum rei facti sint; tantaque fuit unius ex eorum regibus impietas ut unum ex his lucis Jerusalem plantaverit, 4 Reg., 21, 7.

Ostendere conatus est Landseer vocem *ashreh*, redditam *lucos* in nostrâ Scripturarum versione, significare magis planeticæ armillarisve machinæ genus quâ in divinationibus utebantur; cui hominis staturæ altitudinem fuisse supponit ille scriptor, et parvulas sphærulas quasi ramusculi curvâ lineâ et virgâ sustinenti, seu axi, erumpentes. Alludensque ad 4 Reg. 20, 1, ait Sabæum luci idolum in atriis templi, ubi erecta fuerant quoque altaria, positum fuisse; sed præter hoc, immobiles forsan armillares machinas in usum divinationum, quas in atriis templi Manasses construxerat, in templi quoque interiore parte parvum luci et idoli simulacrum, aut similitudinem habuit, haud dubiè, ut Sabæorum istorum rituum celebrationibus, quæ per idololatricum ejus regnum in templo agebantur, et

(1) Vide Norden, *Respectu ad Ægyptum* vol. 1, p. 110, et Le Bruy quoad Syriam, t. 2, p. 150.

(2) Serica, non minùs ac gossipium, magnâ copiâ in Syriâ producitur, præcipuamque ejus regionis divitiarum partem constituit. *Itin. in Syriam*, à Delaroque, p. 8.

(3) Rawolf, p. 84: *Eodem modo afferuntur ex Orientalibus Indis in Ægyptum.* Norden, vol. 1, p. 70. Maillet, epist. 13, p. 194.

(4) Ps. 18.

(1) Epist. 61.

ab Ezechiele describuntur, inservirent: legitimum enim nullum esse potest dubium quin idololatriæ à prophetâ visæ juxta fluvium Chobar, eæ forent quibus reverà templum pollutum ut (1).

Certum est vocem quæ vertitur *lucus* non posse semper intelligi nemus arborum, quippè hæc, 4 Reg. 17 et seq., legimus : *Fecerunt sibi lucos subter omne lignum nemorosum;* nec semper strictè sumi pro *simulacro*, nam legimus quoque hæc : *Fecerunt sibi conflatile et lucos, et adoraverunt universam militiam cœli..... et divinationibus inserviebant*, etc., vers. 16, 17. (Vide etiam Jud. 6, 25, 26, 28, 30, etc.) Hinc supponit Selden vocem de quâ agitur usurpatam esse pro simulacris quæ in lucis adorabantur, speciatim pro Astarte et Venere. Conjecturârunt alii, sicut Baal solem repræsentabat, ita idolum luci, vel luci ipsi lunam quæ ut regina (2) cœli colebatur.

Sacros istos lucos evertere vel devastare sacrilegium habebatur, omnium forsan veniâ indignissimum. Lucanus loquens de arboribus quas evertit Cæsar propè Massiliam ad struendas belli machinas, militum apprimè consternationem describit, qui huic operi inservire renuebant, donec dux ipse securim caperet, unamque ex ipsis dejiceret. Religioso tacti horrore in luci sanctitatem, firmiter persuasum habebant, si aliquam ex arboribus succidere confidenter attentavissent, in seipsos securim fore reversuram (3). Quòd ejusmodi prævaleret opinio, id addititia potuit esse causa cur luci ab idololatris chanaanitis polluti succidi juberentur (Ex. 24, 13; Deut. 7, 5); et diligentia quam adhibuit Josias in polluendis lucis quos Astaroth, Chamos et Melchom in monte olivarum consecrârat Salomon in diebus apostasiæ suæ, clarè ostendit quàm ab ejus animo alienæ fuerint infames istæ superstitiones, quanta ejus fides in Deum Israel, dùm sententiæ nimiùm inter populos suos vulgari obstare præsumit.

SECTIO PRIMA.

ARBORES FRUGIFERÆ.

...........Ubi seorsim
Patriarcha Palma mellitorum suorum pomorum onus
fœcunda deponit : ubi ficus, fortitudinis symbolum,
pinguiaque malogranata suavi pulpâ gravia involvunt
semina ; vel ubi, aureo fructu maturum citreum
teneros ramos agitat. (MASON.)

MALUS SEU CITRUSH.

Tapuash quod Anglicæ Bibliæ interpretes *malum* habuerunt plurimis in locis, ubi de eo agitur, ut una ex nobilissimis naturæ horti arboribus exhibetur, jucundissimum saporem emittens, gratissimæque speciei fructum ferens. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbrâ illius quem desideraveram, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo*, Cant. 2, 3; *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus; et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut malorum.*, cap. 5, 7. In sequenti loco inter arbores numeratur quæ singulariter speciosæ sunt et pretiosæ : *Vinea confusa est et ficus elanguit; malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt; quia confusum est gaudium à filiis hominum.* (Joel. 1, 12.)

Illa tamen nullo modo congruunt cum iis quæ à modernis viatoribus statuuntur de malis regionis Chanaanitidis. Primò statuit Forshal arborem istam rarissimè in hâc regione occurrere, quanquàm, quòd in loco proximè citato vineis et aliis frugiferis arboribus, quæ in Palæstinâ et Syriâ vulgatissimæ sunt, consocietur, necnon et inter ligna agri numeretur, satis patet illam minimè fuisse rarissimam. Sed malus non modò in Palæstinâ et Ægypto rara est, ast ubi invenitur, nulli pretii est, et consequenter ab *tapuach* Scripturæ valdè absimile. Maillet, qui semper ad loquendum modo maximè favorabili de Ægypti productionibus paratus est, mala piraque adeò esse insuavia fatetur, ut valdè indifferentia, quæ ex Rhodo et Damasco afferuntur, maximo pretio væneant (1). Atverò, si Ægypti mala valdè insuavia sunt, et Damasci valdè indifferentia, probabile non est mala Judææ, quæ inter has regiones sita est, esse multò suaviora. D. Arvieux decretorium est testimonium : statuit enim inter poma quibus sæpissimè vescuntur Arabes montis Carmeli, mala et pira ex Damasco (2) afferri, haud dubiè quia in terrâ Juda produci nequeunt. Probabile igitur est voce *tapuach* aliam à malo arborem designari.

Episc. Patricius (3) supponit vocem *tapuchim*, quæ vertitur *mala*, intelligendam esse fructum cui nomen hoc damus, et etiam mala aurea, citrea, persica, et alia poma, quæ fragrantiam exhalant. Sed ejus sententiæ veritatem in dubium vocat Harmerus. Romani quidem scriptores, ut animadvertit iste, malogranata, cydonea, persica, armeniaca, communi malorum nomine vocant cuncta, addito tantùm epitheto, ad discernendas pomorum species quæ hoc nomine, ab iis quæ alio dicuntur; sed ita loqui Hebræos scriptores non videtur (4). Suum speciale nomen malogranato certè est, liberque Canticorum hoc nomine particulares arborum species indicare videtur, quippè eas cæteris nemorum arboribus anteponit.

Quam igitur arboris speciem, inquirit D. Harmerus, vocem istam intelligere debemus, quoniam eo particularem speciem designari probabile est, nec tamen supponi potest propriam esse malum? Sex in locis occurrit, ex quibus novimus illam nobilissimam esse inter ligna sylvarum, ejusque fructum dulcissimum, vel jucundissimum (Cant. 2, 3), colorem aureum (Prov. 25, 11); fragrantissimum (Cant. 7, 8), languentiumque naribus aptissimè admovendum (Cant.

(1) *Sabæan.*, *Inquis.*, p. 285-287.
(2) *De diis Syriis*, syntag. 2.
(3) Vide Borlase, *Antiquit. Cornwall*, cap. 17 ; Banier, *Mytholog.* vol. 1, lib. 3, cap. 7 ; Young in *Idololatr. corrupt. in relig.* vol. 2, p. 26-29; et doctori Townley, Translat. *More Nevochim* Maimonidis, *Not.* 339-340.

(1) Epist. 9, p. 15, 16.
(2) *Iter in Palæst.*, p. 201.
(3) *Comment.* cant. 8, 8.
(4) *Observ.*, vol. 2, obs. 76

2, 5). Nil particulare continent quintus sextusque locus (Cant. 8, 5; Joel 1, 12); sed descriptio in quatuor prioribus data citro et pomis ejus perfectè respondet.

D. Forshal auctoritatem reveritus, qui malum ab incolis Palæstinæ vocari *tyffah* statuit, quod nomen Hebræo *tapuach* valdè affine est, si non idem reipsà, recentior Calmeti editor quanquàm ad vertendam vocem hebræam *citrum* pronissimus, ad malum iterùm revertitur. Quod jam adversùs malum dictum fuit, habendum tamen foret, nostro sensu, magis decretorium quàm mera nominis adoptio vel retentio quam sæpissimè valdè arbitrariam esse novimus.

At possibile id reputari potest, D. Harmerus suggerit, malum aureum, et limoniam, quæ nunc in Judæâ copiosè abundant (1), non minùs ac citrea, descriptioni apprimè respondere. Esto; sed multùm dubio est eminentissimis naturalistis, nominatim *Ray* (2), utrùm veteribus notæ essent, dum iis notissimam fuisse citrum certum est. Quod narrat Josephus de plebeculâ malis citreis quodam die festo Alexandrum Jannæum lacessente, argumentum est citrea mala multò ante ortum Christi nota fuisse; supponiturque ea multò longiùs in hâc regione stetisse.

Citrus lata est pulcherrima arbor, cujus frondes semper virides, exquisitis aerem perfundentes odoribus, profundamque et refrigeram umbram in anhelantibus torridarum regionum incolis expandunt. Rectè igitur sponsa clamare potuit: *Sicut citrus* (3) *inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbrâ illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Vix aliquid pulchrius excogitari potest quàm lata et patula citrus, pomis aureis onexta, frondibusque viridibus lautè vestita. Maundrello magis arridebat aureorum malorum hortus, vel citreorum nemus Beyriti, Emiri Faccardini palatium in Syriæ littore, quàm quidquid alibi sibi occurrit, etsi solummodò latus esset quadrangularis terræ campus, in sexdecim angusta quadrata distributus; sed ita malis aureis vastæ et latè expansæ amplitudinis, et tàm magnificè pomis adornatis, umbrata erant ambulacra, ut nihil in hoc genere perfectius esse reputaret; vel, si ritè culta fuissent, nihil potuisse jucundius et gratius haberi. Ubi animadvertimus discrimen inter citreum et aureum malum vix nisi fructu patere, et utrumque eumdem aureum colorem habere; hic Maundrelli locus verborum Salomonis modò citatorum commentarium esse potest.

Mira est quoque fructûs fragrantia; apprimè igitur odor oris sponsæ malis citreis comparatur; dùm perit omninò similitudinis energica vis, si vox de malis intelligatur. Mala citrea gustu quoque gratissima esse noscuntur et jamjam deficientium ori aptissimè admovenda, quippè eorum cortex juxta eos qui de materiâ medicâ scripsêre, tàm cor lætificat quàm succus corroborat refrigeratque. *Fulcite me floribus; stipate me malis* (citreis), Cant. 2, 5.

Ad morem citrea in regiâ suâ apponendi intendere Salomon videtur quando ait: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*, Prov. 25, 11. Utrùm lecta opere fuerint aperto, canistrorum instar, ut supponit Maimonides, an solertissimè argento inclusa, definire operæ pretium non est. Sed animadvertere extra causam non est hanc magnificentiam; id supponendi ratio nobis est, valdè vulgarem hâc ætate non esse, quippe poma d'Arvieux oblata à majori Arabum Emiro splendidiùs non allata sunt quàm in depictis ligneis vasis (1). Antiquo forsan isti ligneorum depictorum vasorum in afferendis fructibus usui Salomon regiæ suæ magnificentiam opponit (2).

Atverò, dùm loci allusionem explanare conamur, genuinum ejus sensum è visu non amittamus. Rectè animadvertit D. Horne (3) regium Philosophum hìc præcipuas hujus compositionis generis excellentias explanare, in quâ occurrunt verba ejus, completam que exhibere definitionem *proverbii*, et faustum rei quam describit specimen: Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Sic igitur intimat rex graves et profundos sensus molli et benè tornatâ phraseologiâ adornandos; sicut pulcherrimi et exquisitissimo colore fructûs species, vel ejus forsan in pretiosissimâ materiâ similitudo adornatur, si per vasi exquisitissimè sculpti reticula, quasi per velum conspiciatur. Insuper regius herborista insinuat non tantùm eleganti formâ et expositâ dictione commendanda esse Proverbia, sed veritati ipsi accedere addititium decus, quandò per elegantis fictionis et similitudinis velum partim emicat.

AMYGDALUS.

Spes felicioris horæ, in somniis, quæ
In miseriæ frontem descendit, ex argenteo amygdali
Flore oritur, qui in infronde ramo dehiscit.

Notior est amygdalus quàm ut hìc descriptione indigeat. Hebræum arboris hujus nomen *sheked*, vigilans, haud dubiè ex eo oritur, quòd arborum frugiferarum prima floret amygdalus: floret enim mense januario vel februario, martioque fructus ad maturitatem venit (4). Ad hanc arborem alludit visio Jeremiæ, cap. 1, 11-12: *Et factum est verbum Domini ad me dicens: Quid tu vides, Jeremia? Et dixi: Virgam vigilantem,* SHEKED, *ego video. Et dixit Dominus ad me: Benè vidisti, quia* VIGILABO *ego super verbo meo ut faciam illud.* Hoc in loco una est ex istis paranomasiis,

(1) Observavit Thevenot hortos Naplusii aureis simul et citreis malis refertos (p. 1, p. 215); Egmont et Heyman limoniaca mala Hattin et Saphet in Syriâ viderunt, vol. 2, p. 48. Vide etiam *Itin. Pocok*,, vol. 2, p. 67.

(2) Ejusdem esse opinionis videtur doctor Saw. *Itin.*, p. 341.

(3) Vulgata, *malus.*

(1) *Iter in Palæst.*, p. 2.

(2) Harmerus, ubi supra.

(3) *Introductio ad Scripturas*, vol. 2, p. 624.

(4) Russell. *Hist. nat.*, Aleppi, p. 13; Hasselquist, *Itin.* p., p. 25-26; Shaw., *Itin.*, p. 144; Plin., *Hist. nat.*, lib. 16, cap. 25, etc.

tam frequentibus in Hebraicis Scripturis, quas in versionibus retinere impossibile est.

Probabile est, ut suggessit Parkhurstus, principum tribuum quamque virgam amygdali ferre, suæ vigilantiæ symbolum. (Num. 17, 6-8). Arida amygdali virga Aaronis, quæ posteà flores et fructus tulit, accommodatissimus fuit typus ejus qui primus è mortuis surrexit.

Senectutis appropinquationem et imaginem apprimè descripsit Salomon, juxta interpretum pluralitatem, in verbis istis : *Amygdalus florebit*, Eccl. 12, 5. Albi ejus flores tàm maturè, inque *infrondibus* adhùc ramis apparent; sed fatendum ibi magnam in eo vim inesse, quod urget Harmerus in hanc interpretationem. Canities, inquit ille, validæ adhùc et sospiti senectuti optimè consistit. Prætereà, valdè insonum foret supponere florum istorum ortum, qui hiemis finem indicat verisque, jucundissimi anni temporis, appropinquationem, arboremque in toto suo decore exhibet, usurpatum fuisse ad humanæ vitæ hiemem, quam mors sequitur, et ejus è terrà viventium discessum designandum. Profectò, addit ille, unum vix intendi potest alterius esse descriptio; et, si res ita sit, quærenda est alia quædam explanatio, quanquàm ista maturiùs obtinuisse videatur, si ex Septuag. interpretatione nobis dijudicare licet.

Jàm vidimus vocem Hebraicam litteraliter significare *vigilantem*, *vigilarium;* et methaphoricè de amygdalo dicitur. Hoc admittens Harmerus suggerit clausulam naturaliter interpretari posse, eam, intelligendo de medicorum attentâ curâ, quæ frequentissimi in regiâ apparent, maximèque florent, ubi in declivissimo statu est princeps, mortique proximus accedit. (Vide 2 Paral., 16, 21.) Medici officia in corpus, vigilariique in palatium, non sunt absimilia: apparent enim identidem in regiâ, sed multò apertiùs et frequentiùs apprehensionis et periculi (1) quàm aliis temporibus.

FICUS.

Non prætereat innotata viridis ficus; aspice latè
Expansas ejus frondes; audi plumigeros cantores in ramis ejus;
Ex frondium lapsu discito proximam esse hiemem.

Ficus valdè vulgaris est in Palæstinâ et Oriente, maximâque luxuriâ floret in his aridis et calculosis solis ubi vix alia crescit arbor.

Duæ sunt fici species, *boccorus* et *kermusia*. Boccorus, seu præcox ficus in junio producitur, dùm kermusia, quæ est ficus propriè dicta, servaturque et in placentas conficitur, raró antè augustum maturescit. Est et longa, nigroque colore kermusia, quæ totâ aliquandò hieme arboribus suspensa remanet; eæ enim ficus diù ordinariè ab arbore pendent antequàm decidant, dùm è contrà boccori decidunt statim ac maturæ, et juxtà speciosissimam prophetæ Nahum allusionem: *Si concussæ fuerint, cadent in os comedentis*, 12, 12. D. Shaw, cui hanc notionem debemus, notat arbores istas propriè non florere aut flores emittere, ut hoc Hab. vertimus, 3, 7 : *Ficus enim non florebit*. Dicendæ sunt potiùs fructum suum emittere, ut reverà est, ut plures gemmulas cum floribus, qui parvuli quidem et imperfecti in illis includuntur (1).

Cùm callidus iste viator Palæstinam peragraret sub ultimo martii fine, boccorus longè aberat à statu maturitatis; nam, ut in Scripturâ exprimitur, Marc. 11, 13: *Non enim erat tempus ficorum*, id est, non erat adhùc dimidium, vel ultimus junii finis. Tempus hìc expressum supponitur à quibusdam auctoribus tertius annus in quo particularis ficûs speciei fructus ad perfectum statum venire dicitur. Ast species illa, si qua sit, nota magis et descripta esse debet antequàm aliquod in eâ stare possit argumentum. Dionysius Syrius, juxtà D. Losti versionem, ad propositum magis facit: *Non erat*, inquit, *tempus ficorum*, quià mensis nisan erat, quo flores, non fructus, arbores emittebant. Frequenter tamen in Barbariâ evenit, et haud dubiè sub calidiore Palæstinæ cœlo, ut pro præcedentis æstatis qualitate, quædam ex præcocioribus et validioribus arboribus, nunc et deinceps paucas maturas ficus sex vel ampliùs hebdomadas antè plenam æstatem daturæ sint. Aliquid ejusmodi intenditur ab Osee prophetâ, ubi ait: *Quasi prima poma ficulneæ in primo tempore ejus* (2), *vidi patres eorum*, cap. 9, 10; et ab Isaiâ, qui de Samariæ pulchritudine subitâque dejectione loquens, ait : (Ipsa) *Erit flos decidens, et ut præmaturus fructus antè ætatem* (3), *quem cùm aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illum*, cap. 28, 4.

Ubi boccorus ad maturitatem vertit, tum kermusiæ, æstivæ ficus, seu caricæ, formari incipiunt, etsi antè augustum raró maturentur; quo tempore tertii apparent fructus, seu hiemales ficus, ut vocari possunt. Multò productioris formæ et durioris compositionis hæ vulgò quàm kermusia sunt, ab arbore pendent et in eâ maturantur, etiam cùm frondes jam ceciderè, et dùm hiems placida temperataque fluat, ut gratiosissimus cibus, tempore veris colliguntur. Ex Plinio discimus (4) biferam esse ficum, id est, duos ficorum proventus ferre; scilicet boccorum, ut putamus, et kermusiam, quanquàm id quod inferiùs refert (5), indicare possit quoque hiemales fructus; seri fructus per hiemem in arbore manent et æstate inter novas frondes et folia maturescunt. Ficus alterum edit fructum, ait Columella, et in hiemem seram differet maturitatem (6).

Notissimum est arborum istarum prolificarum fructum semper frondibus anteire, idcòque, quandò Salvator noster unam vidit ficulneam summo vigore folia habentem, Marc. 11, 13, potuit, juxtà communem naturæ cursum rectissimè ex eâ fructum quærere, et forsan boccoros, si non hiemales ficus etiam

(1) Vide ampliùs in *Observat.*, vol. 3, obs. 13.

(1) *Itin.* vol. 1, p. 264.
(2) Vulgata habet: *In cacumine ejus*.
(3) Juxtà Vulg. verò: *Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus... quasi temporaneum ante maturitatem autumni...*
(4) Lib. 16, cap. 26.
(5) Cap. 27.
(6) *De Arbor.*, cap. 21.

in eâ invenire (1). Ad difficultates quæ rei istius narrationi connectuntur nos eam in hoc tam angusto dicendi modo dimittere non sinent. Dicimus *narrationi;* arbitramur enim doctoris Shaw animadversiones satis omninò esse ad probandum Domini nostri agendi in hâc occasione modum rationi fuisse consentaneum, non obstantibus innumeris quibus illum ignorantia et irreligio urgent objectionibus.

Recentiori Calmeti editori debetur adnotâsse se conjecisse arborem de quâ agitur sycomorum esse, quæ fructus pluriès in anno fert, nullâ particulari servatâ æstate, ita ut nemo asserere possit absque sedulâ attentione, utrùm adsit fructus, an non (2). Sed, ne quid dicamus contra auctoritatem quâ *syke*, sycomorus reddendum proponitur quod proprium suum nomen habet *sykomoraia*, Luc. 30, 4, assumptum videtur insufficiens ad reddendam rationem de latâ in eam maledictione; quippè planum est hanc arborem tunc temporis fructu destitui, nec tamen ullo modo frondibus nudari debuisse. Doctoris Shaw igitur conjectura omninò satis esse videtur: id est, sicut ficulnea semper fructus ante frondes emittit, et tunc non erat tempus ficorum (vel potiùs ficorum messis, sic enim verba ferunt), Salvatori nostro jus erat sperandi se in arbore fici aliquem fructum inventurum.

Nunc attendemus ad constructionem textûs, qui tot molestias commentatoribus attulit, quique pluries discussioni locum forsan dedit, quàm quælibet novi Testamenti alia narratio. Nostrâ in versione, locus iste, qui strictè ordinem verborum textûs originalis sequitur, sic habet: *Et aliâ die, cùm exirent à Bethaniâ, esuriit* (Jesus). *Cùmque vidisset à longè ficum habentum folia, venit si quid fortè inveniret in eâ; et cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia, non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Marc. 11, 12-14. Tota difficultas sita est in connexione posteriorum duarum vers. 13, clausularum: *Et cùm venisset ad eam nihil invenit præter folia; — non enim erat tempus ficorum.* Nam quòd declaretur non adhùc esse ficorum messem, id, ut ferre videtur ordo verborum, esse causa nequit cur nihil præter folia tunc in arbore esset, quia, ut vidimus, ficus est ex illâ vegetalium tribu, in quâ fructus antè folia apparent. Profectò, ait D. Werton, expectari fructus potuit ex arbore cujus folia à longè conspiciebantur, et cujus fructus, si fert aliquem, folia antecedebat. Si verba fuissent hæc: Nihil invenit præter virides ficus, quia tempus maturi fructûs non erat, ait Campbell, rectè conclusissemus posteriorem clausulam intentam fuisse, quasi rationem ejus quod in priori asseritur, sed, ut sunt, hanc interpretationem admittere nequeunt.

Nulla tamen ampliùs erit ambiguitas, si priorem clausulam parenthicalem habeamus, ejusque modi trajectionem admittamus, quæ in veteribus linguis infrequens non est, quanquàm eas in modernas vertendo, transpositione uti necesse foret, ut ejus generis loca, harum linguarum stylo accommodarentur; hoc transpositionis genere utitur doctor Campell. Prædicti loci sensus tunc erit ut sequitur: « Venit, si « quid fortè inveniret in eâ (non enim erat tempus « colligendi ficus), sed folia tantùm invenit; dixit« que, » etc.; ejusmodi inversiones et trajectiones notatæ sunt à commentatoribus in aliis novi et veteris testamenti locis; in hoc ipso Evangelio (Marc. 16, 3, 4), unam specialiter notat Campbell: *Dicebant: Quis revolvet nobis lapidem? Et respicientes viderunt revolutum lapidem: erat quippè magnus valdè.* Id est, dicebant: Quis revolvet nobis lapidem? erat quippè magnus valde (1), etc.

Spiritualis hujus historiæ ad Judæos applicatio satis est obvia. Observare tamen possumus cum Storr, maledictionem fuisse actum symbolicum; et cum Lightfoot, nemini injuriam facere; quippè arbor, ut ex Matthæo discimus, secùs viam stabat, et ideò communis proprietas erat.

In Oriente ficus in ingentem amplitudinem dilatatur; adeò ampla fit ut defatigato viatori satis umbraculi contrà solares radios afferat. Qui à Tiberiade iter faciunt Nazareth, ait Hasselquist, sese reficiunt sub umbrâ unius ex istis arboribus, ubi fons est juxta quem pastores cum pecude convenire solent, sed absque tabernaculo, tuguriove (2). Sic Moryson: Cùm ad parvulum ficulnearum umbraculum venimus, propè Tripoli in Syriâ, ibi æstu diurno remansimus, cibariisque nostris vescebamur (3). Hæc lectori scripturam in mentem revocant 3 Reg., c. 4, 25; Mic. 4, 4; Zach. 3, 10 et Joan. 1, 48, ubi ad amicum arboris hujus umbraculum evidenter alluditur.

SYCOMORUS.

Visenda hæc arbor duarum distinctarum specierum naturæ particeps esse videtur mori et fici, prioris in foliis, posterioris verò in fructu, et inde nomen habet συκόμωρον, compositum ex συκὸς, ficus, et μῶρον, morus. Sic à Norden (4) describitur sycomorus: Notandum est duas esse in Ægypto ficuum species; sed si quæ inter eas intersit differentia, magis differt particularis species; eam intendo quam fert sycomorus, cujus nomen Arabicum *giomen.* Super hujus speciei arborem conscenderat Zacchæus ut Salvatorem conspicere posset, cùm per Jericho transiret. Sycomorus fago altitudine par est, fructumque suum modo à cæteris arboribus prorsùs alieno profert. Ipsi stipiti inhærent fructus, ex quo exeunt parvi surculi in uvæ petioli formam, cujus in extremâ parte nascuntur fructus sibi invicem, ut uvarum racemi, adhærentes. Viridis semper est arbor, fructusque pluries in anno, certâ nullâ servatâ æstate, profert. Vidimus enim sycomoros, quæ duos menses post alias fructus dederunt. Verarum ficuum formam corticemque fructus habet, sed illis

(1) Shaw, *Itin.*, vol. 2, p. 149-159.
(2) Fragmenta ad Calmet, n. 67.

(1) Vide Bloomfieldi., *Critic. Digest.*, in loco.
(2) *Itin.*, p. 157.
(3) *Ibid.*, p. 243.
(4) *Ibid.*, vol. 1, p. 79.

gustu cedit, cùm insulsâ dulcedine fastidiat (1). Color ejus flavus est, ochræ proximans, carneo colore adumbratus : intùs communi ficui similis est, excepto quòd subrubrum colorem cum flavis maculis habeat. Satis vulgaris est ista arboris species in Ægypto; ejusque fructu plebis maxima pars vescitur.

Ex 3 Reg., 10, 27; 1 Paral., 27, 28, et 2 Paral., 1, 15, evidenter patet istam arborem satis in Palæstinâ, non secùs ac in Ægypto, fuisse communem; et quòd in Ps. 78, 47 vineis consocietur, quòdque David specialem præfectum instituerit, qui ejus plantariis invigilaret, videtur illam non minoris habitam fuisse in veteribus quàm magni in modernis temporibus. Ex Is. 9, 10, discimus sycomori materiam ædificandis domibus adhibitam esse, et non obstante porosâ spongiosâque ejus apparentiâ, diutissimè, ut ex doctore Shaw discimus, durabat. In catacumbarum mumiarumque Ægypti Descriptione callidus iste scriptor asserit se mumiarum capula, quadratasque pixidulas in quibus variæ continentur figuræ ad cujusque mumiæ pedes positas invenisse. Sycomori ligno confecta erant, sicque integra et incorrupta tria ad minus annorum millia, emanserant (2).

In Amos. 7, 14, haud dubiè intenditur modus quo coluntur arbores istæ scalpto vel inciso earum fructu. Sic intellexisse videntur Septuag., sicque Parkhurstus ex unitis naturalium historicorum testimoniis, textum originalem ferre contendit. Statuunt Plinius (3), Dioscorides (4), Theophrastus (5), Hasselquist (6), et alii scriptores sycomori fructum incidendum aut vellicandum esse, sive ungue, sive ferro, antequàm maturesceret; huicque operi, ut probabilissimum est, addictus erat Propheta antequàm ad sustinendum propheticum characterem vocaretur. Si voces textûs redderentur *sycomori vellicator*, loco *sycomori fructuum collector*, in eis, ut suggessit D. Harmerus, fructuum scarificatio simul et collectio includerentur.

In loco ex Norden supra citato viator ille attendit ad Zacchæi ascensionem in sycomorum, ut videret Salvatorem nostrum Jericho perambulantem, Luc. 19, 4; notatque D. Bloomfield hunc conspiciendi modum, non videri infrequentem, eò magis quòd id ortum dedisse proverbio videtur quod citat ex Libanio.

Altè sub solum immittit suas latè divergentes radices sycomorus, eoque sub respectu, ad illam intendit Salvator noster, ait Paxton, quasi difficillimè omnium eradicari, et in alium locum transferri possit. *Si habueritis fidem sicut granum synapis, diceris huic arbori sycomoro* (1). *Eradicare, et transplatare in mare; et obediet vobis.* Luc. 17, 6. Summa difficultas arboris hujus è nativo solo in alium locum transferendi peculiarem verbis Domini nostri vim et decus addit. Quò validiores divergentioresque sunt arboris cujusdam radices, eò difficiliùs eradicatur, iterùmque inseritur, ita ut radicem immittat et crescat; atverò multò difficilius eam in mare transplantare, ubi tàm altè infrà superficiem solum stat, et ubi irrequieti fluctus ex uno loco in alium illam exagitant; dicit tamen Salvator noster opus non minùs effectu difficile, à genuinæ fidei viro peragi uno verbo posse; nam Deo nihil est impossibile, nihil difficile (2), aut laboriosum. In simili loco Matth. 17, 20, varia est hyberbole, mons sycomoro substituitur. Locus sic Rosenmullerii paraphrasi explanatur: Quamdiù in Deum et in me confidetis, nec in vobismetipsis præsumentes, maximè ardua opera Religionis meæ promovendæ causâ susceptа, perficere poteritis.

PALMA.

Hæc vividarum palmarum arboreta, quæ
Languidulè sua foliis redimita capita currant,
Ut juvenes puellæ, quando somnus descendens
Eas ad sericos lectos invitat. (Moore.)

Arbor ista dicitur *tamar*, ex suâ rectâ proceràque staturâ, quâ quâlibet aliâ conspicabilior videtur. Ad centum pedes aliquando assurgit, unaque est ex speciosissimis regni vegetalis arboribus. Stipites generaliter asperis nodis horrent, quæ lapsarum frondium sunt vestigia : truncus enim non est solidus, ut cæteris arboribus, sed ejus interior pars pice referta est, circa quam viscosus est cortex, validis fibris plenus dùm junior est arbor; quæ, ubi senuerit, duræ et ligneæ fiunt. Strictè cortici frondes adhærent, quæ in centro rectè in altum ascendunt; sed, ubi vaginam quâ involvuntur superavêre, latè ex omni trunci parte expanduntur, et lapsis veteribus foliis, procerior fit truncus. Folia, ubi arbor sat ampla facta est ad ferendos fructus, sex vel octo pedes longa sunt; cùm expansa fuerint, valdè larga sunt, eisque ad tecta domorum cooperienda, aliosque fines utuntur.

Fructus, qui *datta* vocatur, sub foliis in racemis nascitur, suavisque et gratus gustu est. Doctus Kœmpfer, ut botanista, antiquarius et viator, totam palmarum materiam exhausit. Diligentes incolæ, inquit Gibbon, sex et trecentos usus, quibus truncus, rami, folia, succus et fructus sagaciter adhibebantur, sive in versibus, sive in prosâ celebrabant. Immensa palmæ utilitas, ait doctor Clarke, una est ex maximè conspicuis rebus in quas intendere possit viator. Maxima Ægypti, Arabiæ et Persidis incolarum pars ejus fructu omninò ferè vescitur, ejusque medicinalem vim exaltat. Palmæ pomorum nucleis camelos suos alunt. Ex foliis cubilia, canistra, saccos, mattas, scopulasque; ex ramis caveas pro volucribus suis; hortisque sepes; ex ramorum fibris, fila, funes, rudentesque conficiunt; ex arboris humore spirituosus liquor præ-

(1) Hasselquist tamen hujus fructûs sapore valdè delectabatur; statuto enim illum esse mollem, aquosum, et subdulcem, leviterque aromatico gustu. « Postquàm, addit ille, illum gustavi, vix ab esu abstinebam, et, si frigidos fructus salutares esse putâssem, magnam istius sanè copiam comedissem. » *Itin.*, p. 261.

(2) *Itin.*, vol. 2, p. 212.

(3) *Hist. Nat.*, lib. 13, cap. 7.

(4) Lib. 31. cap. 143.

(5) *Hist.*, lib. 4, cap. 2.

(6) *Itin.*, p. 264.

(1) Juxta Vulg., *moro*.

(2) *Illustrationes*, vol. 1, p. 259.

paratur, ignisque alimenta præstat arboris corpus; dicitur etiam ex unâ palmæ varietate, *phœnix farinifera*, extractam fuisse farinam quæ inter trunci fibras invenitur, eamque in victum transîsse.

Terræ sanctæ, non minùs ac Idumææ, quæ ipsi contigua jacet, plurimæ partes à Veteribus describuntur palmis abundare. Judæa præsertim in pluribus Vespasiani pecuniis exhibetur sub typo mulieris inconsolabilis, sub umbrâ palmæ sedentis. In Græcis quoque filii ejus Titi pecuniis, in pari occasione cusis, scutum videmus palmæ suspensum, cum Victoriâ in ipso scribente. Eadem arbor in Domitiani numismate emblema est Neapolis, olim Sichem, vel Naplusiæ, ut nunc dicitur; idem est de Sephoris, aut Sepphuri, juxtà præsens nomen, Galilææ metropolis, in Trajani numismate. Præsumendum est igitur palmam in terrâ sanctâ multùm olim fuisse cultam.

In Deut. 34, 3, Jericho dicitur *civitas palmarum*, quia, ut animadverterunt Josephus, Strabo et Plinius, palmis antiquitùs abundabat; statuitque doctor Shaw plurimas adhuc ex his esse Jericho, ubi adest, quam requirunt sæpiùs irrigari opportunitas, ubi quoque cœlum est calidum, solùm arenosum, seu ejusmodi ut in eo feliciùs veniant, utque delectentur. Attamen Jerusalem, Sichem et in aliis locis, septentrionem versùs, asserit doctor Shaw se rarò ampliùs quàm duas vel tres simul vidisse, eæque, cùm earum fructus rarò aut nunquàm ad maturitatem venit, nullius majoris sunt utilitatis (ut palma Deboræ) quàm ut umbraculo tegant recessus aut sanctuaria *Cheiles*, ut olim earum ramis processionum solemnitates adornabantur, Joan. 12, 13. Ex præsenti statu et qualitate palmarum in hâc terræ sanctæ parte concludit doctor Shaw eas nunquàm ibi fuisse numerosas aut frugiferas, et ideò, quod Relandus aliique sensêre, id est, *Phœnicem* idem esse ac palmarum regionem, probabile non videri, nam, si ejusmodi utilis et benefica arbor ibi unquàm fructuosè fuisset culta, nunc quoque adhuc, ut in Ægypto et Barbariâ, coleretur.

Singulare prorsùs videtur arbores istas masculum et feminam esse, posteriorisque fructum aridum et insulsum fore, nisi præviè priori communicaverit. Mense igitur martii aut aprilis, quandò vaginæ quibus juniores masculorum florum racemi et femineus fructus ex utrâque parte includuntur, dehiscere incipiunt, quo tempore posterior formatur, priores verò farinosi sunt, unus duove sumuntur ramusculi masculi racemi, inque feminei vaginam inseruntur; vel aliter totus arboris masculæ racemus sumitur, ejusque farina super omnes femineæ racemos diffunditur. Posterior usus in Ægypto, ubi numerosæ sunt masculæ palmæ, vulgaris est, sed Barbariæ arbores priore modo imbuuntur; una enim mascula quadringentis vel quingentis feminis satis est.

Palma suum summum vigorem obtinet annos triginta postquàm fuit transplantata, sicque septuaginta annos posteà perseverat, quoque anno quindecim vel viginti pomorum racemos ferens, quorum quisque quindecim aut viginti libras ponderat. Post illud tempus deficere incipit gradatìm, vulgòque sub ultimo secundi sui seculi fine decidit. *Exaltari* aut *florere* sicut palma tàm legitimæ propriæque sunt locutiones, hujus arboris naturæ accommodatæ, quàm *multiplicari* sicut Cedrus. (P. 91, 12.)

E palmæ radicibus ingens nascitur surculorum numerus, qui in altum assurgentes, genus quoddam nemoris efficiunt. Sub ejusmodi parvulo nemore, ut sensit Calmetus, habitabat prophetissa Debora, Rama inter et Bethel, Jud. 4, 5. Ad hanc quoque palmarum multiplicationem, ut suggerit ille, alludit propheta in hoc versiculo : *Justus ut palma florebit* (Ps. 91, 12, comp. Ps. 1, 3); magis quàm ad turritam ejus proceritatem, ut supponit doctor Shaw.

Aquæ studiosior est palma quàm plurimæ aliæ nemorum arbores, eaque est ratio cur meliùs in quibusdam locis floreat quàm in aliis. Ubi Moyses et populus ejus, in suâ ad promissam terram viâ, venerunt in Elim, duodecim fontes aquarum juxtà septuaginta palmas invenerunt, Ex. 15, 27. Ex Wilsone, quoque, *Historiâ expeditionis Ægyptiacæ*, p. 18, discimus, cùm in Ægyptum appulit Anglicus exercitus, anno 1801, ut ex hâc regione Gallos expelleret, sir Sydney Smith, certas fecisse copias ubicumque inveniuntur palmæ, ibi propè aquas adesse; et ità eas, effossâ terrâ invenerunt, tali vulgò distantiâ ut humorem ex iis ebibere possent radices. Pluribus in locis hoc confirmat Burckhardt (1).

Propheta Jeremias callido ironiæ stylo Paganorum idola describens ait : *Ut palma erecta sunt* (9, 5) quod Calmetus sumit esse ad earum formam allusionem, animadvertens ex Diodoro Siculo, Veteres, antequàm sculpturæ ars ad perfectionem veniret, omnes suas imagines ex solido conficere, erectas, manus deorsùm labentes et lateribus adhærentes, crura simul juncta, clausos oculos, staturâ perpendiculari nec à palmâ arbore absimili. Tales sunt quæ remanent adhuc Ægyptiacarum statuarum figuræ. Celeberrimus Græciæ architectus et sculptor Dœdalus libera crura statuit, oculos aperuit, liberiorem facilioremque dedit habitum.

Recta et elata palmæ proceritas, ejus longævitas et ingens fœcunditas, permanentia, et perpetua floritio foliorum, formaque solaribus radiis simillima, illam, inquit D. Parkhurtus, accuratissimum naturalis et etiam divini luminis emblema constituunt. Hinc, in Sancto sanctorum, seu sanctuario templi (Christi corporis quod emblema fuit), palmæ insculptæ erant in muris et foribus, duo inter cherubim, 3 Reg., 6, 29, 32, 35; Ezech., 41, 18, 19, 20, 25, 26. Indè in festo Tabernaculorum palmæ ramis, inter alia, in erigendis suis tentoriis utebantur. Comp. Lev. 23, 30; Neh., 8, 15. Palmæ quoque rami ut victoriæ typus cùm à fidelibus tùm ab idololatris sumebantur. Eam causam afferunt Plutarchus et Aulus Gellius cur sic ramis palmarum uterentur posteriores, earum scilicet ligni naturam, et quòd incumbenti pressuræ fortiter resistant. Atverò,

(1) *Itin. in Syriam*, etc., p. 473, p. 497, etc.

haud dubiè fideles, cùm post victoriam, vel ovantes, palmæ ramos ferunt, supremum successûs sui et prosperitatis auctorem agnoscere, mentem suam ad divinum lumen, ad magnum peccati et mortis victorem erigere intendunt. Comp. 1 Mach., 13, 51; 2 Mach., 10, 7; Joan. 12, 13; Apoc. 7, 9. Idololatræ quoque pariter iisdem in circumstantiis palmis probabiliter utebantur, non absque ad Apollinem, solemve respectu, cui apud illos consecratæ erant. Indè, probabiliter, loci Baal-Tamar (Jud. 20, 33) nomen habemus. *Tamar* enim, ut diximus, palmæ nomen est, sicque vocatur in honorem Baal aut Solis, cujus imago forsan arbori isti adjuncta erat. Asserit Herodotus plurimas palmas juxtà templum Apollinis, Bruti, in Ægypto, stetisse; Saïsque in templo Minervæ Atheneæ (quod nomen pro solari luce est) factitias in similitudinem palmarum stetisse columnas.

In Cant. 7, 7, statura sponsi assimilatur palmæ, quâ jucunda gratiæ ejus et decoris idea exhibetur. Sic cypresso in horto Helenam comparat Theocritus; sed Ulysses eamdem ferè similitudinem ac Salomon instituit, cùm principem Nausicaam juniori palmæ, juxtà aram Apollinis Deli stanti, assimilat.

Probabile est Tamar, Ezech. 47, 19, vel Tadmor, 3 Reg., 9, 18, quam ædificavit Salomon in deserto, et à Græcis postea Palmyra vocata est, nomen istud ex innumerâ palmarum copiâ, quæ in his locis nascebantur, obtinuisse. Apud Parkhurstum longus est in hâc materiâ articulus, ad quem lector remittitur.

OLIVA.

Duas olivarum species distinguit Apostolus Paulus, Rom. 11, 24; *oleastrum*, scilicet, seu sylvestrem, naturalemve olivam, et eam quæ hominum curam et culturam recipit. Cultæ olivæ modicæ est proceritas, truncus nodosus, cortex mollis et cineris colore, lignum solidum et subflavo colore; oblonga folia, salicis ferè similia, viridi colore, nigra superiùs, alba verò inferiùs. Mense junio albos flores emittit, qui in racemos dilatantur. Unius tantùm partis est quisque flos; expanditur superiùs et in quatuor partes dividitur. Oblongus est et corpulentus fructus, primò viridis, deindè pallidus, et, ubi maturus est, niger. Oleaster in omnibus suis partibus inferior est.

Pro olivæ culturâ conspicua unquàm fuisse Ægyptus non videtur. Abundabat tamen in Syriâ, ibique superioris sunt qualitatis, quàm in aliquâ ex Orientalibus regionibus.

Ad olivam sæpè intenditur in Scripturâ, quod quidem aliquam molestiam cuidam intulit clarissimo viatori, eò quòd hujus speciei arbores vividis frondibus careant. Sequentes observationes ex D. Harmero extrahemus:

D. Sharpe, in suâ *de Italiâ* epistolâ 48, suam mentalem molestiam his verbis exprimit: « Campi, inquit, et universa Tuscaniæ facies olivis aliquo modo « cooperiuntur; sed oliva valdè aliena est ab ideâ « quam de eâ conceperam. Regius Psalmista, et qui« dam ex sacris scriptoribus, cum animi raptu de vi« ridi olivâ loquuntur, ita ut magnificè virentes fron« des sperarem; sed fateor tibi, miserabiliter delusus « fui, cum earum color, sepium nostrarum, ubi pulvere « conteguntur, similia apparuit. Oliva forsan in aridis « Judææ locis arridere potest, sed haud dubiè virum « Angliæ viriditati assuetum fastidiret. »

Ex hâc objectione discimus nullius momenti non esse, minutis et primâ facie etiam trivialibus rebus attendere, de quibus in sacris scriptis mentio fit. Methoaus ab isto scriptore proposita ad imminuendam difficultatem, admitti nequit. Judæa enim adeò non est viriditate destituta ut arbor quæ pulvere circumfusa ex omni parte videtur, satis esse dicatur ad oculos colore suo recreandos; et istius modi suppositio minùs admittenda adhuc videtur, ubi intenditur ad tempora præterita, cùm oliva meliùs quàm nostris temporibus coleretur. Unica solvendæ difficultatis via est, vocem quæ vertitur, *viridis*, habere, non ut coloris descriptionem in locis istis, sed cujusdam aliæ proprietatis, juventutis scilicet, vigoris, prosperitatis, etc. Hoc sensu certè intelligenda est pluribus in locis in quibus occurrit. Sic apud Dan. 4, 1, Nabuchodonosor ait: *Quietus eram in domo meâ, et florens* (Hebr. *viridis*), *in palatio meo*. Sed quis supponat illum intendere suum corporis habitum vel vestimentum esse *viride?* Interpretes nostri rectè verterunt: *Florens in palatio meo*, id est, tali erat in statu, quoad suum imperium, qualis est arbor, ut vegetale considerata, quando viridis est. Sic in Ps. 52, David hominem impium exhibet, ut mox defecturum, atque ab oculis subducendum, dùm ipse erit quasi junior et valida oliva quæ diù vivet florebitque. Olivæ pulchritudo, cui in aliis Scripturæ sacræ locis alluditur, in ramorum expansione, non in ejus colore sita est: *Ibunt rami ejus et erit quasi oliva gloria ejus*, Osee, 14, 73; quando ait Psalmista: *Ego delibor oleo virente* (juxta Angl. versionem, *recente* (1), Ps. 91, 11. Cùm ibi eadem vox *viridis* in originali textu occurrat, supponere non possumus eam viridis coloris oleum designare, sed potiùs pretiosum, suavè fragrans oleum, quali utebantur principes prosperis temporibus; fragrans ut *ager, cui benedixit Dominus*, floridus ager omni viriditate suâ vestitus, cujus odori Isaac assimilabat fragrantiam vestimentorum Jacobi, quandò ei benedixit pater suus. Gen. 37, 27. Supponere naturale est plerùmque, si non semper, oleum quo utebantur ad ungendum plus vel minùs fragrans factum fuisse, infusis in eo odoriferis plantis, vel substantiis; aliter enim vix finis obtentus fuisset, ad quem in his fervidis climatibus adhibebatur. Ob hanc rationem oleum valdè necessarium factum est ad vitæ felicitatem; atque ideò Israelitis propheta minabatur, eos olivas calcaturos, oleo verò ungendos non esse, Mich. 6, 15. Unde in eo delusum fuisse videmus D. Sharpe, non quòd sacri scriptores rem malè expresserint, sed solummodò quòd ipse (2) eorum sensum malè conceperit.

(1) Vulgata habet: *Et senectus mea in misericordiâ uberi.* Hebræum habet, *in oleo virente.* Vide hujusce versûs comp. Scripturæ sacræ, tom. 15, col. 1198.

(2) Harmeri, *Observ.*, vol. 3, obs. 10.

Oliva, quia oleum solandum, relaxandum, præveniendum, mitigandumque labores est aptissimum, adoptata fuisse videtur ab ævis antiquissimis, ut emblema divinæ naturæ benignitatis; præsertim post lapsum, bonitatis et placationis Dei per Christum symbolum fuit, necnon et sacrorum Spiritûs sancti effectuum in molliendâ curandâque nostrâ ægrâ naturâ, et in destruendo expellendove antiqui (spiritalis) serpentis veneno, non secùs ac naturalis serpentis aut viperæ virus oleo expellitur. Inde videmus speciali modo consentaneum fuisse ut folium vel ramus olivæ à divinâ Providentiâ eligeretur quasi signum Noe datum cessationis diluvii super terram, Gen. 8, 11; indè quoque edocti sumus cur rami olivæ designati fuerint velut ex materiis quibus conficienda erant tentoria in festo Tabernaculorum, Neh., 8, 15; unde pacis symbolum facti sunt in variis et longinquis nationibus. Visum est celeberrimo Cook (1) quòd viridis ramus in manu delatus, vel in terrâ defixus, ubique, in orbe terrarum, ab omnibus insulariis, etiam in australibus maribus, eo sensu intelligeretur (2).

In sacris Scripturis olivæ aliquandò exhibentur dejectæ ab arboribus, Deut. 24, 20; aliquandò verò ab arboribus excussæ, Is. 17, 6; 24, 13. Hoc tamen non indicat perfectiorem posteris temporibus factum originalem eas colligendi modum, nec varia eâdem ætate apud gentes quæ oliveta possidebant agendi modos et methodos admissa fuisse, sed potiùs differentiam exprimit inter collectionem præcipuæ olivarum vindemiæ à dominis factam, et modum quo pauperes paucas quæ remanserant olivas, et quas ipsos sumere lex patiebatur, colligebant.

Usualis oleum ex olivis extrahendi methodus fuisse videtur eas pedibus calcare, Deut. 33, 24; comp. Mich. 6, 15. Utrùm prævia necessaria esset præparatio, non constat; nunc verò trapeti usus prævaluit.

Aptâ hâc et terribili similitudine S. Paulus exhibet Judæorum rejectionem, electionem autem gentium à Deo, fractis olivæ ramis, juniorisque olivæ surculo in veteri arbore inserto, Rom. 11, 17; productâque eâdem imagine, quàm strictè præcavet ne gentiles insolenter glorientur adversùs fractos ramos, et ne gloriosiùs arbitrentur ramos non fuisse fractos, nisi ut ipsi insererentur: *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, iis magis timendi locus est quin Deus ipsis parcat;* reminiscantur Judæos propter voluntariam in christianismum incredulitatem fractos fuisse, ipsos verò gentiles, si religioni suæ dedecori sint, Dei favorem æquè amissuros, et eorum quoque in præsenti florentes ramos frangendos esse. Ut gentilibus christianis humilitatem ingereret, concludendo asserit Judæorum gentem, quanquàm Dei severitatem experta sit (sic enim loquitur), à Deo tamen omninò non esse oblitam, ramosque, licèt fractos et antiquo decore nudatos, totali ruinæ non esse dimissos; quandò ex incredulitate suâ revertentur Judæi, eos inserendos esse; Omnipotentis manus adhùc eos in suo originali trunco rursùm inserere potest (1).

(1) *Itin.* passim, et Calcott, tractatus de Diluvio, p. 94, nota, 2 edit.
(2) Parkhurstus, *Hebr. Lex.* sub voce.

Ex 3 Reg. 6, 23 et seq. discimus olivæ lignum usuale fuisse in ædificando templo, imò in quibusdam ex delicatissimis, decorissimisque partibus. Nunc etiam in Oriente, ut arbitrarium lignum habetur. Nam lady Mary Wortley Montague asserit se Raya palatii Adrianopoli hibernacula, tessellato conchæ margaritiferæ opere, diversi coloris ebore, et olivæ ligno, velut pyxidiculæ quæ indè sunt allatæ, strata invenisse (2).

MALUS GRANATA.

Malum granatum, seu malum Punicum Romanorum, maturescit in Barbariâ, mense augusto. Erat olim unus ex delicatissimis Orientis fructibus (Num., 13, 23; 25, 5; Deut. 8, 8; Cant. 4, 13.), Malum aureum, Armeniacum Persicumque et duracinum Persicum tam maturè in Occidentem (3) non processerunt. Ea est doctoris Woodville hujus arboris descriptio: Pluribus pedibus procera fit; subnigro cortice induitur, et in multos ramusculos spinis armatos dividitur. Folia oblonga, vel in modum lanceæ, acuta, venosa, viridi saturato colore, parvo suppedaneo stant; ampli sunt flores, coccineo colore pulcherrimo, et in summâ juniorum ramorum parte oriuntur. Fructus malo aureo ferè volumine par est, pulcherrimisque calicis dentibus coronatur. Cortex crassus est et durus, extra subruber, intra subflavus, succulentâ pulpâ refertus, in cellularibus perlucidisque membranis contentâ, novemque cellulis inclusâ, in quibus oblongorum et angularium granorum copia quoque collocatur. Arbuscula hæc Hispaniæ, Italiæ, Barbariæ, etc., nativa est. Quædam ex ipsis octodecim aut viginti pedibus altæ fiunt (4).

Præcipuum ex fructu valorem habet malus granata, qui, cùm aliorum æstivorum fructuum generales qualitates habeat, æstum temperat, sitimque exstinguit. Quanti eum fecerint filii Israel inferri potest eò quòd una fuerit ex tribus fructuum speciebus, quas exploratores ex Eschol Moysi et populi congregationi attulerunt in deserto, Num. 13, 22; 20, 5; quòd etiam à rebellibus populi designetur ut una ex gratissimis voluptatibus, quibus in Ægypto fruiti erant, cujusque defectum tam acerbè in arenoso deserto sentiebant. Malum granatum à Moyse enumeratum cum frumento, et hordeo, vineis et ficulneis, oleo et melle, erat, sub hoc respectu, ex iis pro quibus terra sancta præcipuè commendabatur (5), Deut. 8, 8.

In Cant. 8, 2, poculum ex vino, malorumque granatorum musto dilecto sponsa condiendum proponit: *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.* Notat Russel tres esse Aleppi malorum granatorum species; acres, dulces, aliamque medium inter istas tenentem; incolasque condimentis

(1) Horne, *Introductio*, vol. 3, p. 448, 449.
(2) *Epistolæ*, vol. 2, p. 161, 162, 3ª edit.
(3) Shaw, *Itin.*, vol. 1, p. 265 266.
(4) *Medic. botan.*, vol. 1, p. 151.
(5) Paxton, *Illustrationes*, vol. 1, p. 271.

suis gratissimum acorem ex malorum granatorum limoniorumque succo addere solitos. Id probabilissimum esse putat doctor Harmerus in remotissimæ antiquitatis ævo, malorum granatorum succo usos fuisse illarum regionum incolas, ubi nunc malorum limoniorum succus prævaluit, in escis et potu; quod ita esse desiit, ubi postea, cùm limonia habere cœperunt. Aliter, nulla jam adest causa cur in describendâ terræ sanctæ fœcunditate, malorum granatorum mentio fiat, Deut. 8, 7, 8; Num. 20, 5. Nunc in ejusmodi descriptionibus, juxtà prædicti doctoris sensum, malogranata non occurrerent, quippe quòd limoniorum, aureorumque pomorum succi usus, malorum granatorum succi usui successit.

Doctor Russel tamen in notâ manuscriptâ à doctore Clarke citatâ, in suâ Observ. editione, hunc nullo modo casum esse dicit, animadvertitque malum granatum per hiemem faciliùs conservari, sæpèque in arte coquinariâ limonio anteponi: ideò in describendâ regionis fertilitate, de illo fructu mentio fieri debuit. Sedulò coluntur malogranata, ubi etiam abundant limonia.

Cùm verò Hebraicum Græcumque arboris istius nomen ingentem luminis projectionem reflexionemve exprimat, sive ex fructu, sive ex flore, stellæ simili, in extremâ suâ parte, sibi in animum induxit Parkhurstus malogranata ærea, quæ Salomon posuit in retiaculis super capitella in summitate duarum ærearum columnarum, 3 Reg. 7, 18, 20, 42; 2 Paralip. 4, 13; Jerem. 7, 22, 23, eâ mente posita fuisse, ut stellas adumbrarent, quibus tanta in terram et planetas lux reflectitur. Sic quoque factitia malogranata, quæ deorsùm ad pedes Aaronis tunicæ suspendi jussum est, Ex. 28, 33, 34; has, ut censet ille, adumbrabant spirituales stellas, imò filios Dei, qui luminis ope à summo eorum pontifice decurrentis, *lucent sicut lumina, aut luminaria, in mundo,* Philip. 2, 15; comp. Matth. 5, 14-16; Eph. 5, 8; 1 Thessal. 5, 5; Apoc. 1, 16-20; qui etiam, velut tintinnabula, quæ malogranatis addebantur, virtutes ejus indesinenter annuntiare debent, *qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum,* 1 Pet. 2, 9.

VINEA.

In valle procul, quam interfluit Eschol, ecce mons
ad cœlum assurgens. Supra hunc sol altum petit, sublimis,
dùm radiis splendentibus excelsum ejus cacumen denudat.
Aspero ejus lateri luxurians vinea inhæret;
tener est palmes, folia lata ipsa excelsa. Purpureus
ejus fructus, gustu gratissimus, vinum producit ad lætificandum
cor hominis, ad sanandum ægrum, ad infirmum
sustentandum, omnesque consolatione recreandos.

Plurimæ sunt pretiosæ hujus et notissimæ arbusculæ species, et ad eam in Scripturâ sæpiùs alluditur. In Palæstinâ abundabat, et quibusdam locis speciali pulchritudine pollebat. Celebrantur in Scripturâ vineæ Sorec, Sibmah, Jazer et Abel; et de exquisitissimis Gazæ, Sareptæ, Libani, Aaronis, Ascalonis, Tyrique vinis loquuntur profanè scriptores. Cùm Ægypti uvæ sint minutissimæ, facilè intelligimus cur tantâ Israelitæ miratione moti sint, cùm testes astitêre uvarum racemi, quem ex valle Eschol exploratores in castris attulerant, Num. 13, 24. Moysis tamen narratio plurimorum viatorum testimonio confirmatur. Asserit nobis Doubdan in valle Eschol uvarum racemos fuisse, decem aut duodecim libris graves; narrat quoque Forster se à religioso edoctum fuisse, qui plures annos in Palæstinâ degerat, uvæ racemos in valle Hebron tales inveniri, ut unum duo viri vix ferre possent. Comp. Num. 13, 24. Etsi Mahumetana superstitio vineæ culturæ non faveat, inquit, Rosenmuller, vineta tamen in Palæstinâ non desunt. Præter ingentem uvarum et racemorum copiam quæ in Jerosolymæ et aliorum oppidorum emporia quotidiè deferuntur, sola Hebron, in primâ decimi octavi seculi medietate, quoque anno, trecentos camelos onustos, id est, tria ferè millia uvarum succi, mellisve librarum in Ægyptum mittebat (1).

Ex Bocharto discimus triplicem vineæ proventum singulis annis colligi. Mense martio, postquàm primos racemos tulit vitis, lignum quod fructum non fert, à stipite exciditur. Mense aprili, novus palmes fructum ferens è ramo exsurgit in martio relicto, qui et ipse exciditur; hic quoque rursùm, maio mense, surculum emittit, seris uvis onustum. Qui florent mense martio racemi, maturi fiunt et colligi possunt augusto; qui florent aprili, septembri colliguntur; qui verò maio, colligendi sunt octobri.

In Oriente uvæ in cibos et cibaria largissimè ingrediuntur. Sic Norden ab Aga Essuaen appositus est caffæus et exquisitissimo gustu uvarum racemi.

Ut ostenderet quanta vinearum copia in partem Judæ ventura erat in terræ promissæ partitione, de tribu ejus dicit Jacob, eum inveniendum esse, *ligantem ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam. Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ pallium suum,* Gen. 49, 11.

Ostendit Paxton in quibusdam Persidis tractibus de more olim fuisse pecora in vineta, post vindemiam, ducere, ut vineas carperent, quarum quædam adeò sunt amplæ, ut earum truncum brachiis homo vix complecteretur. Unde evidenter patet, asinum potuisse securè ad vineam alligari, quin arbori detrimentum afferret, folia et ramos carpendo. Mos idem iste juxtà plurimorum viatorum narrationes, in Minori Asiâ generaliter prævaluisse videtur. Observat Chandler, in vinetis circa Smyrnam, vinearum folia dejici, aut excuti à camelis aut caprarum pecoribus, quibus ea post vindemiam carpere fas est. Quo tempore Smyrnam reliquit, die septembris trigesimo, nudata jam erant vineta, ubi verò Phygellam obtinuit, die octobris quintâ sextâve, ejus campos vineis adhùc virentes invenit; undè patet vineta Smyrnæ à pecoribus excussa fuisse, quæ foliis vesci delectat.

Mos iste sufficientem nobis affert causam cujusdam præcepti legis Mosaicæ; cujus sensus imperfectissimè

(1) Burder, *Orient. Litter.*, vol. 1, p. 279.

fuit intellectus. Prohibetur ne *quis in vinetum vicini jumentum suum introducat.* Ratio est quòd id vineæ detrimentum afferebat, antequàm fructus colligeretur, et post vindemiam, id adhùc malis erat injuria, quippe quòd dominum privaret pabulo, armentis et pecoribus gratissimo, et forsan ad ea per hiemem sustentanda absolutè necessario. His consideratis, in hoc mandato magni legislatoris (1) justitiam, sapientiam bonitatemque discernere nobis licet.

Jubebat lex ut qui vineam plantaverat, ejus fructu antè annum quintum non vesceretur, Lev. 19, 24, 25. Nec uvæ etiam anno septimo colligebantur; pauperi igitur, orphano peregrinoque fructus dimittebatur. Viatori fas erat colligere et comedere racemos in vineto, cùm hàc pertransiret, non verò secum foràs efferre quidquam, Deut. 23, 24.

Apud Joan. 15 declarat Dominus noster se esse *vitem veram.* Doddridge, post Wetstein, supposuit hanc ipsi ideam vitis aspectu inditam fuisse; sive ex fenestrâ, vel in areâ, juxta latus domûs; sed hoc controvertitur ab Harmero, à quo animadvertitur hortos in Jerusalem non exstitisse, nec probabile esse vites juxta domorum latera positas fuisse. Quod asserit tamen Harmerus à doctore Russel parvi habetur, qui asserit de more fuisse gradus quibus ad superas harem partes ascendebatur, vitibus operiri. Hoc planè explanat pulcherrimam metaphoram in Ps. 127 : *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domûs tuæ*, quæ multam D. Harmero molestiam intulit. Utrùm verò talis vitis Domini nostri verbis locum dederit, valdè dubium est.

Apud Rosenmuller longus adest articulus in Parabolam, quem transtulit doctor Wait in suo *Repertorio theologico.* Hæc in substantiâ continet : Notato quòd omnes sermonum partes, qui apud Joan. 13-18 inveniuntur, nec in eodem loco, nec in continuatâ serie habitæ fuerint, tunc pergit ad ostendendum Domini nostri similitudinem ad veram naturalemque vitem non referri, cùm semper Joannes adjectivo, ἀληθινὸς, *vera*, utatur in oppositionem ad aliquid *falsum*, *confictum*, et *non genuinum*, Ex.gr., 4, 23; 1, 47; 8, 31. Sed quæ igitur adest oppositio in loco hoc, ubi Christus *vera vitis* denominatur? Ea esse deberet, juxta superiùs exposita, genuina aut vera vitis ; at iterùm urgebitur hanc (id est, vitem de quâ in Parabolâ agitur) longè plura *ad veram vitem* jura habere quàm Christus, qui semetipsum huic tantùm assimilabat, seque ut meram ejus imaginem exhibebat. Quoniam igitur dicit se *veram vitem*, quamdam in oppositum rem habere necessariò debuit, quæ, licèt non *genuina* aut *vera vitis*, quam inter et seipsum significantissima existebat analogia, vitem repræsentaret. Quòd res ista probabiliùs esset, pergit ille ostendere.

In templo Jerosolymitano supra et circùm portam cubitis septuaginta excelsam, quæ ab atrio ad sanctum locum ducebat, speciosè sculpta vitis in modum limbi et ornamenti extendebatur. Palmites, claviculæ, et folia ex auro purissimo, racemorum ramuli humanæ staturæ longitudinem habebant, racemique ex eis pendentes ex pretiosissimis gemmis erant. Herodes prior hanc vineam ibi posuit ; divites verò et patriæ studiosi Judæi ejus ornatui identidem addebant, unus novam uvam, alter folium, tertius etiam ejusdem pretiosæ materiæ racemum contribuebat. Si valorem ejus ad 12,000,000 dollars et ampliùs referre sit nimium, indubium tamen est vitem hanc in mente Judæorum non communis fuisse momenti, sacrumque sensum habuisse. Quàm splendidâ majestate tempore vespertino fulgebat, cùm cercis collustrata erat?

Si igitur Jesus vespere, celebratâ Paschâ, in templum cum discipulis abiit, quid magis naturæ consentaneum quàm ut, antè et post deambulantium animos vitis hæc, auro et gemmis fulgens, super omnia attentos tenuerit; spectaculique majestuosâ magnificentiâ defixi, in admiratione et contemplatione de verâ hujus artis operis significatione toti fuerint? Intelligamus igitur nos Jesum tunc, alludendo ad hanc vitem, dixisse discipulis suis : *Ego sum vitis vera.* Quàm igitur accurata, quàm significantia videri ejus verba debuêre ! Quàm clarè igitur et expressè eorum sensus apparere debuit!

Vitis à Judæis arborum nobilissima, omniumque, quæ erant excellentia, potentia, utilia et prospera symbolum habebatur. Itaque gentem Judæam Judæorumque Ecclesiam Prophetæ assimilabant magnæ vineæ, pulcherrimo fructu adornatæ, à Deo plantatæ, servatæ et custoditæ, Jer. 2, 21; Ezech. 19, 10 et seq.; Ps. 80, 9, 15 et seq. Deus ipse cultor erat vineti, Israel vinetum erat et vinea. Is. v. 1 et seq.; 27, 2 et seq.; Os. 10, 1; verus quisque Israelita, capita præsertim et principes populi, rami erant. Is. 16, 8; Jer. 5, 10. Gentis vis et potestas pleni et turgentes racemi. Metaphora semper in eo stabat, quòd Israel erat prima et sanctissima gens in terrâ, quòd Deus conditor ejus et protector erat.

Conspicuo valdè et splendido opere vitis, de quâ superiùs, quam in templum introduxerat Herodes, symbolum erat peculiaris, proximæ et lætissimæ relationis, in quâ Deus ad Israelitas stabat. Patriæ studiosissimi Judæi, ejus aspectu gaudentes, superbientesque, altam populi dignitatem et supereminentiam reputabant. *Exire et intrare sub vineam*, phrasis erat quâ vitam pacificam, felicem et lætam denotabant. Inde ornamentum hoc, supra viam extensum, quæ ducebat ad locum sanctum, non minùs conspicuum et significans erat, ac pietatem promovens orthodoxis Judæis; indè suum quisque contribuebat ad augendam ejus magnificentiam, seque dignum sanctæ hujus et gloriosæ gentis membrum comprobandum.

Cùm Jesus semetipsum designâsset, qui viti hâc præfiguraretur, ideæ quas istâ parabolâ exprimere volebat non intelligi non potuerunt.

Parabola hæc igitur proximè Apostolos spectat. Jesus enim non tantummodò sub metaphorâ vitis in angustiore prædicatoris sensu seipsum exhibet, sed et in elatiore et latissimo sensu Messiæ è cœlo missi ad

(1) *Illustrat.*, vol. 1, p. 280.

condendum novum Dei regnum. Suos Apostolos considerat ut ramos in se, non tantùm ut discipulos et amicos, sed ut nuntios et cooperatores à se electos et vocatos, ad condendum extendendumque suum regnum. Connexio quam ipsos inter et seipsum servare volebat, non tantùm in amore et in amicitià consistere debet, sed in verà mandatorum suorum executione, quæ fidem in sublimem suam naturam et dignitatem fundamentum habet. Quos expectat fructus ex ipsis non sunt tantùm fides et virtus, ut ex cæteris omnibus Christianis, sed magna in propagandâ christianâ doctrinâ adjumenta; eosque ad id perficiendum divinæ gratiæ et assistentiæ promissione incitat.

Hic loquendi modus : *Habitabat unusquisque sub vite suâ* (3 Reg. 4, 25; Mich. 4, 4), ad gratissimas Orientalium pergulas probabiliter alludit, quæ partim vitibus constabant. De vineaticis pergulis loquitur Norden, quasi in Ægyptiacis hortis communibus, veterisque hujusmodi pergulæ figura nobis datur in Prænestinensi pavimento, in *Itin.* doctoris Shaw. Ille loquendi modus in sensu auctoris referendus est ad tempus quietis et altæ pacis.

In loco Isaiæ, ad quem modò referebamus, mentio fit de labruscis, seu sylvestribus uvis; quod explicationem requirit : *Et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas*, Is. 5, 2. Eàdem imagine utitur Jeremias ad eumdem finem in elegantissimâ partis hujus Isaiæ parabolæ paraphrasi, juxta suum effusum et queribundum modum : *Ego autem plantavi te vineam* (*sorec*) *electam, omne semen verum; quomodò ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?* cap. 2, 21. His labruscis, seu venenosis granis, intelligere debemus non tantùm inutiles, nullius momenti uvas, quales sunt labruscæ, sed uvas narium offensivas, noxias, venenosas. Consideratis allegoriæ vi et intento, bonis uvis opponi debent fructus noxiæ et perniciosæ naturæ, ut, in ejus explicatione, judicio opponitur tyrannis, et justitiæ oppressio. *Gephen*, seu vitis, commune nomen est aut genus, plures in se species involvens; Moysesque ut veram vitem, seu ex quâ fit vinum, ab aliis distingueret, vocat eam *gephen hayayin*, id est, vitem vini, Num. 6, 4. Quædam è cæteris speciebus naturæ venenosæ erant, ut patet ex historiâ relatâ inter Elisei miracula : ... *Invenitque quasi vitem sylvestrem, et collegit ex eâ colocynthidas agri, et implevit pallium suum, et reversus concidit in ollam pulmenti : nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo sociis ut comederent; cùmque gustâssent de coctione clamaverunt, dicentes : Mors in ollâ, vir Dei; et non potuerunt comedere. At ille, afferte, inquit, farinam. Cùmque tulissent, misit in ollam, et ait : Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in ollâ.* 4 Reg. 4, 39-41.

Ex istis venenosis uvæ speciebus has Moyses energicas et altè poeticas sumpsit imagines, quibus futuram prædicit Israelitarum corruptionem et extremam degenerationem, in allegoriâ quæ in re et imaginibus, Isaiæ allegoriæ simillima est. Deut. 33, 32-33 : *De vineâ Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ : uva eorum, uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.*

Pronus sum ad credendum, ait Hasselquist, prophetam hìc, Is. 5, 2, intendere *solanum incanum*; quippè quòd in Ægypto, Palæstinâ et Oriente vulgare est, et optimè ei concordat arabicum nomen. Arabes illud vocant *aneb dib*, id est, *lupi uvæ*. Nullam viti magis oppositam plantam invenire poterat propheta; nascitur enim multùm in vinetis, eisque maximè noxia est, quapropter illam eradicant : illa quoque arbustivo suo stipite (1) viti similis est.

Sequens scripturalis notitia de vinea culturâ, de vindemiâ et de vinis Palæstinæ, quæ haud dubiè lectori grata erit, sumitur ex *Investigatore.*

Vineta sua communissimè plantabant Judæi in australi collium aut montium latere, locus verò lapidibus expurgatus erat, spinarumque sepe aut vallo circumdatus, Is. 5, 1-6; Ps. 80, et Matth. 21, 33. Bonum vinetum mille vitibus constabat, milleque argenteos, aut siclos argenti reddebat. Is. 7, 23. Ducenti necessarii erant ad solvendos vinitores, Cant. 8, 11, 12. Ibi custodes et vinitores fodendo, plantando, putando, vites adminiculando, uvas colligendo, vinumque conficiendo laborabant. Laboriosum valdè opus, viteque sæpè reputatum, 4 Reg. 25, 12; Cant. 1, 6; Is. 41, 5. Vites cum teneris uvis suavem maturè, verno tempore, odorem fundebant.

Vindemia frumenti messem et trituram sequebatur, Lev. 26, 5, Amos 9, 13, circa junium juliumve mensem, quandò uvarum racemi falculæ ope colligebantur, et in cartallis positi (Jer. 6, 9), delati, et in vinarium lacum, seu torcular conjecti, ibique primò ab hominibus, ut probabile, calcati, deinde premebantur; Apoc. 14, 18, 20. Id tanquàm magni operis et potentiæ Messiæ signum traditur, quòd figurativum torcular calcavit solus; et de gentibus non erat vir cum eo. Is. 63, 3; Apoc. 19, 15. Vindemiæ tempus erat ingentis gaudii. Ex pressarum uvarum succo vinum et acetum conficiebantur.

Vina Chanaan, cùm caput tentarent, in usu vulgari aquâ miscebantur, ut apud Italos, aliquando etiam incenso, myrrhâ, calamo et aliis aromatibus perfundebatur, Prov. 9, 2, 5; Cant. 8, 2; necnon et aliquando malogranatis, aut ex eorum vino, ut ea nos grossulariæ acinorum succo cum saccharo fermentato, miscemus (2). Optimum est vinum, cùm vetus est, et fæcibus, crassamentis imo fundo delapsis. Is. 25, 6. Suave vinum est, quod uvis prorsùs maturis conficitur, Is 49, 26. Duæ aceti species Israelitis erant : unum erat tenue ac leve vinum, quo in communem potum in messoriis campis utebantur, Ruth 2, 14, ut nunc quoque Hispani Italique; probabile quoque est hujus vini viginti millia metretas à Salomone danda fuisse Hiram, pro servis ejus, operariis qui ligna in Libano cædebant, 2 Paral. 2, 10. Alterum, ut nostrum, acerrimum gustu

(1) *Itin.* pag. 289.
(2) Notitia variarum vini specierum de quibus in Scripturâ agitur, videri potest in Harmer, vol. 3, pp. 283-290, doctoris A. Clarke editione; — vel in Calmeti Biblicâ Encyclopædiâ, art. *Vinum.*

erat, indeque innuit Salomon : *Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger* (offendit et vexat) *his qui miserunt eum*. Prov. 10, 26; et sicut aceto superfuso nitrum vi suâ nudatur, ita qui cantat carmina cordi afflicto nihil aliud proficit quàm dolorem ejus ingravat, cap. 25, 20. Patiebantur pauperes derelictas uvas, spicas et alia derelicta colligere, Lev. 19, 10; Deut. 24, 21; Is. 3, 14; 17, 6; 24, 13; Mich. 7, 1; discimusque spicilegium uvarum Ephraim melius esse vindemiis Abiezer, Jud. 8, 2.

Uvæ quoque siccabantur, fiebantque uvæ passæ. Inter ea quæ Abigaïl Davidi obtulit, centum erant ligaturæ uvæ passæ, 1 Reg. 22, 18; et cùm Siba Davidem adiit, idem numerus inter oblata ejus erat, 2 Reg. 16, 1; 1 Reg. 30, 12; 1 Paral. 12, 40.

SECTIO SECUNDA.

AROMATICÆ ARBORES.

CEDRUS.

Cœlo coronatis montibus coæva (cedrus) *gigantea*
Sua brachia latè expandit. (Mason.)

Ita fuit olim in celeberrimo monte Libano ; sed cedrorum sylva, quæ tot speciosissimas sacris scriptoribus suppeditavit similitudines, nunc ferè omninò evanuit. Paucæ quædam remanent arbores, quasi ad revocandum nobis memoriam veteris suæ gloriæ, Isa. 60, 13, docendumque nos omnium rerum sublunarium inconstantiam.

Antiquas has sylvarum habitatrices, quæ ex eis sunt quorum visendorum studio moventur viatores, sic describit Burckhardt : Solo aspero stant, parvumque nemus efficiunt. Antiquissimarum et aspectu pulcherrimarum undecim vel duodecim numeravi; viginti quinque amplissimarum ; mediæ amplitudinis circiter quinquaginta , trecentas et ampliùs inferiores et juniores. In eo distinguuntur antiquissimæ, quòd frondes et parvos ramos in capite tantùm habeant, et ex unâ basi in quatuor, quinque aut etiam septem truncos assurgant. Cæterarum frondes et rami demissiores erant, sed nullam vidi, cujus frondes terram attingerent, ut quæ stant in hortis Knew. Antiquissimarum cedrorum trunci operiuntur nominibus viatorum et aliorum qui eas inviserunt : unum vidi, cui appositus erat annus decimi septimi seculi. Antiquissimarum trunci omninò mortui videntur; lignumque cinereo (1) colore est.

Cedrus est vasta et augusta arbor, altitudinem triginta aut quadraginta *yards* attingens, quædamque in ambitu triginta quinque inter et quadraginta pedes habent. Pulcherrima est, semper viridis ; frondes habens rosmarini ferè similes, gummique genus distillat, cui variæ attributæ sunt qualitates. Folia ejus , juxta Le Bruyn, alta petunt, fructus verò deorsùm pendent, pinearum modo crescunt , sed longiores sunt , duriores, solidiores, et à trunco difficilè separantur. Semen habent cupressino simile.

(1) *Itin. in Syriam, etc.*, p. 19-20.

Cedrinum lignum pretiosissimum est, odorem gravem aromaticum habet, incorruptibileque reputatur. Arcæ testamenti et plures templi Salomonis partes cedro constructæ erant.

Cedrus Libani , ait Paxton , una est ex naturalibus similitudinibus quæ frequenter in poetico prophetarum loquendi modo occurrunt, eoque designantur reges, principes , optimatesque altissimi ordinis. Sic Isaias propheta, Dei judicium in superbos et arrogantes denuntians, ait : *Dies Domini exercituum* (erit) *super omnes cedros Libani sublimes, et super omnes quercus Basan*. cap. 2, 13. Eâdem figurâ usus est rex Israel, in suo ad provocationem regis Judæ responso : *Carduus Libani misit ad cedrum, quæ est in Libano, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltûs, quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum*, 4 Reg. 14, 9. Eidem nobili arbori à Psalmistâ comparatur spiritualis justi prosperitas : *Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur*. Ps. 91, 13. *Confringere cedros*, ingentesque moles, in quibus stant, *commovere*, figuræ sunt, quibus utitur David ad exprimendam terribilem majestatem et infinitam Jehovah potentiam : *Vox Domini in virtute. Vox Domini confringentis cedros; et confringet Dominus cedros Libani ; et subsilire faciet tanquàm vitulum Libanum, et Sarion tanquàm pullum unicornis*, Ps. 28, 4. Hæc divinæ majestatis et potentiæ descriptio reverendæ sublimitatis characterem habet, cui fortè æquum non est, etiam in inspiratis paginis. Uno tantùm Dei verbo, cedrus, quæ ignitis cœli ventis immota resistit, confringitur, cedrus ipsa Libani, cujus ramus quisque arboris ambitum adæquat, uno Dei verbo, ingens materiæ moles, in quâ stat cedrus, usque in fundamentis conquassatur, in tantum ut, quantùmvis latè patens et alta et ponderosa sit, ipsa saliat ut pullus pecoris in lætis suis gaudiis, et subsilit ut pullus unicornis, omnium quadrupedum alacerrimus. Innumera arborum istarum copia, Salomonis ævo, earumque mira amplitudo revocanda est, ut sublimis hujus propheticæ declarationis vim sentiamus : *Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum*, Is. 40, 16. Etsi tremefactus peccator Libanum eligeret in altare, omnesque sylvas ejus in alimentum ignis succideret; etsi ligni hujus fragrantia, additis omnibus ejus gummibus, incensum forent, vinum Libani expressum ex omnibus vinetis ejus, libamen, et omnia quæ in eo morantur animalia, sacrificium propitiatorium ; omnia ista insufficientia forent ad expianda hominum peccata, et nihil reputarentur in oculis supremi Judicis, ad unam etiam tantùm expiandam transgressionem. Justa sanctaque Dei lex, nobilius altare, pretiosius sacrificium et odorem suaviorem requirit, obedientiam nempe et mortem personæ divinæ, ad delenda nostra peccata, et sempiternæ ejus intercessionis incensum, ut suscipi à Patre misericordiarum, et in æternæ quietis mansionem admitti mereamur (1).

(1) *Illustr.* vol. 1, p. 139-141.

BALSAMUM.

Balsamum, etsi Judææ non nativum, summâ perfectione colebatur in hortis propè Jericho, juxta flumen Jordanis. Loquens de valle Jericho, ait Josephus (1) : Nunc hìc est fertilissima Judææ regio, quæ ingentem fert palmarum copiam, et insuper balsamum cujus surculos lapidibus acutis incidunt, quibus ex incisionibus succum colligunt, qui, ut lacrymæ, deorsùm destillat. Tanti erat momenti quod istis arboribus producebatur balsamum, ut notetur ab omnibus scriptoribus qui de Judæâ tractavêre. Arbor illa, inquit Plinius, quæ *Juris*, seu valli Jericho peculiaris erat, viti magis quàm myrto similis erat. Unam quisque ex his arbusculis Romam, ut visu rarissimam, detulêre Vespasianus et Titus, easque in suo triumpho ferre superbiebat Pompeius. Cùm esset in Juriâ Alexander Magnus, non ampliùs quàm unum balsami cochlearium in unâ æstivâ die colligi poterat, et in anno fœcundissimo, magnum regis septum arborum istarum sex tantùm *gallons;* minus verò septum unum tantùm *gallon* reddebat. Adeò igitur charum erat balsamum, ut pro duplici argenti pondere væniret. Sed, cùm multùm requireretur, mox sequebatur adulteratio, spuriaque species in communem usum tradebatur minori pretio. Totius opulentiæ nationalis fontem balsamum facit Justinus; nam, de hâc regionis parte loquens, ait : Judææ gentis opulentia ex opobalsamo oritur, quod in istis tantùm regionibus invenitur; vallis est enim horti simillima, continuis collibus circumcincta, et, ut ita dicam, vallo inclusa. Vallis bis centum millia acrarum spatium continet, vocaturque Jericho. Hâc in valle nemus est tam fructuum copiâ quàm suâ amœnitate mirabile; palmis enim et opobalsamis permixtum est. Opobalsamum relationem dicit ad abietem, sed minùs altum est, plantatumque et cultum more vinearum, certoque anni tempore balsamum destillat. Insuper, loci quoque tenebræ non minùs sunt mirabiles quàm ejus fœcunditas. Nam, etsi usquàm in orbe æstu majori sol non luceat, ibi tamen naturaliter moderata perpetuaque regnat aeris (2) obscuritas. In æstimatione reditûs quem percipiebat Cleopatra ex regione circa Jericho, quæ sibi ab Antonio data fuerat, et quam ab ipsâ postea conduxit Herodes, dicitur : « Regio ista hoc fert balsamum quod ex aromatibus pretiosissimum est, nec alibi invenitur. » Joseph. *Ant. Jud.* lib. 15, cap. 4, sect. 2. In loco Scripturæ ubi narratur reginam Saba Salomonem adiisse ex studio virum sapientiâ suâ adeò celebrem videndi, dicitur, eam ipsi dono obtulisse viginti auri talenta, immensamque aromatum et gemmarum copiam, traditumque est, addit Judæus historicus (Josephus) « balsami radicem, quod nostra fert adhuc regio, mulieris istius dono deberi. » Balsamum hoc in Scripturis occurrit sub nomine *balsami Galaad*, Jer. 8, 22; 46, 11; 51, 8. Postquàm Palæstina in Romanorum ditionem venit, balsamum omninò periit; non ullum nunc invenire est (1).

De balsamo sequens notitia ex D. Bruce à doctore Harris extracta est : Balsamum arbuscula semper viridis est, vel arbor quæ quatuordecim circiter pedibus alta fit; sponte suâ, absque culturâ, in nativâ suâ regione, Azab, et juxta totum littus usque ad Babel-Mandel crescit. Trunci diametros octo vel decem circiter unciarum est; lignum leve et apertum, gummosum; exteriùs subrubro colore, poliri nequit; plano cortice junioris cerasi simili, indutum est. Cacumine depressum est balsamum, in modum arborum quæ nivosis turbinibus et aeri maris obnoxiæ sunt, undè eis retorta forma accedit. Florum penuriâ conspicuum est. Flores acaciæ similitudinem referunt; parvi et albi sunt; hoc tantùm adest discriminis, quòd tres flores tribus capillamentis vel ramusculis inhærent, ubi unum tantùm habet acacia. Duo ex istis floribus decidunt, unumque fructum relinquunt; utrosque præsentis anni ramusculi ferunt, qui subrubro colore et veteri ligno duriores sunt. Floribus succedit flavum, suaveque olens semen subrubrè nigrâ pulposâque nuce inclusum, subflavumque, mellis instar, liquorem continet. Amarior est et linguæ subacida; ejusdem formæ et amplitudinis ac terebinthus, densa in medio, et in extremis partibus aculeata.

Tria balsami genera ex hâc arbore exprimuntur : primum dicebatur *opobalsamum*, maximique pretii æstimabatur : spontè, vel incisionis ope, ex arboris trunco, aut ramis fluebat æstivo tempore. Secundum dicebatur *carpobalsamum*, quod maturos fructus premendo conficiebant. Tertium, et quod omnium minimi fiebat, ex decoctis coliculis et turionibus conficiebatur, *hylobalsamum* erat.

Quanti æstimatum fuerit aromatum hoc genus in Oriente, in ipsis etiam prioribus ævis, apparet. Ismaelitæ, seu Arabes vectores, mercatoresque, qui de Arabicis mercibus in Ægypto negotiabantur, secum balsamum, quasi unam oneris sui partem afferebant. Gen. 37, 25; 43, 11.

Strabo solus ex veteribus veram nobis dedit notitiam nativi ejus arboris loci. In hâc felicissimâ Sabæorum terrâ, ait ille, invenitur incensum, myrrha et cinnamomum; et in littore quod juxta Sabam jacet, balsamum quoque. Inter myrrhas, infra Azab, secùs totum littus, nativus est ejus locus. Nulla nobis ratio dubitandi quòd maturè in Arabiam transplantatum fuerit, id est, in australem Arabiæ Felicis par-

(1) *De Bello Judaico*, lib. 1, cap. 7, sect. 6.

(2) Justin. *Hist.* lib. 36.

(1) Itinera in Palæstinam, pp. 299-300. Ex Burckhardt tamen discimus balsamum nunc adhuc partitò coli in hortis propè lacum Tiberiadis, ubi, sicut ipsi traditum est, prosperè procedit. Descriptum sibi fuit quasi humilis arbuscula, cujus folia vitis similia sunt, fructus tribus ferè unciis longus est, in cucumeris formâ, et ex viridi fulvus fit, ubi maturus est. Mense junio colligitur; tunc oleo superfunditur, coque in statu soli objicitur; post hæc succus quo balsamum conficitur, ex ipso exprimitur. *Itin. in Syriâ*, pp. 323, 324.

tem, quæ Azab immediatè opponitur, ubi nativum est. Alta Arabiæ regio frigidior erat quàm ut illud reciperet, quippe montuosa tota est, et aqua ibi congelatur.

Non obstante positivâ Josephi declaratione, quòd reginæ Sabæ arborem hanc Judæa deberet, id conferre tamen nequimus, ut observat Bruce, cum eo quod in Scripturâ exprimitur, cùm modò vidimus Galaad, in Judæâ, locum esse quo nascebatur balsamum et mercatoribus vendebatur, 1730 et ampliùs annos ante Christum, seu 1000 ante reginam Sabæ; ita ut in versiculi lectione nihil planius esse potest quàm balsamum in Judæâ transplantatum fuisse, floruisse, remque commercii factam in Galaad, diù ante tempus de quo loquitur (1): (Viderunt) *Ismaelitas viatores venire de Galaad et camelos eorum portantes aromata, et balsamum* (Vulgata *resinam*) *et stacten in Ægyptum.* Gen. 37, 25. Etenim, haud dubiè, addit ille, aromata, aut piper Ismaelitæ emebant in ore maris Rubri, ubi Indorum proventuum emporium erat, hucque myrrham afferre debuerunt, quippe melior nec inveniebatur, nec usquàm invenitur quàm in Sabâ aut Azab, ad Orientalem promontorii Gardefui partem, ubi portus erant pro Indiâ, et unde in totum orbem diffundebatur (2).

Nihil magis nobis inextricabile videtur quàm verba sponsæ in Cant. 5, 5, quæ è lecto surgens, ait *manus suas stillare myrrham* (balsamum) *et digitos suos suavè olentem myrrham, in manibus serræ.* Sed D. Taylor putat descriptionem unius balsami speciei, et usûs ad quem fœtus ejus adhibentur, à Forskal datam, multùm nos juvare posse in intelligendâ allusione. *Amynis*, KATAF, kafal valdè similis, ab Arabibus dicitur pluviarum mense turgescere, et opportuno tempore rubrum et suavè olentem pulverem effundere, quo hujus regionis, Abu-Arisch, mulieres, ubi copiosissimè abundat, caput suum superfundunt, vel semetipsas abluunt. El-caja fructus, qui in Yemen montibus invenitur, cujus flores citri similes sunt, his liquidis odoribus immiscetur, quibus Arabicæ mulieres caput suum abluunt. Excerptia hæc, inquit D. Taylor, nostras de textu explicando conjecturas adjuvare possunt. Consideremus scilicet, vocem, quæ vertitur *suavè olens* significare *spontè fluens*, destillans, vel prælìberè veniens, ut chimista loqueretur. At, cùm illam ad succum vel liquorem restringere nihil nos cogat, illam pro hoc rubro et suavè olenti pulvere sumere possumus, quem sponte effundit arbor illa. Insuper, cùm Abu-Arisch mulieres hoc mero pulvere uti nequeunt ad se abluendas, sed illum aquâ, vel liquore, vel alicujus generis liquidis odoribus permiscere necesse sit, admittere sat est, nostro sensu, sponsam liquido odore, quem balsamum vocat, sese recentissimè, id est, antequàm cubitum iret, perfudisse, ut percipiamus rem istam, quæ nos tantoperè implicat, quia nostris moribus non consonat, Orientalium moribus perfectè congruere, nec ullo modo extraordinariam in Arabiâ habendam. Etsi sponsa caput solùm liquido hoc odore perfuderit, aliquid ex eo tamen manibus remanere poterat; sed si, quod nihil impedit, et manus et brachia inunxerit, inde profectò naturâ evenire potuit, ut quæ à somniando sibi agere videbatur, manus digitosque aliquid ex hoc liquido odore ubique et in quodcumque tangebant effundere supposuerit. Mulieres in Arabiâ pluribus uti fragrantium liquidorumque odorum speciebus; hujus moris satis multa à Forskal exempla afferuntur (1).

(1) Quoad observationes Bruce, in mentem revocare debemus Bochartum probandum suscepisse, in Gen. 37, 25, et 43, 11, vocem *tezri* significare solummodò resinam aut terebinthum; contenditque balsamum ignotum fuisse in Judæâ ante Salomonis ævum. Jeros. lib. 14, cap. 11. Vide quoque versionem Samar., Munsterum, Pagninum, Arcam Montanum, Malvendam, Junium, Ursinum et Ainsworth. — Harris.

(2) *Itin.*, vol. 5, p. 19-23.

CUPRESSUS.

Frondes tuæ semper virescunt; dùm immutantur
Cæteræ arbores, temporaque tibi ordine superfluunt,
Tu quod eras, nunc adhuc es. Æqui tibi non
Sunt pictores, vel poetæ, cùm ex te luctûs emblema
Sumunt : rectiùs pietatis similitudinem refers.

Arbor ista occurrit tantùm in Is. 44, 14 (2) et inter criticos non convenit utrùm vox Hebr. *terzeh* verè cupressum indicet. Aquila, Theodotion, Septuaginta (Ald. et Complut.), et Celsius pro ilice seu sylvestri quercu stant; Loceth verò et Parkhust pinum intendi censent. Sed cùm cupressinum lignum ad finem in textu expressum magis sit idoneum quàm alia quæ in ejus locum proponuntur, cùmque ob diuturnam suam durationem, à veteribus in fabricam idolorum vulgò usurparetur, nihil melius agere possumus quàm interpretum nostrorum sententiam adoptare.

Cupressus arbor est magnæ proceritatis, quia difficillimè colitur. Fructus ejus edi nequit, amaræ sunt frondes, et, juxtà Plinium, odor et umbraculum ejus pernoxia sunt. Inde arborem funebrem eam Romani habebant, illamque in funeribus et luctuosis cæremoniis adhibebant. Lignum est semper viride, gravissimum, odore aromatico; rubigini obnoxium non est, nec à tineis exedi potest. Distinguitur in masculam et femineam : masculæ rami horizontaliter deprimuntur, femineæ verò altum petunt. Fructus rotundus est, olivo colore, nucis amplitudine; in locis separatis nascitur, parvulaque angularia semina continet. Communis est cupressus in Coos, Cyrene, Rhodo et Cypro insulis, et etiam in montibus Libani (3).

Bochartus, Fuller et alii scriptores contenderunt ligna lævigata, quibus arca confecta fuit, Gen. 6. 14, cupressum fuisse; Avenarius, Munsterus, Taylor et alii quidam critici pinum putant aptissimam ad præstanda ligna voce Hebraicâ designata; relativo ejus *gophrit* (lævigatum), significante *sulphur*, *bitumen*, etc., nec ullâ arbore picem, resinam, terebinthum et alia concipiendo igni apta abundantiùs quàm pinus produ-

(1) *Script. illustrata*, ordinatio p. 25.

(2) In Vulgatâ de cupresso non agitur hoc loco Isaiæ; sed in aliis duobus locis, quæ sunt Eccli. 24, 17; 50, 11.

(3) Calmeti *Biblia encyc.*, in voce.

cente (1). Cæterùm, ait Parkhurstus, *gopher* genericum nomen forsan esse potest omnium arborum, quæ resinam et succos igni concipiendo aptos, ut cedrus, cupressus, abies et pinus, etc., proferunt.

LIGNOSA ALOE.

Aloe arbor Indiæ nativa est, et ab octo ad decem pedes assurgit; magnos in cacumine foliorum racemos habet, quæ crassa et dentata, in imo lata, sed juxta acumen contractiora fiunt; quatuor circiter pedibus longa sunt. Flos ruber est, flavo colore intermixto, duplex in modum ocelli; hoc ex flore procedit fructus, rotundus ut major cicer, albus et ruber. Sed alia est arboris species dicta *Syriana aloe*, aliter *asphalatha*, quæ parva est arbuscula, spinis aspera : ejus ligno, cortice detracto, unguentarii utuntur ad densanda unguenta sua, quæ aliter nimis exilia liquidaque forent. Illud suavissimè olere notat Cassiodorus, suoque ævo ante altaria, incensi loco, comburi. Probabile est hanc esse arbusculam Hebraicâ voce *ahalim* designatam, quæ ligno suavè olenti applicatur, Prov. 7, 17; Ps. 44, 9; Cant. 4, 14, quod non est *agalloch* seu lignum *aloes*.

ROSA.

Sed nunc expanditur nemus; nunc ROSA, *hortorum regina,*
Inter humiliores floridorum suorum subjectorum illecebras,
In omnibus campis roseum suum splendorem devolvit.

Ex quodam libri Ecclesiastici loco discimus rosam deliciis fuisse apud Judaicum populum, ut adhuc est in Orientalioribus gentibus; et insuper eam nobilem fuisse arborem : *Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho*, cap. 24, 18. Inde patet arbusculam, quæ nunc rosa Jericho dicitur, *vegetale* esse valdè diversæ speciei. In campo Jerichuntino, ait Thevenot, rosæ sunt Jericho, sed non habent qualitates quæ eis à pluribus attribuuntur; dehiscunt enim quin in aquâ ponantur, omnique tempore florent et omni horâ; quod sententiæ contradicit et eorum qui dicunt eas non florere, nisi in nocte natalis Domini, et aliorum, qui in omnibus beatæ Virginis festivis diebus eas florere volunt; additis multis aliis insulsis istiusmodi commentis. Aliquot ex his rosis quoque in deserto montis Sinai inveni (2). Medicalis scriptor, quem citat Harmerus, rosam Jericho, parvulam omninò esse arbusculam ait, quatuor circiter digitis altam, lignosam, ramis plenam, parvi globuli similitudinem referentem et cinereo colore, parvulis simul foliis et floribus (2). Sequens locus, qui ex celeberrimo viatore excerptus est, qui rosam Persiæ describit, satis forsan probabilem afferet accuratamque ideam celeberrimarum Saron et Jericho rosarum, antequàm fertilissimæ hæ regiones desolatione devastatæ fuerint.

« Ubi primùm intravi hunc fatidicarum regni celeberrimum nemus, subierunt mihi oculos duæ rosæ arbusculæ non minùs quàm quatuordecim pedibus altæ, millibus floribus in omni expansionis gradu onustæ, tamque vivido colore et exquisitis odoribus, ut exquisitissimis suavitatibus tota atmosphera perfunderetur : ita sanè censeo nusquàm in orbe terrarum tam perfectam inveniri rosam quàm in Persiâ; nusquàm ita coli et ab incolis pretio teneri. Horti eorum et areæ his arbusculis implentur; vasa, collectis earum racemis referta, exornant conclavia, omniaque balnea plenè expensis floribus sparguntur, qui è stipitibus semper onustis absciduntur. Imò humillimus quisque paucos cupreos nummos pro paucis *kalioun* anhelitibus solvit, duplici afficitur voluptate, cùm in eo perfusum sentit charissimæ hujus nativæ arbusculæ oculum. Atverò, in hoc gratissimo Negauvistan horto visus et odoratus soli non sunt rosæ præsentiâ delectati; auris quoque demulcetur agrestibus et pulcherrimis innumeræ lusciniarum multitudinis modulatibus, quarum cantibus melos et lenitatem addere videtur gratissimorum earum florum expansio : sicque confirmatur et verum probatur hoc eorum poetæ effatum : *Ubi transière nemorum deliciæ, queruli lusciniæ cantus jam non scenam vivificant* (1). »

Æquum erat, ait Paxton, adeò gratissimam religioni consecrare arbusculam. Eam igitur elegit Salomon ad repræsentandas incomparabilem divini sui Redemptoris excellentiam : *Ego sum* ROSA *Saron* (2), Cant. 2, 1. Et propheta Isaias, ut levem nobis daret ideam mirabilis mutationis quam effecit Evangelium in mundi statu, post ascensionem Christi, ait : *Lætabitur deserta et florebit, quasi rosa pulcherrima florebit* (3), cap. 35, 1.

SECTIO TERTIA.

LIGNOSÆ ARBORES.

QUERCUS.

Rex sylvarum, benè tibi nomen adest!
Cum majestate firmus, sublimiter altus!
Risu contemnis ventum, fluctus, flammam;
Ubi etiam marcescis, superbè desolatus stas!

Adeò nota est quercus ut particularis descriptio necessaria non sit : sed cùm interpretes nostri eam cum terebintho confusisse existimantur præcipua in hujus arboris charactere lineamenta prosequemur. Mariti (4) terebinthum ait esse semper viridem, mediocri amplitudine, sed cacumen et ramos, pro stipite amplo habentem; folia olivæ similitudinem referunt, sed viridi sunt colore, rubro et purpurâ intermixtis, virgulæ quibus folia feruntur, in simplex semper folium desinunt. Flores vitis floribus similes sunt, et in racemos eodem modo coacervati, purpureique. Fructus juniperi seminis amplitudinem habent, in racemis pendent, et quisque semen unum, acinæ crassitudine par, continet; subrubrâ sunt purpurâ et insigniter succosi. Alius etiam fructus, seu potiùs

(1) *Script. illustr.*, expos. index, p. 10.
(2) Pars 1ª, lib. 2, cap. 41.
(3) *Observat.*, vol. 3, obs. 5.

(1) Sir R. K. Porter, *Itin. in Georgiam et Persiam*, vol. 1, p. 337.
(2) Vulgata habet : *Ego flos campi, et lilium convallium.*
(3) Vulgata verò : *Florebit quasi lilium.*
(4) *Itin.*, vol. 2, p. 214.

tumor, in hâc arbore occurrit inter folia diffusus, nucis castaneæ volumine similis, purpureo colore, viridi et albo variegatus. Hunc muscæ morsu produci dicunt Cyprii; ubi aperiuntur isti tumores, vermibus scatere videntur; lignum durum est et fibrosum, resinaque vel gummi è trunco fluit. Arbor hæc abundat propè Jerusalem et in Cypro.

Terebinthus sub quâ cum Angelis Abraham conversatus est (Gen. 18, 1) celeberrima est apud veteres. Dicit Josephus (1), sex stadiis ab Hebron, ostendi latissimam terebinthum quam incolæ tam esse antiquam quàm mundus ipse putant. Certos nos facit Eusebius, suo ævo, Abrahami terebinthum adhuc esse conspicuam et magnâ cultam veneratione, cùm à Christianis, tùm à gentibus, tam in honorem Abrahami, quàm cœlestium hospitum quibuscum ibi conversabatur. S. Hieronymus duo milliaria ab Hebron arborem istam fuisse dicit; eam verò quindecim stadia ab hâc civitate collocat Sozomenus. Ista opinionum varietas dubium movet utrùm de eâdem arbore loquantur. Terebinthus subter quam infodit Jacob deos, quos sui à Mesopotamiâ attulerant (Gen. 35, 4), post urbem Sichem erat, et ideò longè distans ab eâ in quâ Abraham manebat propè Hebron: fuêre tamen absurdissimè simul confusæ. Censitum est subter eamdem terebinthum fœdus Domini à Josue renovatum fuisse, et Achimelech, filium Gedeonis, regem à Sichimitis proclamatum (2).

Prophetica Nephthali benedictio, Gen. 49, 21, sic redditur à doctore Geddes et ab aliis criticis: *Nephthali expansa est terebinthus pulcherrimos ramos emittens.*

Jam de religiosâ veneratione quâ paganæ antiquorum temporum gentes quasdam arborum species prosequebantur, mentionem fecimus; inter has quercus prominentem locum habuit: *Confundemini à quercubus quas plantâstis*, ait Isaias ad idololatras Israelitas, cap. 1, 29. In Græciâ, ævo remotissimo, nobis occurrit famosissimum Jovis oraculum apud Dodonæas quercus. Apud Græcos Romanosque nobis adest sacra Jovi quercus, etiam in proverbium assumpta. In Galliâ et Britanniâ præcipuum religionis cultum eidem arbori ejusque visco tributum fuisse, præsidibus Druidis, id est, *querceis prophetis* vel *sacerdotibus*. Pauci sunt quos fugiat viscum verè extraordinariam esse arbusculam quæ in terrâ nunquàm colitur, sed semper aliis arboribus inhæret, ut quercui, malo, etc. Druidæ, inquit Plinius (3), nihil magis sacrum habent quàm viscum et arborem in quâ nascitur, dummodò quercus sit. Quercuum nemora proprio sibi modo eligunt, nec ullum sacrum ritum perficiunt absque arborum istarum frondibus, ita ut supponi possit eos hâc ratione ex Græcâ etymologiâ dictos fuisse *Druidas*. Ubicumque viscum quercui inhæret, illud è cœlo missum putant, signumque est Deum hanc arborem elegisse. Rarissimè quidem invenitur, sed ubi detectum fuit, magnis cæremoniis illud prosequuntur. Nomine vocant, quod in linguâ suâ omnium malorum curatorem significat. Ritè igitur præparatis subter arborem festis suis et sacrificiis, duos albos tauros adducunt, quorum cornua primâ vice tunc ligantur. Sacerdos, albâ stolâ indutus, ignem accendit, aureâ falculâ succidit viscum, quod in albo sago aut linteo recipitur. Tunc victimas immolant, Deum precantes, ut proprio suo dono benedicat pro his quibus illud concessit.

Impossibile est, ait Parkhurstus, hominem christianum narrationem legere ex quâ quædam excerpta transcripsimus, quin de eo cogitet, *qui desideratus omnium gentium erat;* de homine cujus nomen *virga* aut *ramus* erat; qui patrem in terris non habuit, sed è cœlo venit, qui omnia nostra mala sanaturus venit, et, postquàm divino consilio succisus fuit, linteo involutus est, et in monumento positus, propter nostram salutem! Addere non vereor, ille prosequitur, viscum cæteris Celticis gentibus emblema fuisse, ut et, exempli gratiâ, antiquis Italiæ incolis. Aureus ramus de quo tam fusè loquitur Virgilius in sexto Æneidos libro, et quo deficiente nemo ab inferis regionibus redire posset, ad viscum alludere videtur, ut ipse planè intimat, illum huic plantæ comparando. Conf. lin. 126, cum lin. 205, etc.

Ex Hebr. *asel*, quercus, deduci potest, si fides Parkhursto, famosi nomen *asyli* apertum à Romulo inter duo quercuum nemora Romæ (1).

ABIES.

Pulcherrima est arbor hæc et semper virescens. Osee, 14, 8, cujus alta proceritas et densæ frondes volucribus cœli habitaculum, Ps. 114, 17, et commodissimum defatigato viatori umbraculum suppeditabat, 4 Reg. 19, 23; Is. 55, 13; Ezech. 21, 8. Ligno hoc antiquitùs utebantur in perficiendis sumptuosorum ædificiorum internis partibus, 3 Reg. 6, 15, 34, 2 Paral. 3, 5; Cant. 1, 17; et etiam in conficiendis navibus, Ezech. 27, 5. Dicitur in 2 Reg. 6, 5: *David et omnis Israel ludebant coram Domino in omni genere instrumentorum factorum ex ligno abiete* (2), etc. D. Taylor pronus est ad putandum vocem *beroshim* hoc in loco aliquod potiùs musicæ instrumentum exprimere quàm lignum quo conficiebatur, sed consuetâ ingenuitate hunc excerptum ex historiâ musicæ doctoris Burney locum citat: Hæc ligni species naturâ tam mollis et arte tam sonora, à veteribus anteposita fuisse videtur non minùs ac à modernis omni alii speciei ad musicorum instrumentorum, et præsertim ventris instrumenti, ex quo præcipuè tonus dependet, confectionem. Citharæ, testudinis, clavicini et violonis ventres in præsentibus usibus constanter abiete ligno conficiuntur (3).

POPULUS.

Arbor ista, de quâ tantùm agitur in Gen. 30, 37, et Osee 4, 13, nomen suum *lebneh* habere censetur ex

(1) *De Bello*, lib. 4, cap. 7.
(2) Calmetus, *Biblia encyc.*, art. *Terebinth.*
(3) *Hist. nat.*, lib. 17, cap. 44. — Vide etiam *Hist. univers.*, vol. 18, p. 543. 546, 548; et vol. 19 p. 24, 77.

(1) *Hebr. Lex.*, sub voce.
(2) Vulgata verò: *In omnibus lignis fabrefactis.*
(3) *Scriptura illustr.*, ordinatio, p. 29.

foliorum, corticis et ligni albo colore. Utroque in loco illud interpretatur Vulgata *populum;* in posteriore Septuaginta et Aquila illud vertunt *album*, id est, *populum*. Sic Virgilius :

..... *Hic candida populus antro*
Imminet. (Eclog. 9.)

SALIX

Salix, quæ juxta fluminis ripam incurvatur,
Et totam suam vitam è torrente juxta fluente ebibit,
Vicissim vitam hanc in commodum datoris expendit,
Flumenque contra cœli æstum umbra protegit.

(EDMESTON.)

Vulgaris est arbor salix in locis palustribus veniens, Lev. 23, 40; Ps. 136, 2; Is. 44, 4, foliumque habens olivæ simile. Extra omne est dubium, ait D. Taylor, vocem *orebim* significare salices; in hoc omnes conveniunt interpretes. *Salix ploratrix* Orientalium regionum nativa est. Ingentem proceritatem obtinet, nec gratior in lacûs fluminisve margine arbor stare potest. Ramusculis ejus in conficiendis canistris magnoperè utuntur.

SINAPIS.

Data à Domino nostro sinapis descriptio apud Matth. 13, 31, 32, et similia loca, multas speculationes et conjecturas inter doctos viros movit. Verba ejus hæc sunt : ...: *Grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus; cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.* Ut ratio daretur de differentiâ existenti inter hanc descriptionem et sinapis nigræ, seu vulgaris sinapis characterem, suppositum fuit eam in felicioribus Orientis climatibus longè dimensionibus et vi superare illam quæ in istis frigidioribus regionibus invenitur. Locum ex Talmud citat Lightfoot, in quo sinapis dicitur ramos satis latos habuisse, ut tentorium contegeret, et Scheuchzer describit repræsentatque plantæ hujus speciem, pluribus pedibus altam, quæ arboris similitudinem refert.

Ad stabiliendam hanc conjecturam animadvertit doctor Clarke : cùm terræ quædam magis quàm aliæ luxurientur, et cœlum sit calidius, planta eadem amplitudinem perfectionemque obtinet longè majorem quàm in solo pauperiore frigidioreve posset. Refert Herodotus se in regione Babylonis frumentum hordeumque vidisse quæ calamos quatuor digitorum amplitudinis ferebant, ibique milium et sesamum incredibilem amplitudinem obtinere. Asserit doctor se in unâ ex Normanniis insulis communium brassicarum agrum vidisse, quarum quæque septem ad novem pedes alta erat, unam quæ in amici cujusdam horto, quæ juxta malum creverat, etsi loci latitudo 48° 18' septent. tantùm esset, et quindecim pedibus alta erat. Hæc et multa alia, quæ afferri possunt, juxta doctoris Clarke sensum, possibile esse confirmant quod Dominus noster de sinapi dicit, quantùmvis incredibilia hæc videri possint iis qui septentrionalium tantùm regionum et frigidorum climatum productionibus assueti sunt (1).

Insignia hæc sunt profectò specimina ingentis discriminis quod inter ejusdem speciei productiones existit variis in regionibus et climatibus; earum tamen distinctivus character idem remanet, dùm è contra relatio in Domini nostri parabolâ, adeò essentialem differentiam implicat, ut herbacea planta in arborem transeat, et ita identitatem characteris destruat.

Ad removendas igitur has difficultates, D. Frost, vir propter sua in botanicâ scientiâ inventa commendatissimus, opus edidit, in quo contendit novi Testamenti sinapim non designare aliquam speciem generis, quod nunc *sinapi* designamus; sed quamdam *phytolaccæ* speciem. Quædam libri ejus excerpta transcribere libet, lectoremque suam ipsum sententiam de idoneâ ejus rationum ad pervincendum vi ferre sinemus.

Plantæ herbaceæ semen, talis est enim sinapis nigra, seu vulgare sinapi, arborem producere nequit; et quantùmcumque altitudinis et ambitûs gradum obtineat vulgaris sinapis stipes, ita tamen fieri non potest, ut volucres cœli habitent in ramis ejus, etiamsi, quod nunquàm visum est, eam ad octo pedum altitudinem attingere concederetur.

Granum sinapis non est minimum ex omnibus seminibus, ut implicat parabola : namque *digitalis purpureæ* et *nicotianæ tabacæ* semina infinitè minora sunt : herbaceæ sunt plantæ non minùs ac sinapis nigra; et concesso aliquantisper quòd vulgaris sinapis semen intentum fuerit, superiùs allatæ rationes parabolæ validitatem destruerent. Hanc discrepantiam amovere tentatum est referendo ad *sinapim erucoidem* seu sinapi arbusculam, sed hujus quoque minimum non est semen, et, posito quòd, argumenti gratiâ, arbuscula hæc soli cœlique luxurie, majorem altitudinem ambitumque obtineat latèque ramos expandat, seminis volumen idem semper remanebit, vocesque *minimum ex omnibus seminibus* ei tribui non poterant.

Inter alia quæ de amplitudine quam sinapis obtinere aliquando potest statuta, quemdam notat D. Frost scriptorem qui fatetur se unam sinapim adeò latam vidisse, ut ingens arbuscula facta sit, altioremque altissimo quem unquàm vidisset homine, hancque arbusculam ex semine excrevisse. Hoc noster ille auctor libenter verum esse concipit, sed minimè rem enodare ipsi videtur, quia annualis planta, qualis est sinapis nigra, ne arbuscula quidem, multò minùs arbor fieri potest.

Postquàm igitur probare conatus est granum sinapis novi Testamenti oriri non posse ex sinapi nigrâ, aliisve hujus generis speciebus, D. Frost statim pergit ad ostendendum identitatem quæ inter *kokkon sinapeos* existit et *phytolaccam dodecandram*, quam δένδρον μέγα Scripturæ esse putat. *Phytolacca dodecandra* in Palæstinâ abundat (2); semen habet ex omnibus arboribus

(1) Comment. in loco.

(2) Phytolacca deducitur ex φύτον, *planta*, et *lacca*

minimum, tantamque et majorem etiam altitudinem quantam ulla alia in regione suâ nativâ obtinet.

Vulgaris sinapis ad culinares simul et medibiles usus adhibetur; ideò sunt multæ phytolaccæ species. Nonnihil mirum videtur posterioris acrimoniam Linnæum induxisse ad ponendum genus istud in naturali *piperitarum* ordine, dùm è contra de Jussieu illud ad *artiplicum* familiam referret, quæ profectò ædibiles acresque ejus proprietates præ se fert. Septentrionales Americi phytolaccam dodecandram (in hortis nostris vulgò notam sub nomine Americani *poke-weed*, sylvestrem sinapim vocant. Murray, in suo *Apparatu medico*, longam prosequitur narrationem exquisitarum juniorum surculorum qualitatum; animadvertit verò, ubi maturi facti sint, impunè comedi non posse. Linnæus, in suâ materiâ medicâ, ad eadem relationem dicit. Quòd edi possit, ex verbo Græco λαχάνον, deduci potest, quod occurrit Matth. 13, 32; et Marc. 4, 32.

Semen sinapis exterius ut stimulans, in modum sinapismi applicatur, et phytolaccæ dodecandræ folia in exteriorem canceraticis tumoribus admotionem adhibetur.

De acribus phytolaccæ dodecandræ qualitatibus dubium moveri nequit, ita ut maxima occurrat analogia inter generalis sinapis et phytolaccæ effectus et proprietates. Insuper, quartum ultimum chymicum elementum, nitrogenum, inesse asserui in phytolaccæ cujusdam speciei semine. Nitrogenum inesse tantùm dicebatur in plantis ad naturales *cruciatæ* et *fungi* ordines pertinentibus, quorum in primo commune sinapi, sinapis nigra, collocatur.

Deinde suum D. Frost resumit argumentum ostendendo phytolaccam dodecandram arborem esse de quâ in Evangelio agitur, his rationibus. Quia una est ex maximis arboribus regioni, in quâ facta est observatio, indigenis; quia semen habet ex omnibus arboribus in hâc regione minimum; quia eo ut culinari vegetali et medibili stimulo utuntur, quod idem de vulgari sinapi est; quia species una ejusdem generis notissima est in Fœderatis Provinciis Americæ, sub nomine *sylvestris sinapis;* quia ultima chymica elementa sinapis nigræ seminis eadem sunt ac phytolaccæ dodecandræ.

In conclusione genericos amborum vegetalium characteres addit auctor, propter quos, botanicè loquendo, distinctæ esse familiæ videntur.

CAPUT IV.

DUBIÆ PLANTÆ ET ARBORES.

LAURUS.

Arbor ista occurrit tantummodò in Ps. 36, 35, 36: *Vidi impium in magnâ potentiâ seque latè spargere, sicut laurum virentem* (1). *Transii tamen, et ecce non erat; ita quæsivi eum, sed inveniri non potuit.* Sed vox originalis *azrech* significat tantùm nativam arborem, id est, arborem quæ in suo solo nativo crescit, nullam passa transplantationem; et ideò spargit se latè et luxuriatur. Ea est ad minus opinio Aben-Ezræ, Iarchi, Kimchi, S. Hieronymi, Parkhursti, Taylor et aliorum clarorum criticorum.

PINUS.

Tribus in locis Bibliæ nostræ occurrit hæc arbor, sed modus quo introducitur nullum nobis medium suppeditat asserendi utrum sit accurata vocis originalis translatio. Primus locus est in Nehem. 8, 15, ubi statuitur pini ramos adhibendos esse ad erectionem tabernaculorum in festo Tabernaculorum. Voces *olzshemen* litteraliter significant *arbores pinguedinis*, sicque gummosam vel resinosam arborum speciem, quarum succi superabundant exsudantque, exprimere videntur. Septuaginta legunt cupressum, et Scheuchzer ait cupressum à Turcis vocari *zemim.* D. Taylor anteponit totam speciem dictam gelsiminum, propter virentes ejus frondes, fragrantiam et flores quæ magni habentur. Vox *gelsiminum*, inquit ille, et turcarum *jasemin* valdè similes sunt *shemen* textûs Hebraici in hoc loco. Persæ quoque vocant hanc plantam *simen* et *symsyk* (1).

In Isa. 41, 19, et 60, 13, vox *thedher* est, arborque ita vocatur, ait Parkhurst., propter ligni sui flexibilitatem, vel elasticitatem. Lutherus ulmum esse putavit; nil impedit tamen quin vox *pinus* retineatur, quæ, ut ex D. La Roche discimus, in Syriâ invenitur (2).

SETIM.

Arbor illa tantùm occurrit in Is. 41, 19, sed de ligno ab ipsâ præstito agitur pluribus in locis veteris Testamenti. Quàm sit difficile setim ad unam eamdemque arborem referre senserunt omnes interpretes, ut evidenter patet ex eo quòd plurimi nomen Hebraicum retinuerint, alii verò variis modis reddiderint. Doctor Shaw, D. Parkhurstus et D. Taylor *setim* eamdem esse sumunt ac acanthum, aut acaciam veram, quæ est arbor moro amplitudine ferè par, flavos flores producens, siliquasque, lupinis similes. Ea quoque Arabicam gummim profert. Certos nos faciunt Prosper Alpinus et Belon eam in Ægypto abundanter nasci, in locis à mari remotis, in montibus Sinai, juxta mare Rubrum, circa Suez, et in solitudinibus; eorumque narratio à Shaw et Burckhardt confirmatur. Arboris hujus cortex subcinereo nigro colore est, lignum pallidè flavescens, folia lentis similes, plurimæ quæ simul eidem ramorum parti inhærent. Spinis horrent rami, quæ sæpè binæ sunt, frondesque ejus arctissimæ (3).

Arca fœderis, Ex. 24, 10; mensa panum propositionis, vers. 23; vectes et tabulæ tabernaculi, cap. 26, 26, 32, 37; altare holocaustorum, cap. 27, 1; vel *lac*, gummis resinosus exsudans humor, rubro colore.

(1) Locus iste in Vulgatâ aliter vertitur, et præsertim loco *lauri virentis*, quæ significatio Hebraici textûs esse videtur, Vulgata habet *cedros Libani.* Vide *Cursum compl. Script. sacræ*, vol. 15, col. 344.

(1) *Exposit.* Index, p. 124.
(2) *Descriptio Syriæ*, p. 160.
(3) Burckhardt, *Itin. in Syriam*, etc., p. 477.

38, 1, et altare incensi, cap. 30, 1, lignis setim omnia erant confecta, quæ Septuaginta cùm lignum istud ad unum idemque referre nequirent, *lignum incorruptibile* vocant.

THYINUM.

Thyina ligna occurrunt in 3 Reg. 10, 11, 12, inter pretiosissimas res quas classis Hiram ex Ophir ad regem Salomonem afferebat.

Sigillatim exponere varias quæ à doctis viris susceptæ sunt opiniones de particulari arbore per *tyinum* lignum intentâ, parvâ sanè referret, etsi non angustum locum teneret. Totum tamen locum, qui ad illud pertinet, ex Josepho transcribemus, quantùm id quod ab ipso statutum est, alicujus momenti, hâc in materiâ, esse videtur. Eodem ferè tempore Regi afferebantur ex aureâ Chersoneso (sic vocabatur regio quædam), pretiosi lapides et *pini arbores*; et arbores istæ adhibitæ sunt ad fulcra domûs Domini et domûs regiæ, et ex iis quoque factæ sunt musicalia instrumenta, citharæ et psalteria, quibus uti debebant Levitæ in suis ad Deum hymnis. Quod ipsi afferebatur lignum tunc temporis, amplius pulchriusque erat, quàm quodlibet antea allatum; sed nemo existimet pinus istas similes fuisse iis quæ nunc ita vocantur, et quæ suum nomen à mercatoribus tenent, qui eas sic vocant, ut iis admirationem moveant, qui eas emunt: ligna enim, de quibus loquimur, similia erant aspectu ligno ficûs, sed candidiora lucidioraque. Porrò sic multa nos diximus, ut neminem fugiat discrimen has inter lignorum species; nec quis genuinæ pinûs naturæ rudis existat, existimabamusque opportunum esse et humanum de eâ loqui, et de usibus ad quos eam adhibuit rex Salomon, ut prædictum discrimen eo modo explanaretur (1).

Calmetus, sumpto *ab* pro articulo, lignum gummosum et oleosum intelligit; sed è contrario D. Taylor in eo est ut existimet ibi litterarum fuisse transpositionem, et *al* scribendum fore *la*; quod oppositum prorsùs sensum daret LA-GUMIM, *absque gummi;* LA-MUGGIM *absque humore;* animadvertitque ligna gummi abundantia longè minùs esse idonea ad aliquod instrumenti aut supellectilis genus conficiendum, quàm quæ humorem non continent (2).

BUXUS.

Buxus, cùm sit semper viridis, satis benè Hebraicæ voci *tâshur* respondet, quæ perpetuam probabiliter viriditatem implicat. Objectio quòd scilicet hæc arbor satis alta non est, nullius esse ponderis videtur quippe quòd in aliis sacrarum Scripturarum locis, res occurrant, amplitudine æquè dispares, quæ communem tamen characterem participant. Hunc sensum ferre videntur loca in quibus de arbore hâc agitur, scilicet: *Non interruptæ ariditati perpetua succedet viriditas.* « Dabo in solitudinem cedrum et spinam, et myrtum, « et lignum olivæ; ponam in deserto abietem, ul- « mum et buxum simul. » Is. 41, 19; 50, 13. Sed,

(1) *Antiquit.* Lib. 8, cap. 7, 51.
(2) Exposit. Index, p. 108.

cùm nulla sufficiens adsit ratio asserendi satis utrùm arbor de quâ loquitur Propheta sit ista, eam in hoc articulo positam maluimus.

ALKEROA, seu EL-KEROA, *Cicinum.*

D. Michaelis in suis in Jonam Animadversionibus ait: Celsius mihi probavisse videtur hanc arborem (*kikium*) esse Ægyptiacum *kiki*. Illam ad vicini, id est, majoris catapuci, familiam refert. Si fides Dioscoridi celeriter crescit et baccas fert, unde exprimitur oleum, lib. 4, cap. 164. In Arabicâ loci hujus versione, quæ apud Avicennam occurrit, ità redditur: *Ex iis exprimitur oleum, dictum kiki, quod est oleum alkeroa* (1). Sic ait Herodotus (2): Palustrium solorum incolæ in Ægypto oleo quodam utuntur, quod *kiki* dicunt, ex sillicypriâ arbusculâ expressum. Spontè in Græciâ nascitur planta ista, absque culturâ; Ægyptii verò eam serunt in fluviorum canaliumque ripis; ibi magnam fructuum copiam profert, sed gravissimi odoris. Ubi verò collecta est, ex eâ sive frictione, sive pressurâ unguinosum liquorem obtinent, qui noxium effundit odorem, sed ad comburendum oleo olivarum qualitatibus non cedit. Planta hæc in validum stipitem herbaceum surgit, ab octo ad decem duodecimve pedum altitudinem; largissimis foliis instruitur à platani non absimilibus. Dicit Rabbi Kimchi Orientalem populum eam ante tabernas suas, umbraculi gratiâ, plantare, seque sub illius umbrâ refrigerare. Vidi ego, ait D. Nieburh (3), primâ vice Basrâ, plantam *el-keroa*, de quâ in Michaelis Quæstionibus agitur, 87, arboris speciem habet. Truncus foliis magis quàm ligno similis esse mihi visus est; nihilominùs durior est quàm qui Adami ficum profert. Quisque *el-keroæ* ramus unam tantùm largam frondem habet, in quâ sex vel septem sunt plicaturæ; planta hæc juxta rivulum stabat à quo copiosè rigabatur. Sub octobris 1765 fine, octo circiter pedes, quinque mensium spatio obtinuerat, simulque flores et fructum, maturum immaturumque ferebat. Alia ejusdem speciei arbor, quæ ita non fuerat rigata, ampliùs non creverat totius anni spatio. Quæ ex eâ collegi folia, paucis minutis emarcuerunt, ut de celeriter crescentibus arboribus semper evenit. Aleppi, arbor ista dicitur *Palma Christi*. Ex eâ expressum oleum dicitur *oleum keroæ; oleum cicinum; oleum ficûs infernalis*. Christiani et Judæi Mosul (Ninive) keroam non esse dicunt, cujus sub umbrâ refrigeravit se Jonas propheta, sed quamdam cucurbitæ speciem, *el-kera*, cujus largissima sunt folia, amplissimus fructus, quatuorque circiter menses perdurat.

E[illegible]etum quo propheta de plantâ hâc loquendo utitur: *filius noctis erat, et filius noctis mortuus est*, nos non compellit ad credendum illam unâ nocte crevisse, sed potiùs vel eam, expressiorâ orientali fi-

(1) S. Hieronymus ait Punicum et Syriacum *kikiun* nomen esse *alkeroa;* Copticum igitur Lexicon vocem hanc explicat *alkeroæ fructus*. Abenbitar quoque Dioscoridis *kiki* in Arabicum *alkeroa* vertit.
(2) Hist. Euterpe, § 94.
(3) *Descript. Arab.*, p. 180, Gall. edit.

gurâ, celeriter crevisse, vel nocti affinem fuisse, umbraculo quod ipsi ad quiescendum suppeditabat. Figura infrequens non est in Oriente, et quidam ex poetis nostris rosam vocavit *filiam æstatis.* Nec verbum *cràs* intelligere cogimur ut strictè proximam diem designans, quippe quòd ad remotius multò tempus relationem dicit, Ex. 13, 5; Deut. 6, 20; Jos. 4, 6 : sumi sanè simpliciter potest pro *postea.* Illud leviter prætermittendum non est, quòd scilicet keroæ flores et et folia tàm subitò marcescant, nec quòd præsens ejus nomen sit *cicinum,* quod (si litteræ *c* durus sonus detur), sufficienter Jonæ *kikiun* affine est. *Illustratæ Scripturæ* auctor hæc animadvertit : Cùm, inquit, in Jonæ historiâ expressis verbis dicatur Dominum hanc plantam præparavisse, haud dubiè illam habere debemus ut extraordinariam in specie suâ, mirum in modum celeriter crescentem, mirum in modum in stipite duram, mirum in modum validam in ramis, miramque valdè propter latè expensas frondes et altam umbraculi obscuritatem ; miram quoque tandem quòd, postquàm certo tempore manserit , subitò emarcuerit, impatientique Prophetæ prorsùs inutilis facta sit.

De sylvestribus cucurbitis 4 Reg. 4, 39, locuti sumus in art. de vite.

TAMARINUS.

Erit quasi myricæ in deserto, ait Propheta, *et non videbit cùm venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto, in terrâ salsuginis.* Jer. 17, 6; Et rursùs : *Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricæ in deserto,* 48, 6. Sed quæ planta sit ista quam Vulgata vocat *myricam?* Septuaginta habent *tamarinum; alii arborem infrondem;* et Parkharstus, à D. Taylor citatus, *arborem turbine excussam , foliis nudatam.* Si planta sit particularis, *tamarinus* tàm probabiliter quàm alia ulla esse potest, inquit ille, quia arbores istæ magnâ non pulchritudine conspicuæ sunt; earum enim rami tam longè à se invicem distant, ut nullo modo regulariter in altum erigantur; earumque frondes raræ generaliter in ramis sunt, et hiemali tempore delabuntur, ita ut nullâ aliâ re quàm suâ flexibilitate conspicuæ sint. Sed ibi sese offert quæstio, ait D. Taylor, an possit tamarinus in terrâ salsuginis vivere, in locis aridis? Negat ille ; quâ de causâ Hebr. *orur* inter *lichenos* quærendum proponit, plantarum species quæ ultimæ sunt vegetationis productiones, sub severo glacialis zonæ frigore, vel sub urenti æquinoctialium regionum solitudinum æstu ; ita ut locorum aridorum et terræ salsuginis patientissimæ videantur.

De plurimis à se visis speciebus in Ægypto, Arabiâ Syriâque mentionem facit Hasselquist; ita quoque de montis Sinai peninsulâ loquitur D. Burckhardt.

In Jerem. 48, 6, Septuaginta evidenter legerunt *orud* loco *orur ;* vertunt enim *onager : Estote quasi* ONAGER *in deserto;* idque fugæ commendatæ optimè congruit. Inquirit D. Taylor utrùm ORUD, *onager,* non possit esse utriusque loci subjectum; si res ita sit, terræ salsuginis inhabitatio prorsùs naturalis est (1).

(1) *Scriptura illustr.* Exposit. Index, p. 177.

CICUTA.

Vox *rash* usurpatur ad designandum lethale venenum in genere, sive animale sive sit vegetale, Deut. 29, 18. Libadio seu terrestri felli frequenter adjungitur, et ex comparato Psal. 69, 22, cum Joan. 19, 29, existimat doctissimus Bochartus herbam *rash* in Psalmis, idem esse ac quæ ab Evangelistâ dicitur *hyssopus,* cujus species in Judæâ nativæ amariores esse probat ex Isaac Ben-Omran, Arabico scriptore; additque : *Adeò amara est, ut edi nequeat* (1). S. Chrysostomus, Theophylactus et Nonnus venenosam habuerunt hyssopum, de quâ hic S. Joannes loquitur. Theophylactus expressis verbis ait hyssopum additam fuisse ut deletoriam vel venenosam, et Nonnus sic ait : *Datum est lethale acetum hyssopo mixtum* (2). Sed ex Osee 10, 4, videtur vocem istam usurpatam quoque fuisse ad denotandum speciale quoddam vegetale : *Judicium orietur ut cicuta in sulcis campi* (3). Hìc similitudo, ut suggerit D. Taylor, ad amaram herbam est, quæ inter frumentum crescens, suffocat utile vegetale, et herbam noxiam substituit pro eo. Si verò similitudo sit ad plantam germinantem in sulcis agri, strictè loquendo, ille prosequitur idem scriptor, non satis magna nobis adest plantarum copia, ut ad aliquam earum descriptio hæc referri possit; si verò sepes circumstantes vel humida humiliaque loca quæ in ipso sunt agro assumere possimus, tunc alias plantas amplecti poterimus, et nulla adest ratio cur cicuta intenta non fuerit. Hanc in partem inclinat Scheuchzer, magis quàm ad *absinthium* aut *agnostem* ἀγνωστήν, ut verterunt Septuaginta. Supponit insuper D. Taylor, maximis de causis, prophetam in animo habere aliquod vegetale, quod sanum appareret, iis quæ salutaria reputantur simile videretur, quale reverà propriè judicium, cùm est justum, sed ex experientiâ pateret ejus malignitas, ut de judicio injusto fit, cùm perficitur. *Rash* venenosum est, et præsertim *rash* aquosum , ambo tamen confundi possunt, et quædam ex eorum partibus, radix, verbi gratiâ, recipi potest, sed infaustiore fato (4)!

ABSINTHIUM.

Hoc valdè propriè *rash cicutam* aut fel terrestre sequi potest, ut reverà ipsi sæpiùs in Scripturâ adjungitur. Nostros tamen excedit limites pro certo asserere quæ particularis planta sit intenta voce Hebr. *loneh.* Vulgata, ut etiam Syriaca Arabicaque versio eam reddunt *absinthium,* sed notandum est noxias qualitates plantæ huic attributas. Deut. 29, 18 ; Prov, 5, 4 : Jer. 9, 15; 23, 15; Amos 5, 7, et Apoc. 8, 11, nullo modo Europensi absinthio congruunt, quod salutaris herba potiùs quàm lethale venenum est. Genuinum ergo absinthium intendi nequit, sed quædam ipsi formâ vel specie affinis planta : vel quæ, si ejusdem sit familiæ, terribilioribus suis qualitatibus differt (5).

(1) Bochartus, *Jerosol.* vol. 2, p. 590, 592.
(2) Parkhurst. *Hebr. Lex.*, sub voce.
(3) Vulgata verò : *Germinabit quasi amaritudo judicium, super sulcos agri.*
(4) *Scriptura illust.* Expos. Ind., p. 185.
(5) Ibid. Expos. Ind., p. 76.

Vocem istam ordinariè per verba figurativi sensûs expressiva Septuaginta interpretantur.

ZIZANIA.

Definire facile non est, ait D. Taylor, utrùm per vocem *zizania*, S. Matth. 13, Salvator indifferenter intelligat omnes plantas, quæ inter frumentum crescunt, vel aliquam tantùm particularem speciem. Certi omnes sumus ex parabolæ adjunctis eam esse plantam quæ frumento altitudine par est. Mintertum citat Parkhurstus, juxta quem planta est specie à frumento non absimilis, quæ primò idem calami genus, eamdem viriditatem habet, sed ullum, bonum saltem, fructum non profert. Addit etiam ex Joanne Melchoir, zizanium non omnem significare noxiam herbam in genere, quæ inter frumentum crescit, sed quamdam particularem speciem, in Chanaan notam, quæ à frumento absimilis non erat, sed, ubi terræ mandata erat degenerabat, aliamque naturam et formam induebat. *Zonim* eam vocant Talmudistæ (1), cujus sonus, cùm pronuntiatur, eumdem esse ac zizania ostendit, nosque ad veram hujus vocis derivationem perducit; scilicet ex Chaldæo *zên*, genus aut species frumenti; unde corruptum Hebræum aut Syriacum *zizana*, quod in veteri Syriacâ versione, Græco zizania apprimè respondet. S. Matth. 13, 25 et seq. Inter noxias herbas, ait Johnson (2), folium album primum locum tenet, folia profert frumenti vel hordei similia, sed duriora, cum longâ spicâ pluribus parvis spicis compositâ, quarum unaquæque duo aut tria grana, frumenti granis minutiora, continet; aliquâ vix paleâ cooperuntur, unde facilè grana excutiuntur et diffunduntur. In agris simul cum frumento, et hordeo crescunt, oriuntur et florent cum frumento semenque augusto mense maturescit. DARNELL, *lolium album*, vocatur *zizania* in linguâ Arabicâ. Hujus ultimæ assertionis veritatem contendit Parkhurstus, ex Castell argumentis, existimatque *darnell* lolium album, meliorem esse vocis Græcæ translationem quàm TARES, *zizania*, quanquàm in septentrionali Angliæ parte *darnell* adhuc nomine TARES, *zizania*, designent.

Forskal, à D. Taylor citatus, ait DARNELL, *lolium*, Aleppi incolis esse notissimum. *Inter frumentum crescit;* ejus si semina cum similâ mixta remanent, ebrium faciunt quicumque hoc pane vescitur. *Herbam non separant messores, sed post trituram, grana ventilabri cribrivi ope rejiciunt.* Nihil clarius in lucem emittit plantam à Domino nostro intentam, ait D. Taylor, quàm hùc excerpta : *Crescit inter frumentum;* ita in parabolâ. *Herbas non separant messores :* ita in parabolâ. Ambo simul crescunt usque ad tempus messis. *Post trituram eas separant;* in parabolâ, colliguntur ex frumento, et ope manuum separantur, et in fasciculos alligantur. *Grana*, si qua remaneant, *ventilabro tandem separantur :* eâ igitur agendi ratione præparantur ambo ut colligantur, frumentum scilicet in horreum aut apothecas, noxiæ verò plantæ in tumulos ad comburendum, ut igne sicut noxiæ herbæ consumantur (1).

(1) *Halach* 1, tract. *Kilaim* 1.
(2) *Herbal*, fol. p. 78.

MELUCH, SEU MALVA.

Vox *meluch*, *mallows*, id est, *malva* versionis nostræ, in Job solummodò occurrit, 30, 4, ubi, loquens de quorumdam, qui se nunc derisui habebant, miserabili olim conditione, ait patriarcha : *Qui cædebant malvas juxtà rubos, et juniperi radices in cibum suum.* Remisso lectore ad ea quæ de junipero diximus, pro generalibus quibusdam de loco isto notionibus, ibi tantùm addemus ex Parkhursto nomen ipsum indicare vegetale, de quo agitur, radium esse gustu subsalsam. Addit ille, ex Scott, Arabiæ deserta salinariis particulis abundare, quæ paucis audacibus plantis, ibi viventibus, subsalsum amarumque gustum communicant. Existimat Bochartus particularem arbusculam, quam Græci ἅλιμὸς, Romani verò *halimus* vocant, intendi; primò, quia Syri nunc adhuc illam eodem nomine vocant; secundò, quia utrumque Hebraicum græcumque nomen relationem dicit ad salsum gustum, quem Arabes plantæ istæ tribuunt; tertiò, quia sicut *meluch* describitur cibus esse pauperis in Job, ita de halimo est apud Athenæum; quartò, quia Septuag. vertunt *meluch* ἅλιμα; postremò, quia describitur in Job ut carptum super rubum, quod accuratè congruit iis quæ dicunt Arabici scriptores de *meluch* aut *halimo*, scilicet ejus capita ab ipsis comedi (2).

MANNA.

Remissis nostris lectoribus ad Exod. 16, 1, ubi narratur quomodò Deus mirabiliter hanc substantiam in cibi supplementum largitus sit, et circumstantiæ exponuntur quæ mirando huic dono sunt connexæ, ad id jam devenimus, ut quæ de re ipsâ à nobis sunt collecta statuamus.

Ad describendam hanc substantiam statuit sacer scriptor, eam esse *minutum quoddam et rotundum, in similitudinem pruinæ super terram*, Ex. 16, 14; esse è *quasi semen coriandri, album, gustumque ejus quasi similæ cum melle*, vers. 31; *et colorem quasi bdellii*, Num. 11, 7. Ex hâc descriptione plurimi intulerunt scriptores manna, de quo narrat Moyses, eamdem esse substantiam ac illa quæ nunc in Arabiâ Petræâ et locis adjacentibus invenitur; quæ regio arena fuit eventûs de quo hìc agimus. Quod narrat eâ de re Burckhardtus transcribere libet :

« Wady El Sheikh, in montis Sinai peninsulâ, pluribus in locis densè repletur tamarinis, aut *tarfa ;* « hæc est unica vallis in peninsulâ, ubi arbor ista « inveniatur, tunc temporis, copiosè abundans, licèt « parvæ hujus generis arbusculæ in aliis partibus passim occurrant. Ex tarfâ obtinetur manna, valdèque « mirum est rem istam in Europâ ignotam remansisse, « donec D. Seetzen de eâ mentionem fecerit in brevi « notâ *Itineris sui ad Sinai*, quod editum est in opere, « cui titulus : *Fodinæ Orientis.* Substantia hæc à Be-

(1) *Biblica Ordinatio*, p. 19.
(2) *Hierozoicon*, vol. 2, p. 174-175.

« duinis *manni* vocatur, et accuratè similis est de-
« scriptioni manna in Scripturis datæ. Mense junio, « manna istud ex tamarini spinis guttatim defluit in « delapsos surculos, folia et spinas, quibus semper terra « cooperitur sub hâc arbusculâ, in statu naturali; « colligitur ante solis ortum, quando coagulatum est; « dissolvitur enim statim ac solaribus radiis collu- « stratur. Arabes mundant illud foliis, pulvere, etc., « quæ ei adhærent, decoctumque et crasso linteo « saccatum, in coriaceis pellibus ponunt, quo modo « illud ad usque proximum annum servant, et eo ut « melle utentes, in azymos panes suos effundunt, vel « in eo panem suum intingunt. Scire non potui eos ex « eo manna unquàm panes vel placentas confecisse. « Manna invenitur in annis tantùm quibus copiosæ « deciderunt pluviæ, aliquando nullomodo, ut probabi- « liter anno hoc accidet, producitur. Nullum ejusmodi « manna vidi apud Arabes, sed parvulam anni proxi- « mè elapsi proventûs particulam obtinui in mona- « sterio ubi, cùm infrigidâ umbrâ et moderatâ hoc in « loco cœli temperie servatum fuerat, omninò soli- « dum factum fuerat, parvulumque panem efficiebat; « ubi verò aliquantisper in manu retentum, emol- « litum est; si radiis solaribus objectum quinque « minutas, dissolvebatur; sed in frigidum locum « restitutum, quartâ horæ parte, solidum rursùs fie- « bat. Quo tempore illud colligunt Arabes, illum nun- « quàm duritiei statum obtinet, quo possit pilo tundi, ut « Israelitæ manna suum tundere dicuntur in Num. 11, « 8. Colore est obscurè flavum, gustu gratum, sub- « aromaticum, et suave sicut mel. Ubi copiosè esum, « leviter purgativum esse dicitur..... Illud maxima « quæ sua profert regio cupedia Arabes habent. Mes- « sis eorum mense junio ordinariè fit, sexque circi- « ter hebdomadas perdurat; mense maio, aliquando « incipit.

« In Nubiâ et in quâlibet Arabiæ parte, tamarinus « una est ex communioribus arboribus; juxtà Eu- « phratem, vel Astaboram, in omnibus Hedjaz et « Bedja vallibus copiosissimè abundat, nusquàm ta- « men illam manna proferre audivi, nisi in monte Si- « nai; fateor tamen de eo à me alibi non esse inquisi- « tum, et nihil forsan de illo hìc edoctus fuissem, « nisi repetitis quæstionibus de manna, eâ mente « ut ad Scripturarum explanationem prodesset inqui- « sivissem..... Animadvertit quoque Niebuhr (qui suo « solito candore et veracitate fatetur se in suâ ad mon- « tem Sinai peregrinatione, de manna inquirere obli- « tum esse), manna in Mesopotamiâ pluribus arbori- « bus ex quercuum specie produci. Idem mihi assertum « est à cujusdam Turcicæ matronæ nato, de quo in « præcedenti paginâ, qui magnam adolescentiæ suæ « partem Erzeri in Asiâ Minore transegerat : narravit « igitur mihi Moush, quæ est urbs trium vel quatuor die- « rum itinere ab Erzero distans, ex arbore substan- « tiam colligi, à quâ fel producitur, peninsulæ manna « gustu et consistentiâ prorsùs similem, eâque in lo- « cum mellis uti incolas (1). »

(1) *Itin. in Syriam*, etc., p. 599-601.

In multis profectò conveniunt vegetalis substantia dicta nunc *manna*, et illud manna quo Israelitæ in solitudine vescebantur. Utrumque parvis globulis cadebat in terram, solis æstu dissolvebatur, gustu mellis simili erat; utrumque firmam consistentiam obtinebat, quando à solaribus radiis amovebatur.

Sed non obstantibus his similitudinis characteribus. prætermittendum non est alia esse in quibus istæ duæ substantiæ ita graviter discrepant, ut inquiri posset, quin multiplicentur in tali casu miracula, utrùm illud pro certo statuerimus de quo loquitur Moyses. Doctissimus Abarbanel, inter alias rationes cur vulgare Orientis manna illud esse non possit de quo loquimur, has enumerat : Verno tantùm tempore decidit vulgare manna, Israelitarum verò manna omnibus anni mensibus decidebat; vulgare manna non fœtet, nec vermes generat, sicut illud, quandò usque ad manè servatur; molâ vel pilo tundi nequit, ita ut ex eo panes fiant, ut illud poterat; medebile est et purgativum manna vulgare, nec, ut illud, in victum et nutritionem transire potest; Israelitarum manna duplici copiâ sextâ die decidebat, et minimè in sabbato quod evidenter accidisset, si naturali modo id fieret; Israelitas in omnibus suis peregrinationibus secutum est, ubi tentoria defixerunt, eoque præcisè anni tempore cessavit, quo alterum decidere solet scilicet mense martio (probabiliùs aprili), quandò Israelitæ ad Galgala pervenerunt. Quæcumque fuerit ista substantia, ait doctor A. Clarke, nihil erat solitudini commune. Evidenter patet illud anteà ab Israelitis visum non fuisse; dicit enim Moyses, Deut. 8, 3: *Dedit tibi cibum manna quod ignorabas tu et patres tui;* et probabilissimum est nihil ejus generis visum fuisse anteà; quia verò vas eo refertum in arcâ fuit positum, æquè, ut probabile est, nihil ejus generis unquàm postea apparuisse, ex quo miraculosè concessum in solitudine supplementum cessavit. Pro præsenti rerum conditione creatum fuisse videtur, addit idem scriptor, et, sicut ille cujus typus erat, unicam fuisse generis rem, unicum de cœlo panem quem unquam dedit Deus ad servandam hominis vitam: sicut Christus est panis qui de cœlo descendit et pro mundi vitâ datus est (1).

Interpretes nostri, unà cum Luthero, Deodati, Leclerc, Houbigant, Dathe, unusque vel duo alii inauditam sanè et inintelligibilem narrationis hujus vers. 15, versionem dederunt : *Et quandò filii Israel id viderunt, sibi invicem dixerunt : Hoc est manna; nam quid esset nesciebant.* Hebræum est simpliciter : *Quid est hoc?* sicque Septuaginta et omnes antiquæ versiones, unâ exceptâ, illud intellexerunt. Expressè ait Josephus (2) : Nunc Hebræi cibum hunc *manna* vocant; nam particula *man* in nostrâ linguâ, interrogativa est, *quid est hoc?* Kennicott igitur ait : Verba sic litteraliter transferantur : *Dicebant unus ad alterum: Quid est hoc?* Nesciebant enim quid esset. Ex

(1) *Comment.* in loco.
(2) *Antiquit.*, lib. 3, cap. 1, § 6.

hâc interrogatione *man*, quæ in Chaldæo nunc significat *quid?* manna nomen postea sumpsit.

Psalmista hoc manna supplementum et coturnices intendens phraseologiam admittit quæ clarè implicat miraculosum ejus characterem : *Mandavit nubibus desuper et januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo ; cibaria misit eis in abundantiâ.* Ps. 77, 23 et seq.

Hunc articulum claudemus excellentissimâ D. Bloomfieldi in Joan. 6, 31-33 (1), notâ ; qui locus primâ fronte Psalmistæ textui contradicere videtur : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Contendunt quidam hâc responsione Jesum in animo tantùm habuisse Judæorum opinionem de manna origine repellere, et idcircò dicebat panem quem eorum Patres à Moyse receperunt è cœlo non venisse, sed naturali tantùm viâ confectum fuisse. Atverò alium hoc loquendi modum requireret. Videtur potiùs Jesum, cujus mens erat errores longè graviores removere qui etiam ad hominum mores pertinebant, vulgarem loquendi modum secutum esse ; itaque seipsum sapientissimè innoxiæ eorum opinioni accommodans, ut minimè necessariam eis dare offensionem devitaret. Sic paraphrasi explanari potest iste locus : Panem de cœlo, verè cœlestem panem in patres vestros non effudit Moyses : præstitit tantùm eis panem quo satiaretur corporalis appetitus, quique ad hanc fugacem tantùm, transitoriam vitam pertinebat (vide vers. 49) ; sed Pater meus in vos per me effudit panem, qui in completissimo sensu panis de cœlo dici potest ; datus est enim in cibum animæ, æternamque salutem conferet (vers. 33). Dicit se Jesus verè cœlestem panem, eò quòd cùm è cœlo descenderat, in homines animæ cibum effundebat, divinas nempe et salutares Evangelii sui veritates (kuinoël). Cùm igitur manna panem esse de cœlo in sensu proprio supponebant, eorum erroneam notionem emendat Jesus, eis insinuando verum cœlum hìc per catachresin usurpari pro aere aut firmamento, sicut cùm dicitur volucres cœli, id est, aeris : quasi diceretur : Sicut iste panis ex alto descendens, eos alebat qui ejus erant participes, sic et ego ; sed ille ex aere erat, ego autem ex vero cœlo sum ; iste corpora alebat, ego verò animas hominum sustento et confirmo. Domini nostri declarationis sensum esse existimat D. Bloomfield, quòd in subordinato sensu tantùm id quod è nubibus guttatim decidebat, et in corporum, adhuc mortalium alimentum emittebatur, panis cœli vocari poterat, cùm typus esset solummodò ejus qui de cœlo cœlorum descendit, ut immortales animas in æternam vitam aleret, quique idcircò est in sublissimo sensu, panis cœli.

(1) *Recens, synopt. annot. sac.* in loco.

CAPUT V.

VEGETALES SUBSTANTIÆ.

SECTIO PRIMA.

LIGNA.

THYLA.

De ligno hoc mentio fit in Apoc. 18, 12, inter varia ad luxum pertinentia, in recentiorum temporum Babylonem illata. Ejus nomine indicatur lignum odoriferum, et ita sanè apud Homerum exhibetur : *Et ignis ex odorifero ligno, cedro, thyinoque latè insulam suavissimis odoribus perfundebat.* Odys. 5.

Dicit Theophrastus *Thyam* crescere juxta templum Jovis Ammonis in Africâ, in Cyrenaicâ, cupresso similem esse ramis, foliis, trunco, fructu, lignumque esse incorruptibile. Magni fiebat apud Paganos, qui ex eo sæpè templorum januas et deorum simulacra conficiebant (1).

CASIA.

In Exod. 30, 24, præscribitur *casia* quasi unum ex iis quæ in conficiendo sacro unctionis oleo adhibenda erant. Cortex est arboris ad lauri familiam pertinentis, quæ nunc in orientali Indiâ præcipuè crescit. Cortex iste veteribus notissimus, et ab eis magni fiebat, sed ex quo cinnamomi usus generaliter prævaluit, casia in contemptum venit, eò quòd inferior reputetur. Crassior est enim et densior quàm cinnamomum, minoris pretii, viscosâque et muccilaginosâ materiâ magis abundat. In multis tamen, cùm longè minoris sit expensionis, casia cinnamomi loco adhibetur, et præsertim in præparatione ejus quod dicitur oleum cinnamomi (2).

Casia una erat ex mercium speciebus in Tyri emporiis, Ezech. 27, 19. Casia de quâ in Psalm. 45, 8, expressum è cortice oleum vel *essentia* esse reputatur.

CINNAMOMUM.

Unum quoque erat cinnamomum ex iis quæ in confectionem sacri unctionis olei ingrediebantur (Exod. 30) ; sed nullo modo certum est utrùm foret ejusdem arboris cortex, ac illa quâ nunc vulgò utentur. In orientali Indiâ tantùm et apud Sinas reperitur, quibuscum dicere necesse non est nullas extitisse relationes, quo tempore vivebat Moyses. Plinius loquitur de cinnamomi specie, quæ nascitur in Syriâ et probabiliter cinnamomo Ceylan cedebat.

De arbore cinnamomo mentio fit inter alia aromata in Cant. 4, 14 ; et cùm nullo modo improbabile est Salomonem quædam ex istis aromatibus ex Indiâ detulisse, sequens illius arboris descriptio hìc extra locum non erit.

Pretiosa hæc laurus ad viginti circiter pedes in altum surgit : trunci longitudo ad sex circiter pedes extenditur, diametrosque sesquipedalis est. Numerosos emittit ramos, qui plano cortice induuntur, cujus

(1) Parkhurst. *Græc. Lex.* in voce. Vide quoque Wetstein, et comp. Plin. *Hist. nat.*, lib. 13, cap. 16.
(2) Bingley, *Utilis notit.* vol. 2, p. 117.

color subrubrè cinereus est; stant frondes in paribus oppositis, brevi ramusculo inhærentes; forma ovata, oblongaque est, et in obtusum acumen desinit; integræ sunt, firmæ, à tribus ad quatuor uncias longæ, clarè virescenti colore tribusque longitudinalibus subalbis nervulis insignitæ. Communes pedunculi ex junioribus ramis oriuntur, divisique florem in modum paniculatæ umbellæ producunt. Sex sunt petalia, ovata, acuminata, concava, expansa, subviridè albo vel subflavo colore, tresque remotiores cæteris sunt latiores; novem sunt stamina, corollâ breviora, subplana, erecta, ternariè stantia, et ad imam partem cujusque trium interniorum duæ stant rotundæ parvæ glandulæ; antheræ duplices sunt et in summo stamine adunatæ; oblongum germen, stylus simplex, stamini longitudine par, stigma verò depressum est, et triangulare. Fructus est pulposum pericarpium, parvulæ olivæ, cæruleo saturatiore colore, simile, in corollà incertum, oblongamque nucem continet.

Cinnamomi usus ad corticem non restringitur. Conspicuum est enim folia, fructum, radicemque æquè oleum, qualitatibus longè diversum, et pretiosissimum reddere: quod ex foliis exprimitur *caryophilli oleum* dicitur, et *oleum malabathri*; quod ex fructu fragrantissimum est, crassum et consistens, in Ceylan in candelas confingitur, ad unius regis usum. Radicis cortex non tantùm aromaticam affert *essentiam*, seu quod vocatum fuit *camphoræ oleum*, quod magni pretii, ob suum medebilem usum, reputatur, sed et etiam camphoræ speciem, quæ multò purior et candidior est quàm quod in tabernis servatur.

Aroma nobis adeò notum sub nomine cinnamomi, interior est arboris hujus cortex, eæque arbores illud in perfectissimo statu producunt quæ sexennes vel septennes sunt; sed id pro circumstantiis variare necesse est.

Cortex, cùm adhuc arbori inhæret, suâ externâ subviridi pelliculâ nudatur, tunc longitrorsùm incisus, et ex arbore detractus, in arenâ siccatur, donec ad emporium idoneus fiat, quod evenit ubi subrubrè flavo, vel pallido rubiginosi ferri colore factus est, tenuissimus, exilis, et in calamos vel cannas convolutus, quæ paululùm durâ et fibrosâ texturâ sunt. Casiâ frequenter commiscetur, quæ gustu suo sensibiliter viscoso à cinnamomo distinguitur. Cortex iste unum est ex gratissimis aromatibus; fragrantissimo odore, moderatè pungens, gustu acri, non tamen igneo, cui accedit insignis suavitas, et aliquis (1) astrictionis gradus.

SECTIO SECUNDA.

FRUCTUS.

NUCES.

De iis mentio fit inter varia quæ à filiis suis sumenda et munera Ægypti Præfecto, quem suum esse natum nesciebat, deferenda voluit Israel, Gen. 43, 11. Existimant Bochartus, Shaw, et quidam alii pistacii nucem hìc intendi, quæ pulchrior in Syriâ quàm ullo mundi loco invenitur; sed juxtà alios cujusdam terebinthi speciei fructus erat, quæ à quibusdam pistacio anteponitur, amygdaloque à quibusdam superior habetur. Terebinthi hujus speciei Arabicum nomen est *beten;* quæ vox in loco de quo nunc agitur occurrit (1).

(1) Woodville, *Med. Bot.*, vol. 1, p. 80, etc.

SILIQUÆ.

Admittendum nunc esse videtur ex Syriacâ versione, Grotio, Brown, Sauberto et Bocharto, ait D. Bloomfieldus, vocem, *ceration*, designare non ciceres aut fabas, sed fructum ceratoniæ, vel siliquæ, communis in Hispaniâ, Italiâ, Turcico imperio et Oriente, ubi fructus iste ad eosdem usus nunc adhibitur ac in S. Lucâ refertur, 15, 16. De eo loquitur Galenus tanquàm de lignoso alimenti genere, bilem generante, et ad coquendum necessariò gravi. Sir Thomas Brown primus habetur vegetalis speciem hìc intentam detexisse, cùmque totam hanc materiam modo quàm quilibet alius completiore gratioreque tractaverit, et opus ipsum non frequenter occurrat, scriptor modò citatus, hæc excerpta tradit.

Quòd prodigus cupiebat edere de siliquis quæ porcis dabantur, haud facilè vobis in mentem veniet ibi de fabarum cicerumve aut ejus generis edulium siliquis agi; intelligitis enim textûs vocem κεράτιον propriè designare siliquæ fructum, tàm frequentem in Syriâ, et quo homines et bestiæ vescuntur. A quibusdam etiam intelligitur fructus locustæ arboris, seu panis sancti Joannis, quia existimant eum partem fuisse victûs sancti Joannis in deserto. Non in Asiâ tantùm et orientalibus partibus frequens adest arbor ista et fructus, sed et notissimus est in Apuliâ et Regno Neapolitano, crescitque secùs Viam Appiam à Fundi ad Mola: Dura valvuli et siliquæ se invicem percutientia, ventoso tempore, strepente sonitu resonant. Ab Italis vocantur *carobbe*, vel *carrobole, siliquæ*, et à Gallis *carouges*. Eorum suavi pulpâ Indi, à quibusdam Zimgiberi, mirabolana et moschatas nuces servare existimantur. Ex iis, si fides Plinio, vini speciem quamdam veteres conficiebant, succo fortiter expresso; atque ita siliquarum expressas, minùsque utiles partes et relictam pulpam sæpè suis porcis dare poterant; quæ cùm nec gustu desererentur, nec injucunda offa essent à prodigo fame pereunte cupi (2) potuerunt.

Istis adjungemus, ex D. Taylor sequentem hujus arboris descriptionem et quasdam quoque fructûs particulariores notiones.

Fervido situ feliciùs venit arbor ista, procerissima fit, crasso stat stipite et validos, amplos solidosque ramos expandit. Folia alarum formam habent, leviter subrotunda, tribus unciis vel ampliùs lata, et paulò longiora. Flores lacteo sunt colore, fructus in siliquis includitur, digito longioribus, crassioribusque; paululùm complanatus et planus, suavis edulisque. Juxta Dioscoridem fructus, ubi novus recensque est, stoma

(1) *Script. illustr. Expos. Index*, p. 32
(2) *Recens. Synopt. Annot. sac.* vol. 2, p. 418, 419.

cho molestus est, et viscera relaxat. Idem à Plinio audimus. Ægyptii, juxta Alpinum, suavissimum ex istis siliquis mel extrahunt, quo Arabes in condiendo sacchari loco utuntur. Usuale quoque est mel istud loco mellis apum in clysteribus; et à quibusdam in modum cibi ad relaxanda viscera datur. Probabile est igitur prodigum ex hoc fructu, urgente fame comedisse, ut de glandibus in Angliâ fit (1).

SECTIO TERTIA.

GUMMI.

INCENSUM.

Aromaticum hoc et odoriferum gummi, ab arbore haud certè notâ, et à veteribus *thuriferâ* dictâ oriebatur. Si fides Theophrasto, folia ejus piri foliis similia sunt. Varius est Plinius in suis descriptionibus, aliquandò Theophrasto consentaneus, sed aliàs illam arborem lauri esse speciem vel etiam terebinthi statuit.

Duplex est incensi species, masculum et feminum. Prius et optimum, rotundum est, album, pingue et ad exardescendum facile; posterius verò molle, gummosius odoreque minùs jucundum quàm alterum. Incensum unum erat ex iis quibus conficiendum erat sacrum unguentum. Ex. 30, 34; Is. 9, 6, et Jer. 6, 20, discimus illud è Sabâ in Judæam devectum fuisse.

Unum erat ex sacerdotalibus officiis, sub veteri lege, incensum adolere in loco sancto templi quoque die, manè et vesperè, et in solemni expiationis die, cùm intrabat in sanctum sanctorum, summus sacerdos, incensum super ignem in thuribulo suo ponere jussus erat, ut nebula fumi inde orta operiret propitiatorium, Lev. 16, 13, ne fortè curiositate motus, profanâ nimis curiositate ad divinæ hoc præsentiæ symbolum inspiciendum induceretur.

GALBANUM.

Juxtà ea omnia quæ hìc à nobis recensentur, galbanum in confectionem sacri unctionis olei, aut sacri thymiamatis, ut describitur Ex. 30, veniebat. Gummis est oriens ex umbelligerâ arbusculâ quæ in Perside et pluribus Africæ locis occurrit. Quasi cera mollis est, et, ubi recens expressa, alba; sed postea subflava, vel subrubra fit. Gravis est odore, gustu acris et subamara, in modum resinæ ad exardescendum facilis, et quasi gummis aquâ solvitur.

MYRRHA.

Hæc quoque vegetalis est productio, ex gummis vel resinæ genere, per incisionem et aliquandò sponte suâ fluens è trunco et majoribus ramis arboris, quæ in Ægypto, Arabiâ et Abyssiniâ invenitur. Gustu acris et amara est cui peculiaris aromaticus, sed nauseosissimus accedit sapor; odor, etsi gravis, injucundus

(1) *Script. illustr. Expos. Ind.* p. 202.
(2) Parkhurst., G. Lex., sub voce.

non est. Hebræum ejus nomen *mur*, undè modernum nomen descendit, evidenter ex verbo *mer*, *amarum esse*, ob ejus gustum, deducitur (1).

Myrrhæ vim inesse putrefactioni resistendi creditur, undè à Judæis et Ægyptiis adhibita est, quasi unum ex præcipuis, quæ in condiendis corporibus mortuorum inserviebant. S. Joan. 19, 39 (2).

Aliquam esse Matth. 27, 34, inter et Marc. 15, 23, discrepantiam existimatum fuit. In priore loco statuitur *acetum felle mixtum* à Judæis Salvatori nostro potum esse datum; in posteriore verò, *myrrhatum vinum*. Ad removendam hanc apparentem discrepantiam suppositum est Evangelistas de duabus variis potionibus loqui (3) vel Matthæum qui Syriacè scripsit, verbo, *mer*, usum fuisse, quo quoddam amarum condimentum significatur, quod ejus translator falsè pro *mur myrrha* sumpsit (4). Minimè nobis necesse videtur ad istas conjecturas confugere, ut prædicta Evangelistarum loca concilientur. Ostendit Grotius argumentis quibus irrefragari non potest, vocem, *oxos*, quâ utitur Matthæus, non *acetum* sed multò inferiùs vinum significare, quo plebecula tantùm utebatur. Ex suo acore sic vocabatur; quapropter in usu semper myrrhâ incenso, et absinthio aliquandò sedulò condiebatur. Hanc igitur potionem, *vinum myrrhâ mixtum*, vel *myrrhatum vinum* vocat Marcus; et ità sanè impropriè vocari poterat. Ex Galeno apparet hanc potionem turbationis mentalis causam esse. Inde, vinum myrrhâ aut herbis inebriantibus mixtum vulgò, humanitatis gratiâ, his administrabatur qui dolorosam mortem sustenturi erant. Jesus tamen hanc dolorum suorum mitigationem forti animo repulit, et idcircò, ut gustavit, vas rejecit (5).

Ex Cant. 1, 13, videtur mulieres in quibusdam Orientis regionibus sacculos vel loculos myrrhæ secum deferre; hoc enim indicat loci hujus sensus: *Fasciculus, vel loculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Quoad quasdam annotationes in Cant. 5, 5, ubi sponsa ait: *Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ,* remittitur lector ad ea quæ observavimus in balsamum.

STACTE.

Vulgò hæc prima myrrhæ species habetur. Vox in textu originali est *neteph*, Ex. 30, 34, cujus sensus proprius est *gutta;* et inde existimat D. Parkhurstus myrrham esse destillantem, guttatim et spontè ab arbore, absque incisione, decurrentem. Scheuchzer verò balsamum hìc intendi contendit, quod propriè loquendo *gutta* est.

(1) Parkhurst., *Gr. Lex.*, sub voce.
(2) Comp. Herodot., lib. 2, cap. 86.
(3) Edwards, Jones, et cæteri.
(4) Doctor Harris. *Hist. nat. Myrrha.*
(5) Vide Bloomfield in loco.

PARS TERTIA.
ZOOLOGIA.

Etsi homo, cùm sit ipsa Dei imago, decoris gratiam, et mentis ardorem revelet, impressamque in fronte divinitatem gerat, — bruta, pennatique aeris incolæ; insectorum tribus et turba squamosa, quæ suam liquidam volatu viam percurrit, Deum proclamant! Aspice leonem, cùm è latibulo suo igneos volvens oculos exilit; vel ursam audi, cùm horridis oculis solitudinem gelu coopertam percurrit, aeremque suis tremendis ululatibus implet; vel vide Leviathan, altum mare ab imo commovens, fluctusque in procellas exagitans; vel tandem attende ad regiam aquilam quæ summum cœlum penetrat, obnitentesque nubes perfrangit! Magne Deus! hæc tuî scintillam mortalibus oculis ostendunt!

(MONTGOMERY.)

CAPUT PRIMUM.

HOMO.

Ubi primùm increatus creavit hominem,
Vividumque in imaginem effluxit decus,
Dùm nuda ejus gratia spirantem terram premeret,
Quot sublimes ejus ortum proclamabant vires!
Serenè superba, ignea ejus frons insitam etiam gerebat
Libertatem, quâ immortalis Dei hæres frui debebat!

(ROB. MONTGOMERY.)

Physicum moralemque hominis characterem investigare, totamque ejus ab incunabulis ad sepulcrum historiam prosequi, qualis in sacris Scripturis evolvitur illustraturque, opus foret æquè gratum, et ad docendum idoneum. Ejus origo, natura, character, officia, labores, obligationes; calamitatum ejus, necnon et felicitatis fontes, ultimus existentiæ finis ex sacris Scripturis sufficienter stabiliri possunt. Sed ut tam latè patens inquisitio fusè suscipiatur, volumen, non verò caput requireretur: id unum igitur ad summum attentare possumus, scilicet ut quædam ex iis particularibus seligamus.

Notanda sunt quædam de primo hominis nomine. *Adam*, quod fuit appellativum humanæ naturæ nomen, generaliter deducitur è voce quæ *vegetalem terram seu pulverem* significat, quia homo terræ pulvere formatus est.

In Gen. 4, 26, justus Seth suum primogenitum vocat *Enoch* (miserum) propter infirmum miserumque hominis statum super terram, ex quo in Deum peccavit. Notandum est eo vocabulo generaliùs vocari humanum genus in Scripturâ, sedulaque ad ejus significationem attentio magnam quibusdam Scripturæ locis, quæ aliter plenè intelligi nequeunt, lucem afferet. Sic: *Pone, Domine, terrorem eis; ut sciant gentes homines esse se*, Ps. 9, 21, transl. ex Hebr., id est, infirmas, fragiles, miserabiles creaturas.

Quoad originem et complexum hominis characterem, decretorium est Scripturæ testimonium. Creatus in gloriosam Conditoris sui imaginem, Gen. 1, 27, quæ supereminenter *in justitiâ* et *sanctitate veritatis* consistebat, Eph. 4, 24; et secundariò, in intellectualibus suis dotibus, Col. 3, 10, et ipsi delegatâ in cuncta animantia inferiora potestate, Gen. 1, 28, 29; 9, 2, 3, *homo* nobilissimum creatricis Dei potentiæ monumentum incedebat. Variis animalium generibus corporeâ suâ organizatione connexus, ab iis in infinitum inteligentis immortallisque animæ possessione removebatur. *Minuisti eum paulò minùs ab angelis, gloriâ et honore coronâsti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus..... Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!* Ps. 6 et seq.

Animalis intellectualisque hominis vita intimata esse supponitur in Gen. 2, 7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in nares ejus* (Vulg., *in faciem ejus*) *spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.*

Activa et potentissima vis quæ aliquo modo omnem organizatæ materiæ formam, sed apertiùs et magis præcipuè sensitivas creaturas animat; ex quâ identitas individualitasque entis pendet; quâ deficiente, forma individualis cessat, organa relativam suam connexionem amittunt, leges chronicæ, quas superior ejus auctoritas antea compescuerat, actionem suam exerunt, totumque systema in sua primaria elementa decompositum fit et resolutum ea sapientissimi cujusque et optimi inter humanum genus, in cunctis mundi ætatibus, inquisitione movit. Sed necesse non est nos etiam advertere ad innumeras theorias quæ de hâc re statutæ sunt, scopus noster est scripturales aliquot intimationes detegere, atque detectarum cum scientiæ inventis consensionem ostendere.

In animum sibi revocabit quisque Bibliæ lector, vitam in Moysis scriptis generaliter exhiberi tanquàm *in sanguine* consistentem; quâ de ratione, peremptoriè prohibebatur ne Israelitæ liquorem istum quâcumque sub formâ comederent, et idcircò insuper, ut expiationis medium statuebatur: *Homo quilibet de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo,* QUIA ANIMA CARNIS IN SANGUINE EST, *et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et*

sanguis pro animæ piaculo sit, Lev. 17, 10. Nova tamen ea doctrina non erat; inter patriarcharum ritus locum habuit, Gen. 9, 4; unde à Persis, Indis et aliis orientalibus gentibus remotissimæ antiquitatis deducta est. Apud verò Græcos et Romanos, si quid juvare potest poetarum auctoritas, hanc hypothesim stare nunquàm desivisse existimaremus : *Purpurea* enim *mors* Homeri, et Virgilii *purpurea vita*, communes sunt inter eorum loquendi modos.

Nostris autem temporibus, hæc hypothesis iterùm orta est, et ad meridianum etiam splendorem insurrexit, sub auspiciis quæ ei attentissimam à nobis considerationem demerentur. Harvey, cui plenam et perfectam sanguinis circulationis notitiam debemus, ortûs ejus *Phosphorus* haberi potest; Hoffman mox ad redivivam doctrinam conversus est : Huxam non tantùm ei adhæsit, sed eam tanto ardore prosecutus est, ut, in propriâ suâ opinione, immediatam sanguinis partem indagetur in quâ vitæ principium distinctè resideat, quam partem esse supponit rubras ejus particulas. Sed ab hoc verè originali physiologistâ Joanne Hunter, speranda nobis solummodò est systematis hujus, in præsentis diei favorem, plena perfectaque restitutio, vel in aliquo rationali fundamento erectio. Variis maximi momenti experimentis indefatigatus ille et accuratus observator ad id venit, ut modo prorsùs inconcusso probaverit sanguinem in longè majore gradu contribuere non tantùm ad vitalem actionem, sed etiam ad vitalem systematis materiam, quàm quælibet ex eo consistens pars, sive liquida, sive solida sit. Sed ultra adhùc processit ejusdemque generis rationibus ostendit sanguinem non solùm esse cæteris omnibus corporis partibus vitæ principium mediumque, sed ipsum etiam actu vividum esse. Difficultas, inquit ille, concipiendi sanguinem esse vitâ præditum in suâ circulatione, inde tantùm oritur quòd sit res liquida, nec menti nostræ familiaris est liquoris viventis idea (1).

Quanticumque sint momenti quæ ab Hunter collecta sunt, ea tamen de quâ agitur quæstionem penitùs non solvunt. Iis sufficienter quidem statuitur sanguinem esse vividum, sed non edocemur quid ipsi vitam conferat; è contrario iis perducimur ad inquirendum externum quoddam et superadditum principium : quod enim certo quodam tempore vivit, et alio tempore moritur, vita ipsa esse nequit. Inde sequitur neque physiologiam, neque chymiam, quantàcumque curâ et assiduitate his scientiis studuerint annorum proximè elapsorum doctores, sistere posse, vel evolvere fugitivum vitæ principium. Nobis forsan evolverunt causas quibus vita in animali formâ producitur et servatur, sed nihil de ipsâmet re nos edocuerunt. Ante oculos nostros instrumentum videmus, quidam etiam ex digitis qui in eo ludunt, nobis conspicui sunt, sed nihil prorsùs novimus mirabilis scientiæ quæ in vitalibus tubis manet, et vitalem harmoniam constituit (2).

(1) Hunter, *de Sanguine*, p. 20.
(2) Vide Good, *Liber Naturæ*, vol. 2, p. 243-246.

Hæc hominis anatomia attentos nos postulat.

Humana forma solidæ fluidæque materiæ ritè sibi consentientis et æquè ad suam quæque perfectionem contribuentis combinatio est. Vitale principium qualibus cumque consistat, in utrisque his materiis, apud quasdam species in majore, apud alias verò in minore gradu, existit. Quoad fluidas materias, D. Hunter illud in earum primario et infimo existentiæ gradu detexit; in chylo enim illud agnovit; et evidentibus argumentis constat illud plurimis ex iis quæ à corpore eliminantur, adhærere; inest in sanguine, ut jam diximus, in alto activitatis gradu, et probabiliter in altiore adhùc gradu, in nervoso liquore existit. In solidis æquè materiis variat; plurimæ sunt in quibus vix agnosci potest, nisi ex earum incremento, qualia sunt membrana cellularis et ossa; in cæteris internam perpetuam activitatem, seu ad externas impressiones susceptibilitatem invenimus. Sed in his irritabilibus fibrarum filamentis, quæ generalem musculorum, seu carnis animalium substantiam constituunt, vitale principium potissimùm se in modum maximi stupendum exerit (1).

Hominis anatomia, ait Galenus, sexcentos circiter musculos detegit, et si vel minimùm eos consideremus, nobis patebit decem varias circumstantias in unoquoque eorum à naturâ ordinatas fuisse, ut à se intentus finis obtineatur; hæ sunt : propria figura, conveniens et apta magnitudo, recta omnium finium dispositio, totius summa infimaque positio, legitimaque variorum nervorum, venarum, arteriarumque insertio, adeò ut in solis musculis sex ferè variorum consiliorum et intentionum millia concipi et perfici debuerint. Ducenta et quatuor cum octoginta esse ossa, et varia in uniuscujusque eorum structurâ consilia intexta ferè quadraginta esse supputavit ille scriptor; numerus igitur omnium undecim millia trecenta et sexaginta est! Quàm mirabilissima artificis explicatio in his etiam homogineis partibus! Si verò pellem, ligamina, venas, glandulas, humores, variaque corporis organa et membra consideremus, quantò major fiat admiratio nostra, pro ingenti numero et intricaturâ partium tàm artificiosè inter se compositarum!

Poterimusne mirandissimam hanc structuram intueri quin architecti potentiam sapientiamque demiremur? *Terribiliter et mirabiliter me fecisti* (2); *mirabilia operatur, et anima mea cognoscit nimis!* Ps. 138, 14.) Si autem ex animali hominis parte ad intellectualem convertamur, nostra admiratio in quantum corporeis organis et officiis præstant mentales facultates adaugebitur.

Præter percipiendi, cogitandi vel ratiocinandi facultatem infinitâ ferè aliorum attributorum facultatumque multitudine, ad sapientissimos beneficentissimosque fines inditorum, fruitur humana mens : conscientiâ, judicio, memoriâ et imaginatione, eligendi vel abnuendi facultate, admiratione et desiderio, spe et ti-

(1) Good, *Lib. Nat.* vol. 2, p. 249.
(2) Vulgata verò : *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus est.*

more, amore et odio, luctu et gaudio, exaltatione et timore, irâ, invidiâ et desperatione prædita est. Unaquæque verò ex istis facultatibus, ubi ad actum erigitur, respondentes in corporis organa producit effectus; undè oritur quod à pictoribus *expressio* vocatur, seu *vultûs lingua;* inde etiam sonus articulati, seu *labiorum lingua*; indè micat oculus corporisque habitum animat, inde sermonis energia et harmonicæ ejus periodi; vel inde è contrariò oculus tristitiâ et indignatione, vox autem gemitibus et amaris contumeliis repletur. Externa quæ sic producuntur signa, et internam emotionem exhibentia, reflexo vicissim influxu agunt, et in mente renovant sensus, qui sibimet ortum dederunt.

Variis in hominibus variè modificantur energica hæc principia, inque omnem variarum combinationum modum associantur. Unum aliquando ex ipsis et aliquando alterum et aliquando plurima simul consociata, modo peculiari fiunt activa, et cæteris dominantur. Effectus istos in variis casibus ex variis causis videmus, quales sunt peculiares naturæ, nec non et cœli, morum, consuetudinum aut educationis modi. Inde quoque moralis intellectualisque characteris ortus; peculiares cujusque hominis, vel totius nationis dispositiones, propensionesque. Indè quis naturâ violentus et alter mitis, unus perpetuæ tristitiæ obnoxius, alter spei et confidentiæ plenus; unus ad iram et ultionem pronus, alter omninò benevolus et philanthropicus, unus alacer et promptus, alter gravis et iners. Inde veteris Græciæ nimia elegantia et patriotismus, aspera Romanorum virtus et commercialis Carthaginis mens, inde etiam recentioribus ætatibus silentiosa laboriosaque Batavorum industria, equestris Hispanorum proximè elapsi seculi honor, à lethali morum Corsicorum febre intactus; inquieta Gallorum loquacitas astutaque ambitio; et tandem alta et heroica virtus, libertatis amor, generosus et ad ignoscendas injurias promptus animus, non mobilis honestas et altum eventorum studium, quibus peculiari modo insigniuntur Insularum Britannicarum incolæ.

Mentales ipsæ facultates numerosæ sunt et complexæ adeò ut eas in ordinem et analysim adducere valdè difficile sit. Doctor Good, cui immediatè præcedentes notiones debemus, novam distinctionem obtulit, casque in tria generalia capita hæc dividit: vires, facultatesve *intellectûs;* vires, facultatesve *electionis;* vires, facultatesve *emotionis.* Ad primum caput pertinent perceptionis principia, cogitatio, ratio, judicium, memoria et imaginatio; ad secundum eligendi vel rejiciendi facultas, seu adoptatâ veteri et significantissimâ, quæ nunquàm obsolescere debuisset, metaphysicâ locutione, *willing aut nilling*, *volitio* et *nolitio;* ad tertium verò, spes, timor, luctus, gaudium, amor, odium, ira et ultio, vel quodlibet aliud animum è tranquillo suo et quieto statu amovere potest.

Atverò ad quos usus vel fines ista extensiva complicataque humanæ mentis machina est intenta? Quas mutuas invicem partes implere debent variæ ejus facultates, et quibus mediis operari debent?

Triplex illis est finis, sub omni respectu maximi momenti, et mirum in modum aptus ad probandam omnipotentis architecti sapientiam et benevolentiam. Magni sunt fontes unde homo notitiâ, morali libertate et felicitate fit præditus; et ad sublimem entis rationalis et meriti vel demetiri capacis ordinem elevatur. Prima oritur ex intelligendi, secunda ex volitionis aut electionis facultate; tertia verò ex passionibus, seu moventibus viribus. Illud tamen ex animo nunquàm excidat hominem non posse sub ullo respectu, vel saltem ad notabilem extensionem, vel legitimum finem, unam vel alteram ex his facultatibus possidere nisi mens, ut individuus agens, suum proprium servet dominium, legitimumque in proprias vires dominationis gradum exerceat. Illud cuique obvium esse debet; et in harmonico hoc libramento, hâc æquâ directione et cohibitione consistere solummodò potest, seque exercere humani characteris perfectio. Nisi enim exerantur intellectûs vires, nulla esse poterit cognitio; nisi verò ritè dirigantur, etsi tunc esse possit cognitio, pejoris erit naturæ quàm ultima ignorantia; comedemusque non de misto ligno scientiæ boni et mali, ut stabat antè lapsum, sed de ligno scientiæ mali tantummodò absque ullâ boni unione vel participatione. Eodem modo, nisi voluntas et passiones æquali directionis gradui subjiciantur, mens independens, vel felix esse non poterit, mentale chaos ordinis locum tollet, et omnia confusa perturbataque fient (1).

Remanent tantùm indagandæ humanæ speciei varietates.

Ea sunt discrimina quibus dividuntur variæ magnæ familiæ partes, ut eam in varias classes ordinare naturalistis expedire visum fuerit; magnæque quinque sectiones in quas totus orbis dividitur, æquè naturale et facile classificationis systema suppeditant (2). Ista nobis obvia venit divisio, unà cum humanâ formâ sub quinque Europææ, Asiaticæ, Americanæ, Africanæ, Australianæque gentis capitibus, seu, ut à D. Blumenbach denominantur, Caucasiana, Mongoliana, Americana, Æthiopiana et Malysiana varietates.

1° Maximè symetricalis, et ideò elegantissima, humanæ formæ varietas est Europæa, perfectissimaque hujus varietatis lineamenta in Asiæ Minoris regione juxta Europæ fines occurrunt, undè originalis stipes delatus fuit. Notandum est hoc in orbis terrarum loco hominem fuisse creatum; ibi primum spiraculum vitæ accepit, et ad imaginem Creatoris formatus est. Typus divinum suum signaculum nondùm amisit; ibi enim nobis occurrit, et in quâlibet ætate occurrit (quantùm ad exteriores gratias pertinet) exquisitissimus symetriæ et pulchritudinis typus. Generalis Europææ seu Georgianæ varietatis color flavus est; genarum verò plus minusve ruber; caput globulare, facies recta et ovata; oris lineamenta moderatè distincta; frons leviter complanata; nasus arctus et leviter aduncus, genarum ossa non proeminentia, parvum os, labia

(1) Good. *Lib. Nat.*, vol. 2, ser. 3, lect. 8.

(2) Quæ sequuntur, selecta et ex ipsis quædam contracta, ex D. Good *Nat. lib.* ser. 2, lect. 3.

paululùm retrorsa, inferius præcipuè; mentum plenum et rotundum; oculi capillique varii; illi tamen plerùmque cærulei, hi autem flavi, vel subnigri et fluentes.

2° Asiaticæ color est subflavè fuscus vel olivarius, cum aliquâ vix coloris rubri apparentiâ, qui Europææ soli varietati addictus videtur; caput, nedùm sit globulare, ferè quadratum est; genarum ossa eminentia, generalis facies æquali planitie, oculi nigri parvique, mentum paululùm proeminens, capilli subnigri et rari.

3° Americana obscuri auri, rubiginosi ferri, vel cupri colore, caput minùs quadratum, genarum ossa minùs expansa, faciesque minùs æquali planitie quàm in Asiaticâ, oculi concavi, capilli nigri, erecti et densi. Hæc varietas medium Europæam inter et Asiaticam tenere videtur.

4° Africanæ, seu Æthiopianæ color à saturatiùs ferrugineo ad picem et perfectam gagatam variat. Arctum est caput, arcta facies, projecta versùs inferiorem partem; frons incurva, oculi projecti, crassus nasus, genis ferè intermixtus, labia, superiùs præcipuè, crassissima, maxillæ proeminentes, mentum retractum, capilli nigri, crispati, lanosique. Corporis habitus in hâc varietate magis quàm in cæteris ab Europæâ recedit, propiùsque ad simium descendit.

5° Australiani, seu novarum Australium Galliarum incolæ, et innumeræ insularum multitudinis, quæ ingentem istum inexploratæ regionis tractum circumstant, additis Australis Oceani insulis in genere, nigrè fusco, seu anacardii colore sunt; caput leviter expansum, superior maxilla leviter proeminens, latus nasus, sed distinctus, capilli tactu asperi, crassi, longi et crispati. Varietas ista medium Europæam inter et Africanam locum tenere videtur, sicut et Americana Europæam inter et Asiaticam. Idcircò, in compendiosiore humanæ gentis visu, quinque varietates in tres contrahere possumus, scilicet: *Europæam*, *Asiaticam* et *Africanam*, cæterasque duas merè intercidentes varietatis umbras habere.

n generali quâdem tamen gentis humanæ classificatione duo præcipuè merentur ut eis attendatur: Primò, quòd, etsi distinctiva hæc signa majori parti competant, existimandum non est ea unicuique membro particularis divisionis ad quam referuntur, tribuenda esse, nec ea ad hanc divisionem ita exclusivè pertinere, ut nunquàm, ipsa introducente naturâ, apud cæteras divisiones inveniantur. Secundò, propter inquietum et inquirendi cupidum plurimarum divisionum animum, et inde sequentes migrationes, sperare debemus nos ex occasione, inventuros harum divisionum distincta signa, et in regionibus ad quas naturâ non pertinent.

Omissâ igitur omnium subordinatorum punctorum consideratione, jam nobis inquirendum est undè notata modò signa processerint. Variæ humanæ gentis divisiones suntne meræ communis unius speciei varietates, vel distinctæ species, sub ementito genere merè connexæ? An ab uno stipite, vel à pluribus processit humana gens?

Priori sententiæ quæ à Moyse statuitur, duplicis generis opponentes obstiterunt, quorum quisque variâ objectionum materiâ stetit. Hæc Moysis narratio ab istis ementita, nec unquàm credenda habita est, quasi mera sit allegoria vel fictio; pulcherrimus mythus, cui sæpè orientales scriptores in exordio mutuarum suarum historiarum indulserunt, gratus frons libri ad instruendum compositi.

Alii verò in aliquo gradu in suis aggressionibus moderatiores fuêre, magisque Moysis narrationem inexplicitam quàm ementitam esse conquesti sunt. Postremi isti philosophi existimant quæ invenerunt in libro Moysis, ut vulgaris fert interpretatio, vivido naturæ libro non congruere, indèque vulgarem interpretationem incorrectam esse contendunt; percipiunt, seu percipere existimant varias esse in sacro textu lacunas, quas explere necesse est, antequàm cum naturalibus factis et apparentiis consentaneus fieri possit.

In prioris classis capite stant quorumdam priorum temporis nostri naturalium historicorum et litteratorum nomina, ut Linnæus, Helvetius, Monboddo et Darwin. Unde ergo isti Philosophi, qui sic ab omni Mosaicæ historiæ litterâ et spiritu recedunt, hominem ortum esse contendunt? Tres priores ex *simiorum* gente, posterior verò, ut compleat absurditatem, ex *ostreorum* genere. Ita sanè conjicit doctor Darwin, sicut aquatica animalia ante terrestria procreata fuisse apparent, omnisque vivens substantia è primario simplicissimo et minutissimo nucleo orta est, perpetuòque vires suas evolvit et expandit, et progressivè ad perfectionem contendit, homo ipse ordinis aquatici in primâ suâ creatione esse debuit, tunc quidem ob exilitatem imperceptibilis, sed annorum, seu potiùs ætatum progressu visibilem, seu *ostreariam formam* obtinuit, cum parvulis branchiis in locum pulmonum; et, ut ostrea, spontè productus fuit, absque sexûs discrimine; insuper, quomodò reproductio semper incrementum juvat, aquaticus, seu ostrearius homunculus, cùm progressivè victum suum quærere in recentissimis adhuc primævi Oceani littoribus et oris solitus erat, post innumerarum generationum revolutionem, primò in amphibium, indè in terrestre animal; et eodem modo, ex ente absque sexu, primò quoque in androgynam formam, et deinde in distinctos masculum feminamque increscere debuit (1)!

De isto poetantis philosophi somnio, quod jam diù ante nostram ætatem somniatum fuerat, nihil ampliùs notare necesse est quàm animadvertere illud, sub omni respectu, duarum ex celeberrimis veteris Græciæ scholis opinioni multò inferius esse, Epicureorum, scilicet et Stoicorum, quæ, etsi in omni ferè re dissentirent, in suo hominis originis dogmate conveniebant, cumque novâ cum omnis generis plantis et animalibus ex tenero et eo ævo infinitè majore vi et fœcunditate prædito, recens formatæ terræ solo, ortum existima-

(1) *Templum Naturæ*. Cant. 1, p. 26, 29; 2 p. 54; 4, p. 158; et additæ notæ in spontaneam vitalitatem et reproductionem.

bant, productumque in myriadibus parvularum matricum, quæ in modum cumulorum à talpis suffossorum super faciem terræ eminebant, et postea ejus sustentandi causâ in myriades glandularium lacteorumque bulborum transformatæ sunt, ita ut mira humano pectori substitutio ex iis fieret.

Aggrediamur nos igitur horum recentiorum philosophorum hypothesim qui hominum tribus simiorum tribubus consociare vellent, eosque ab uno communi stipite oriri, quomodò bos et urus è bisonte, diversæque ovium varietates ex argali oriri dicuntur.

In plenum hujus notionis examen ingredi hìc impossibile est, et quidem minimè necessarium, quippe quod paucissimæ animadversiones, si non fallimur, ejus falsitatem exhibebunt. Prætermissis igitur dubiis testimoniis, quibus mirabiles sylvestrium virorum mulierumque, in variis mundi partibus in sylvis repertorum, historiæ fundantur et quibus stat hypothesis ista, tota ista theoria prorsùs ruit, comparatâ anatomicâ utriusque entium classis structurâ, ex quâ evidenter patet plurima esse discriminis puncta, quæ à merâ varietate profluere nequeunt, sed ab originali et inhærente discrepantiâ fluere necesse fuit. *Satyrus* et *Pongo*, qui inter omnes simiorum species propiùs ad sceleti humani structuram accedunt, tres vertebras homine minùs habent. Eis peculiaris est membranaceus sacculus spiritûs meatui, seu vocis organo connexus, qui ad nullam hominis cujuslibet, sive nigri, sive albi divisionem pertinet. Spiritûs ipse meatus ob hanc causam sic peculiari modo constructus est ut minùs quàm omnis ferè alius generis quadrupedes, inarticulatorum etiam sonuum sit capax : ipsis præterea propriè dicti pedes non sunt; nam qui sic vocantur, reipsà tàm veræ sunt manus quàm brachiorum extremæ partes. Hominis pollex, quo præcipuè datur ei facultas in erecto statu ambulandi, verus est manualis digitus in satyro, undè animal hoc ad reptando ascendendum naturâ formatum est. Naturalis ejus in ambulando situs, et quem semper sumit, nisi disciplinæ sit subjectus, quadrupedum omnium positio est, corpore quatuor manibus, in locum quatuor pedum, ut in cæteris quadrupedibus, supposito.

Una ergò sola perplacere videtur hypothesis, quòd ab unico pari tota gens humana prodierit; seu, juxta Pauli ad Areopagum verba : (Deus) *fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*. Act. 17, 26. Hic, et in quolibet alio respectu, naturæ liber revelationis libro apprimè concinit : docet enim nos unum tantùm par hominum satis magnum fuisse ad omnes fines, quibus hæc philosophorum classis suas struxit objectiones, ipsosque inferiùs ad id attendendum adducemus quòd causas, ubi necessitas non adest, multiplicare, qualiter ipsi faciunt, non magis operandi naturæ modo consentaneum sit, quàm genuinæ philosophiæ principiis.

Sed redit adhùc quæstio; undè ergo oriuntur stupendæ hæ varietates, inter diversas humani generis gentes quibus supra oblatum systema struitur?

Respondetur eas esse causarum combinationis effectum, quarum quædam obviæ sunt, aliæ conjici possunt, paucæque humanum captum superant; sed eæ omnes cæteris aliis animalibus, non secùs ac homini communes sunt; quanquàm enim extraordinariæ apparere possint istæ diversitates, eæ etiam occurrunt in plurimarum aliorum animalium specierum varietatibus, quæ ex unâ specie, et in uno vel duobus casibus, ab uno pari ortæ esse probari possunt.

Præcipuæ nobis hujus rei notæ causæ, hæ quatuor sunt : *Cœlum*, *cibus*, *vivendi modus* et *hæreditarii morbi*.

1° Cœli præcipuus in humanam formam influxus, pellis colorem et staturæ extensionem maximè afficit. Saturatiores nobis noti colores sub fervidis cœlis occurrunt, leviores verò sub frigidis. Idem de plantis ac de animalibus asseri potest, nihilque ampliùs necesse esse novimus, ut albescant, quàm si à diurnâ luce subtrahantur. Inde volucres, bestiæ, flores et etiam pisces æquinoctialium regionum generaliter lucidiores et saturatiore colore in maculis suis, lineamentis, petaliis et squamis sunt, quàm in ullâ orbis terrarum parte inveniantur. Inde una saltem causa saturatioris gagatæ coloris, qui sub æquinoctiali lineâ in hominibus plerùmque prævalet; nigrè fusci et cupri coloris sub tropicis; olivarii verò, qui per intermedium statum in flavam, sanguineamque complexionem mutatur, prout à cancri tropico ad septentrionem pergimus.

Quò verò propiùs ad polos accedimus, omnia è contrario progressivè albescentia invenimus; ursæ, vulpes, lepores, falcones, corvi et merulæ communia eadem insignia sumunt, dùm ex iis plurimi colores suos cum ætatum mutatione mutant. Eâdem de causâ, et etiam eò quòd exilius mucosum textile habeant, Abyssiani saturato minùs sunt colore quàm nigritæ; nam, etsi eorum geographicum solum sit ferè idem, physicum essentialiter differt; multò altiùs stat regio, et longè inferior est cœli temperatio.

Quidam caloris gradus, quanquàm tropicorum calore minor, staturæ incremento favere videtur, quippe quòd altissimæ quæ nobis innotescant staturæ, ponè *Bonæ Spei* et *Horn* promontoria sitæ sunt; brevissimæ è contra in frigidissimis regionibus, vel in altissimis montibus occurrunt; tales sunt Lapones et Novæ Zembliæ incolæ in Europâ; Samoyedi, Ostiacsi et Tungoosi in Asiâ; et Groenlandes et Esquimalci in Americâ.

2° Diversa alimentorum genera in animale systema non latè minùs patentem aut mirabilem vim habent, quàm cœli differentia. Lanæ vel crinium tenuitas et crassitudo, carnis firmitas et odor, et in aliquo gradu pellis color, et staturæ extensio, alimentorum naturæ influxum sentiunt. Olea et spiritus peculiari modo jecur excitant, atque, ut caloriferi solis radii, media ordinariè fiunt, quibus nimia bilis copia in circulationem transit. Inde lividus et olivarius color plurimorum, qui contra jus vini potationi se dederunt, quique etiam non nisi parùm operam exercent. Inde quoque obscurus et squalidus Pygmæarum gentium color, quæ latè septentrionales latitudines incolunt, et quarum

usualis cibus piscibus et aliis oleis, sæpè rancidis et noxiis, consistit; quanquàm fatendum sit huic colori, plurimis in casibus, multùm favere nubes et fumum quibus constanter involutæ in miserrimis suis casis sedent, necnon et sordes adipesque, quibus corpus suum sæpè conspurgant. Inde etiam una earum diminutivæ staturæ causa est ciborum natura, qui nec concoqui nec alere possunt. Porci et cuncta alia animalia quæ *rubiæ* vel *gallii veri* radicibus vescuntur, ossa ipsa saturatiore rubro vel flavo colore tincta habent, et D. Huber, Lausannensis, probavit se solâ ciborum mutatione, ut longè antea D. Debraw (1), in viridem apem convertere, quæ vulgò, sed impropriè, *neutra* vocatur.

3° Insistere superfluum sanè foret in corporeis et intellectualibus mutationibus, quas in animali systemate affert morum consuetudinumque differentia. Hujus effectûs invictissima nobis argumenta sunt animalia domestica, quibus circumdamur. Compara, si lubet, ferum equum cum domestico, bisontem cum bove qui vulgò *bison* in statu cicurationis habetur, et Syberianum *argali* cum ove, quæ ab ipso exorta dicitur.

Nullâ sanè aliâ viâ quàm diuturnâ et altè inveteratâ consuetudine nigri, rubri olivariique Æthiopum, Americanorum et Mongolorum colores in futuras progenies perseverârunt multis, post eorum in alias orbis partes recessionem, generationibus; nihilque generaliter pellem ad nativum suum flavum colorem reducere potest quàm longa permixtionum cum Europæâ varietate successio. Mirum sanè est quòd nigritarum varietas minùs diuturnum corporis habitum constituere possit quàm rubra aut olivaria, seu, alio nomine, quàm color qui caloriferorum solis radiorum vi et influxu præcipuè producitur. Qui enim ex olivæ cuprique colore parentibus nati sunt filii, paternum ab ipso ortu colorem exhibent; atverò in filiis nigritarum sex, octo vel etiam decem menses effluere solent antequàm plena nigri pigmenti secretio fiat. Aliquando etiam nullo modo fit ista secretio; unde igitur alborum nigritarum anomalia? aliquando quoque per lineas tantùm et partes interrumpitur secretio; unde maculosorum nigritarum anomalia? Nobis insuper occurrunt pauci rarique nigritarum in Americâ casus, in quibus, vi severissimi morbi, totum nigrum pigmentum absorptum est et sublatum, et in ejus locum album pigmentum diffusum est; aliis verbis, exempla adsunt hominis nigri in album subitò mutati. Exempla hæc profectò rarò occurrunt, sed satis sunt ut pateat quàm sit absurdum pluralitatem humanorum stipitum aut specierum ex merâ in pellis colore differentiâ deducere, contendereque, quod argumentum sic esse levissimum probatur, illudque nihil ampliùs esse quàm *corium inane*, graviter asserere possumus.

4° Atverò probabile est plerasque insigniorum de quibus locuti sumus distinctionum et omnes ferè subordinatas varietates ex occasione occurrere, et ex morbidis hæreditariisque affectionibus procedere. Ingens reconditæ hujus, sed activæ causæ in corpus simul et mentem vis et influxus, aliquo modo cuique innotescit, ex factis quæ sese nobis quotidiè offerunt. Videmus articulorum dolorem, phthisim, scrofulas, lepramque, in variis occasionibus propagata, dementiam quoque et hypocondriacos affectus æquè frequenter. Inde infelix Albinosorum proles et universa alborum nigritarum progenies; inde pygmæa quarumdam familiarum statura, et aliarum gigantea amplitudo.

Solum tamen homo animal non est, in quo ejusmodi formæ et lineamentorum varietates occurrant; neque in quo, sive frequentiùs, sive in maximè extraordinarium et inusitatissimum modum occurrant.

Tota inter nigritæ et Europæi hominis cránium differentia nullo modo major est quàm quæ intercedit inter feri apri et domesticæ suis cranium. Quicumque amborum imagines à Daubenton pictas habet, hoc sentire debet, ubi primùm eas simul comparat. Illud quod Indis peculiare est, nempe os cruris insignitè longum, accuratam similitudinem invenit in sue Normannicâ, quæ tam altè stat in suis retrò cruribus, ut dorsum inclinatam ad caput lineam efficiat, et, ut ejusdem directionis ipsum caput particeps factum est, rostrum parùm à terrâ removetur.

In quibusdam profectò regionibus, sus in species degeneravit, quæ in singularitate longè excedunt inusitatissimas quæ apud gentem humanam inventæ sunt species. Quid longiùs distare potest quàm bifulcus pes, et solida ungula? Sues tamen cum utroque inveniuntur. Varietas quæ solidam habet ungulam veteribus innotuit, nuncque adhùc in Hungariâ et Suetiâ existit; imò vulgaris species ab Hispanis in insulam Cuba anno 1509 translata, in varietatem postea degeneravit, quæ ejus generis solidam habet ungulam, et enormis amplitudinis, non minùs quàm semi-dodrantis in diametro.

Quàm absurdum igitur est contendere humanæ gentis in diversas varietates distinctionem è specierum pluralitate profluere debuisse, dùm fateri cogimur ejusdem generis, sed numerosiores inusitatioresque distinctiones ex unâ solâ specie in cæteris animalibus exortas esse!

Nunc huic capiti finis imponendus. Sunt et alia magni momenti in naturalem hominis historiam inquisitionis puncta; sed operis hujus limites ea enumerare nos non sinunt. Materiæ in aliquam nostræ naturalis moralisve historiæ partem apud sacrum volumen non desunt. Completissimam, necnon et gratissimam hominis, ubicumque inveniri possit, descriptionem exhibet Biblia; dùm ante ejus oculos explicat sublimissimas et influentissimas notiones ejus ad Creatorem relationis, altæ et tremendæ quam habet ipsi rationem reddendi obligationis; peccati et pravitatis remedii, et immortalis possessionis, quæ sacram ejus animam in superis regnis manet. Ex hoc libro tantùm, maximi momenti rerum, quæ morali suo charactere connectuntur, notitiam haurire potest, seque iis principiis instruere, quæ ad actionum suarum regulam, et totius entis sui gubernationem requiruntur. *Ecce timor*

(1) Vide *Phil. Trans.*, 1777, p. 15.

Domini, ipsa est sapientia; et recedere à malo, intelligentia. Job. 28, 28.

CAPUT II

BESTIÆ.

SECTIO PRIMA.

ANIMALIA DOMESTICA.

ELEPHANTUS.

Immanis elephante, bestiarum sapientissima!
O verè sapiens, leni robore prœditus :
Quanquàm robustus, destructor non est!

De hoc extraordinario animali nulla usquàm fit in Scripturâ sacrâ (1) mentio, nisi forsan, ut existimant quidam, *Behemoth* sit, de quo in libro Job. Illud tamen nobis valdè dubium videtur, ut videri potest in art. *Behemoth.* In Machabæorum libris narratur quomodò elephantis utebantur in acie, quibus etiam viis in rabidum cum hoste certamen incitabantur. De ebore quoque, notissimo hoc ab elephanto munere, bis in canonicis libris distincta mentio fit, 3 Reg. 10, 22; 2 Parall. 21. His de causis locum in hoc opere invenire debet elephantus.

Elephantus nobilissimus est, sub omni respectu, in naturâ quadrupes; non mole suâ minùs quàm obsequio et intelligentiâ conspicuus. Omnes inter historicos convenit illud ab homine sagacissimum animal describere; si nostram tamen sagacitatis ejus ideam ab externâ facie sumeremus, exigua valdè nobis de ejus intelligentiâ opinio foret. Primâ fronte, spectatori immanem carnis molem offert, quæ vix animata videtur. Immanis corporis moles callosâ depilique pelle cooperta, ampla et deformia crura, quæ vix ad movendum formata dicas, exiles oculi, ingentes auriculæ, longa probescis, omnia hæc ipsi maximæ stupiditatis speciem afferunt. Sed nostra mox amovebitur præjudicata opinio, si ad ejus historiam attendamus : nostra inde magis etiam crescet admiratio, ubi attendemus ad varias quæ ex tam informi conformatione utilitates ipsi profluant.

Elephantus à septem ad quindecim pedes altus apparet. Quantacumque cura nobis sit ingentis in animo animalis imaginem præformandi, primus tamen immanis ejus bestiæ aspectus admiratione semper nos movebit, et etiam aliquo modo ultra id quod conceperamus. Cùm minoribus animalibus uti assueverimus, vix aliquam magnitudinis ejus ideam habemus : mobilis enim carnis columna, quindecim pedibus alta, sic omninò differt ab omnibus quæ constanter sese nobis offerunt, ut oculis subjici debeat antequàm in animo concipiatur. Impossibile igitur foret animalis hujus figuræ ideam solius descriptionis ope exhibere, quæ, etsi ei sculpendi ars præstò foret, rem ipsam non nisi confusè repræsentaret. Generaliter observari potest, frontem altam esse et elatam, ingentes valdè et pendentes auriculas, exilissimos oculos, proboscidem, seu manum longam, corpus rotundum et plenum, dorsum in arcum curvatum, totumque animal pro altitudine contractum. Rotundi pedes in imâ parte; in quoquo pede quinque planæ sunt corneæ particulæ, quæ digitorum extrema esse videntur, sed exteriùs non apparent. Depilis est pellis, vulneribus et cicatricibus conscissa, quas densa nemora et spinosos rubos transeundo recipit. In extremâ caudâ crinium fasciculus sesquipes inest. Minor est femina masculo et anteriora inter crura pendet uber.

Ex omnibus quadrupedibus vialdissimum est elephantus, simul et amplissimum, et tamen in statu naturali nec ferus nec formidandus. Lenis, pacificus, et bello acer, vi et potentiâ suâ nunquàm abutitur, roboreque suo non nisi ad suam et communitatis protectionem utitur. Nativa sua per deserta rarò solus adest, sed sociabilis et amica creatura videtur. Omnium annosissimum agmini anteit, qui verò propius ætate accedit agmen claudit. Juniores, invalidi, ægrique centrum occupant, feminis vitulos suos deferentibus, eosque à casu, proboscidis ope protegentibus. Hunc ordinem in periculosis tantùm itineribus servant, vel cùm victum suum in cultis terris quærere cupiunt; non tantâ curâ inter sylvas et solitudines iterfaciunt, non adeò tamen à se invicem separati et remoti sunt, quin sibi quisque requisitam opem ferre possint. Identidem accidit ut unus vel duo post cæteros demorentur, et illi sunt contra quos venatorum ars et vires uniuntur; valdè enim totum agmen lacessere periculosum foret. Insultanti subitò concurrunt, falcatis dentibus percussum, proboscideque arreptum, in aerem projiciunt, dein pedibus calcantes, in partes comminuunt. Atverò ita feroces tantùm ubi offensi fuerunt, nec ullam personalem injuriam committunt, ubi quietos eos pasci patiuntur. Eos quoque injuriarum esse memores novimus; et, ubi ab homine offensi fuêre, omnem in futurum ulciscendi occasionem quærunt : illum proboscidibus à longè odorantur, quàm festinantissimè vestigiis ejus instant, et quanquàm tardi videantur, eum brevi attingere et destruere possunt.

In naturali suo statu elephantos juxta fluviorum ripas vivere, in profundissimis vallibus degere, in umbrosissimis sylvis et locis aquosis æstum levare delectat. Ab aquis remoti vivere nequeunt, et antè potum aquam disturbant. Proboscidem aquâ sæpè implent, sive ut ejus organi æstum levent, sive ut ludendo, aquam fontis salientis instar, emittant.

Præcipuus eorum victus vegetalium generis est; ab omni enim animalis cibi genere abhorrent. Ubi uni ex ipsis boni pabuli locum invenire contigerit, iste cæteros convocat, conviviique in partem invitat; sed copioso valdè pabulo opus est, ut totius agminis necessitatibus subveniatur. Cùm largis suis et ponderosis pedibus alta, quòcumque eunt, vestigia imprimant, multa magis destruunt quàm devorant, ita ut sæpissimè mansiones mutare et è regione ad alteram

(1) Protestantes enim è canone Scripturarum eliminant libros Machab., de quibus loquitur infrà auctor noster. Ad heterodoxorum confutationem, vide Prolegom. ad Scripturam sacram in Cursu completo, vol. 1.

migrare cogantur. Indi et nigritiæ, quibus isti sæpè graves sunt visitatores, omni ope eos amovere enituntur, magnos tumultus excitando, ingentesque circa suos cultos agros ignes accendendo. Sed hæc semper non prosunt; sepes elephanti sæpè frangunt, totam messem destruunt, parvaque habitacula diruunt. Ubi verò sibi satisfecêre, omniaque in suâ viâ pedibus calcavêre aut voravêre, tunc in sylvas eodem quo irruperant ordine recedunt.

Sic sunt animalis hujus, sub respectu sociali considerati mores; si verò illud sub individuali respectu consideremus, dotes ejus multò magis adhuc extraordinariæ nobis apparebunt. Etsi specie externâ valdè informis, omnibus tamen in magnum perfectionis gradum sensibus perfruitur, eosque ad multò utiliores quàm quilibet alius quadrupes usus adhibere potest. Elephanti ut jam observatum est, exiles valdè, pro immani corporis mole, oculi sunt; sed licèt primo aspectu eorum exilitas deformis esse videatur, si eos examini subjiciamus, jam expressionis varietatem exhibere et varios quibus movetur affectus detegere nobis videbuntur. Eos ad dominum suum attento et amico vultu convertit, eum reflectere et deliberare dicas, utque passiones ejus sibi quæque mutuò lentè succedunt, varii earum actus distinctè apparent. Non minùs corporis habitûs dignitate conspicuus est. Ingentissimæ sunt ejus auriculæ, et asini etiam, servatâ proportione, majores; demissæ vulgò jacent, sed facilè in altum ferri et moveri possunt; iis quoque ad tergendos oculos, et à pulvere muscisque, quibus aliter offendi possent, protegendos utitur. Musicâ delectari videtur, citòque musicum concentum moderari, ad numeros moveri, vocemque suam tympani et tubæ sono jungere discit. Ejus odoratus non modò exquisitus, sed et maximo gradu iisdem quibus homo delectatur odoribus. Magnâ curâ et voluptate carpit flores; illos singulos colligit, in fasciculum adunat odoreque delectari videtur. Aurei mali flos gustûs simul et odoratûs sensui præcipuè gratus apparet; arborem omnibus suis frondibus denudat, eas integras et ramos etiam ipsos devorat. Odoratissimas in pratis plantas deligit, quibus vescatur, et in nemoribus ipsi coco, banana, palma, sagusque cæteris potiores sunt. Cùm eorum surculi sint teneri, medullâque referti, non frondes et fructus tantùm, sed et ipsos ramos, stipitem et totam plantam, usque ad radices, comedit.

Sed in tactûs sensu præcipuè cætera bruta animalia et hominem ipsum forsan superat elephantus. In proboscide totum residet tactûs organum, quæ huic animali instrumenti genus proprium est, quod ipsi manuales usus omnes supplet. Proboscis propriè loquendo, nil aliud est quàm rostrum in magnam extensionem productum, in modum calami perforatum, inque duo foramina seu nares, porci instar, desinens. Elephanto quatuordecim pedibus alto proboscis est octo pedibus longa, quinque pedum cum dimidio ad os, ubi amplior est, ambitum habet; in totâ longitudine perforata, sed ab uno fine ad alterum partita est, ita ut, quanquàm unicus exteriùs calamus appareat, in duos interiùs dividatur. Carneus ille calamus nervis et musculis componitur, propriâ subnigri coloris pelle, ut reliquum corpus, coopertis. In quamlibet partem moveri, produci vel contrahi, demitti vel erigi potest, adeò flexibilis ut quodcumque applicitum sibi corpus amplexetur, adeòque valida, ut ab ejus captu nihil extorqueri possit. In ejus manûs vis adjumentum, parvulæ plurimæ proeminentiæ, erucarum pedum instar, inferiori hujus instrumenti parti adhærent, quæ, haud dubiè, tactûs sensibilitatem, simul et comprehensionis firmitatem juvant. Hujus proboscidis ope, quasi per calamum respirat, bibit et odoratur elephantus; et in extremâ ejus parte rectè supra nares, pellis exstat productio, quinque unciis longa, in modum digiti, quæ reverà ad omnes eosdem ac digitus usus adhibetur: nam cum reliquâ extremæ proboscidis parte, varias ad nutum induere formas, et idcircò ad minutissima quæque etiam accommodari potest. Hujus igitur ope, de terrâ spinam colligere, funis nodos solvere, portam aperire, et etiam calamo scribere potens efficitur. Vidi ipsemet, ait Ælianus, elephantum latinas litteras in tabulâ scribentem, servato perfectè ordine, ductore cujusque litteræ figuram ipsi tantùm ostendente. Interea oculi erant studiosè in scripturam demissi, speciemque magni ingenii et eruditionis exhibebant. Accidit aliquando quòd res major sit quàm ut proboscide corripiatur: tum elephantus aliâ arte, non minus mirabili quàm quælibet è prioribus, utitur. Extremâ proboscidis parte rei ejus extremâ faciei applicatâ, spiritum haurit, sicque onus istud sublevat, retinetque, quantùm hoc in casu suspensum illud retinere potest aer. Eo modo instrumentum istud plerisque vitæ usibus prodest; odoratûs, tactûs respirationisque organum est; animales non tantùm utilitates et subsidia providit, sed ei quoque ad decus et protectionem inservit.

Attamen, quanquàm modo tam mirabili proboscide suâ sit instructus Elephantus, quoad cæteras suæ conformationis partes, motu gravis est et præsidio destitutus. Adeò breve est collum, ut vix caput vertere possit, in orbemque agi debeat ad detegendum hostem à tergo instantem. Qui eum hâc ex parte impetunt venatores, eâ viâ communiter indignationis ejus vim effugiunt, insultusque suos renovandi tempus habent, dùm sibi ille faciem obvertit. Crura quidem adeò non sunt inflexibilia, rigidissima tamen sunt, nec absque difficultate inflectuntur. Ante crura quàm retrò longiora dicas; sed si metiantur, paulò breviora inveniuntur. Juncturæ quà flectuntur in medio, ut hominis genu, crure sunt; et propter ingens quod sustinent onus, ineleganter flectuntur. Ubi junior est, crura flectit, sive ad procumbendum, sive ad surgendum; ubi verò senuerit, aut ægrotat, ad id humano indiget subsidio, idque adeò fit tam incommodum, ut recto situ dormire malit. Pedes quibus ponderosa hæc instant, columnæ basim vix cruribus quæ sustinent latiorem, efficiunt. In quinque digitos dividuntur, pelle

subter coopertos, quorum nullus oculis apparet, sed quædam tantummodò protuberantia, in modum unguium, qui à tribus ad quinque numero variant. Variant quidem apparentes ungues, sed interni digiti idem constanter remanent. Pedum planta pelle non crassâ minùs et durâ quàm cornu instruitur, quæ ex toto pedum infimam partem cooperit.

Cæteris Elephanti impedimentis addi possunt immanes isti falcati dentes qui ad mandendum prodesse nequeunt, sed tantùm ad tegendum arma sunt. Hi, simul atque senescit animal, adeò graves fiunt, ut aliquando stabuli sui parietes perforare, in eo foramine dentes istos sistere, seque ab eos sustinendi labore eximire cogatur. Notissimum est quantam isti dentes amplitudinem obtineant; duo numerantur, è superiore maxillâ exoriuntur, sexque pedes in longitudinem aliquando superant. Existimârunt quidam illos cornua magis quàm animalis esse dentes, sed prætermissâ eorum majore cum ossibus quàm cum cornu similitudine, è superiori maxillâ sine ullâ controversiâ exoriri inveniuntur (1).

Asseruerunt quidam falcatos hos dentes eodem modo decidere ac cervus cornua sua amittit; sed probabilissimum est, ex solidâ eorum consistentiâ, ex eorum accidentalibus defectibus, qui à lento detritu oriuntur, eos infixos esse ut cæterorum animalium dentes generaliter inveniuntur. Certum est eos ab elephanto in domestico statu nunquàm decidere; sed, donec in summo gradu incommodi fiant et onerosi, servantur.

Animal hoc æquè singulare est in cæteris conformationis suæ partibus; labia atque lingua in cæteris ad respirandum, ad dirigendum potum cibumque prosunt, sed in elephanto ad tales usus prorsùs sunt inconvenientia. Non cibum tantummodò proboscidis ope colligit, sed et eâdem viâ sibi providit aquam. Ubi fœnum manducat, parvum ex eo manipulum proboscide capit, versatumque aliquantisper et conformatum instrumenti hujus ope, in os dirigit, ubi molaribus magnis dentibus manditur, quorum amplitudo animalis moli respondet: fasciculus hic, ubi mansus est, deglutitur, nec unquàm remanditur, ut apud vaccas et oves, quippe quòd elephantus stomacho et intestinis equo similior est. Ejus bibendi modus æquè est extraordinarius. Ad hunc finem, immersâ in aquam extremâ suâ proboscide, ad se spiritum trahit quantùm ad carneum ingentem hunc calamum implendum necesse est; tunc caput repletâ proboscide erigit, extremâque parte in os conversâ, quasi totam ipsam proboscidem absorbere intenderet, eam infra spiritûs meatûs ostium dimittit; quo in situ remanente proboscide aquæ plenâ, in eam ex altero fine validè insufflat aquamque in eâ contentam in fauces compellit, per quas altè susurranti murmure fluere auditur, quod perseverat donec totam aquam deorsùm flatu dimiserit. Ille bibendi modus quosdam ad censendum induxit juniorem elephantum proboscide, non ore ubera matris sugere; quod tamen erroneum est.

Elephanti pellis non minùs quàm reliquum corpus conspicua est. Crinibus aut pilis, sicut in plerisque quadrupedibus cooperta non est, sed ferè nuda est. Hìc et illìc tamen paucæ setæ in corporis cicatricibus et rugis exoriuntur, rarissimæque in reliquâ pelle apparent; sed generaliter pellis arida est, dura, rugataque, et annosæ arboris cortici, quàm animalis pelli similior; quoque anno densatur, et constanti hoc substantiæ additamento, morbum sub nomine *elephantiasis*, seu *arabicæ lepræ* notissimum contrahit, cui morbo homo non minùs ac elephantus sæpè obnoxius est. Ad eum avertendum Indi pellem oleo inungunt, frequenter lavant, ut flexibilitatem retineat. Morbi hujus incommodis aliud additur, quod è magnâ partium non callosarum sensibilitate nasci solet. His in partibus magnâ copiâ muscæ inhærent, incessanterque animal torquent. Cui malo ut medeatur omni ope enititur elephantus; non caudâ tantùm et proboscide, juxta naturalem modum, ad eas amovendas utitur, sed et sumpto arboris ramo, aut fœni manipulo, eas feriendo expellit. Ubi verò id non succedit, lutum proboscide colligit, quo omnes sensibiles partes contegit. Visus est pluries in die eo modo se luto contegere, præcipuè cùm ab aquâ recedit.

Non minùs ipsi ac ipse cibus aqua necessaria est. In naturali statu fluviorum ripas rarò relinquit, et in aquâ ad ventrem usque sæpè stat. In statu verò servitutis, Indi providendam ipsi necessariam aquam curant, eum magnâ arte lavant eique omnem cibi non deesse facultatem suppeditant.

Mirum non est animal tot et tam variis commodis roboris, sagacitatis, et obsequii præditum, in humanum servitium venisse. Videmus igitur elephantum ab omni hominum memoriâ, sive ad laborem, aut bellum, aut ostentationem luxûs adhibitum, ad augendam orientalium principum gloriam, vel eorum imperium dilatandum.

Hùc usque elephantum in naturali statu descripsimus; nunc illum sub alio respectu considerare incipiemus, ut è sylvis captum, et ad humanum arbitrium reductum. Nunc videbimus innoxiam hanc strenuam creaturam quasi ab humano genere documenta capientem; et ab hominibus in omnes belli, cædis et excidii artes instruitur. Videbimus nunc hoc semi-intelligens animal in aciem belli ductum, illisque tumultibus et illâ dementiâ attonitum, quæ adhuc augere compellitur.

Elephantus Africæ et Asiæ nativus est; neque enim in Europâ, neque in Americâ inventus est. Feri Africæ incolæ, nedùm robustam hanc creaturam in suos usus subjicere conentur, felices sibi videntur, si ab ejus furore sese tuiti fuerint. Olim quidem, dùm Carthaginiensium floreret imperium, elephanti ad bella adhibiti sunt; sed hoc transitorius tantùm humanæ potentiæ in hâc orbis parte radius fuit. Jam dudùm de-

(1) In 3 Reg. 10, 18, ebur designatur *magnus dens*; quod clarè ostendit, ait D. Taylor, sensum istum, nempe *dentem magnum* voci de quâ agitur ab Hebræis datum fuisse. Utitur Ezechiel locutione quæ correctiùs eorum ad tegendum armorum naturam describit: *cornua dentium.*

generes facti sunt Africæ incolæ, et nonnisi ex vastationibus suis noti sunt apud eos elephanti. Nulli tamen nostris temporibus elephanti in septentrionalibus Africæ partibus occurrunt, non unus quidem in hoc montis Atlantis latere invenitur. Ultra verò fluvium Senegalim, et ita ad pedes promontorii Bonæ Spei non minùs ac in interiori regionis parte copiosè abundant. In hoc immenso terrarum tractu, copiosiores quàm in aliâ ullâ orbis parte esse videntur. Ibi hominem minùs reverentur, minùs in sylvarum latebras recedunt, hominis impotentiam et ignorantiam eos sentire dicas, ejusque parvos labores vastaturi accedunt. Eodem superbo contemptu, quem cæteris animalibus ostendunt, illum prosequuntur, miserabilemque parvam creaturam habent, quæ sibi apertè resistere formidat.

Atverò, quanquàm hæc animalia in Africâ magis abundant, in solâ tamen Asiâ ingentissimi elephanti inveniuntur et humano arbitrio subservientes facti sunt. Ingentissimus in Africâ decem pedes in altitudinem non excedit, in Asiâ à decem ad quindecim alti sunt. Pro magnitudinis incremento, crescit pretium, et ubi quemdam amplitudinis modum excedunt, ut gemonarum, pretium eorum pro arbitrio quanti illud æstimare placeat, statuitur.

Cùm ars bellica paulùm admodùm in Asiâ profecit, pauci sunt Orientis principes qui sibi non habeant, retineantque tot elephantos quot possibile est; et in acie magnam in eorum præsidio spem collocant. Ad eum finem eos feros in nativis suis sylvis capere et cicurare coguntur.

Elephantus, ubi domitus fuerit, lenissimus docilissimusque fit omnium animalium. Mox affectu in eum qui sibi intendit devincitur, illi blanditur, obeditque, ejusque voluntatibus anteire videtur. Brevi tempore sibi facta signa intelligere incipit, variosque vocis sonos; jubentis vocis sonum ab indignantis vel approbantis perfectè distinguit, et ex hoc agit. In voce domini sui rarò errat, cujus jussa attentus suscipit, sagaciterque, festinanter, non tamen præproperè perficit. Motus ejus omnes certi et constantes sunt, ejusque actus staturæ magnitudinem participare videntur, cùm graves, majestate pleni et tranquilli sint. Brevi genua flectere, ascensorem suscipere docetur, proboscide iis blanditur quos novit, quos discernere jubetur salutat, eâque, quasi manu, partem oneris sui adjuvans attollit. Se stratis adornari patitur, inque stratorum elegantiâ complacere sibi videtur. Vehicula, bellica tormenta, naves mirabili vi et constantiâ pertrahit, eoque delectatur, modò absque causâ non feriatur, et conatus suos dominus gratos habere videatur.

Elephanti ductor in collo ordinariè sedet, virgâque ferreâ ad eum regendum utitur, quæ aliquando in aculeum, aliquando in uncum desinit. Hujus ope ad procedendum excitatur, ubi tardus vel inobediens est, sed generaliter uno tantùm verbo lenis ista creatura movetur, ubi præsertim ductori assuefacta est; quod sæpè necesse est; tali enim suum aliquando affectu ductorem prosequitur ut alteri obedire abnuat, et accidit ut luctu interierit, quando in subito dementiæ raptu, ductorem occiderat.

Sed non tantummodò ad onera trahenda in bello præsidio sunt elephanti. In ordines sæpè in Oriente adducuntur; et in periculosissimis aciei partibus debellare coguntur : ducuntur enim, loricis in anteriori parte instructi, quadratamque quisque supra dorsum ferens turrem, quæ à quinque ad septem bellatores continet. Collo sedet ductor, qui in densissimos ordines animal impellit, et ad cladem augendam excitat (1); quòcumque fertur nihil furori ejus obsistere potest, immani corporis mole ordines prosternit, sibi resistentes in altum ventilat, vel sub pedibus obrutos enecat. Intereà qui dorso bestiæ insident tanquàm ab excelso pugnant, jaculaque sua vi duplici velocitati addito pondere, jaciunt (2). Nil igitur formidandum magis aut invictum quàm ejusmodi machina mobilis viris, recentiorum temporum bellicæ artis prorsùs rudibus. Elephantus sic instructus et ductus in mediâ acie debacchans majorem tremorem incutit quàm istæ etiam machinæ, quæ eminùs destruunt, eòque sæpè funestiores quò minùs oculis apparent.

Elephanti magnitudini respondet robur; trahere enim facillimè potest quod sex equi movere nequirent, supra dorsum tria aut quatuor millia librarum onera deferre facilè, supra solos falcatos dentes mille ferè sustinere potest. Æstimari quoque potest virtus ejus ex motûs velocitate, cum corporis mole comparatâ; passibus ordinariis tam celeriter quàm equus leviter succussans; ubi verò conitatus est, tam celeriter movetur quàm equus cursu incitatissimo abreptus. Uno die facilè milliaria quinquaginta vel sexaginta percurrit, et ubi vehementer concitatus, ferè duplò majus spatium. E longissimo cursus ejus auditur, vestigiis quoque illum insequi facile est, quæ altè in terrâ impressa manent, et à quindecim ad octodecim uncias in diametrum habent.

CAMELUS.

Nativum hujus animalis nomen in plerasque, sive recentes sive veteres linguas transiit. In Hebræo vocatur *gemel*, ex verbo significante *rependere*, *par referre*, probabiliter ob ejus ad ulciscendum dispositionem. *Ira cameli* apud Arabes in proverbium transiit, pro implacabili odio. Nullum est animal quod injuriæ diutiùs meminerit, et opportunam ulciscendi opportunitatem ardentiùs arripiat; quod eò magis stupendum est quòd leni sit et docili dispositione moratus, ubi duris tractationibus provocatus non est.

E Scripturis discimus camelos notabilem patriarcharum opum partem constituisse. Job primò tria millia, et, post elapsos afflictionis dies, sex millia camelorum fuerant. Arabes suas opes et possessiones

(1) Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prælium, 1 Mach. 6, 34.

(2) Sed et turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias, et super eas machinæ; et super singulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper, et Indus magister bestiæ. 1 Mach. 6, 37.

ex camelorum numero computant, et ubi de nobilis alicujus viri aut principis gloriâ et opibus, *illi sunt*, inquiunt, *tot cameli*, non verò tot aurei nummi. Madianitis et Amalecitis cameli innumerabiles erant, sicut arena quæ jacet in littore maris, Jud. 7, 12; quorum plurimi vinculis aureis et aliis pretiosis splendidisque ornamentis adornabantur. Tanti fiebat enim camelorum cura et propagatio, ut sub regno Davidis, particulari præfecto eorum ductoribus intendendi cura commissa fuerit. Nec absque speciali consilio Scriptura præfecti hujus originem exprimit: *Ismaelites* erat, et consequenter hujus utilissimi quadrupedis tractandi modum apprimè callebat (1).

Septem à zoologistis cameli species distinguuntur, sed solus Arabicus, vel Bactrianus camelus in Scripturâ notus est. Hoc prima species distinguitur quòd unum tantùm tuber, vel protuberantiam in dorso habeat. Generalis ejus statura, si à summo dorsi tubere ad terram metiatur, sex ferè pedum cum dimidio est; sed à capitis vertice, ubi illud erectum tenet, non multò minùs quàm novem pedes sunt; caput tamen ità fert ordinariè camelus, ut pari ferè libellâ cum tubere sit, vel paulò inferiùs, cùm in generali corporis habitu valdè dimissum collum teneat. Parvulum est caput, longissimum collum, forma corporis producta et macilenta, subexilia crura, et cauda, quæ ad extremam partem paululùm spissa est, posteriorum crurum juncturas attingit. Latissimi sunt pedes, inque particularem modum ungulati, cùm superiùs in duos lobos sint divisi, quorum cujusque extrema pars longissimâ, durâ flexibilique pelle protegitur, quâ in omnem partem cedente, ipsa bestia, modo prorsùs facilè et securò, per aridas, fervidas, lapideas et arenosas regiones, quæ mox ungulam urerent et destruerent, iter facere potest. Sed adsunt cruribus callositates; una in unoquoque genu, una in utriusque anterioris cruris internâ parte, in superiori juncturâ, et in internâ utriusque posterioris cruris parte, ad imum femur. In inferiori quoque pectoris parte ingens inest callositas, seu durum tuberculium, quod gradatim augescit, ob constantem hujus animalis in eâ requiescendi, cùm jacet, consuetudinem.

Camelus inter animalia quæ ruminant numeratur, sed utrùm ungulam plenè dividat lis est adhuc adeò incerta, ut, etiam in Commentariis Parisinianæ academiæ, ad id, sub omni respectu adæquatam responsionem non invenerimus. Pes nunc in duos digitos dividitur, imò etiam infra divisio est completa, ita ut inter animalia munda reputari posset; ac totam pedis longitudinem non attingit ista divisio, sed anteriorem tantùm partem; nam retrò divisus non est, et insuper, infra plantam, et ei adhærentem globulum invenimus, sub quo ambulat camelus. In hoc igitur dubio rerum statu, auctoritate suâ declarat Moyses, Lev. 11, 4, cameli ungulam non esse divisam, quasi significare voluerit animal istud olim ab Ismaelitis, Madianitis et cæteris Arabibus ex Abrahamo ortis, mundum reputatum, ab Israelitis non esse comedendum, eâ probabiliter mente, ut hâc viâ eos ab his nationibus magis separatos teneret; quibuscum ex alterâ parte morum connexione et similitudine adeò affines erant; et forsitan quoque, ut omnem ab eis, sive sibi gratissimum pastoralis errabundæ vitæ modum, in Arabiâ retinendi, sive illum iterùm suscipiendi, voluntatem amoveret. Populus enim in Arabiâ miserrimam semper vitam ageret, si cameli carnem edere et lac bibere non liceret (1). Hanc tamen prohibitionis causam impetit Rosenmuller (2); et prohibitionem in ipsâ carnis cameli, in cibum habitæ, insalubri naturâ, potiùs stare existimat.

Nativa cameli regio Arabia est; ex istis æstu ferventibus desertis in reliquas Asiæ et Africæ partes gradatim diffusus est. Ut cœli donum eum reverentur Arabes, ut animal sacrum, cujus absque subsidio, nec subsistere, nec commercium agere, nec iter facere possent.

Animalium istorum pilis, qui tenues et tactu lenes sunt, et anno quoque renovantur, utuntur Arabes in pannis ad vestitum et supellectilem conficiendis. Hâc materiâ vestitus erat Elias Thesbites, 2 Reg. 1, 8; et etiam Joannes Baptista, Matth. 3, 4. Supponendum tamen non est vestium pilosarum descriptionem, quibus illi et alii prophetæ usi sunt, uti in Scripturâ refertur, aliquâ similitudine ad speciosissima cachemirensia strophia propiùs accedere, quæ in hunc regnum deferuntur. Crassior erat hujus materiæ fabrica, quâ dervices adhuc utuntur. Aliquam probabiliter hujus texturæ ideam obtinere possumus, ex eo quod ait Braithwaite *de Arabum tuguriis*: Pilis camelorum conficiuntur, quasi ferè crassiores pilosi panni, quibus ad involvendum vasa nostra utimur (3).

Camelorum subsidio instructi Arabes non modò nullâ re carent, sed et nihil metuunt. Uno die quinquaginta leucarum spatium in deserto peragrare possunt, sicque hostium inscitationem effugere. Omnes totius orbis exercitus, ait Buffon, in persequendo Arabum agmen perirent. Imaginare tibi igitur, exempli gratiâ, observat ille scriptor, regionem absque viriditate et aquâ, solem æstuantem, cœlum semper purum, arenarum æquora, montesque magis adhuc æstu adustos ubi oculis latè conspicientibus nihil animatum occurrit; solum emortuum, ventorum turbinibus perpetuò exagitatum, ubi nihil nisi ossa, sparsos passim silices, perpendiculares vel dejectas rupes aspicias, nudam solitudinem, ubi viator sub amico umbraculo auras nunquàm capit, ubi nulli sunt ipsi comites, ubi nihil ipsi in animum animatæ naturæ ideam revocat; summam omninò solitudinem, infinitè silvarum profundissimarum solitudinibus horrendiorem (in his enim homini saltem conspiciendæ sunt arbores); solitarius magis et nudus, in immenso vacuo derelictus viator, latè circumjecto spatio, quasi sepulcro, se

(1) Paxton, *Illustrationes*, vol. 1, p. 407.

(1) Michaelis, *Leges Moys.*, vol. 3, p. 534.
(2) Apud Bochart., Jerosolym., sec. 1, p. 12.
(3) *Iter ad Maroc*, p. 138.

undique comprehensum avidet: diurna lux, nocturnis etiam tenebris horridior clariorem sibi tantùm miseriæ et impotentiæ suæ ideam suppeditat, sitùsque horrorem oculis detegit, cùm ipsi immensam latè extendat abyssum, quâ ab omnibus habitabilibus terræ partibus separatur; quam quidem abyssum pertransire frustra conaretur; fames enim, sitis et urens æstus eum occupant, si fortè quid ipsi desperationem inter et mortem temporis remaneat. Arabes tamen cameli subsidio, horrenda hæc naturæ intervalla superare, imò sibi vindicare didicerunt. Ipsi enim sunt asylum, ipsi secura requies, ipsique summam libertatem servant. Atverò, nihil in usum hominis cedit, quin eo abutatur: liber idem, independens et etiam dives Arabs, nedùm deserta sua libertatis munimenta habeat, ea sceleribus polluit; ea trajicit, ut ex vicinis nationibus aurum et servos proripiat; iis utitur ad perpetranda hæc latrocinia, quibus heu! magis quàm libertate fruitur. Qui ad istud piraticæ genus apud Arabes addicitur, à teneris annis itinerum laboribus, insomniis, fami, siti, æstibusque patiendis assuescit; hoc consilio camelos instruit, educat et exercet; paucis ab eorum ortu diebus, membra eorum ita flectit, ut terrâ insidant, hocque in situ eos satis gravibus oneribus gravat, quæ non removentur, nisi ut graviora succedant. Nedùm eos ad arbitrium manducare, vel siti premente bibere permittat, pastum præfinit, gradatimque longa itinera facere cogit, diminutâ pariter pabuli mensurâ. Ubi jam adoleverunt, ad cursum eos exercet, eorum studium equorum exemplo provocat, brevique æquè acres, sed robustiores reddit. Tandem, ubi de eorum robore, velocitate, sobrietateque constat, iis imposito quidquid ad suam et ipsorum subsistentiam necessarium est, simul proficiscitur, inexspectatus deserti fines attingit, primùm obvium viatorem compilat, domos nulli conterminas deprædatur, prædâque camelis onustis, fugam, si quis vestigiis instet, festinare cogitur. Tunc verò suas et camelorum explicat artes; uni ex levissimis insidens, agmenque ducens, simul noctu dieque iter facit, quin ferè ad manducandum bibendumque sistat, eoque modo trecentarum leucarum spatium intra octo dies facilè trajicit. Durante hoc itineris et laboris tempore, nunquàm camelos onere levat, unam tantummodò requietis horam et pastæ globulum quotidiè concedit. Eo modo sæpè currunt octo vel novem diebus, quin aquam inveniant, ubi verò fortè stagnum non ita procul jacet, aquam semi-leucam abhinc odorantur. Siti cogente, gradum duplicant, et quantùm ad præteritum tempus, et ad idem futuri temporis spatium necesse est, unâ vice bibunt; eos enim sæpè iter plures hebdomadas detinet, eorumque usque ad itineris finem abstinentia perseverat.

Natura, inquit Bruce, camelum dotibus et qualitatibus ad officia quibus fungi debet instruxit; nullum aliud pabulum quàm aridissimos carduos et nudissimas spinas requirit utilis iste quadrupes, eaque, ut nullum pereat temporis momentum, ambulando in itinere manducat, quin sistat aut moræ tantulùm faciat. Cùm ipsi datum fuerit immensas, ubi aqua penitùs deficit solitudines peragrare, regionesque quas ros cœli nunquàm madefacit; datum est ei etiam ubi occurrit aqua aquæ copiam ita colligere, quâ ad triginta sibi dies in futurum providere possit. Ad continendam verò tantam aquæ copiam magnas in ipso cisternas natura formavit, ex quibus, cùm impletæ fuerint, urgente siti, ad arbitrium haurit quantùm sibi necesse est, et in stomachum effundit, quasi è fonte ipso illam hauriret (1).

Etsi quidem camelus ultionis adeò cupidus sit, ut animo ferat, et terribilissimo modo sentiat quæcumque sibi inferri potuerit injuria, extraordinaria omninò tamen est ejus patientia. Primo nutu, genua flectit, ventre incubat, seque hoc in situ corporis onerari sinit; altero nutu, surgit cum onere et ductore, qui dorso insidens voce simul et cantu bestiam incitat.

In Turcarum imperio, Persiâ, Ægypto, Arabiâ, Barbariâ, et variis contiguis regionibus, omne mercium genus à camelis defertur; qui exportationis modus, expeditissimus omnium, et minimè sumptuosus est. Mercatores et alii viatores simul conveniunt et in catervam congregantur, ut Arabum aggressiones, latrociniaque devitent; hæ peregrè euntium manus sæpè numerosæ sunt majorique camelorum quàm hominum semper numero coalescunt. Pro vi suâ quisque camelus onus habet; majores à mille ad mille et ducentarum librarum onera, minores verò à sexcentis ad septingenta libras deferunt. Asserit Burckhardtus camelum sistere non posse, suis iter facientibus: itaque gratissimus est Arabibus viator, qui è camelo exilit et in eum rursùm ascendit, quin eum cohibeat, huic enim graviter onerato molestum et laboriosum foret genua flectere; et, antequàm rursùs surgeret, agmen jam longè antecessisset. Juxta eumdem scriptorem, erroneum est sentire camelum arenosis locis delectari. Verum est quidem, observat ille, camelum loca hæc minùs difficilè quàm cætera animalia peragrare, sed ubicumque altæ sunt arenæ, sui ipsius et oneris pondus pedes ejus quoque gradu defigit, ipseque gemit, et sæpè sub onere cedit obrutus; hanc esse causam, ait ille viator, cur cameli sceleti numero plurimi occurrant, ubi profundissimæ sunt arenæ. Asperum calculosumque deserti solum camelo gratissimum est (2).

Bactrianus camelus ex Arabico vel dromedario distinguitur, quòd duo in dorso tubera gerat. Non ita numerosus est, et ad quarumdam Asiæ partium fines restringitur. Seorsùm à dromedario, cujus, ut vidimus, motus est acerrimus, Bactrianus camelus tardo et solemni gradu procedit.

Ex iis quæ nunc de animale hoc narrantur, proprietatem, pulchritudinemque plurimorum Scripturæ locorum, in quibus de eo mentio fit, aut ad illum alluditur, videre possumus.

(1) *Itin.*, vol. 4, p. 596.
(2) Rees, *Encyclop.*, art. *Camelus;* et Burckhardt, *Itin.* p. 445-622.

Fugitivos suos dies reputans, brevitatemque vitæ humanæ ritè æstimans, exclamat Job : *Dies mei velociores fuerunt cursore ; fugerunt, et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves inflatæ, sicut aquila volans ad escam ;* Job. 9, 25.

Locus iste miserabiliter perplexos tenuit commentatores. Vox originalis in secundo versiculo litteraliter reddita est *naves abeh;* aut, si *abeh* pro velocitate sumatur, *naves velocitatis.* Syriaca versio habet, *hostiles naves;* Chaldaica, *naves exquisito fructu oneratæ ;* aliæ, *naves benè instructæ;* Vulgata, *naves poma portantes;* Parkhurstus, *naves ex papyro confectæ*, et Good, *naves cum velis inflatis.* Satis magna est versionum diversitas (et multùm augeri posset), ut dubium moveat utrùm ulla ex ipsis genuinum sensum loci offerat. Nos ita esse negamus. Hic igitur ad dromedarium relationem esse putamus, quam prætermisêre translatores, eo quòd localem hanc notitiam non haberent quâ solâ poeticæ imagines certè exhiberi possunt.

Ut asserat quid à sacro Scriptore probabiliter intentum esse potuerit, D. Taylor verborum sensum sic commentatur : *Dies mei velociùs fugiunt quàm currens nuntius*, qui velocitatem suam exerit, ubi de magni momenti negotio missus est ; *fugiunt*, ut fugitivus qui ab hoste fugit, ut servet vitam ; *non circumspiciunt, ut quid bonum videant ; transierunt ut naves velocitatis, ut vultur festinanter, volans ad prædam recèns lapsam.* Si ad gradationem attendamus, nuntium velocem invenimus, velociorem adhuc fugitivum, naves fugitivo velociores, velocissimum omnium vulturem. Nonne omnes istas similitudines ad res terrenas restringere debemus, quas Job familiariores fuisse naturâ videtur, consideratis ejus regione et poematis scenâ ? *Naves fructum ferentes* velociores non sunt quàm naves quâlibet aliâ re oneratæ ; et *hostiles naves* è conspectu fugere tam citò nequeunt ; si verò supponi possit animal aliquod, vel aliquod animalium genus tropicè et metaphoricè vocari posse *navem* aut *naves ; cursoremque, nuntium* vel *fugitivum* velocitate superare, tunc illustrari potest locus, adhibitâ tropicâ hâc locutione. Animal istud in dromedario quærere licebit, qui Job notissimus erat, voceque *abeh* describi potest, si hujus vocis sensus sit, ut ex radicali sensu esse videtur, *inflatus dromedarius*, intentis tuberibus quæ in dorso ejus eminent.

In confirmationem ingeniosæ conjecturæ suæ, D. Taylor sequentem ex honesto Sandys locum citat: Peregrè euntium manus, nunc congregata, mille equis, mulis, asinisque constabat, et quingentis camelis. Ii sunt Arabiæ *naves*, maria eorum deserta sunt, creatura ad onera creata, etc. (1) Clarè tamen non apparet in his excerptis, etsi id inde colligi possit, camelum vocari Arabiæ *navem;* sed nobis succurrit D. Bruce, dicens : Quod pastori facultatem præbet longa laboriosaque per Africam itinera perficiendi, *camelus* est, emphaticè ab Arabibus dictus desertorum *navis.* Ille ad hoc ipsum creatus fuisse videtur, etc., etc. (2). Ista igitur emissa idea, et magnâ ex parte à Sandys et Bruce confirmata, adhuc ampliùs confirmatur notitiâ de metaphoricarum istarum navium velocitate quæ in Morgani historiâ Algerii occurrit (1). Statuitur ab illo scriptore dromedarium, in Barbariâ vocatum *aashare*, unâ nocte et per planam regionem tantum trajecturum esse spatium, quantum equus vulgaris noctibus decem trajicere posset. Asserunt Arabes ipsi pro minimo esse ut rapidum illum gradum, qui est citatissimi succussoris, viginti quatuor horas teneat, quin minima fatigationis aut sese reficiendi desiderii signa ostendat; deglutitisque uno vel duobus cujusdam pastæ hordeaceâ farinâ cum modico siccarum palmarum pulvere subactæ globulis, et aquæ vel camelini lactis vase, indefatigatum hoc animal tam integrum esse videri, quàm ubi primùm profectum est, paratumque esse ad currendum eodem vix credibili modo totidem ampliùs horas, sicque ab uno Africanorum desertorum fine ad alterum ; dummodò ductor insomnis et omni alio refectionis genere destitutus remanere possit. Dùm Algerii staret D. Morgan, condicti cujusdam semel particeps fuit, in quo unus ex istis *aashare* contra quosdam ex levissimis equis punicis cucurrit, qui in totâ Nejâ inveniantur, quæ optimos ejus generis equos ex vero Libyco genere habere reputatur, vertagi formam exhibentes, et struthionem aliquando insectantes. Lectori, nostro sensu, non ingratum faciemus, si sequentibus his paginis hujus narrationem transferamus.

Quasi cursores cursum corripuimus, et primo impetu plerique ex nobis optimis equis utentes gradum sat benè tenuerunt; sed nostri fœno vescentes equi brevi defecêre : plures ex Libycis Numidicisque cursoribus gradum tenuerunt, donec nos, qui adhuc cursu citatissimo ferebamur, eos ampliùs discernere nequivimus, et tunc cursum sisterunt, ut reduces nobis narravêre. Postquàm ferè semihoram ab oculis evanuerat dromedarius, nobis tunc rursùm apparuit, ad nos stupendâ velocitate avolans; postque paucissima temporis momenta inter nos erat, prorsùsque integer videbatur ; dùm contra equi et jumenta toti in spumis essent, vixque spiritum traherent, et ipsi etiam juniorum principum cursu leves vertagi, qui toto tempore gradum tenuerant, quique vix ad nos reversi sunt, cùm jacuêre palpitantes, quasi jam expiraturi fuissent (2).

Hæc quoque ostendunt quàm proprio sensu hoc animal à Prophetâ vocatum fuerit *velox dromedarius* (Jer. 3, 23) (3), quàmque prudenter egerint Estheris emissarii, cùm ad deferendas litteras suas ad remotas imperii Persici provincias animal istud elegerunt. Esth. 8, 10.

Ex modò citato scriptore discimus Arabes dromedarios suos lori coriacei ope regere, quod per fora-

(1) *Itin.*, vol. 1, p. 138.
(2) Ibidem, p. 308.

(1) *Itin.* p. 101.
(2) *Fragm. ad Calmet*, n. 122.
(3) Juxta Anglicam Bibliam; in Vulgatâ nihil ejusmodi occurrit; idem de sequenti Esth. textu citato, in quo vox reddita Anglicè *dromedarius*, vertitur *veredarius.*

men, in bestiæ ipso naso ad id effectum, deducitur. Nonne hoc illustrat hanc 4 Reg. 19, 28, locutionem : *Ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam per quam venisti?* Hoc enim denotat quàm alta fuerit Assyriorum humiliatio et fugæ eorum celeritas.

Locus alter, quem illustrandum fore putat D. Taylor, si vox *aashare* veloci dromedario applicetur, occurrit Prov. 6, 10, 11 : *Paululum dormies, paululùm dormitabis, paululùm conseres manus, ut dormias : et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.*

Poeseos Hebraicæ ingenium aliquid à viro armato, vel clypeato, ut ad marginem legitur (1), diversum requireret in oppositionem ad viatorem vel velocem nuntium, in phrasi præcedenti. Evidenter patet scriptoris animum esse exprimere quàm rapidè velociterque accedat egestas; itaque loco *viatoris* legere possumus *cursorem* aut *velocem nuntium, virum expeditum.* Sed hìc nobis res cum viro armato est. Porrò, voces *ish magen*, nullibi usurpantur ad designandum *virum armatum*, vel *clypeatum*, ut redditum litteraliter volunt quidam ; sed paraphrastes Chaldæus eas vertit *gabra cishera*, vel potiùs *ci-ashera*, velox ut *aashare*, vel *aashare insidens*, id est, *aashare equitans*, ut respondeatur ad *cursorem*, in præcedenti phrasi. Sic igitur inculcatum ibi habebimus velocitatis augmentum, ut evidenter postulat locus de quo nunc agitur. Septuaginta vertunt *velocem cursorem*, unde patet eos nihil novisse de clypeato hoc viro, qui sperandus sanè non esset tam liberè cursurus, cùm clypeo impeditus foret, quàm qui clypeum non haberet. Clypeus est ad tegendum : si dictum fuisset *ensis*, designare potuisset *potestatem* et *aggressionem;* sed interpretes nostri, hoc formidantes, ambiguam vocem *armatum* usurpârunt. Sensus igitur loci, juxta principia supra suggesta, sic stabit : *Egestas veniet tibi tam velociter quàm cursor, et pauperies tam festinanter et rapidè quàm* (antagonista), vel *aashare* insidens aut equitans (2).

Hâc in sublimi prophetiâ, ubi prædicit propheta ingens augmentum et florentissimum regni Messiæ statum, conversis et undique accedentibus gentilibus, felicem hanc et gloriosum concursum ingenti camelorum congregatorum agmini comparat : *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha.* Quòd homines, non verò irrationabilia animalia, hìc intendantur, patet ex his verbis : *Omnes de Sabâ venient... laudem Domino annuntiantes,* Isai. 40, 6. Hâc figurâ utendo propheta in animo forsan habere poterat hierographycam Ægyptiorum scripturam, in quâ camelus erat hominis signum et figura ; et, si ita sit, præterquàm id apprimè Hebraicæ poeseos ingenio congruat, intelligere poterimus quàm propriè et accuratè in illustrissimâ hâc prophetiâ introducatur. Quidam piè scriptores ad Christum ipsum prophetiam referunt, eamque impleri cœpisse putant, cùm Magi, ex ipsis locis, de quibus propheta loquitur, venientes, recèns natum Salvatorem adoraverunt, eique obtulerunt *munera, aurum, thus et myrrhum,* S. Matth. 2, 11. Sed Madian et alii de quibus propheta loci, ad meridiem Judææ stant, dùm è contra expressis verbis dicit evangelista Magos ab Oriente venisse ; ex quo non minùs quàm ex ipsorum nomine *Magi*, seu *viri sapientes*, clarè probatur nativam eorum regionem et domicilii locum fuisse Persidem.

Camelum per foramen acûs transire apud antiquissimas gentes proverbialis locutio erat, difficultatem exprimens, quam nec ars nec humana potestas superaret. Eâ uti Dominus noster non dedignatur in suo ad discipulos sermone, ut indicaret quàm difficillimum sit homini diviti omnia dimittere pro Dei et veritatis causâ, bonumque salutis obtinere. *Et iterùm dico vobis : Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum*, S. Matth. 19, 24. Plurimi existimant interpretes hìc ad camelum non alludi, sed ad rudentem quo anchora navi alligatur, et loco *camel*, legunt *camil*, ex quo vox nostra *cable, rudens,* defluere supponitur. Definiri facilè nequit quis horum anteponendus sit, multique non infimæ notæ interpretes utrumque sensum adoptaverunt. Prior tamen generaliter vocis esse significatio habetur. Talmudicis quoque scriptoribus simile est proverbium quoad eum qui perficiendam sibi proponit rem impossibilem, quod his verbis exprimunt : *Tu forsàn ab urbe Pombodithâ es, ubi elephantum per acûs foramen emittunt.* Aliud Hebraicum adagium, de quo doctissimus Buxtorf, strictam ad hoc similitudinem fert : *Nec auream palmam ostendunt, neque elephantum, qui per foramen acûs transit.* Proverbiales illæ locutiones ad id tendebant, ut rem difficillimam vel supra humanam vim et captum, exprimerent, nosterque Salvator loco elephanti camelum, quasi Judæis magis notum, sumpsit.

Stricta tamen analogia, rudentem inter et filum quod per acûs foramen transire solet, ait scriptor ex quo hæc sumpsimus, inducit nos ad amplexandum posteriorem sensum. Per vocem Hebraicam *gemel*, et Græcam κάμηλος, Syrii, Hellenistæ, Judæi et Arabici omnes nauticum rudentem intellexerunt ; indeque Assyrii Arabesque vocem sic interpretandam esse in proverbio de quo nunc contendunt. Talmudici scriptores quoque simile habent adagium, à doctissimo Buxtorf citatum : *Migratio animæ ex corpore difficilis est, ut per arctum foramen rudentis transitus.*

Apud S. Matth. 23, 24, altera occurrit proverbialis locutio : *Colantes culicem, camelum autem glutientes.* Hìc ad morem alluditur qui gentiles inter et paganos prævaluerat liquorem colandi, ex quo bibebant, ut ista ejicerentur insecta, quæ ita in australibus regionibus pullulant, indeque in vinaria vasa facilè decidunt. Quidam interpretes camelum ex hoc loco excutiendum cupiverant, existimantes Salvatorem nostrum tam immane animal exili insecto conjungere non potuisse ; intelligendam igitur proponunt majoris speciei muscam. Conjecturalis tamen hæc emendatio admittenda non est, quæ veteribus versionibus omninò stare nequit. Expressio sumi debet hyperbolicè, ut sit antithe-

(1) Cap. 24, 34.
(2) *Fragm. ad Calmet.*, n. 475.

sis quàm strictissima, duæ res quàm oppositissimæ eliguntur, exilissimum nempe insectum, et amplissima bestia. Hâc ipsâ antithesi Judaici Græcique scriptores utebantur, ut ex Wetstein patet (1).

EQUUS.

Numquid tu equum metallo instruxisti? Numquid collum ejus tonitrui fulgore induisti? Numquid ei dedisti ut quasi sagitta irrueret? Terribilis est gloria narium ejus. In campis salit et exsultat, strepentes in hostes audacter incedit; ridet ad pavorem, nec tremit; nec à gladio se avertit. Contra ipsum sonat pharetra, nitens hasta et clypeus. Rabidus et furens sorbet terram, impatiensque fit, ubi sonat buccina. Ipse inter buccinas exclamat: Vah! Et à procul odoratur bellum, tonitru (strepitum) ducum et plaudentium murmur. (Job. 39, versio doctoris Good.)

Vivida hæc et inimitabilis equi descriptio divinitùs inspirato scriptore digna est, sed ut dijudicare possimus quàm sit accurata, illum non modò in pascuis et stabulis, ubi ab homine cohibetur, sed in vastis his et immensis æquoribus considerandus est, ubi primùm ortus est, ubi nullo impedimento pererrat, et in omnes naturæ luxuriantis varios modos luxuriatur; in ipsâ quoque bellicâ acie, ubi nativus ipsius ardor et virtus foris prodeunt, et in actum, armorum strepitu et clangore buccinarum, moventur.

Equus universè pulcherrimus omnium quadrupedum habetur; nobilis ejus corporis statura, lenis cutis nitor, gratiosa motuum facilitas, formæque perfecta symetria docuerunt nos illum primum omnium habere et perfectissimâ formâ donatum. Attamen, quod satis extraordinarium est, si internè consideretur, ab humanâ structurâ magis quàm alius quilibet quadrupes absimilis invenietur. Ut simius ad nos propiùs quoad internam conformationem accedit, ita remotissimus est equus (2), unde insigniter probatur esse posse pulchritudinis oppositiones, omnemque gratiam non ad eumdem typum, referendam (3).

Definiri nequit è quâ regione ortus venerit equus. Ab Oriente tamen ortum esse probabilissimum videtur, quippe quòd frigida cœli temperatio constitutionem ejus non ita juvat; et etiam pulcherrimi, generosissimi, velocissimi et laboris patientissimi ex totius orbis equis, in Arabiâ et Persiâ inveniuntur.

Animalium istorum incredibilis est velocitas, vividissimisque in sacris Scripturis figuris locum dedit. Sic Isaias terribilem describens devastationem quam passura erat terra Juda ab Assyriorum exercitibus: quorum equi ex genere Persico probabiliter erant, multâ cum vi et gratiâ eorum stupendè veloces quadrigarum motus exprimit: *Rotæ ejus* (erunt) *quasi impetus tempestatis*, cap. 5, 28; sicque Jer. quoque: *Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus: velociores aquilis equi ejus*, cap. 4, 13. Propheta Habacuc, eamdem equi qualitatem describens, alterâ, sed æquè insigni figurâ utitur: *Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis; et diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum*, cap. 1, 8 (1).

(1) Bloomfield, *Recens. synopt. annotat. sacræ*, in loco.
(2) *Hist. nat.* Daubenton, lib. 8, p. 497.
(3) Goldsmith, *Anim. nat.*

In remotissimo historiæ suæ ævo, celeberrima erat Ægyptus propter suorum equorum genus, ut Exod. 14, 9, novimus; eaque fuisse videtur subsequentibus ævis Ægyptiorum equorum excellentia, ut Israelitis denuntiet Isaias propheta, qui, ingruente periculo, spem suam in Ægypti opibus constituturi erant: *Ægyptus homo, et non Deus: et equi eorum caro, et non spiritus*, cap. 31, 3.

Antiquis ætatibus rari erant equi apud Hebræos. Patriarchis nulli erant, et post ab Ægypto exitum prohibitum est ne eorum rex sibi multiplicaret equos, Deut. 17, 16. Ut ab Ægypto generaliter equi deducebantur, eos Deus prohibuit, 1° ne tale ipsis cum Ægypto commercium ageretur, quod ipsos in idolorum cultum inducere posset; 2° ne populus in ritè instructis equitibus quasi certa forent securitas confideret, sicque in promissum Dei auxilium et protectionem sperare desineret; 3° ne equitum ope imperium suum extendere cuperent, sicque inter circumjectas idololatras gentes diffunderentur, et eo modo temporum processu, distinctus separatusque populus jam non forent, quem eos esse Deus volebat, cùm aliter prophetiæ quæ ad Messiam intendebant debitam plenamque impletionem habuisse nosci nequirent.

Judicum tempore, equi et bellicæ quadrigæ erant apud Chananæos, nullæ verò Israelitis: undè generaliter timidiores erant quàm ut in campos descendere auderent, satis habentes sibi montosas regionis partes occupare. Saüle verò regnante, equorum educandorum cura in Arabiam introducta nondùm fuisse videtur, quippe quòd in bello cum pluribus Arabicis nationibus, Israelitæ prædam retulerunt camelos, oves, asinos, sed nondùm equos. Salomon primus apud Hebræos equestres copias instituit; qui equitatus, si cum eo qui nunc usualis est compareter, numero ingentissimus erit, 3 Reg. 10, 25. Ille etiam in Ægyptiis equis pro coronæ lucro negotiatus est, 2 Paral. 9, 28.

Evidenter patet ex Jud. 5, 2, Isai. 5, 28, et Amos. 6, 12, de more apud veteres non fuisse equis soleas induere, ut nunc fit. Idcircò ungulæ vis, firmitas et soliditas longè pluris apud ipsos quàm apud nos fiebat, unaque ex præcipuis pulchri equi dotibus reputabatur. Ultimus ex supra citatis locis à sequenti observatione lucem accipere potest: prædicant Arabes gilvorum equorum pedum firmitatem, juxta Arabicum quoddam adagium, quo significatur, si equestris turba per calculosam regionem iter faciat, gilvos equos pedibus suis calculos fracturos: quæ opinio experientiæ stare videtur; in monte enim Atlante, in quibusdam Susianæ partibus, et in omnibus asperis calculosisque tractibus, gilvi equi multò numerosiores quàm alio quolibet colore tincti occurrunt; quorum pedes adeò

(1) Paxton, *Illustr.*, vol. 1, p. 419.

duri sunt, ut eos duorum dierum viam tenere noverim per calculosos Atlantis calles, incalceatos, et vias currere mobilibus fractisque calculis et balsaticis rupibus constratas (1).

Legimus apud Zach. 6, 1, 3, quatuor quadrigas egredi de medio duorum æreorum montium. In quadrigâ primâ equi rufi, et in quadrigâ secundâ equi nigri, et in quadrigâ tertiâ equi albi, et in quadrigâ quartâ (2) horridi et badii equi. Quatuor hæ quadrigæ interpretibus esse visæ sunt magna quatuor regna Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, qui successivè Dei misericordiæ et justitiæ consilia executi sunt; variique equorum colores, varii regnorum horum characteres. Sed D. Greenfield eas probabiliùs de angelis intelligit, qui Dei nuntii et ministri sunt, Dominique currus (Ps. 67, 18) vocantur, per quos providentialem suam voluntatem in terris perficit. Equi rufi bellum denotant, nigri famem et pestem, albi judiciorum amotionem, horridi verò varia iræ et misericordiæ dispensatio. Comp. Apoc. 6, 2-8.

Neminem fugit equos à paganis gentibus soli solisve lumini consecratos fuisse: quod numen curru à pulcherrimis velocissimisque mundi equis tracto insidens, sicque quotidiè viam suam ab oriente ad occidentem agens, ut terræ lumen largiretur, repræsentabatur.

Idololatricus iste mos Judæam infecerat; mentio enim fit, 4 Reg. 23, 11, equorum qui à regibus Juda soli vel solis lumini dono dati fuerant.

ASINUS.

Tardus asinus, gravi corporis firmitate prœditus, quem
In latè patentibus arvis puerorum turbæ persequebantur:
Frustrà latus ejus impetunt baculi ictuque franguntur;
Ille fluctuantem segetem tondet, campumque devastat;
Sua dùm cutis debilibus resonat ictibus, ipse immotus,
Loco tamen stat; vix, pueris conantibus, ab agro cedit,
Vixque, saturatus licèt, gradùm tandem accelerat.
(Iliad., lib., 11, v. 557.)

Duæ animalis hujus varietates à naturalistis describuntur, ferus seu *onager*, et domesticus *asinus*. Priore ad tempus prætermisso, ad posteriorem attendemus. Nomen quo generaliter insignitur in Scripturâ *chemor* est, à verbo cujus sensus est *disturbare, ordinem pervertere*, probabiliterque sic vocatur quòd, ubi irâ vel libidine movetur, in modum inusitatum turbulentus apparet. Asinus domesticus notior est quàm ut formam ejus et apparentiam describere necesse sit. Notandum tamen est illum in regionibus orientalibus majorem esse et sub omni respectu conspicuum longè magis, tantique fieri, ut equo in multis domesticis usibus anteponatur. Numerantur asini inter ea quibus Abrahami, Jacobi, Jobique constabant opes, Gen. 12, 16; 30, 43; Job. 42, 12; atque Ana, Horites princeps, suâ indignum dignitate non habuit asinos patris sui Sebeon pascere, Gen. 36, 24. Regnante Davide, tanti fiebant ut Gadias Meronathites, princeps Israeliticus, super asinorum genus præpositus fuerit, 1 Paral. 27, 30. Super asinum ascendere, in diebus Judicum, dignitatis insigne erat, quod probabiliter sibi vindicare vulgus non præsumebat. Illud evidenter patet ex brevi quam dat divino afflatu ductus historicus notitiam de dignitate et opibus Jair Galaadites, qui fuit unus ex judicibus: *Habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth-Jair, usque in præsentem diem*, Jud. 10, 3, 4; Abdon, Pharathonites, alter ex judicibus, *habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum*, Jud. 12, 14. In plurimis ex citatis locis observandum est mentionem fieri de particulari quodam domestici asini genere, *aton*, cujus valor, si ex circumstantiis in quibus illud generaliter collocatum invenimus, rectè judicari possit, vulgaris speciei pretium longè excedit.

Rationi consentaneum est supponere mores et consuetudines electarum tribuum mutationem subiisse quo tempore respublica in monachiam transiit, fascinantesque aulæ voluptates solitum suum influxum exercere incœpisse; nunc usque tamen locum suum in magnatum servitio retinuit asinus. Miphiboseth, Saülis nepos, asino sedebat, sicut et ipse Achitophel, primus Davidis minister, clarissimusque hujus temporis regis consiliarius. Imò, sub ipso Joram, Achab filii, regno, hoc animal in suî servitium adhuc requirebant divites ex Israelitis: Sunamitis, alti generis mulier, *stravit asinam suam et ivit ad montem Carmeli*, ubi Eliseus habitabat, ut filii sui mortem prophetæ annuntiaret, opemque ab eo peteret, 4 Reg. 4, 8, 24.

Ubi verò equorum numerus in Judæâ crevit, et qui primum dignitatis et moris gradum obtinebant, pompæ et ostentationis studiosi facti sunt, nobilioris elegantiorisque animalis motus velocibus, sed minùs exquisitis asini motibus prævaluêre. Quæ mutatio, ut id rationi supponere non repugnat, à Salomonis in regnum accessione ortum habere cœpit; dives enim et splendidus princeps numerosum pulcherrimorum equorum, quos Ægyptus et Arabia præbere possent, gregem proletarium collegit. Res est certissima; quòd nempe, postquàm è diuturnâ suâ Babylonis captivitate Judæi reversi fuerunt, principes et, qui cultui elegantiori indulgebant, plerique equis mulisve insidebant: asinus verò in inferioris ordinis populi tantùm partem cecidit, moxque in publico (1) huic animali insidens apparere, signum fuit paupertatis et generis ignobilitatis. Quòd autem ad istam Judaici populi morum mutationem non attenderunt quidam magni nominis commentatores, obvium S. Matth. 21, 4, 5, sensum insectari ausi sunt, quo in loco describit Salvatorem nostrum Jerusalem ingredientem, asino insidentem; quæ circumstantia hìc, ut et in prophetiâ (Zach. 9, 9) in signum et argumentum dulcis ejus et humilis animi exhibetur. Ipsi tamen, ad mores remotissimorum tantùm reipublicæ temporum intendentes, circumstantiam, de quâ agitur, talem esse reputârunt, ut, juxta

(1) Jakson, *Marocana relatio*, p. 76, in-4°
(2) Vulgata habet hìc: *Equi varii et fortes.*

(1) Paxton, *Illustr.*, vol. 1, p. 430.

populi sentiendi modum, magnum in ipsius characterem decus reflecteret.

Cùm asinus sit ex immundis animalibus, quibus vesci Mosaica lex prohibebat, hic 4 Reg. 6, 25, locus paululùm fit impeditus : *Factaque est fames magna in Samariâ, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis.* Non tanta foret intelligendi loci istius difficultas, si nobis notum non esset, quantùmvis remissi forent Judæi in materiâ morum, nullum tamen laborum dolorumque genus aut modum eos induxisse ad infringendas cæremoniales legis præscriptiones, et præcipuè quæ ad cibos attinebant. Recentissimus Calmeti editor satis accuratè, nostro sensu, locum istum interpretatus est. In 1 Reg. 16, 20, in Bibliis nostris legimus : *Tulit itaque Isai asinum plenum panibus ;* ubi vox *plenum* ab interpretibus addita est ; textus enim nativus fert *asinus panis*, significatque, ut conjicit D. Taylor, non animal quoddam, sed vas panis plenum, modum mensuræ receptum, vel *acervum*. Septuaginta vertunt χόμερ panis. Sic nobis occurrit apud Græcum poetam Sosibum : *Ille ter in unius diei spatio manducat, magnos tres asinos panis ;* quod intelligit Casaubon de *onere* trium asinorum, dum è contra significat id quod in tribus vasis speciei *asinus* dictæ continetur (1). Dubitare quoque possumus utrùm Abigaïl, 1 Reg. 25, 18, reverà onera asinis quadrupedibus imposuerit sua ad Davidem dona ; textus enim nativus hic est : *Ipsa tulit ducentos panes... et posuit eos super ipsos asinos ;* quod aliquid ab asinis animalibus diversum indicat ; tum enim legeretur, ut in nostrâ versione : *Ipsa posuit eos super asinos.* Præterea locus est, Exod. 8, 14, in quo interpretes nostri per, *congregavit*, reddiderunt quod in textu originali est, *asinos asinos : Congregaveruntque eas* (ranas) *in immensos aggeres, asinos asinos*, id est, plurimas ex mensurâ dictâ *asinus ;* sicque Samson ait de profligatis à se hostibus : *Acervus acervi ; asinus asini.* Nunc igitur si vocem nostram Anglicam *pile*, *acervum* sumamus hanc mensuram indicare, non attentantes tamen accuratè definire, ad id ducemur, ut sentiamus Jesse misisse ad Saülem *acervum* panis ; Abigail panem suum, vinum, frumentum, uvas et ficus in *acervos* posuisse ; Ægyptios ranas fœtidas in *acervos* congregavisse ; Samsonis hostes in *acervis* jacuisse. His in versionibus nihil sanè contortum, vel naturæ oppositum occurrit. Sese igitur eo modo à culpâ eximant Judæi locum de quo nunc agitur vertentes non *caput asini*, sed *summam mensuræ* aut modi ; nam in textu originali litteræ sunt prorsùs eædem. Sed quid de capite nobis fiet ? inquirit D. Taylor, et ingeniosè addit verbum *rash*, quod hìc *caput* vertitur, significare *totalem integritatem*, *totum*, ut Ps. 138, 17 (juxta Hebr.) : *Quàm pretiosæ cogitationes tuæ, Deus ! quanta earum summa !* (*totum, integritas.*) Exod. 30, 12 : *Quando tuleris summam filiorum Israel*, etc., etc. His inter se compositis ideis, loci sensus sic efficitur : Adeò graviter premebat fames, ut *summa acervi*, id est, *panis*, seu *integer panis acervus* venundaretur octoginta argenteis. Fatendum est tamen hìc in textu originali panis mentionem non fieri, itaque eò magis indefinita manet quam panis quantitatem vox *acervus* hìc indicet (1).

In ritualibus legibus prohibitum erat ne Judæi in bove simul et asino ararent, Deut. 22, 12. Generalis est opinio quòd variarum specierum in seminibus generibusque, etc., mixturæ ad superstitiosos fines apud paganos fierent, et hæc causa est cur à Moyse prohibeantur. Probabilius tamen est physicam fuisse legis hujus rationem. Ritè enim simul consociari nequeunt duæ variæ speciei bestiæ, nec ita libenter vehiculum vel aratrum trahunt ; et apprimè novit villicus quisque maximi facere ad pecorum commodum, si, quæ sibi invicem chara sunt, simul consocientur. Illud frequenter observari potest in quodam pecorum genere, quæ sub hoc respectu verè *conjugata* reputantur. Cæterùm, ait doctor A. Clarke (2), post D. Clericum, probabilissimum est generalem intentum à Moyse finem fuisse, improprias in civili simul et religiosâ vitâ conjunctiones prohibere. Ad hoc intendere S. Paulus evidenter videtur, 2 Corinth. 6, 14 : *Nolite jugum ducere cum infidelibus ;* quo prohiberi intelligendum est omne christianos inter et infideles sive in sociali, sive in matrimoniali, sive in religiosâ vitâ commercium. Ut hujus legis legitimum sensum edocerentur Judæi varia præcepta ad improprias et heterogeneas conjunctiones attinentia in eorum lege intermixta sunt ; ita ut ea semper in civili et domesticâ vitâ ante oculos habere possent.

Sunt et alia sacrarum Scripturarum loca in quibus ad laboriosum hoc et patiens animal intenditur, sed ad ea advertere necesse nobis non est. Hunc tamen ex exquisitissimo professoris Paxtonis opere seligemus.

Non minùs conspicuus est asinus ob ipsi onera sustinendi inditam facultatem, quàm propter patientiam et tranquillitatem quam ostendit, ubi nimio onere opprimitur. Ut camelus, quietè se gravissimis oneribus submittit, ea tranquillè defert quoad usque ultra procedere nequeat ; et, ubi vires deficiunt, nedùm resistat, aut ab opprimenti onere se excutiat, ipse æquo animo in terram procumbit, et sub onere requiescit, vires suas sibi oblato pabùlo reficit, et deindè, voce magistri, in viam procedit. Ad hunc utilis istius animalis characterem alludit evidenter moriens patriarcha, cùm, divinitùs afflatus, Issacharis et posterorum ejus sortem prænuntiat : *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos ; vidit requiem quòd esset bona, et terram quòd optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Gen. 49, 14.

(1) D. Relandus ostendit multis argumentis paganos nomen, *asinus*, dare solitos cuidam lagenæ speciei, quæ duas ansas habebat, probabiliter quòd longæ essent duæ hæ ansæ, et ad asini aures similitudinem quamdam haberent. Eam fuisse causam existimat ille, cur dixerint veteres Silenum, Bacchi servum, super asinum devectum fuisse. Dissert. ult. de *Inscript. nummor. Samar.*

(1) *Script. illustr. expos. Index*, p. 116.
(2) *Comment. in Deut.* 22, 10.

Sensus hujus prophetiæ evidenter hic est, scilicet : Tribus hæc, naturâ stulta et stupida, sese, velut animal cujus ipsi character attribuitur, libenter vilissimo magistro et humillimis officiis submittet. Quanquàm enim, ut asinus, facultate polleret, si modo convenienti regeretur, sese ab inglorio servitutis jugo eximendi, Phœnicensium tamen ex unâ parte, et ex alterâ Samaritanorum opprobriis subjici volebat. Issachar erat asinus fortis, capax, ait acutissimus scriptor, onus rejiciendi, non minùs quàm suscipiendi; sed, velut passibilis, servulaque bestia, cui assimilatur, ingloriosam requiem justæ et ritè ordinatæ libertatis commodis jugumque servitutis dubiis belli eventibus anteponebat.

Orientales agricolæ non pauciora huic bestiæ servitia quàm politici viri et mercatores debent. Bos et asinus simul in ejusdem agri culturâ laborabant. Ad hoc evidenter alludit Isaias in sequenti prædictione : *Et tauri tui, et pusilli asinorum, qui operantur terram, nitidum pabulum comedent, quod palâ et ventilabro ventilatum fuit;* 30, 24. His in verbis magnæ copiæ tempus prænuntiat, quando frumento meliore, à paleis separato (ut propriè significat vox quæ in versione nostrâ *nitidum* redditur) aciduloque, ut edendo majori voluptate perfruantur, pecora vescentur. Ad morem qui in Palæstinâ vulgaris erat cum asino arandi intendit evangelista, cùm eum vocat *pullum filium subjugalis*, Matth. 21, 5.

In pinguibus terris, quas irrigari necesse est, agri ad semen recipiendum ope asini parabantur, qui eos pedibus suis conculcabat. Ad hunc terram præparandi modum Prophetam alludere supponit Chardinus, cùm ait : *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini;* Isai. 31, 20. Beati enim erunt sub futuro Messiæ promissi regno. Ante ipsius adventum, regio eorum fieri debebat terra desolationis; myricis et spinis eorum agri replendi erant, sumptuosa eorum ædificia dejicienda, civitates et munita oppida pulveri adæquanda; ubi verò primùm regnare incipit Messias, tempora inauditæ prosperitatis currere incipient, divina benignitas in fœcundantibus imbribus descendet, ad recreandos agros, rivulosque inflandos, quos humana ars et industria inter plantaria sua deducit, vel quibus à oryzis sata arva inundat. Securus à ruinosis alienorum incursibus, inque certâ copiosæ messis spe constitutus, oryzam agricola suam in ipsâ superincumbentis aquæ facie diffundet, illamque in lutosum solum bovis et asini pedibus immittet. Prosperus ipse et felix, officium suum esse censebit *facere bonum et communicare*, viduæ et orphano opitulari, januam suam peregrino aperire, lumen veritatis circumfundere, summamque humanæ felicitatis diligenti prudentique opum omnium, quas in manibus suis Providentia collocavit, usu inflare.

Præstita ab utili hoc animali officia, in ipsis etiam primitivæ simplicitatis temporibus cum ab omni abusu servare nequiverunt. Nunc neglectu patitur, nunc opprimenti labore, raròque ab ingrato homine benignitatem et indulgentiam, ad quas tot habet jura, expertus est. A vigilanti tamen Creatoris curâ exclusus non est, imò gratiosa cœli benignitas in ejus subsistentiam, subsidium et felicitatem intendit. Vide Exod. 23, 12; Zach. 13, 5; 14, 5. Vir benignus qui asinum etiam suum benignè habebit, mercedem suam non amittet; præterquàm quòd à Deo et conscientiâ suâ approbabitur, ipsius animalis affectuoso amore afficietur. Stultus quanquàm et stupidus, asinus, à procul tamen, juxta Buffon, dominum suum odoratur, loca et vias quas peragrare solet inquirit, cumque à reliquo genere humano facilè discernit. Parem gratitudinis gradum erga summum et optimum Benefactorem, apud intelligentes creaturas non semper invenire est. Asinus, licèt ratione destitutus, imò multis animalibus stultior, quanquàm vulgò duro labori et pravis tractationibus obnoxius, in dominum tamen suum amorem exhibet, quem populus Israel in viventem Deum, qui quotidiè eum suis beneficiis cumulabat, non experiebatur. Ex hâc characteris ejus descriptione in modum non vulgarem pungentior evadit quæ fit à Prophetâ objurgatio hæc : *Bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*, benefactorum suorum benignitatis immemor non est; *Israel autem me non cognovit*, Deum salvatorem suum, *et populus meus non intellexit*, ex cujus manu omnia bona sua recipit, nec quid ipsi pro immeritâ benignitate suâ retribuere debeat (1). Isai. 1, 3.

MULUS.

Animal hoc extra ordinarium naturæ cursum stat, cùm equi asinique conjunctione sit ortum. Asseruimus in præcedente articulo strictè prohibitum esse in Mosaicâ lege, ne semina vel animalia diversæ naturæ simul conjungerentur, sicque periret discrimen quod Deus inter plurimas creationis suæ partes instituit. Inde animalia hæc ab Hebræis unquàm educata fuisse non videntur, etsi sanè usualissima fuerint apud ipsos, durante ultimâ reipublicæ periodo. De mulis prima fit mentio in Scripturâ, regnante Davide, 2 Reg. 13, 29; nisi, ut quidam censuerunt commentatores, de iis agatur in Gen. 36, 24, qui locus multarum criticarum conjecturarum fons fuit. Filios Sebeon Horitæ enumerans sacer scriptor, de uno ex ipsis ait : Iste est Ana qui invenit *mulos in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon* patris sui. S. Hieronymus et quidam ab ipso citati commentatores vocem Hebraicam verterunt *aquas calidas;* qui verò Samaritanum textum sequuntur illum intelligunt de *Emim*, populo bellicoso Horitis contermino. Hanc fortiter interpretationem propugnat Bochartus, multosque sacræ Scripturæ locos affert, in quibus eadem expressionis forma *ipse vel ipsi invenerunt* bellicam aggressionem significant (2).

Homines cùm veterum, tùm recentiorum temporum mulo in domesticas utilitates multùm usi sunt. Sub regno Davidis, regii instrumenti partem constituebant, 3 Reg. 1, 33; Sam. 13, 29, etc.; inter alia ma-

(1) *Illustr.*, vol. 1, p. 438, etc.
(2) *Hieros.*, lib. 1, cap. 21. Vide D. Jeddes et A. Clarke, in loco.

gni pretii munera Salomoni oblati sunt, 3 Reg. 10, 25; et ubi summa requirebatur celeritas, iis Mardochæus et Esther ad litteras suas per imperium Persicum deferendas usi sunt, Esth. 8, 10. Romanis matronis vehicula erant quæ muli trahebant, ut ex Juliæ et Agrippinæ numismatibus patet; et nunc quoque in Hispaniâ nobilium rhedæ à mulis ordinariè trahuntur.

Ad peragrandos desertos montuososque regionum tractus equo potiorem esse mulum traditur, cùm sit pedibus valentior. Modus quo ex Alpibus Andibusque, etc., descendunt prorsùs extraordinarius est. His in viis, uno latere præruptæ surgunt rupes, altero autem horrendæ patent abyssi; cùmque generaliter montis directionem sequantur, via, nedùm plana sit et adæquato solo, præruptas declivitates, quæ plures centenas *yards* in altum demittuntur, parvo offert quolibet intervallo. Per has declivitates soli muli descendere possunt, ipsique periculum ibi adesse, cautionemque in ejusmodi descensione adhibendam sentiunt. Ubi igitur ad oram cujusdam ex his abyssis devenerunt, ipsi gradum sistunt, ab equite non cohibiti, qui, si fortè imprudenter eos calcari impellere tentet, ipsi stant immoti. Toto hoc tempore secum ipsi retractare videntur periculum quod ante oculos patet, seque ad luctam præparant. Non tantùm enim attentis oculis viam inspiciunt, sed et ad periculum tremunt et anhelant. Ubi sese ad descendendum paravêre, anterioribus suis pedibus quasi ad standum collocatis, posterioribus verò simul junctis, sed paulò antè, quasi jamjam procubituri essent; hoc in corporis habitu, recognitâ, si licet ita loqui, viâ, in altum fulguris instar, proruunt. Intereà nihil ampliùs ascensori agendum est quàm in sellâ se firmiter stantem tenere, demissis habenis; vel minima enim motio muli æquilibrium turbare posset, quo in casu, mulus simul et eques perirent. Animalium istorum his in rapidis descensibus verè mirabilis est industria, in celerrimo enim suo motu, ubi omnem suî potestatem amisisse videntur, varios itineris anfractus apprimè sequuntur, quasi antè sibi in animo præfinierint viam quam secuturi erant, omnemque ad suam salutem cautionem adhibuerint. Muli quidam, diù in his itineribus exercitati, quamdam securitatis et industriæ famam acquirunt, et pro famâ crescit pretium (1).

BOS.

Bos quo nomine armenta in genere significat naturalis historicus, non attento sexu, unum ex pretiosissimis inter herbivora animalia, et homini utilissimis reputatur. Facilè cicuratus, leni et placidâ indole exiguo sumptu sustentatur, dùmque nisi paululùm consumit, terram ex quâ victum suum habet ditescit et stercoratione refovet. Collum suum jugo patienter submittit, ingentemque suam vim muscularem in deferendis oneribus nostris, in arvis ad semen recipiendum parandis, atque etiam nunc in orientalibus regionibus, in separandis à frumento paleis, postquàm in colligendâ messe auxilio fuit, exerit. Armenti lac nobis abundantem jucundumque potum suppeditat, caro nutritium alimentum, vestimenti nostri partem corium efficit, et in multis orbis regionibus ad bellatorum in die certaminis protectionem adjumento est; aliqua vix hujus animalis pars nominetur, quæ quotidiè utilitatis cultûsque consiliis non subserviat. Ævo patriarcharum, bos non exiguam opum eorum partem constituebat, nuncque adhùc basis est nationum opum quæ generaliter pro soli culturâ et armentorum numero tantummodò florent. In his enim vera consistit opulentia; opum enim symbola sunt tantùm aurum et argentum, quæ intrinsecum parvum valorem possident.

Hæc confirmantur mentione quam sacri scriptores faciunt de bove, quandò primævarum generationum opes describunt: *Abraham*, inquiunt, *dives valdè erat in pecoribus, in argento et auro. Dominus benedixit domino meo valdè*, aiebat procurator domûs Abrahami, *magnificatusque est; et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos*, Gen. 24, 35. Simili loquendi modo referuntur opes Jacobi: *Ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos*, Gen. 30, 43. Unum tantùm aliud exemplum ex libro Job dabitur: *Et fuit possessio ejus septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis; eratque vir ille magnus inter omnes orientales*, Job. 1, 3. Tanti fiebat animal illud ut magis non exiguum foret quàm ut à rege olim donum socio suo offerretur. Moyses enim docet nos quòd *Abimelech tulit oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abrahæ*, Gen. 20, 14. Mox postea fœdus simul inierunt eminentes illi viri, et in hâc occasione Abraham *tulit oves et boves, et dedit Abimelech*, v. 27.

Bos, præsertim ubi saginatus est, rotundiori formâ est quàm ullum domesticum animal; unde illi nomen in Hebræo textu datum est. Pulchritudo formæ ejus celebrata est in scriptis paganorum poetarum et recognita in inspiratorum scriptorum paginis. In Jeremiæ prophetiis regnum Ægypti assimilatur *vitulæ eleganti atque formosæ*, cap. 46, 20; similisque allusio in his Osee verbis involvitur: *Ephraim vitula docta diligere trituram; et ego transivi super pulchritudinem colli ejus*, Osee, 10, 11.

Magnitudinis majestatisque aliquid in motu habituque corporis tauri emicat, quo confirmatur figura quâ Moyses utitur in benedicendo tribui Joseph: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus*, Deut. 33, 17. Cordis ejus generositas præsentiæque ejus majestas conspicuæ erant in amabili et ad honores evecto tribûs hujus patre, qui suæ domûs salvator, et summus benigni nostri Redemptoris typus exstitit.

Vituli, gregis filii, ut eum Hebræi elegantissimè vocant, hilaritatem notaverunt cujusque ævi scriptores. Accuratissimè igitur Hebræus poeta terræ concussionem, montiumque et omnium quæ in iis sunt silvarum quassationem, quando in majestate terribili Jo-

(1) Bewick, *Quadrupedes.*

hovah legem è summo Sinai promulgaturus descendit, vitulo exultanti assimilat: *Eos quoque subsilire facit tanquàm vitulum; Libanum et Sarion tanquàm pullum unicornis* (juxta hebr.), Ps. 28, 6. Ad id quoque intendere ab antiquis interpretibus Jeremias propheta supponitur, cùm Babylonis exitium prænuntiat: *Quoniam exultatis, et magna loquimini, diripientes hæreditatem meam, quoniam effusi* (seu pingues) *estis sicut vituli super herbam, et mugîstis sicut tauri*, Jer. 1, 11. Similis apud Malachiam occurrit allusio, ubi gloriosum Messiæ adventum et populi ejus lætitiam describit: *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus; et egrediemini et salietis sicut vituli de armento*, Mal. 4, 2.

Conspicua magis est tauri vis, quàm ut describi indigeat, virtusque ejus et ardor tanta sunt ut aliquando cum leone ipso pugnare audeat. Nec minùs ob has qualitates celebratur quàm ob morem conjungendi se suis adversùs communem hostem. Quapropter electus est ab inspirationis Spiritu ad adumbrandum potentissimos, feroces et implacabiles divini nostri Salvatoris hostes, qui oblitis personalibus suis animositatibus, contra pretiosam ejus vitam conspiraverunt, utque crucifigeretur obtinuerunt: *Circumdederunt me vituli multi, fortes tauri Basan obsederunt me*, Ps. 21, 13. Neque strictiorem et accommodatiorem ferocis et immitis bellatoris typum animo concipere possumus, cujus unum occurrit exemplum in hâc Davidis supplicatione: *Increpa turbam lanceis armatam, congregationem taurorum cum vaccis populi, donec quisque sese subjiciat cum argenteis nummis*, Ps. 67, 31 (1). In sublimi Isaiæ descriptione quæ referenda videtur ad quamdam temporibus ipsi longè posterioribus efficiendam revolutionem, probabiliter in ultimis his diebus, quæ millenarium Ecclesiæ statum antecedent, integra fortium ejus et crudelium hostium ruina sic prædicitur: *Et descendent unicornes cum eis, et vituli cum tauris; inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium*, Is. 34, 7.

Bos grave est et tardum animal, sensibus hebes, sagacitateque ferè destitutus; jugo tamen submitti potest, dominum suum cognoscere discit, inque ejus servitio cum patienti industriâ perseverat. Vi igitur peculiari et elegantiâ indolem ejus et agendi modum dispositionibus et agendi modo Israelitarum opponit propheta, qui quamvis à Deo magis quàm bestiæ agrorum edocti fuerint, cùm tamen vitiosis suis propensionibus cederent, stultiores quàm stupidissimum stultissimumque viliorum animalium facti fuerant: *Bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit*, Is. 1, 3.

Quo tempore ardescit venere taurus, naturâ audax et intractabilis, jam non ullo modo regi potest sæpèque furit, præcipuè, ubi quis eum vinculo subjicere tentat. Singularis igitur in eo vis adest, quòd propheta filios Sion in diebus afflictionis suæ exhibeat jacentes in capite omnium viarum, ut ferus in rete taurus, furentes et rete suum dirumpere conantes, sed eò magis seipsos implicantes sortemque suam violentis suis libidinibus et inanibus conatibus pejorem efficientes.

Bos, ut inferiora quæque animalia, nec de præterito recogitans torquetur, nec de futuro conjiciens; timoris dubiique expers, inter virentia prata pascitur; cultro saginatur, sibi imminentis fati nescius, et quando dominus illum educit ad laniarium, bruta ejus mens pinguiora prata tantùm, vel jucundiorem socium sibi repræsentat. Æquè inconscius est et lætabundus miserabilis adolescens quem perdita mulier in retibus suis implicuit, inque prohibitas voluptates educit; periculi, miseriæque suæ incuriosus est, et in ruinam suam cæco studio miserabilique gaudio proruit: *Eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi stultus ad castigationem stipitum*, Prov. 7, 22.

Sub lege Deus præceperat vaccam rufam (qui color in Oriente prævalet) offerri in oblationem pro peccato, ut à quibusdam immunditiis legalibus purgatio fieret. Immolabatur animal et comburebatur extra castra (velut hostia expiationis in solemni expiationum die), sanguisque septem vicibus contra fores tabernaculi spargebatur, licèt in altari non fuisset effusus. Requirebat tantùm Mosaica lex ut vacca rufa foret, juvenis, absque maculâ, nec jugum unquàm portavisset. His claris præceptis infinitum curarum et exceptionum numerum in eligendâ ad hanc oblationem vaccâ addiderunt Judæi. Si perfectè rufa, non immixto alio quolibet colore, non esset, si duos tantummodò nigros albosve pilos haberet, ad id impropria reputabatur.

Cur juvenem vaccam magis quàm vitulum (qui generaliter præferebatur à divino legislatore) requirat lex, vel cur perfectè rufam, definire facile non est. Docti quidam viri putant hoc datum fuisse præceptum, ut populus Israel præservaretur ab Ægyptiorum religione qui vaccam, ut Isi sacram colebant, et idcircò ab ideâ illam altari offerendi abhorrebant. Quapropter supponitur Deum præcepisse vaccam potiùs quàm vitulum comburi, et quidem perfectè rufam, quòd ab isto colore maximè abhorrerent Ægyptii, sibi imaginantes Thyphonem juxta suam superstitionem, fontem omnium malorum, hoc fuisse colore; et idcircò ipsi in sacrificium rufum bovem offerebant. Atverò dubium est utrùm hæ superstitiones, quæ à Plutarcho et Herodoto referuntur, Moysis ætate exstiterint; et magis adhuc, utrùm divinus legislator, si quo modo ad Ægyptios ritus attenderit, tantam sacrificiorum multitudinem, nullâ de colore curâ habitâ, mandavisset, et de illo locutus fuisset in hoc tantummodò casu, ubi verum et propriè dictum sacrificium non est. Lewis (Ludovicus) et alii scriptores existimant difficultatem inveniendi vaccam rufam, absque vel minimâ alius color ispilorum intermixturâ, præcepti rationem fuisse; sed facilè non intelligitur cur Deus, in hoc casu, ad magnam vaccæ requisiti coloris obtinendæ difficultatem præcipuè attenderit. In cæteris præceptis benignus legislator, populi sui facilitatem commo-

(1) De hoc vers., vide Cursum Compl. Script. sacræ, vol. 15, col. 722.

dumque respexisse videtur, cùm sibi offerenda jusserit quæ ad manum erant, et facilè aderant. Vaccæ igitur perfectè rufæ inveniendæ difficultas afferri nequit quasi vera hujus mandati ratio, nec sufficienter explanatum est cur hoc in casu vitulo anteposita fuerit vacca. Pii quidam expositores vaccam nostri Redemptoris typum habent; immaculata ejus perfectio Domini nostri integram puritatem et insontem excellentiam; rufus ejus color Christi ad genus nostrum affinitatem indicabat, quod ab Adam deducitur, id est, ab homine ex rufâ terrâ formato, sanguinis ejus effusionem pro populi sui peccatis, et integram victoriam quam ab hostibus suis retulit, quorum cruore vestimenta sua conspersa sunt; jugi verò immunitas voluntariam plenamque ejus ad redemptionis opus devotionem. Nemini rectè dubium esse potest quin vaccæ rufæ combustio Christi dolores et mortem præfiguraret, et quam habent collecti ejus cineres et in aquâ effusi vim purificandi, virtutem quam habet sanguis Christi ab omni peccato purgandi; solus enim sanguis Christi peccata tollere potest. Sed valdè dubium est utrùm omnes hæ relationes exstiterint.

Camporum gramina, nemorumque teneri surculi et frondes pabulum bovi præbent; quod peculiari linguæ suæ motu carpit, et in magnâ copiâ celerrimè devorat. Prius à Psalmistâ exhibetur ut *aggravans circumstantia* ignominiosæ Israelitarum idololatriæ : *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, Ps. 105, 20. Postposito rationis dictamine quæ in mentibus suis afflante Deo insculpta fuerat, gloriosas divinæ præsentiæ manifestationes, vel symbola quibus præditi erant, in similitudinem bovis, quem Ægyptii oppressores sui ad divinum ordinem exaltaverant et absurdo cultu prosequebantur, stupidum et irrationale animal, quod brutum esse, et prono defixoque in terram corporis habitu, in quam *anima* simul et corpus ejus revertitur, vilissimoque victu pasci Creator voluit.

Fœnum ut bos comedere (Dan. 4, 22), pars fuit inauditæ pœnæ quam Altissimus in superbum, tyrannicumque Babylonis regem irrogavit. Ratione destitutus, quâ tantoperè abusus erat, viquc brutorum appetituum omninò traditus, è solio dignitateque dejectus est, et ab humano convictu expulsus, ita ut per apertos campos nudus vagaretur, omnibus cœli inclementiis, quasi greges, quibus associabatur, obnoxius, et velut illi ad fœnum comedendum coactus, in terribile subsequentis cujuslibet ævi oppressorum exemplum.

Ad posterius verò, id est, ad modum quo bos pabulum suum colligit, quantùm devoret et quàm celeriter, alludit rex Moab in suis ad majores natu Madian sermonibus de periculis quæ regionibus suis ex terribilibus invadentium Israelitarum copiis imminebant : (Et Moab) *dixit ad majores natu Madian : Num populus iste devorabit omnes qui in finibus nostris commorantur, sicut bos devorat gramen camporum ?* Num. 22, 4.

Sub pe[illegible]i orientalium agricolarum curâ, bos, prosperis ætatibus, glumis, paleisque minutatim concisis, quibus variæ granorum sedulò ventilatorum et subacidâ quoque aquâ intinctorum species immiscebantur, lautè vescebatur; isque est hujus prædictionis sensus : *Boves quoque et pulli asinorum qui operantur terram, purum* (seu subacidum) *granum, palâ et ventilabro ventilatum comedent*, Is. 30, 24. Ubi conversus erit Dominus ad benedicendum pœnitenti suo populo, adeò dives et abundans erit agrorum proventus, ut viliora ipsa animalia, quæ in hominis servitio operantur rejectaneumque messis sibi in cibum assignatum habent, generalis abundantiæ in partem venient, victuque ex omnibus noxiis materiis mundato, et ad gustum accommodato perfruentur. Apud Judæos verò bos, ubi frumenti trituræ incumbebat, luxuriosissimè vescebatur; divina enim lex cujus multis in præceptis conspicua emicat Dei benignitas prohibet ne bovi trituranti os alligetur, et idcircò ne impediatur edere, etiam ad satietatem, de grano cui à vaginâ excutiendo adhibebatur. Hæc involvitur allusio in prophetæ ad tribus sermonibus, quibus eas monet abundantiam et pacem quâ tamdiù fruitæ erant, eas à debitis innumerorum peccatorum pœnis non exempturam. Despectâ frugi et laboriosâ patrum suorum vitâ, pigri voluptatumque amatores facti fuerant, quasi bos qui collum jugo submittere ampliùs renuit, gratiusque habet facilius frumenti triturandi opus, ubi solutus, luxuriatur in cumulatis cœli benefactis : *Ephraim vitula docta diligere trituram* (seu mollis et delicata), *et ego transivi super pulchritudinem colli ejus*, Os. 10, 11.

Benè de cujusque ævi et regionis hominibus labore suo meritus est bos : ille prior collum aratro submisit, prospectum produxit, subsidiaque orientalium nationum multiplicavit, aut dilatavit. Statim à Jobi temporibus, qui Isaaco probabiliter coævus exstitit, *boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos*, quando *Sabæi irruerunt super eos, et tulerunt omnia*, Job. 1, 14. Longè postero ævo, quando Elias jussus est Eliseum, filium Saphat, prophetam pro se ungere, reperit eum *arantem in duodecim jugis boum*, 3 Reg. 19, 19. Multis temporibus omnes orientalium agricolarum spes in boum laboribus omninò stabant; hoc etiam ævo Salomonis locum habuit, ut ille in uno ex Proverbiis suis notat : *Ubi non sunt boves, præsepe nitidum est* (vel potiùs, *vacuum est), ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis*, Prov 14, 4. Asinus, cursu temporum, obstinatum suum collum jugo inflectere coactus est, et in partem laborum venire; sed adhùc etiam arvorum præparatio, verno tempore ad potentiores illius conatus præcipuè pertinebat. Hoc optimè deduci potest è textu in quo, ut exspectandum erat, bos præfertur : *Boves quoque et juniores asini qui terram operantur purum granum comedent*, Is. 30, 24. Idem quoque deduci potest ex jam citato Salomonis Proverbio, in quo de asino non loquitur, quanquàm magis quàm probabile est, asinum aratro fuisse subjugatum, longè antequàm solio sederet. Bovis superior vis, etiam in levibus et arenosis Syriæ campis

clarè patet, in his Amos verbis: *Numquid currere queunt in petris equi? aut arari potest in bubalis?* Am. 6, 13.

In veteri Græciâ iisdem laboribus adhibebatur bos: comparat enim Homerus utrumque Ajacis filium duobus nigris bobus, qui, pari animo, compactum aratrum per incultum agrum trahunt, profuso sudore ex eorum imis cornibus defluente, Iliad. lib. 13, vers. 703. Græci scriptores domiti bovis, aratroque jugati laudem genti suæ vindicare cupiunt; illud autem opus tot diis deabusque, heroibus et illustribus viris adscribunt, ut evidens fiat benefactorem apud alteram gentem, et in remotiore ætate quærendum esse. Mosaicæ leges, quibus prohibebatur ne eidem jugo bos et asinus jungerentur, mentioque quam nobis dat afflictus patriarcha Job, qui longè ante tempus ejus floruit, de *bobus arantibus*, clarè probat cum à quo inventum aratrum et bos instructus fuit, diù ante Græcorum regnorum conditores exstitisse. Nos verò, inspiratis libris ducti, hoc inventum prioribus communis nostri patris natis, quorum unus pastor, alter verò agricola fuit, attribuere possumus. Neque tamen ei qui revelationis fidem habet hanc laudem ipsis præcipuè assignare licet, sed solius sapientis Dei spiritui eam referre jubetur: *Auribus percipite et audite vocem meam, attendite, et audite eloquium meum. Numquid totâ die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam? Nonne cùm adæquaverit faciem ejus, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum in ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis? Deus enim suus erudit illum in judicio*, Is. 28, 23 et seq. Immediatâ igitur revelatione è cœlo, vel internâ divini Spiritûs in animum Adami aut filii ejus Cainæ inspiratione, aratrum conficere, flexibileque bovis collum jugo incurvare didicerunt. Tanti momenti, ut quotidianâ sibi magis ac magis constitit experientiâ, præceptionem in nepotum suorum animis imprimere non omiserunt, sicque pretiosus ille favor ab unâ generatione ad alteram translatus est.

Ubi verò serendi tempus cessaverat, bos quoque cogebatur severiori plaustra aut vehicula trahendi labori incumbere. In libro Numerorum: *Obtulerunt principes Israel munera coram Domino, sex plaustra tecta, cum duodecim bobus*, id est, sex plaustra, quorum quodque à duobus bobus trahebatur; et in eodem capite Moyses: *Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta eorum officium; quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari, juxta eorum officium;* id est, quodque plaustrum à duobus bobus tractum, Num. 6, 3, 7, 8. Duo generaliter boves uni plaustro subjungebantur; sacerdotes enim et divini quos Philistinorum principes consuluerunt de captâ arcâ Domini, monuerunt eos *facere plaustrum novum, et duas vaccas fœtas jungere in plaustro*, ut terribilis divinæ majestatis symbolum in locum ad ipsum recipiendum destinatum remitteretur, 1 Reg. 6, 7. Plaustrum novum in quo rex Israel et populus ejus arcam Dei ex domo Abinadab sustulerunt, à duobus quoque bobus tractum fuisse videtur, etsi numerus non sit ita clarè statutus, 2 Reg. 6, 3, 6.

Carne gregis non modò populus electus utebatur, sed, ubi erat juvenis, una ex maximis eorum voluptatibus reputabatur. Quapropter patriarcha Abraham, ardens hospitalitatis sectator, sub quercu Mambre ante angelos apponendum curavit vitulum tenerrimum et optimum; et pythonissa Endor nihil exquisitius acceptabiliusque Saüli apponendum existimavit quàm vitulum in frumento triturando saginatum, 1 Reg. 28, 24. Pater quoque, in parabolâ, nil exquisitius in mensâ festivâ, quando prodigum filium suum reducem recepit, apponendum habuit, quàm vitulum saginatum, Luc. 15, 23. Vitulus, seu fœtus gregis numeratur inter bona quæ Deus in populum suum redemptum diffundenda promittebat, electissimisque cibis associatur: *Et venient, et laudabunt in monte Sion, et confluent ad bona Domini, super frumento, et vino, et oleo, et fœtu* (seu vitulis) *pecorum et armentorum; eritque anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient* (vel dolebunt), Jer. 31, 12. Voluptatibus dediti in diebus Amos principes Israelis *in lectis eburneis dormiebant, et in stratis suis lasciviebant, et comedebant agnum de grege, et vitulos de medio armenti*, Am. 6, 4. Obvium est hic indignantem prophetam in animo habere, ut doceat nos degeneris suæ regionis nobiles principesque, prætermodùm cuilibet sensuum voluptati quam luxus suggerere et opes præstare possint, indulgere.

Primævis simplicitatis temporibus, cùm omnes homines generaliter ferè constanter periculosis operosorum laborum curis incumbentes, ingentissimam ad suî sustentationem solidi et valentis cibi copiam requirerent, bos ipse integer præcipuam cujusque publici convivii partem constituere cogebatur. Ubi Adonias sceptrum Israelis arripuit, *ipse immolatis arietibus et vitulis, et universis pinguibus, vocavit universos fratres suos filios regis, et omnes viros Juda servos regis*, 3 Reg. 1, 9. Filius Saphat æquè lautum fecit convivium, quando prophetico munere investitus est, 3 Reg. 19, 21; boum quoque et ovium copiosa multitudo in magnum et splendidum convivium, quod die inaugurationis Davidis celebratum est, allata fuit, 1 Par. 12, 40. Quando Josaphat, rex Juda, descendit ad visitandum Achab, regem Israel, in Samariam, hic *mactavit arietes et boves plurimos, ipsi et populo qui venerat cum eo*, 2 Paral. 18, 2. Hoc epularum genere præcipuè delectabantur, à quo nec divini judicii denuntiatione, nec subitæ occupationis hostium formidine deterrebantur: *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci; et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum*, Is. 22, 12, 13. Qui idem mos usque ad ultima nationalis eorum statûs tempora servatus fuisse videtur; nam in nuptialis convivii parabolâ, hæc defertur invitatio: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias*, Matt. 22, 4. In Homeri conviviis lauta et copiosa eadem occurrit præparatio; in unoquoque convivio bos

saginatus præcipua pars est, et haud infrequenter unicus in mensâ cibus. Conspicua hæc inter à se adeò diversas gentes similitudo hunc morem apud orientales populos prævaluisse ostendit.

Plures tamen ex ipsis, ut nunc Indi, ab esu carnium prorsùs abstinebant. Ægyptii et Phœnices, ut à Porphyro refertur, humanam victimam potiùs devoravissent, quàm bovis carnem gustâssent. Cyrenenses et Africani pastores, si Herodoti testimonio habenda sit fides, bovis cruorem effundere, ejusque carnem comedere abnuebant; et juxta Ælianum, si Phrygius quidam bovem, qui aratro jugatus fuerat, mactâsset, morte plectebatur. Lex eadem in Græciâ olim exstitit. Bos, ait Varro, socius est hominis in agrorum laboribus, cererisque minister; quapropter veteres eum servandum tantoperè curabant, ut capitali supplicio ejus destructorem plecterent. Græci Romanique contendunt vates, aureis argenteisque ætatibus, quùm genus humanum, juxta naturæ dictamen, in simplicitate et innocentiâ vitam degerent, manus suas homines vituli sanguine intingere abnuisse, nefariamque istam consuetudinem simul cum æreâ, seu, ut putant quidam, cum ferreâ ætate exortam esse, cùm homo degener, crudelis voraxque factus, vitiosis omnibus propensionibus viam aperuit.

Atverò celeberrimi hi pagani parùm adeò in agendi ratione et animi sensibus constabant, ut, dùm, quasi temporis nostri Indi ad solam effundendi sanguinem vel carnem vituli gustandi ideam horrent, ut et ipsi, multis in casibus nefas non esse reputarent suî similis cruorem fundere; et vicini in privatâ vindictâ, vel in publico sacrificio vitam immolare, aut belli ignem accendere, aut in pugnæ cladibus luxuriari, non abhorrebant. Fastidiosis autem his paganorum sapientium vatumque gloriationibus opponendum Abrahami, Eliæ, Josiæ, et multorum aliorum, ob suam sapientiam et sanctitatem æquè veneratione dignorum, agendi modum habemus. Sed et etiam, quod infinitè ampliùs est, opponendam habemus ipsius Dei expressam voluntatem, qui bovem creavit ipsiusque gratiosè curam agit : *Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum* (ait ad Noe), *quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, Gen. 9, 3. Quæ concessio posthàc Israeli in solitudine his verbis confirmata est : *Hoc est animal quod comedere debetis, bovem, et ovem, et capram*, Deut. 14, 4.

Lactarii proventus minoris vix momenti sunt; sed adeò sunt noti, et Scripturæ textus quibus ad illos alluditur perspicui, ut de iis aliquid animadvertere necesse non sit (1).

Bos apud Ægyptios adorabatur, qui unum Soli, ab ipsis dicto *Mnevis* consecrabant, et alterum Lunæ, quæ *Apis* ab ipsis nominabatur; sed non ita clarè patet utrùm hujus animalis cultus latè per Indiæ populos extensus fuerit, unde probabiliter in Africam transiit. Sir Robertus Ker Porter describens celeberrimam palatii arcem Persepoli, de duobus immanibus et colosseis bobus loquitur à se ibi inventis, qui evidenter ob aliam profundiorem causam quàm merum ornamentum erecti fuerant. In Ægypto, Syriâ et Indiâ bos ut numen colebatur. Indi, qui sua aurea symbola adorant, bovem optimam esse existimant vis creatricis imaginem, et idcircò *seeva creatorem*, sub hâc formâ adorant. Eamdem ob causam Ægyptiorum Apis divinos habebat honores. Veteres Persæ peculiari modo bovem reverebantur, ex eo quòd è Chaldæis astronomis didicerant de ejus cum sole conjunctione, quando almum hoc luminare Tauri sidus intrat; atque magi, ut clariùs cœlestis hujus conjunctionis, divum *Mithra* inter et planetarium animalis ad replendam terram utilissimi emblema, vim regenerantem in animis populi exprimerent, bovem, magnis in rebus, creatori huic numini in sacrificium mactandum jusserunt.

Generaliter censitum est Israelitas, cùm vitulum aureum, quem coluerunt in deserto, conflaverunt, Ex. 32, imitatos esse Ægyptios in cultu Apis, quem repræsentandum intendebant per à se conflatam similitudinem, ut et Jeroboam, cùm vitulum in Bethel posuit, 3 Reg. 12, 27-30. Fatendum est tamen magnâ hanc opinionem involvi difficultate; multæque expressiones in decursu narrationis multam dubitandi causam suppeditant utrùm in utroque hoc casu ità reipsà evenerit. Vix credibile est, non populum tantùm, sed et Aaronem, cùm tam brevi temporis spatio, ex quo divina majestas et omnipotentia oculis suis manifesta mirabiliter illuxit, rei hujus memoriam sic prorsùs amisisse, ut opinio hæc implicare videtur. Insuper prætermittendum non est eâdem opinione ipsis attribui Ægyptii numinis adoptionem, quòd, ex præteritis, si ejus inexistentiam credere reipsà potuerint, implacabilissimum hostem reputare debuerunt. Sed illud magis in hanc notionem decretorium est, quòd, postquàm conflatus est vitulus et à populo recognitus quasi *dii qui eduxerunt eos de terrâ Ægypti*, Ex. 32, 4, Aaron ædificavit altare coram eo, et præconis voce clamavit dicens : *Cras solemnitas Domini est*, non verò *Apis*. Quibus assensit populus, ut ex sequentibus versiculis patet. Crimen igitur in eo non fuit ut idololatricum numinis pagani cultum adoptaverint, sed quòd ita ei sese accommodaverint, ut symbolicam hanc et prohibitam veri Dei repræsentationem crexerint, et in ejus cultum, hoc in casu, quasdam ex abominationibus apud paganos exerceri solitis introduxerint, cap. 32, 6. Quod ad Jeroboam attinet, in mentem revocandum est neque ab ipso, neque à populo Jehovah cultum oblitum fuisse; schisma tantùm fecit, populum à fratribus suis dividens. Qui super cherubim Jerusalem sedens Deus colebatur, idem etiam colebatur in cherubim, seu vitulis aureis Dan et Bethel, quanquàm hos tamen ultimò idololatricâ veneratione populus prosecutus sit. Vide 4 Reg. 17, 21; 3 Reg. 14, 9; Osee 10, 5, 13, 2, etc.

OVIS.

In domestico suo statu ovis est omnium animalium imbellissimum et minimè noxium. Alacritate et astu simul cum libertate exuta fuisse videtur, et quod in

(1) Paxton, *Illustr.*, vol. 1, p. 452.

asino dictum est *patientia*, in ove *stupiditas* apparet. Cùm nihil habeat ad suam propriam defensionem, in vanum omninò conatur; celeritatis expers, fugere tentat, atque destituta, sese aliquando obviam offert (1). In fero verò statu nobile est et alacre animal, omnique viâ sese contra innumera quibus circumdatur pericula protegere potest.

Syriæ ovis duæ sunt species : una dicitur *beduina ovis*, nec ullo modo majori ovium specie in Britanniâ differt, excepto quòd earum caudæ longiores sint et crassiores ; altera verò species ea est de quâ viatores ob insolitas earum caudas sæpè loquuntur. Posterior hæc longè numerosior est. Cauda latissima est et densissima, in parvam appendicem desinens quæ super ipsam revertitur, ejus substantia medium tenet inter adipem et medullam ; non separatim, sed macris plurimarum Arabicarum dapum cibis permixta comeditur, locumque butyri sæpè supplet. Vulgaris hujus speciei ovis, detractis capite, pedibus, pelle et visceribus, à sexaginta ad octoginta libras gravis est, et cauda ipsa generaliter sexdecim aut ampliùs; quæ verò sunt maximæ speciei et saginatæ fuerunt, ultra centum et quinquaginta libras, et cauda sola quinquaginta graves erunt, quod vix credi potest à pluribus. Ne caudæ illæ avellantur, tenuem tabulam Arabes infra, ubi densâ lanâ non cooperiuntur, alligant; parvas quædam habent rotas quà hanc tabulam faciliùs post se trahant; unde, levi hyperbolâ dicuntur plaustra habere quibus caudas suas deferant (2).

Ovis vel agnus vulgaris fuit victima sub Mosaicâ lege ; notandumque est, ubi divinus legislator de hâc victimâ loquitur, eum semper jubere ut renes et cauda integra in igne altaris ponantur. Hujus rei ratio rectè statuta est; pars erat exquisitissima animalis, et ideò dignissima quæ in sacrificium Deo offerretur. Præceptum hoc D. Street videtur ex occasione ad Israelitarum valetudinem attinere, observatque ille scriptor, morbos biliosos in calidis regionibus esse frequentissimos, quos pinguium esus multùm excitat, et quanquàm caudæ adeps nunc deliciæ habeatur, reverà tamen insalubris est.

In domestico statu, ovis, ut jam induximus, animal est infirmum et imbelle ; idcircò in custodis sui potestate est, ut protegatur simul et sustentetur. Ad hanc ejus characteris partem pulcherrimæ in sacris libris occurrunt multæ allusiones. Sic Michæas destitutum Judæorum statum describit, quasi pecus *dispersum in montibus*, *quasi oves non habentes pastorem*, 3 Reg. 22, 17. Vide quoque S. Matt. 9, 36. Prophetizavit Zacharias, cùm bonus Pastor percussus fuerit et amotus à grege, *oves dispergendas*, Zach. 13, 7. Ad istam horum animalium à grege errandi seque ita periculo et ruinæ objiciendi propensionem pluribus vicibus à sacris scriptoribus alluditur. Horum stultum agendi modum secutum fuisse se fatetur David : *Erravi sicut ovis quæ periit*, agnoscensque se longè adhùc procul, ut ipsæ, à grege abiturum fuisse, addit hæc : *Quære servum tuum*, *Domine*, Ps. 118, 176. Illa verò paternam Dei curam derelinquendi propensio Davidi peculiaris non erat; propheta enim simili loquendi modo utitur ad depingendam periculosam tremendamque totius generis humani sortem : *Omnes nos quasi oves erravimus*, *unusquisque in viam suam declinavit*, Is. 53, 4. Ad quærendas has perditas oves, et procul dispersas, nec habentes pastorem, almus Redemptor noster venit in mundum. Ipse est *bonus pastor qui animam suam dat pro ovibus suis*, S. Joan. 10, 11 ; et populus ejus, quanquàm antea quasi oves errantes fuerit, nunc reversus est ad Pastorem et episcopum animarum nostrarum, 1 Pet. 2, 25. Sua pro ipsis cura et eorum sub ipsius protectione securitas pulcherrimè tenerrimèque describitur in capite quod modò citavimus S. Joannis : *Proprias oves vocat nominatim et educit eas. Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum... Ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt* (*ante me*) *fures sunt et latrones; et non audierunt eos oves. Ego sum ostium : per me si quis introierit*, *salvabitur : et ingredietur*, *et egredietur*, *et pascua inveniet. Fur non venit nisi ut furetur et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantiùs habeant. Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis : mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient : et fiet unum ovile, et unus Pastor.* S. Joan. 10, 3 et seq.

Alacris et jocosa agni indoles in proverbium venit : ipsius in pascuis exultationibus alluditur audaci, sed accommodatissimâ figurâ in Ps. 113 : *Montes exultaverunt sicut arietes, et colles sicut agni ovium.... Quid est vobis, montes, quòd exultâstis sicut arietes, et vos, colles, sicut agni ovium?* Lenis et innocua hujus animalis indoles causa fuit cur à Spiritu sancto electum fuerit quasi aptus Filii Dei et salvatoris mundi typus. Agnus in paschali festo, qui totus assabatur igne, et quo epulabatur quæque liberatorum Israelitarum familia, et cujus sanguis in liminibus eorum domorum aspersus, à gladio angeli exterminatoris eos liberavit, vivida fuit ejus imago quæ tradidit semetipsum pro peccatis nostris, juxta Dei et Patris nostri voluntatem, cujus sanguis effusus est ad expianda hominum peccata ; et quem redemptus quisque Israelita comedit, et per fidem vivit, S. Joan. 6, 51, 55. Ipse est *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*, S. Joan. 1, 29. Expiationis hujus necessitas et efficacia in quotidianis Mosaicæ legis sacrificiis strictissimè præfigurabatur.

CAPER aut HÆDUS.

Vulgare animalis hujus nomen in Scripturâ est *en*,

(1) Goldsmith et Buffon.
(2) Russell, *Hist. Nat.* Aleppi.

cujus sensus est *vis* aut *vigor*, sicque vocari videtur *caper* propter suam agilitatem et vigorem, undè paganis, ut observat Parkhurst, dilatati aeris, vel agentium naturæ virium signum erat. Hoc fuit, procul dubio, antiquissimum signum : in Orphicis enim hymnis *Pana*, id est, *universum*, cognominatum invenimus *capripedem*, *salvatorem*, *capreis gregibus delectatum*, *verè cornutum Jovem*, id est, qui duobus suis cornibus, id est, *lumine* et *spiritu*, vel *crassiore aere* sidera in orbitas suas propellit. Ex Herodoto novimus Ægyptiorum *mendes*, ut Græcum *Pana*, repræsentari cum facie et cruribus capri, istamque vocem in linguâ Ægyptiacâ *caprum* simul et *Pana* significare (1).

Doctor Russell (2) et alii viatores tradunt in Syriâ duas esse caprorum species, quarum una parùm differt à vulgatâ specie in Britanniâ; altera verò conspicua ob auricularum suarum longitudinem, quæ aliquando unum pedem excedit, et pro longitudine lata est.

Ad hanc capri speciem, ut rectè supponit D. Harmerus (3), alludit Amos propheta, ubi paucitatem exprimit hujus partis Israelitarum, qui ruinam fugerunt et in alienis gentibus constiterunt : *Quomodò si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ : sic eruentur filii Israel*, *qui habitant in Samariâ et Damasci*, Am. 3, 12.

Caper unum erat ex animalibus mundis, quibus vesci Israelitæ permittebantur, et ad altare offerre, Ex. 12, 5, etc.; et de capreoli carne mentio frequenter ita fit, ut pateat illam magnis deliciis fuisse, Gen. 38, 16-17; Jud. 16. Promittit Salomon tanquàm mercedem diligenti agricolæ, satis sibi fore : *Lac caprarum in cibos suos*, *et in necessaria domûs suæ*, *et ad victum ancillis suis*, Prov. 27, 27; quod satis nobis mirabile videbitur; sed asserit Russell (4) Aleppi animalia hæc præcipuè servari pro suo lacte, cujus non modica copia ab eis exprimitur; illud verò suave esse et jucundo sapore, et in caseos sæpè coagulari. Hoc inter multa alia argumentum est quantùm historica et localis scientia ad rectè intelligendas sacras Scripturas conferat.

Legimus in Lev. 17, 7 : *Et nequaquàm ultra immolabunt hostias suas dæmonibus* (seu villosis), *cum quibus fornicati sunt.* Vox hìc significat idololatricas imagines caprorum quæ ab Ægyptiis colebantur. Eadem vox redditur *satyri* in Is. 13, 21, ubi Septuaginta eam verterunt Δαίμονες. Locum hunc (5) obscurum illustrat Maimonides, cùm docet nos dæmones ab idololatris Sabæis cultos fuisse sub caprorum figuris, quos in hâc formâ apparere existimabant; undè eos cognominabant *seirim*, id est, *crinosos* seu *villosos;* hancque consuetudinem, cùm inter alias gentes prævaluerit, causam fuisse cur hoc à Moyse datum sit præceptum. Ex Herodoto quoque discimus, ut jam superiùs statuimus, capros ab Ægyptiis Mendes, sacra animalia fuisse habitos, et divum Pana ab eis cum capite et cruribus animalis hujus repræsentatum (1). Ex veteribus istis idololatris ad Græcos Romanosque consuetudo transisse videtur qui suum Pana, faunos, satyros, et alia idola in formâ caprorum exhibebant.

(1) Parkhurst, sub voce.
(2) *Hist. nat.* Aleppi, p. 52.
(3) *Obs.* 148.
(4) *Hist. nat.* Aleppi.
(5) More Nevochim, p. 3, cap. 46.

Ex his omnibus probabilissimum est Israelitas in Ægypto didicisse quosdam dæmones aut agrestes deos sub symbolicâ caprorum figurâ colere. Etsi verba hæc *cum quibus fornicati sunt* eadem sint in Scripturâ, ac, *adulterium perpetrare*, non supponimus tamen ea sumenda non esse in sensu litterali, pluribus in locis, etiam ubi quibusdam idololatrici cultûs actibus connectuntur. Neminem fugit Baal-peor et Astaroth immundis cultos fuisse ritibus, publicamque prostitutionem magnam plurimorum deorum apud Ægyptios, Moabitas, Chananæos, et alios, cultûs partem constituisse. Id hìc eò accuratiùs dici potest, quòd Herodotus, Strabo, Pindarus et Plutarchus testentur, inter eorum capri cultûs cæremonias, morem fuisse Ægyptiis mulieribus sese huic abominandæ consuetudini subjicere cum capro qui dei sui erat symbolum. Hæc nefaria consuetudo explanabitur, Lev. 20, 16, ubi ad superstitiosum Ægyptiorum religiosum cultum relatio adest (2). Existimat Parkhurstus christianos suum dæmonis sub figurâ capri cum caudâ, cornibus et bifidis pedibus pingendi morem, ex paganis Panos, terribilis, repræsentationibus haud improbabiliter sumpsisse.

Præceptum est in Ex. 23, 19, et rursùs in 34, 26; et in Deut., 14, 21, quod, procul dubio, ad aliquem superstitiosum ritum ab idololatris gentibus in honorem deorum suorum usurpatum, alludit. Judæus quidam Caraites, à Cudworth citatus (3), de more apud ipsos fuisse asserit capreolum in lacte matris decoquere, quâ decoctione agros hortosque in magicum modum aspergebant, existimantes se eos hâc viâ fœcundos reddituros.

Quædam erat sub lege Mosaicâ caprum offerendi cæremonia, genere magis extraordinario quàm ut innotata transeat; scilicet *caper emissarius* magnæ diei expiationum. Hæc cæremonia in Lev. 16 describitur. Susceptis à manibus eorum qui universæ multitudinis vicem repræsentabant duobus hircis, summus sacerdos tunc mittebat super utrumque sortem, ut sciretur quis *Domino*, id est, *immolandus*, quis azazel, id est, *caper emissarius* foret. Hoc statuto et mactato eo qui ad sacrificium destinatus erat, et asperso sanguine ejus propitiatorio, caper emissarius emittebatur in desertum. Eo modo res ista perficiebatur : summus sacerdos et stationarii viri, qui universæ populi multitudinis vicem præstabant, *positâ utrâque manu super caput ejus*, *confitebantur* (super illud) *omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum; quæ*

(1) Ex Isis tabulis patet eos *veros capros* divinis honoribus prosecutos esse.
(2) Harris. *Hist. nat.* p. 172; et D. Clarke in Levit. 17, 7, et 20, 16.
(3) *Sermo in Domin. cœnam*, cap. 2.

imprecabantur in caput capri, versiculis 20 et 21. Hâc cæremoniâ, ait Witsius (1), peccator iram Dei deprecabatur, utque caderet in caput ejus victimæ, quam in suî locum supplebat, orabat. Quo facto, viro ad id parato tradebatur emittendus, ut procul deferre posset omnes eorum iniquitates, in terram *separationis*, ubi non ampliùs rememorarentur. Notandum est duos hircos unum tantùm sacrificium constituere videri, etsi unus tantùm ex ipsis mactaretur. Inde existimati sunt duas, divinam scilicet et humanam Salvatoris naturam repræsentâsse, nec non et mortis simul et resurrectionis ejus typus fuisse. Qui immolabatur hircus humanam ejus naturam et mortem, qui verò caper emissarius resurrectionem ejus figurabat; unus expiationem factam pro peccatis mundi, ut justificationis fundamentum exhibebat; alter verò Christi victoriam, criminum remissionem in animæ sanctificationem.

Pilus capri duplicis est generis; unus longus et crassior est, eoque in tentoriarum cortinarum, velorum, et aliorum ejusdem generis fabricâ utuntur; alter tenuior est, sub priore invenitur, et in pannos contexitur, qui sericam ferè in tenuitate adæquant. Ex hâc crassiore pili specie confectæ fuerunt tabernaculi cortinæ. Ex. 26, 7; 30, 26, nuncque eo Orientales in tentoriorum tegumentum utuntur.

Capilli sponsæ in Cantico canticorum assimilantur gregibus caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad, cap. 4, 1, id est, Clericus observat, pilis earum qui generaliter longi, et nigro vel subnigerrimo colore sunt, quales esse supponuntur amabilis subfuscæ mulierculæ capilli. Celeberrimus tamen *Theronis* et *Aspasionis* auctor allusionem altero modo vertit. Ecclesiæ amabilitatem in exemplariâ verè credentium conversatione explicat copiosa cæsaries, quæ à divisâ fronte in decentes cincinnos defluit. *Capilli tui sicut greges caprarum sunt*, quæ procul videntur, et in declivo apparent, à montis Galaad vertice, jucundissimè locum adornantes, et oculum spectatoris defixum retinentes. Expositio hæc circumstantiam complectitur quæ pensili pilorum situi respondet, similitudinem pleniorem accuratioremque reddit, unumque est, juxta accuratissimi judicis observationem, ex magis in tali aspectu (2) conspicuis.

CANIS.

Inter omnes notos quadrupedes intelligentissimus canis est et fidelissimus. Omissis formæ ejus gratiâ, alacritate, vi et celeritate, iis insuper, ut animadvertit Buffon, omnibus præditus est internis dotibus, quæ hominis affectus conciliare, tyrannumque in protectorem mutare possunt. Nativa fortitudinis pars, iracunda feroxque indoles canem, in fero suo statu, formidandum cæteris animalibus hostem facit; sed longè aliis in domestico cane dotibus hæc locum mox dant, cujus sola videtur placendi cupiditas.

Blandiens accedit, vim suam, fortitudinem et utiles quasque dotes ad pedes domini sui deponit, jussa exspectat, quæ plenâ prosequitur obedientiâ, oculos ejus interrogat, simplexque nutus satis est ad eum movendum; fidelior est quàm qui maximè hanc laudem apud etiam homines habet; in affectibus constat, amicus commodorum suorum immemor, et pro levissimis favoribus gratias referens; recepti beneficii multò magis quàm injuriarum meminit. Ubi gratiâ excidit, non amovetur tamen, sed humilis, submissus et supplex permanet; sola ejus spes prodesse, solus ejus metus displicere; manum lambit, quæ modò ad eum feriendum erecta est, suppliceque perseverantiâ iram tandem mitigat. Homine docilior, quolibet animale obedientior non modò brevi temporis spatio edocetur, sed et moribus indolique eorum qui sibi imperant se accommodat. Morem ex domo quam inhabitat sumit; ut reliqui servi apud magnates fastidiosus est, et apud rusticos rusticus. Semper in domini sui servitio assiduus, solisque ejus amicis amicus, cæteris indifferens est, sese apertè iis adversum profitetur, qui ut ipse dependere videntur. Quando, vespere, domûs ipsi custodia creditur, munere superbit; vigilantem speculatorem agit, vigilias circuit, à procul alienos odoratur, monetque se suo non deesse officio. Si fortè in ejus aream irrumpere attentaverint, ardentior evadit, ad eos præceps ruit, minatur, pugnat, et vel solus vincit, vel eos excitat quorum maximè sibi adesse interest. Ubi tamen vicit, prædæ quietus incubat, et ab eo abstinet quo ne abuterentur alienos deterruit, sicque simul fortitudinem, temperantiam, fidemque docet.

Primâ fronte mirum videtur quòd animalis, tot eximiis dotibus præditi mentio ferè semper in Scripturâ fiat, verbis satis indicantibus eum magno fuisse contemptui apud Judæum populum. Sed hujus rei non una tantùm esse potest ratio. Primo loco, vitiosæ ejus dispositiones et habitudines tam ferè sunt numerosæ et graves, quàm utiles à nobis superiùs notatæ dotes. Insatiabilis ejus voracitas in proverbium transiit, et iracunda ejus et truculenta indoles ea est, ut non infrequenter alienum aggrediatur et mutilet, quin vel minimùm provocatus fuerit. Nullum animal, ait Scaliger, insocialius; vix enim duo canes, in latissimis etiam ædificiis, simul pacificè vivere possunt, tantusque est apud ipsos suî nimius amor, ut sibi quisque omnia habere velit, nec unquàm alios prædæ suæ participes facere, nisi vi coactus, consentit. Inverecunda ejus impudentia notissima est; ad illam vehementer alluditur in 2 Reg. 3, 7, 8, non minùs ac pluribus aliis in locis. Illud tamen, ut probabile est, causa fuit cur cani in veteri lege inusta fuerit infamiæ nota, tantoque ipse Judæis contemptui fuerit, quòd conspicuum inter veteris Ægypti deos locum teneret.

Notissimum quoque est Turcas canem immundum et impurum animal habere, cumque ab eorum domibus excludi. In eorum igitur imperio canes sunt communes, nec ad aliquem in particulari pertinentes, viasque et compita magis quàm privatas domos cu-

(1) Œconom. Fœd. 2, p. 217.
(2) Paxton, *Illustr.* vol. 1, p. 480.

studiunt. Eo in omnibus orientalibus gentibus tractari modo videntur; in Ægypto enim nunc tanto sunt horrori, quantæ olim venerationi fuêre. Quantæ detestationi hâc in regione canis nunc afficiatur concipi potest, ex eo quòd scurrilissimum epithetum quod in Europæum vel christianum hominem fundere soleant *canis* est. Comp. 1 Reg. 18, 43; 24, 14; 2 Reg. 16, 9; 4 Reg. 8, 13, etc., etc.

Errabundorum horum et peregrinorum animalium vagationibus alludit evidenter Psalmista ubi loquitur de inimicis, qui ipsius vestigiis insidiabantur, suamque vitam petebant: *Revertuntur ad vesperam, et latrant ut canes, et circuibunt civitatem*, Ps. 58, 6, prævidensque spiritu prophetico futuram eorum pœnam et exitium, addit: *Revertantur ad vesperam, et latrent ut canes, et circumeant civitatem. Ipsi dispergantur ad manducandum, et si non fuerint saturati, murmurent*, v. 14, 15.

In sacris Scripturis injuriosum canis epithetum gentilibus applicatur, qui extra promissionis fœdus erant. Matth. 14, 26; religionis contemptoribus, cap. 7, 6, mundanis et carnalibus doctoribus, qui semetipsos in ministrorum officium ingesserunt, Phil. 3, 2; et implacabilibus persecutoribus, Ps. 22, 16-20.

PORCUS.

Porcus in domestico suo statu sordidissimum brutissimumque animalium in naturâ est. Formæ deformitas in appetitus ejus influere videtur, et omnes ejus sensationes tam ignobiles sunt quàm informis ejus figura. Solo insatiabili manducandi studio possideri videtur, idque unum deligere quodcumque maximè noxium reputant cætera animalia. Naturâ stupidissimus, tardissimus gravissimusque est; nisi disturbaretur, mediam temporis partem dormiendo absumeret, sed frequenter cibi appetentiâ excitatur, cui ubi satisfecit, rursùs cubitum abit. Tota ejus vita somni et gulæ vicissitudo est, et si satis copiosum pabulum adsit, brevi propriæ suæ existentiæ ineptus fit; caro ejus in majus intumescit pondus quàm crura ferre possunt; tuncque jacens vel genibus nixus vescitur; immedicabile indultæ sensualitatis exemplum! Plerique hujus animalis morbi ex intemperantiâ oriuntur; in quorum numero lepræ, apostemata, strumosique tumores reputantur.

Porcina caro expressè prohibita fuit Judæis lege leviticali, Lev. 11, 7, propter sordidum ejus characterem, ut existimant aliqui, non minùs quàm quòd caro ista, cùm sit gravis et ad coquendum difficilis, crassissimum præstat alimenti genus, et ad cutaneos, scorbuticos, scrofulososque morbos generandos, præsertim in fervidis regionibus, apta erat. Ait Maimonides (1): Ratio igitur præcipua cur porcum lex prohibuerit, ejus nimia fœditas, et tot immunditias edendi aviditas fuit: notissimum enim est quantâ curâ, et quàm præfinitè lex omnem fœditatem et sordes, in campis etiam et in castris, ut nil de civitatibus dicam, prohibeat. Porrò, si licitus fuisset porcus, jam

(1) *More Nevochim*, p. 119, cap. 8.

publica fora, viæ, domusque noxia devenissent (1).

Isaiæ tamen ætate porcinæ carnis esus (cap. 65, 4) numeratur inter abominationes quæ à degeneribus Hebræis receptæ sunt, eorumque in proximo capite pœna denuntiatur: *Qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis, post januam* (arborem, juxta alios) *intrinsecùs, qui comedebant carnem suillam, et abominationem, et murem, simul consumentur, ait Dominus*, Is. 66, 17.

Apud S. Matth. 7, 6, injunctio occurrit quæ, ut stat in Anglicâ versione (2), expositione indiget: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.* Ut legitur nunc locus iste, ambo maligni actus ad porcum prorsùs impropriè referuntur. Doctor A. Clarke proprium sensum restauravit, transpositis lineis; et episcopus Jebb, hâc utens hypothesi, ostendit locum esse unum ex istis introversis parallelismis, qui in sacris Scripturis abundant. In formâ emendatâ sic legitur:

Nolite dare sanctum canibus
neque mittatis margaritas vestras antè porcos,
ne fortè conculcent eas pedibus suis,
et conversi dirumpant vos.

Hic linea prima ad quartam refertur, et secunda ad tertiam; sensusque clarus perfectè fit, disposito sic parallelismo:

Nolite dare sanctum canibus,
ne conversi dirumpant vos;
neque mittatis margaritas vestras ante porcos,
ne fortè conculcent eas pedibus suis.

Periculosissimus imprudentiæ actus cum funestis suis effectibus in primâ et ultimâ lineâ positus est, ita ut incutiat relinquatque altissimam practicam impressionem. Margaritas ante porcos emittere, puram est et sublimem Evangelii moralem ponere ante voluptuarios et efferatos homines, qui *neque aures, neque animum ad intelligendum sublimem doctrinam et altum mysterium* habent, sed ea haud dubiè in luto conculcabunt. Sanctum dare canibus, altas est christianismi veritates producere ante malignantes et profanos, qui profectò neglectui injuriam addent; qui non tantùm doctrinam odio habebunt, sed et doctorem persequentur. Utroque in casu, inconsultus et nimis profluens zelus seriò causæ *boni* nocere potest; sed in ultimo casu injuria amplificata gravitate in Religionem simul et in inconsideratos Religionis amicos cadet. Monitum igitur adversùs canes in primo et ultimo loco emphaticè ponitur (3).

SECTIO SECUNDA.

FEROCES FERÆ BESTIÆ.

.... *Ibi*
in impavidam sanguinis aviditatem sublimata, fera gens

(1) *More Nevochim*, p. 3, cap. 8.
(2) Hoc in loco Anglica versio à Vulgatâ minimè differt.
(3) Ad ampliorem et accuratiorem hujus loci intelligentiam, vide commentarium Evang. S. Matth. in Cursu comp. Script. S.

vagatur, favente umbrosâ criminis horâ; pravaque patrat facinora, ubi sacros suos purus dies oculos clausit. Tigris ferox impetu irruens in prædam, quam sibi rapido oculorum conjectu designavit; et omnes contemnens artes quas ad cicurandum homo adhibet, crudelis hyæna, ferarum
ferissima, ex inhospitalibus sylvis proruentes, innumeri circùm
villosum regem suum, majestate plenum, et super impressam
arenam incedentem, truculentos volvunt oculos,
et imperiosis repetitisque rugitibus destinatum sibi
cibum postulant. (Thompson.)

Postquàm egimus de diversis animalibus, in hominis ditionem redactis, de quibus mentio fit in Scripturâ, jam ad id devenimus ut et agamus de his quæ usquedùm quidquid ad ea subjuganda tentatum est eluserunt, suamque agrestem et feram independentiam adhùc retinent. Inter hæc prædatrices bestiæ primum locum clamant.

LEO.

Sed ferocior adhuc incedit leo, horrendâ majestate
plenus, in suis solitariis ambulationibus; ubi circùm truculentos
volvit oculos, viventes quæque fugiunt creaturæ. Ille desertum
volventibus oculis collustrat. Dic, mortalis, surgitne hic
ad jussa tua, rugitne tibi et in dexterâ tuâ vivit?
Curvasne huic in sylvis arcum tuum, frustumque in tenebrosum
ejus antrum immittis, ubi morti incubans occulta jacet ejus
ferruginea proles, et in horrendis insidiis latens ad sanguinem
anhelat, vel, effusa in fractis artubus, diem consumit
tenebris involuta, et in prædâ dormitat? Ad pallidum
lunæ splendorem destinatum suum cursum sumunt, et latera
sua verberant, furentesque terram discerpunt. (Young.)

Externa nobilis hujus animalis forma internam ejus generositatem revelare videtur. Conspicua est ejus figura, confidens et audax aspectus, superbus incessus, voxque terribilis. Non immanis, ut elephantus et rhinoceros, nec ut hippopotamus, vel bos, staturâ gravis est. Compactus est, aptâ membrorum compositione et rectâ amplitudine gaudet; perfectusque adest vis cum agilitate conjunctæ typus. Musculosus est et audax, nec adipe aut superfluis carnibus oneratus. Solus ejus aspectus notam tibi facit virium ejus præstantiam. Latum caput, horrendâ jubâ circumdatum; hi omnes musculi qui minimo conatu sub pelle intumescentes apparent, unguium longitudo, membrorumque crassitudo planè evincunt nullum in sylvâ esse animal quod ei resistere possit. Latissima est facies ejus, longissimisque crinibus circumdatur qui augustissimum ipsi conferunt aspectum. Ingentia supercilia, rotundæ et ignitæ oculorum pupillæ, quæ, si vel minimè sit iratus, peculiari modo nitent, unà cum formidabili dentium apparentiâ, terrificæ magnitudinis picturam exhibent, quam describere impossibile evadit. Magni leonis longitudo octo inter et novem pedes stat, altitudo verò quatuor pedes et dimidium habet. Capitis vertex, tempora, genæ, maxilla inferior, collum, pectus, humeri, posterior crurium pars et venter longis crinibus instruuntur, dùm cæteræ omnes corporis partes brevissimis pilis, coloris ferruginei, cooperiuntur. Juba singulis annis longior fit, simul atque ipse senior fit; leæna autem quoquo tempore eâ caret. Generaliter supponitur leonem sensum odorandi non ità perfectum habere ac pleraque animalia, observatumque est nimiam lucem ipsi magno esse incommodo, oculi enim ejus, ut felis oculi, ita sunt aptati, ut in tenebris meliùs videant. Quâ de causâ in aperto die raro apparet, sed noctu præcipuè populatur (1). Vide Ps. 104, 20.

Vires suas cum obvio quoque animale metiri solitum, victoria impavidum leonem terribilemque facit. His in regionibus ubi periculosas artes et inventa hominis nondùm expertus est, vires ejus non reformidat. Eum adversum audaciter adoritur, et vim armorum ejus contemnere videtur. Vulnera iram ejus excitant magis quàm ardorem reprimunt; neque opponentium turbâ terretur; unus sæpè deserti leo integrum peregrinantium agmen aggreditur, et post obstinatam pugnam, ubi se victum sentit, nedùm fugam capiat, pugnæ semper instat, recedens, hostemque adversum adoriens, donec confossus decidat (2). Ad hanc ejus characteris gloriam alludit Job, quando vehementer Omnipotentem his alloquitur: *Quasi ferum leonem venaris me*, cap. 16, 16. Inde quoque patet quàm accuratè Chusai describat fortes exercitûs Absalom viros, *quorum cor est quasi leonis*, 2 Reg. 17, 10.

Fame urgente, omnia quæ sibi in viâ occurrunt animalia leo audacter impetit, sed cùm ita formidandus sit hostis, et illa omnia eum fugere enitantur, sæpè se occultare cogitur, ut fortuitò ea apprehendat. Ad id ventre procumbit in quodam rubo, vel inter alta gramina quæ pluribus in sylvæ locis occurrunt; ibi permanet patienter exspectans donec præda in convenientem distantiam accesserit, tùm subitò erumpit quindecim aut viginti pedes ab illâ, eamque sæpè primo impetu corripit. Ad istud in hujus charactere lineamentum multæ sunt pulcherrimæ in Scripturâ allusiones: *Numquid capies leænæ prædam, et animam catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, et in specubus insidiantur?* Job. 38-39, 40: David oppressoris exactorisque characterem verbis depingens ait: *Insidiatur in abscondito, quasi leo in speluncâ suâ. Insidiatur ut rapiat pauperem; incurvat se, humiliat se ut pauper cadat in fortia ejus*, Ps. 10, 9, 10. Quantâ vi hic loquendi modus anhelantem depingit anxietatem quâ mali iniquorum consiliorum suorum expletionem exspectant!

Adeò multisonus est leonis rugitus, ut nocte auditus et à montibus repercussus remoto tonitrui similis sit: omne animalium genus sonitu hoc tremore correptum

(1) Buffon.
(2) Ibid.

jacet, illumque ruinæ initium habet. Inde ait Propheta : *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Am. 3, 8. Ita quoque Osee : *Quasi leo rugiet, et eo rugiente formidabunt filii ab occidente*, Os. 11, 10. Ubi verò suum omnem ad pugnandum terrorem accendit, leonis vox terribilissima est. Longâ suâ caudâ latera verberans, jubam suam in quamcumque partem exagitans, quæ quasi setæ caput ejus circumstat, pelle et musculis faciei ejus commotis, ingentibus ejus superciliis micantium pupillarum mediam partem operientibus, ipse monstrosos dentes, aculeatam linguam, et ad ruinam paratos ungues ostendens formidandum et timorem incutientem rugitum emittit (1). Inde pulcherrimas multas imagines desumpserunt sacri scriptores. Jeremias divinæ iræ terribilem visitationem prædicens loquendi modo ex hâc horrendâ circumstantiâ desumpto, ait : *Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam, rugiens rugiet super decorem suum* (vel habitationem suam), Jer. 25, 30.

Ubi victimæ suæ vitam eripuit, ut plurimùm unguium ictu, eam in partes discerpit, ossa omnia comminuit, eaque cum reliquo corpore deglutit. Ad id in Scripturâ frequenter alluditur : *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me, ne fortè laceret ut leo animam meam, in partes discerpens, dùm non est qui eruat*, Ps. 7, 2. *Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis sylvarum, et quasi catulus leonis in medio pecorum, qui si pertranseat, omnia conculcat et in partes comminuit, et nemo potest eruere*, Mich. 5, 8. Nec ejus voracitas innotata remansit. Asserit nobis Buffon leonem, non modò summâ voracitate prædam suam dilacerare, sed et magnam simul copiam vorare; inque duos vel tres futuros dies ventrem suum implet. Hinc hostes suos David leoni assimilat parato ad prædam, Ps. 16, 12; et Dominus Israeli ob suas transgressiones minitans, ait : *Consumam eos quasi leo*, Os. 13, 8. Eâdem vi et elegantiâ describit Nahum propheta curam quâ leo sociæ suæ et catulis providet : *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, ad quæ ivit leo etiam senex et catulus leonis, et non est qui eos exterreat? Leo dilaceravit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis; et implevit prædâ speluncas suas et antra sua rapinâ*, cap. 2, 11, 12. Buffon Plinium Eustathiumque secutus docet nos leonem, quamdiù ætate et actu viget, venatione subsistere, raròque à desertis et sylvis recedere, ubi ipsi ferarum copia occurrit; ubi verò senior, gravis et ad venandum minùs aptus factus est, ad loca frequentata accedere, periculosioremque homini et domesticis animalibus fieri. Animadversum quidem est, quotiescumque homines et animalia simul reperit, eum posteriora, nusquàm verò priores, nisi quis eum ferierit, impetere; hoc autem in casu, mirum in modum promptus est ad discernendum quis ipsi nocuerit, et sine morâ à prædâ recedit, ut de aggressore ultionem capiat.

(1) Buffon.

Hæc in leonis charactere lineamenta satis ostendunt cur Deus veteri suo populo toties minetur se ut leonem fore. Subitò discernit quis legem suam transgrediatur, et ad sumendam de peccatore ultionem promptus est. Hæc quoque in hunc Osee locum lucem afferunt : *Ego* (ero) *quasi senex leo Ephraïm*, qui, *sylvis relictis*, ad hominum habitacula accedit, et ita magis metuendus fit; *et quasi catulus leonis domui Juda*, qui prædam suam in desertis vel sylvis venatur, minùsque igitur metuendus est, Os. 5, 14. Quàm accuratè hoc congruit cum quodam historico facto, cuique sedulo Scripturarum lectori notissimo! Ephraïm enim, seu decem tribus, è regione suâ in remotas terras expulsi fuerant, ubi diuturnum pati exilium coactæ sunt, dùm Juda terram suam centum et triginta tres annos adhùc retinuit, et, ubi sub ejus periodi fine in captivitatem à rege Babylonis ductus est, ad breve tantùm septuaginta annorum spatium, donec terra sabbata sua habuisset, exulavit (1).

Leo, ut pleraque speciei felinæ animalia, magnis ignibus removetur, quos Africæ Asiæque incolæ, ubi præcipuè occurrit, noctu accendunt, ut greges et pecora sua protegant. Sed ignes isti, additis etiam latratibus canum, aliquando in vanum adhibentur, ad deterrendum eum ne accedat. Omnia quæ sibi in his casibus objiciuntur pericula superare novit, audacterque medium in gregem irrepens, ovem aut capram aufert. Quàm pulchrè ad id alludit Propheta, cùm divinam intercessionem erga veterem Dei populum pollicetur : *Quia hæc dicit Dominus ad me : Quomodò si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, et, cùm occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, et à multitudine eorum non pavebit : sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem Sion, et super collem ejus*, Is. 31, 4.

Leo factus est typus augusti nostri Redemptoris. Agnus in suâ passione et morte fuit; sed *leo tribûs Juda* factus est, quando, ruptis mortis vinculis, devorantique infernorum ore recluso, surrexit, et ad Patrem suum, omnium potestatum et tenebrarum victor, triumphans ascendit. Gloriâ majestatis indutus est, et invincibili potentiâ circumcinctus. Nullus hostis impavidi ejus cordis pacem disturbare, vel operis ejus progressum cohibere potest; nullus providentiæ motus quem non dirigat; nullum judicii aut misericordiæ opus, quod non perficiat. Loquitur, et fit quod loquitur; jubet, et stat subitò quod jubet; nemo manum ejus sistere potest, vel ipsi dicere : Quid facis? In celeri Evangelii propagatione, et plurimarum gentium ad christianam fidem conversione, quæ paucis post ascensionem ejus diebus incœpit, impleta fuerunt Joelis verba : *Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam, et movebuntur cœli et terra; et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel*, Joel, 3, 16. Nec enim impropriè comparatur leonis rugitui Evangelii prædicatio; audita est enim in omni orbis parte, nec aurem tantùm feriit, sed sibi vi suâ viam in cor aperuit, curamque salutis provocavit,

(1) Paxton, *Illustr.* vol. 1, p. 517.

quam nec temporis longitudo, nec circumstantiarum mutatio vincere potuit.

Symbolus est quoque leo fortitudinis, generositatis, terribilisque angeli præsentiæ. In Prophetiis enim Ezechielis, viventes creaturæ vel *cherubim*, divinæ Providentiæ ministri, habebant quæque quatuor facies; à dexterâ parte facies erat hominis et facies leonis; à sinistrâ verò facies bovis et facies aquilæ, Ez. 1, 10. Apostolus Joannes ejus generis visione in insulâ Pathmos datus est: *In medio sedis, et in circuitu sedis* (erant) *quatuor animalia, plena oculis ante et retrò.* Et *animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti*, Apoc. 4, 6. In utrâque visione, terribilis Dei majestatis, in angelorum ministerio, adversùs inimicos gloriæ ejus symbolum est *leo;* illorum verò constantiæ, patientiæ, firmitatis, et in exequendis Creatoris sui mandatis assiduitatis, *bos*, illorum humanitatis, lenitatis et philanthropiæ, *facies hominis; facies* autem *aquilæ*, vigoris illorum, agilitatis, sublimiumque eorum cœlestis naturæ inclinationum. Quisque ex ipsis altum excellentiæ gradum exhibet: leo primum locum inter feras bestias habet, aquila inter aves, bosque inter greges, omnesque supremæ hominis auctoritati submittuntur. Ex ipsis animalibus, ait Bochartus, duo sunt fera, leo et aquila; duo verò cicurata, homo et bos; illa ad incutiendum timorem rebellibus, hæc ad impertiendam piis consolationem. Leo prædam suam super terram persequitur, aquila per cœli nubes, ut ostendatur angelicos hos Providentiæ ministros, æquè hominum in terrâ repentium agendi modum, et potentiores celeresque apostatarum spirituum in æthereis regionibus motus inquirere (1).

Fortitudo et potentia Judaicæ gentis eodem symbolo in sacris Scripturis sæpè descriptæ sunt. *Ecce*, exclamavit Balaam, despectis ex summo montis Phasga vertice innumeris Israelis tentoriis, *Ecce populus ut magnus leo consurget, et quasi catulus leonis erigetur; non accubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat*, num. 23, 24. Impleta est prædictio hæc in magnis et conspicuis victoriis, quas exercitus Israelis duce Josue, de quinque Chananæis nationibus retulerunt. Non quieverunt donec omninò victores, totam regionem in ditionem suam redegerint. Josue quidem copiæ, ut feræ quædam adhùc hominum turbæ *prædam non devoraverunt et sanguinem occisorum non biberunt*, talis enim inhumanus agendi modus Dei eorum characteri et legis tenori æquè oppositus fuisset. Clausula igitur tantummodò est metaphoræ continuatio, et completæ victoriæ hyperbolica descriptio, quæ, favente Deo, arma eorum manebat. Ejusmodi hyperbolicæ locutiones frequenter in sacris libris occurrunt, quæ, ubi in aliarum Scripturarum lumine inspiciuntur, æquè consentaneum et utilem sensum admittunt. Sic Psalmista in suâ ad injustos judices objurgatione ait: *Justus pedes suos lavabit in sanguine impii*, Ps. 57, 11; et in suâ, cùm arca translata est, prece: *Dixit Dominus: De Basan convertam, convertam* (populum meum rursùs) *de profundis maris: ut intingatur pes tuus in sanguine* (inimicorum tuorum) *et in eodem ipso lingua canum tuorum*, Ps. 67, 23. Istæ locutiones tantummodò significant victoriam quæ conatus eorum coronatura erat, omninò decretoriam fore. Addit Balaam in eâdem prophetiâ: *Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quis cum excitabit?* Num. 24, 9. Subditurus erat in futurum tempus terram Chanaan tam perfectè, ut nemo quietem ejus disturbare præsumeret; quod impletum est in regno Davidis et ejus filii Salomonis, cùm heroicâ prioris virtute, posteriorisque sapientiâ, quæ parem nondùm habuit, universæ orientales gentes stupuêre, et pacis amicitiæque deliciis delectatæ sunt.

Symbola quibus populus Judæus repræsentabatur sæpè privatis tribubus attribuebantur; cujus rei insigne occurrit in supremâ morientis Jacob benedictione exemplum: *Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum?* Gen. 49, 9; et de Gad Moyses ait: *Benedictus in latitudine Gad; quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem* (vel *laceravit brachium et verticem capitis*), Deut. 33, 20; *Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan*, v. 22.

Atverò sacri scriptores sæpè ad feros leonis mores alludunt, ejusque his in casibus in malum sensum nomen sumitur. Sic magnus generis humani adversarius leoni assimilatur, qui *circuit, quærens quem devoret*, 1 Petri 5, 8. Furens et immitis ut leo, qui uno impetu prædam tollit, ille miserorum mortalium destructionem non minùs ardenter sitit quàm famosus iste destructor sanguinem cladis, finemque suum majore adhùc et indefessiore vi implere conatur. Impositum summo hominum adversario nomen, impiis quoque, qui crudelitatis ejus et injustitiæ victimæ sunt et instrumenta, apprimè assignatur: *rugitus leonis, et vox ferocis* leonis, *et dentes catulorum leonum contriti sunt.*, Job. 4, 10. Ex contextu autem patet impios hoc in loco intendi: *Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores* (vel *impietatem*), *et metient eos, flante Deo periisse, et spiritu oris ejus esse consumptos.* (Job. 4, 8, 9.) Pauca sunt hæc ex multis locis in quibus sacri scriptores hoc nomen ad exprimendam impiorum hominum indolem et agendi modum usurpant. Neque tantùm vitiosus et profanus, crudelis et injustus in privatis vitæ semitis homo, sed et regius oppressor, cruentatus populorum domitor, bellicosa gens isto nomine in sacris Scripturis inuruntur, et sub odioso hoc cognomento omnis humani generis exsecrationi traditi: *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: et frendet, et tenebit prædam, salvamque auferet eam, et non erit qui eruat*, Is. 5, 29. Sed humano charactere nomen istud non restringitur, extenditur et ad quidquid humano generi noxium vel funestum est. Gladius, verbi gratiâ, à prophetâ leoni assimilatur, eò quòd eo instrumento desolatio grassatur: *Devoravit*

(1) Paxton.

gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator. Jer., 2, 30.

Quæ igitur statuimus, si omnes non removeant difficultates quæ Biblico lectori in itinere suo occurrunt, at saltem ultra omne dubium probant quàm aptè nec non accuratè sacri scriptores naturam imitentur, mirabilemque eorum allusionum aptitudinem et proprietatem; quod non modicè religionis causam adjuvat (1).

LEOPARDUS.

Hebraicum hujus animalis nomen *nimrah* ex maculato ejus colore deducitur. Ab Anglis indiscriminatim vocatur *panthera* vel *Senegambicus leopardus*, quâ in regione præcipuè occurrit. Longitudo ejus ab extremo naso ad caudæ originem quæ duobus circiter pedibus longa est, quatuor circiter pedes habet. In eo subfulvus color dominatur, et maculæ quibus inspergitur nigræ sunt. Caput modicè longum est, auriculæ aculeatæ, oculi pallidè flavo colore, totaque ejus facies ferox et crudelis. Indoles ejus tigrinæ indoli propè accedere dicitur; minùs tamen ferox generàliter habetur. Eodem tamen modo ac leo prædam arripit: erumpens enim ex insidiis, in victimam suam subitò cum horrido rugitu irruit. Vox ejus hoc in casu ultra omne quod concipi potest horrida dicitur.

Non multæ sunt in Scripturâ ad hoc animal allusiones, sed ut omnes cæteræ, strictissimâ stant in accuratione. Uno in loco apud Jeremiam ad maculosam ejus pellem refertur (cap. 13, 23), et in altero ad artificiosas ejus insidias (cap. 5, 6); ad hoc quoque in ejus descriptione lineamentum alludit Osee, cap. 13, v. 7 : *Sicut pardus in viâ observabo eos*, haud dubiè ut scelerum suorum manifestorum, et quorum eos non pœnitet, pœnâ afficiantur. Habacuc Chaldæorum in Jerusalem rapidum iter describens, equorum illorum motus extraordinariæ animalis hujus velocitati assimilat : *Leviores pardis equi* (eorum sunt), cap. 1, 8. Sed pulcherrima ad istud animal allusio in Isaiæ de beatis regni Messiæ temporibus prophetiâ occurrit : *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos*, Is. 11, 6.

Quanta hæc et quàm inaudita mutatio hæc videri debet, ubi leopardum prædâ nunquàm satiari, naturalemque indolis ejus ferocitatem nondùm ab homine domari potuisse meminimus!

Hæc in Palæstinâ numerosa fuisse animalia videntur, cùm plurima sint ibi loca quorum nomina, pardorum præsentiam indicant. In tribu Gad, urbs erat nomine Beth-Nemra, *leopardi domus* (Num. 32, 36; conf. v. 3); Isaias Jeremiasque de *Aquis Nemrim*, id est, *Leopardorum*, haud longè procul (Jer. 48, 34) loquuntur; et ipse Salomon vehementer intimat ea fuisse numerosa in montibus Libani. Cant. 4, 8.

LUPUS.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Cùm fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super mediâ : tuti sub matribus agni
Balatum exercent ; ille asper et improbus irâ,
Sævit in absentes : collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccæ sanguine fauces.
(Æneid. lib. 9, 59 et seq.)

Animal hoc majore nostrâ molossorum specie paulò majus est, cùm ab extremo naso ad caudæ insertionem tres circiter pedes et septem uncias longum sit, altum verò duos circiter pedes et uncias quinque. Cane omni ex parte lupus fortior apparet, pilorumque longitudo magis adhùc ad robustam ejus apparentiam facit. Pupillarum ejus color acriter viridis est, facieique acrem et tremendam speciem affert. Intùs et extra cani lupus persimilis est, ita ut olim naturalistæ idem esse animal existimarent. Atverò, quantùmvis insolitum videri possit, perfectissimo implacabilissimoque odio à se naturâ dissident.

Lupus unus est ex iis quibus animalis cibi appetitus vehementissimus est, et hujus appetitus satiandi modi maximè varii. A naturâ vim, astutiam, agilitatem et ea omnia quæ ad prædam persequendum, capiendum, comprehendendumque necessaria sunt, habet; et his tamen non obstantibus, fame frequentissimè interit, nam apertus est hominis hostis. Naturâ stupidus est et ignarus, sed frequenter delusus, et ad extremam inediam redactus, ex necessitate callidus fit et fortis. Fame urgente periculum contemnit, et aggreditur animalia quæ sub tutelâ sunt hominis, præcipuè quæ facilè auferre potest. Ubi feliciter cessit excursio hæc, idem sæpè iterat, donec plagis confossus, vel à canibus et pastoribus acriter insectatus, in densissimis locis per diem latet, et noctu tantùm prodire audet; tunc verò in totam regionem excurrit, circa vicos curiosiùs explorat, animalia auxilio destituta aufert, ovium greges aggreditur, unguibus suffodit limina stabulorum, in quibus includuntur, furens intrat, omnesque oves enecat, antequàm consistere, et prædam auferre incipiat. Ubi verò malum exitum habuêre ejus modi excursiones, ad densissimam nemoris partem redit, solaque exiliora hæc quæ, etiam capta, sibi arctum afferunt victum persequitur. Ibi ad opus exit assiduè, vestigiis insistit, in apertum prodit, adhuc persequi non desistit, desperans quidem se prædam obtinere posse, sed expectat donec alter quidam lupus sibi in auxilium veniat, et prædæ particeps esse satis habet. Tandem, arctissimâ urgente necessitate, certæ audacter neci obvium se offert; mulieres puerosque aggreditur, et aliquando in ipsos viros irruere audet; perpetuis suis agitationibus in furorem versus, vitam in amentiâ emittit (1).

Quæ in Scripturâ de animale hoc narrantur apprimè congruunt descriptioni quæ à naturalistis exhibetur. Ignobili et rapaci ejus indoli alluditur in tribûs Benjamin descriptione à patriarchâ datâ : *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, et vesperè spolia*, Gen. 49, 27. Tota hujus tribûs historia ostendit quàm accuratè hæc ipsi tribuantur. Quâdam virtute et multâ fe-

(1) Paxton, ubi supra.

(1) Buffon.

rocitate præditi, rixas sæpè et parva bella cum vicinis suis gerebant tribubus; desperationisque sensus, in circumstantiis quas fecerat eorum agendi modus, aliquando eos impulit ut res inauditæ virtutis tentarent perficerentque. Vide Jud. 19, 20.

Iniquus principum Israel et rapax agendi modus, ætate Ezechielis et Sophoniæ valdè expressè describitur per allusionem ad hoc animal. *Principes* ejus (Israel) *in medio illius*, ait propheta prior, *quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avarè ad sectanda lucra* (inhonesta), Ezech. 22, 27. Posterior propheta circumstantiam addit quæ haud parùm illustrat lupi descriptionem : *Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes; judices ejus lupi vespere, ossa usque mane non rodebant*, Soph. 3, 3. Id est, nedùm innocentem protegerent et malefactorem comprimerent, vel eum juxta scelerum suorum meritum punirent, ipsi vi et oppressione, cruore et rapinâ delectabantur; et adeò insatiabilis erat eorum aviditas, ut quasi vespertinus leo plura destruerent quàm habere poterant; ossa usque mane non rodebant, seu adeò strage delectabantur, ut ossa ad proximum diem in lautam dapem reservarent (1).

Ad nocturnas has lupi circuitiones aggressionesque, cùm magis quàm ordinariè ferox est et sanguinarius, alludit Jeremias in suis ad impia Judæorum Ecclesiæ membra minis : *Idcirco lupus ad vesperam vastavit eos*, Jer. 5, 6; ut et ipse Habacuc in horrendâ suâ Chaldæorum invasionis descriptione : *Leviores pardis equi ejus* (exercitûs Chaldæorum) *et velociores lupis vespertinis*, cap. 1, 8.

Morosa et insocialia in lupi charactere lineamenta adjuvabunt nos in concipiendâ aliquâ ingentis mutationis ideâ quam evangelicæ doctrinæ in charactere et dispositionibus hominum effecturæ erant, ad confirmandum figurativum pulcherrimumque evangelici prophetæ loquendi modum : *Habitavit lupus cum agno* (Is. 11, 6); simulque vinculis amoris invicem conjungentur, quippè qui *pascentur simul*, Is. 65, 25. Vide etiam Matth. 10, 16; Luc. 10, 3; Joan. 10, 12.

Ex dictis sibi animo infingere potest lector falsorum horum doctorum characterem, quorum scopus erat *facere mammonam iniquitatis*, in primitivâ Ecclesiâ, et quos divinus Redemptor non minùs ac divinitùs afflati Apostoli, *lupos* designant : *Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*, Matth. 7, 15. *Ego scio*, ait S. Paulus ad majores natu Ecclesiæ Ephesiorum, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*, Act. 20, 29.

HYÆNA

Animal istud, ad quod pluriès in Bibliâ alluditur, plurimas species offert, sed duæ sunt notiores, *maculosa* et *lineata;* prior in australioribus tantùm Africæ continentis partibus invenitur, dùm posterior in omnibus ferè Indiæ et Syriæ regionibus, necnon et in Abyssiniâ et Senegambiâ reperitur. Ad lineatam igitur hyænam intendunt Scriptores sacri. Majoris molossi amplitudinem habet, jubam crassiorem et horrentem, villosque longissimos. Anteriora crura duobus pedibus longa sunt, pedes plani et duas circiter uncias lati. Difficilè posterioribus cruribus stare videtur; notandumque est, ubi primùm è latibulo mota fuerit, ita inconditè claudicare ut posteriora ejus crura fracta vel luxata diceres. Ubi verò paulisper cucurrit, membrorum hic rigor ab eâ recedit, magnâque incedit elegantiâ. Color ejus cinereus, sed sordidus, varii coloris lineis in collo et cruribus distinctus; undè suum Hebraicum nomen habet. Conspicuus est ejus caput ferendi modus : cani vestigiis instanti subsimilis, naso ad terram obverso. Demisso in hunc modum capite, dorsum velut dorsum porci excelsum videtur, quod, cùm ab uno fine ad alterum longorum villorum lineâ horreat, illi animali persimilem facit.

At quidem adæquata hyænæ figuræ et deformitatis idea verbis exhiberi nequit.

Hyæna ferè generaliter est bestiarum ferissima, rapacissimaque descripta fuit; ferior et indomitior quàm quælibet : *Contemnens omnes quibus homo ad domandum artes utitur, crudelis hyæna, ferarum ferissima.*

Sed character ejus nunc magis notus est, et odioso minùs et horrendo modo exhibetur. In fero statu, formidandus profectò est hostis, etsi ad insectandum se pronam non ostendat. Bruce, qui Abyssiniam peragravit, multa de hyænâ refert, quæ hanc descriptionem confirmant : *Quodam vespere*, ait, *cùm ad tentorium suum rediret, duos cæruleos oculos sibi inardescentes in obscuro aspexit : luce admotâ, hyænam reperit ad cubilis sui caput stantem, duos vel tres candelarum fasciculos in ore gerentem; nec tunc aliam prædam appetere videbatur.* Se ad eam accedere non metuisse, ait D. Bruce; quo facto, arreptam ingentem hastam, in bestiam quàm proximè ad cor infixit. Tunc verò tantummodò ulla feritatis signa dedit illa. Se enim confossam sentiens, candelis dimissis, in aggressorem impetum facere nitebatur, à quo se protexit D. Bruce arrepto sclopeto, et in caput bestiæ disploso. Nec indomabilis est hyæna. Observat Cuvierius eam in domestico statu homini ejusdem generis et gradûs ac canis officia præstare posse. Statuit Barrow illam esse domitam juxta promontorium Bonæ-Spei, nec tantùm optimam ferarum venatricem haberi, sed et fidelem non minùs ac qualemcumque ex vulgaribus canum speciebus; asseritque episc. Heber se quamdam in Indiâ vidisse quæ dominum suum sequebatur ut canis, iisque blandiebatur qui sibi familiares erant.

Cæterùm, fastidiosissimum quiddam habent hyænæ mores. Toto ferè die latet, at sub vespere, è latebris irrepit, septa recognoscit, humana habitacula circumvagatur, ciborum reliquias quotquot invenit vorans, et per campos viventem prædam inquirit, quam furtim et astu aggreditur: et si forte quædam repererit, humanis cadaveribus satiatur. Per horrenda bella quæ apud barbaras Africæ gentes geruntur, ait major Denham, hyænæ vulturesque præliis adesse solent : cæso-

(1) Paxton, *Illustr.*, vol. 1, p. 553

rum insepulta cadavera vultures devorant, hyænæ verò opus ita perficiunt, ut unum vix os stragis testis supersit.

Illud sanè animadversione dignum est in naturâ hujus bestiæ, ejus scilicet à canibus alienatio. Nullus canis, quantùmvis ferox, et aprum aggredi non dubitat, ullo modo ad insectandum hyænam impelli potest. Alienatio hæc, et mutuum inter ambo hæc animalia odium ab antiquissimis ævis in proverbium cesserat, cùm Ecclesiastici auctor interroget : *Quæ communicatio hyænæ ad canem* (1)? cap. 13, 22.

In anglicâ Bibliâ legimus, 1 Reg. 13, 18, *vallis seboim;* et in Jer. 12, 9, *avis discolor.* In utroque loco eadem vox occurrit, et parùm dubium est in utroque ad hyænam alludi. Prior locus sic intellectus fuit ab Aquilâ, Symmacho et Theodotione, qui illum vertunt *vallis hyænarum;* posterior verò ita à Septuag. redditus est : *Qui tradunt,* LATIBULUM HYÆNÆ. Vox Hebræa *tzeboa* retinetur adhuc *hyænæ* nomen in toto Oriente.

Si lectori ad Bibliam suam redire, posterioremque hunc locum legere et illum cum sequenti versione et illustratione, à Calmeti editore datâ, conferre placeat hujus translationis excellentiam confestim agnoscet : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam... Facta est mihi hæreditas mea quasi leonis habitatio; habitatores ejus rugitum suum contra me dederunt, ita ut eam odiverim. Tanquàm* OITH TSEBOAH *hæreditas mea mihi;* OITH *undique eam circumeunt. Idcircò, venite, congregamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum* (in omnem partem irruentes), Jerem. 13, 7 et seq.

Hìc agi videtur de homine qui, ingratum animum passus, ingratum omni calamitatum generi permittit; cùm ager suus sibi fera bestia facta sit, illum omnibus feris bestiis dimittit. Rectè dubitari nequit quin animal intentum vocibus *oith tseboah* hyæna sit, cùm *oith* significet *irruens,* et *tseboah,* maculosus vel lineatus; hoc bestiæ apparentia, illo mores describuntur.

In zoologicis Surrey hortis maculosæ sunt et lineatæ hyænæ.

VULPES seu CROCUTA (*Chacal*).

Callidus, æruscator hostis, nocturnus per tenebras latè circumvagatur, et ad destruendum vigilat. In pleno grege miser et innoxius agnus, dolosis ejus artibus ablatus, ipsi calido suo sanguine lautam præstat escam.

(SOMMERVILLE.)

Ratio quædam dubitandi adest utrùm Scripturæ vulpes sit communis vulpes, an crocuta, seu chacal, parva orientalis vulpes, ut ab Hasselquist dicitur. Plura ex Orientalibus crocutæ nominibus, ex suâ cum Hebræo similitudine, posteriori favent animali, et docet nos doctor Shaw, cùm crocutæ in Palæstinâ numerosissimæ sunt, communem vulpem raró ibi inveniri.

Rectè forsan à nobis hoc in casu agetur in admittendo Hebræum *shual* esse Orientalem crocutam. Primò igitur animal describemus, deinde verò Scripturæ locos in quibus intenditur notabimus.

Crocuta, seu *thaleb*, ut in Arabiâ et Ægypto vocatur, mediocris canis amplitudinem habere refertur, vulpi postremis partibus et caudâ præsertim, lupo verò anterioribus partibus, et naso præsertim, persimilis. Crura ejus vulpinis sunt breviora ; colorque ejus fulvus, seu potiùs, sub fervidis cœlis, subrubrè fuscus.

Quanquàm lupi species ad canem proximè accedit, mediam tamen inter eos ponendam esse videtur crocutam; feræ lupi ferocitati impudentem canis familiaritatem addit (1). Clamor ejus ululatus est latratu mixtus, ejulatusque humanæ calamitatis lamentis persimilis. In insectando prædam clamosior est ipso cane, et lupo voracior; etsi nunquàm sola, sed semper congregatis quadraginta vel quinquaginta simul eat. Parùm valdè homines timent, sed ad ipsa domorum limina prædam insectantur, nullo amoris vel timoris exhibito signo. In ovilia insolenter ingrediuntur, inque areas et stabula; et, ubi nil aliud reperêre, coriacea strata, ocreas, calceosque devorant, et, quidquid absumere nequivêre, auferunt. Non vivos tantùm aggrediuntur, sed et mortuos; pedibus recenter tumulatos effodientes, cadaveraque quantùmvis putrefacta devorantes. Sibi invicem in hoc exhumationis opere non minùs ac in venatione auxilium præbent; et, dùm triste suum opus implent, seu invicem luctuosissimo clamore, quasi pueri quibus pœna infligitur, adhortantur. Ut feræ cæteræ, ubi primùm humanam carnem gustavêre, à persequendo homines posteà nunquàm abstinere possnnt. Cœmeteriis invigilant, exercitus sequuntur, et in peregrè euntium postremis ordinibus insistunt.

Raró apparent crocutæ nisi obscurâ jam luce. Prædæ capto odore, in turbis numero triginta vel quadraginta constantibus erumpunt, incessantique assiduitate eam totâ nocte insectantur horridum ululatum proferentes, et tandem magnâ constantiâ perseverantes prædam obtinent. Atverò, leo, tigris, pantheraque quorum appetitus velocitatem superat, ad crocutarum clamorem attendunt, et statim ac eas laboribus suis jam fruituras existimant, unus ex ipsis subvenit, prædâ se satiat, et miser prædæ curator nudâ osseâ formâ (2), quæ sola superest contentus esse cogitur. Ex Orientalibus viatoribus certè facti sumus radicibus fructibusque vesci crocutam, non minùs ac animali carne, sæpèque plantas eradicare ut appetitui suo indulgeat (3).

Ea est descriptio quæ à naturalistis data fuit crocutæ vel Ægyptiacæ vulpis ; videamus nunc quæ ad illam factæ fuerint in Scripturâ allusiones. Ad ejus carnivoram indolem refertur in Ps. 62, 9 : *Qui quærunt animam meam... introibunt in inferiora terræ, gladio cadent, partes vulpium erunt.* Ejus in vinetis deva-

(1) Vulgata habet : *Sancto homini ad canem;* Septuag. verò : *Hyænæ ad canem.*

(1) Buffon.
(2) Goldsmith.
(3) Shaw, *Itin.*, vol. 1, p. 318, in-8°; Hasselquist, p. 184.

stationes intendit Salomon in Cant. 2, 15 : *Capite nobis vulpes, vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas ; nam vinea nostra floruit.* Sensus est : Falsi doctores doctrinæ puritatem corrumpunt, simplicitatem cultûs obscurant, ordinis instituti pulchritudinem disturbant, fidelium unitatem frangunt, christianorumque exercitationum vitam et vigorem extinguunt. In eodem sensu intelligi possunt hæc Ezechielis verba : *O Jerusalem!* Prophetæ tui (seu, ut sensus ex contextu datur), *blandientes tui doctores, sunt quasi vulpes in desertis*, cap. 13, 4. Hoc eis nomen imponitur, quia vulpinâ astutiâ mendacia in hypocrisi loquuntur. Ejusmodi doctores ab Apostolo vocantur *lupi in vestimentis ovium, operarii deceptores, qui artibus suis omnes domos subvertunt, et quorum sermo, ut* vulpium dentes in vineâ, quasi cancer exedit (1).

Datâ quâdam occasione, Dominus noster loquens de Herode, qui sibi necem minatus erat, ipsi metaphoricè vulpis seu crocutæ nomen tribuit : *Ite, dicite vulpi illi*, illi callidæ, crudeli, insidiosæ, voracique huic regiæ crocutæ, seu *vulpi*, quæ suum quidem odium minis suis ostenderat, sicut crocutæ latratibus suis malevolas propensiones suas ; quique crocutarum more, communi consensu cum cæteris meis inimicis allatrat ; ite, dicite illi : *Salvus sum ab ejus furore hodiè, et cràs, et tertiâ die consummor*, omninò extra potestatem ejus ; alludens fortè ad resurrectionem suam die tertiâ. Quædam sunt mota dubia utrùm deceret Redemptorem nostrum his verbis loqui de principe ordinis civilis, cujus sub ditione erat, et cujus idcircò characterem respectu et honore prosequi tenebatur. Nulla tamen istorum scrupulorum ratio stat : Herodis character, utpotè crudelis, insidiosus et callidus princeps, magis notorius erat quàm ut ullam subjectorum ejus partem lateret : et qui cor ejus noverat non minùs ac agendi modi testis aderat, de ejus dispositionibus et consiliis certè loqui poterat. Præterea ejusmodi metaphoricæ applicationes in Oriente multò vulgariores sunt quàm hic ; et idcircò Domini nostri auditoribus non adeò vehementes apparebant.

Ridiculo sæpè ab incredulis in divinam revelationem versum est, sed prorsùs immerito, quod excogitavit Samson, Jud. 15, 4-5. Ait Volney lupum et vulpem in Syriâ rarissimos esse, etsi ingens adsit ibi mediæ speciei copia, quæ crocuta vocatur, et in turmas congregata ambulat. Et rursùs : Crocutæ centuriatim latent in hortis et inter ruinas et sepulcra. Unde igitur Samsoni difficile fuit trecenta horum animalium invenire, præsertim cùm non una tantùm hebdomas, nec etiam unus tantùm mensis ipsi foret ut ea sibi ad finem suum provideret? Insuper rememorandum est Samsonem suum in republicâ tunc sustinuisse munus, et proinde nemini detrimento esse poterat illum in hoc opere adjuvare.

Operæ pretium est animadvertere *Vulpinaria* seu vulpium festa, à Romanis celebrata, non immeritò existimari inde originem duxisse. Frivolior est ab Ovidio allata tàm solemnis ritûs origo, tempusque celebrationis ejus, aprilis die decimâ septimâ, messis tempus non erat, cùm agri aristis cooperiuntur : medius enim aprilis tempus serendi erat in Italiâ, ut ex Virgilii Georgicis patet. Tempus verò optimè congruit cum Samsonis opere. Ex libro Exodi novimus ante Pascha, id est, ante diem quindecimam mensis Abib, seu martii, hordeum apud Ægyptios in spicis esse, Exod. 12, 18; 13, 4; et in cap. 9, 31, dicitur frumentum nondùm in spicas exiisse. Hordei messis igitur in Ægypto, et etiam in regione Philistinorum, quæ ipsi contermina erat, incidere debebat circa medium martium. Frumenti messis, juxta Plinium, mense uno serior erat. Messis igitur frumenti circa medium aprilem incidebat, quo tempore vulpium incendium Romæ celebrabatur.

APER.

Sic feri apri è cubili suio exeunt, canum latratibus
et voce hominum excitati. Incurvata eorum terga spiculis
horrent ; ignita ex eorum sanguineis oculis fluunt fulgura,
ex omni parte stridentes discerpunt arbores, arbusculas
eradicant,
nudasque sylvas relinquunt. Falcatos suos dentes elidunt,
in igne volvitur oculorum acies, donec largum vulnus
fortem
eorum animam expellat.

(ILIAD., lib. 13.)

Animal hoc, quod stipes est cæterarum porcini generis specierum, nullo modo ità stupida est et fœda bestia, ac quam mansuetam fecimus. Paulò exilior est aper quàm domesticus porcus, nec adeò vario colore, cùm cinereo colore ferrugineo, qui ad nigrum vergit, semper occurrat ; majus est ejus quàm edomiti rostrum, auriculæ breviores, rotundiores et nigræ : quo colore sunt quoque pedes et cauda. Falcati verò dentes majores sunt quàm in domitâ specie : incurvati surgunt, et extrema pars acutissima est (1).

Aper terram fodit diverso à vulgari porco modo ; unus terram fodit parvis in locis passim ; alter verò eam orat quasi in sulcos, et irreparabile damnum cultis villici arvis affert, vineæ et cæterarum plantarum radices destruens. Inde quantâ verborum proprietate propheta reipublicæ Judiacæ subversionem sub allegoriâ vineæ ab apro devastatæ repræsentet, videre possumus : *Vineam de Ægypto transtulisti ; ejecisti gentes, et plantâsti eam. Præparâsti locum ante eam, et stabilisti radices ejus, et replevit terram. Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus. Utquid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? Vastavit eam aper de sylvâ, et fera agri bestia depasta est eam*, Ps. 79, 8 et seq. Si, ut supponitur, psalmus iste durante captivitate scriptus fuerit, allegoriæ proprietas magis adhuc patet. Vastatis plantis et fructibus, quæ sedulò agricolæ solertiâ curâque creverunt, ferox aper validis suis falcatis dentibus vinearum circumstantium radices et ramos lacerat frangitque, et pedibus con-

(1) Paxton, *Illustr.*, vol. 1, p. 362.

(1) Buffon.

culcat. Hoc facilè lector applicabit ad Chaldæorum agendi modum adversùs Judaicum regnum cujus desolationem sic pathetice propheta queritur : *Dominus calcavit pedibus suis omnes magnificos meos* (viros potentes meos) *in medio meî; vocavit concentum adversùm me, ut contereret juvenes meos : Dominus virginem calcavit, filiam Juda, quasi in torculari*, Lament. 1, 15.

Palustribus arundinosisque locis valdè delectatur aper ; ad quod probabiliter refertur in Ps. 57 : *Increpa congregationem lancearioruin*, seu, ut littera fert, *bestiam arundinis*, vel *calami*.

URSUS.

In Hebræo bestia hæc significantissimè *grunniens* vel *murmurans* vocatur. Tria sunt ursi nota genera, albus, niger et fuscus. De duobus prioribus Scriptura non loquitur, cùm tertia sola species in Orientalibus gentibus innotescat. Fuscus ursus, ait Buffon, non tantùm ferus, sed et solitarius est ; in loca minimè frequentata, in periculosissima præcipitia et maximè impervios montes se recipit. In obscurissimis sylvæ partibus cubile suum eligit, in aliquod specus, quod cursu temporum excavatum est, vel in cujusdam ingentis vetustæ arboris foramine. Torvissima est et rapacissima hujus indoles, ejusque ferocitas in proverbium transiit. Indoli respondet externus corporis habitus : rugatum est ejus corium, membra ejus longa crassaque ; torva et contracta facies indolis altam morositatem indicat. Formidandus hic hostis *regi* sylvarum à sacris scriptoribus frequenter consociatur, cùm sit æquè cavendus et eversor. Sic Amos ante suorum inemendabilium fratrum oculos ponens longam malorum seriem quæ justo Dei judicio, in ipsos jamjam lapsura erant, declarat uno amoto alterum æquè grave mansurum : *Vœ* (vobis) *desiderantibus diem Domini ! Ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebrœ, et non lux. Quomodò si fugiat vir à facie leonis, et occurrat ei ursus*, Amos 5, 18 ; et Salomon, qui plurium regni animalis partium indolem penitùs perscrutatus est, iis vitiosos et omni virtutum genere destitutos principes assimilat : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem*, Proverb. 28, 15.

Ursa ferocior et metuenda magis quàm ursus dicitur ; præsertim post partum. Tanto catulorum suorum afficitur amore, tantâque invidiâ eos protegit, ut alienus nullus sive homo sit, sive bestia impunè in ejus solitudinem pedem ferre permittatur. Hoc pulcherrimè illustrat pulcherrimam imaginem quam usurpat propheta ad describendam mirabilem mutationem quæ Evangelii Christo prædicatione in humano corde locum erat habitura, et gratissimam, quæ vestigia ejus sequetur concordiam : *Vitulus et ursus pascentur; simul requiescent* CATULI *eorum*, Is. 11, 7.

Ad ursæ furorem, raptis catulis plurimæ sunt in Scripturâ conspicuæ allusiones. Qui ejus in his casibus testes fuêre, rabiem ejus violentissimam sævissimamque esse, et ab eo quem ulciscendi studio insectatur nisi vitæ amissione diverti posse referunt. Quàm tremendæ igitur irati Dei comminationes ob innumeras aggravatasque regni Israelis iniquitates, juxta quod ab Osee prophetâ denuntiatur ! *Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum*, Os. 13, 8.

Terribilis ejus denuntiationis executio, cùm Assyriorum exercitus terram Israel invaserunt, regnumque omninò subversum fuit, cuique Scripturarum lectori notissima est.

In visione Danielis, in quâ majores quatuor antiquitatis monarchiæ sub variarum rapacium bestiarum typo exhibentur, quarum indoles ad plurimorum istorum regnorum characterem relationem dicebat, regnum Medo-Persicum per ursam repræsentatur quæ *in unâ parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas*, Dan. 7, 5. Quatuor hæc regna inter se ferocitate et rapacitate perfectè congruunt, sed plures tamen conspicuæ varietates erant in secundariis characteris eorum lineamentis, necnon et in eorum agendi modis, quæ clarè variis eorum symbolicorum typorum characteribus intimantur. Persicum regnum *ursus* adumbrat, ad denotandam ejus feritatem et sanguinis aviditatem ; quam imputationem confirmat ipse propheta Jeremias vocans Persas *prædones*, cap. 51, 48, 56. Doctissimus Bochartus plurima enumeravit similitudinis signa inter hunc Medo-Persarum characterem et bestiæ de quâ agitur propensiones.

SECTIO TERTIA.

FERÆ INNOXIÆ.

ONAGER.

Quis asino sylvestri suum fregit torquem,
et humeros ejus à jugo excussit ? Ferum solitudinis.
incolam illùc ego dimisi liberas auras capturum
inter rubos. Velox ut sagitta in impetu suo volat,
fumantem procul videt civitatem surgere; turbis tumultuantes
vias, ubi onus suum trahit servitus,
clamosum ductorem, urgentesque stimulos contemnit.
Ubicumque alta in montibus librantur infinito
ordine nemora, ille virentia pabula quærit.

Pulchrior est et dignior onager quàm asinus domesticus. Describit illum Oppianus pulchrum, amplum, robustum, ingressu superbum ; corium ejus argenteo colore, nigram habens lineam secùs totam dorsi spinam, et in lateribus partes nivis candorem referentes. Ad currendum naturâ aptatus est, et ità cursu velox, ut optimi equi inferiores ipsi reperiantur. Ex hâc qualitate suum habet Hebræum nomen ; utque asperrimis montibus magis delectatur, per loca difficillima facilè currit. Veteres omnes scriptores qui de eo loquuntur, velocitatem ejus prædicant, et præsertim Xenophon (1), qui illum longa habere crura dicit, cursu esse rapidissimum, velocem quasi turbinem venti, fortesque et solidas ungulas habere.

(1) *Cyrop.*, lib. I.

Sir R. K. Porteri onagri descriptio, quem ipse venatus est, lectori adjumento esse poterit ad existimandum quàm fideliter libri Job scriptor characterem ejus delineaverit : « Vix sol ortus erat in summis « montium Orientalium cacuminibus, cùm vertagus « meus Cooly subitò irruit in vestigia bestiæ, quam « Persæ mei, qui eam quasi per caliginem tantùm vi« derant dorcadem esse dicebant. Calcaribus tunc « equum meum excito, et unà cum meis insector. « Peragratis igitur cursu concitatissimo tribus mil« liariis, canem attigimus qui tunc parùm aberat à « bestiâ quem insequebatur, admiransque, et primò « vexatus, asinum esse video. Sed, ubi paulisper rem « mecum reputavi, ex ejus velocitate existimans ona« grum esse, qui parùm in Europâ notus est, sed « quem Persæ majoris quàm cæteras bestias ut vena« tionem faciunt, tam proximè ad ipsum accedere sta« tui, quàm velocissimus Arabicus equus cui inside« bam deferre me posset. Sed cùm tantisper equum « videndi gratiâ cohibuissem, fera ita à nobis interea « evasit ut, non obstante quàm maximâ celeritate « nostrâ, ipsam adeò propè accedere nequiverimus. « Ego tamen meos longè præiveram, cùm certo quo« dam spatio bestia vice suâ constitit, meque ad sclo« peti ictum accedere permisit : tunc verò irruit ite« rùm quasi ipsa cogitatio velox, pectus arrigens, « calces remittens et in fugâ ludens, quasi non mi« nimè quidem fatigatus esset, et venatio ludus sibi « foret.

« Mihi visus est decem circiter aut duodecim pal« mas altus esse; lenis ut dami pellis, subrubroque « colore. Cervix ipsi vulgaris asini collo exilior; lon« gior, in modum cervi inflexa, crura verò pulcher« rimè tenuia; caput et aures ampla pro formarum « suarum gratiâ videntur, indeque bestiam quam in« sectabat è genere asini esse agnovi. Juba brevis et « nigra, ut et fasciculus extremæ caudæ erat. Nulla « secùs dorsum, vel humeros linea, ut in domitis apud « nos speciebus videbatur. Ubi verò satellites mei, qui « ex hâc regione erant, ad me venerunt conquesti « sunt quòd bestiam sclopeto non confoderim, cùm id « in meâ esset potestate, dicentes ejus carnem maxi« mè apud Persas in deliciis esse, non tamen ad eam « comedendam gratum mihi fuisset illam habere. Mi« rabilis velocitas et peculiaris quo per campos fugie« bat modus apprimè congruit cum descriptione quæ « facta est à Xenophonte bestiæ hujus in Arabiâ. « (Vide Anabasim, lib. 1.) Sed præsertim mihi in « animum revocat accuratissimam ab auctore libri « Job datam descriptionem (1). » Quæ de hâc materiâ diximus cum eâ libri Job descriptione conferantur : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula rudentis quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terrâ salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Montium juga pascua ejus sunt; et virentia quæque perquirit*, Job. 39, 5 et seq. Quòd verò onager delectetur nudissimis aridissimisque regionibus, id cujusdem Isaiæ loco accurationem ostendit, ubi extrema terræ Israelis ab exercitibus Nabuchodonosor devastanda prædicuntur : *Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent : quantò magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis? Dimittentur enim palatia, multitudo urbis relinquetur, castella et turres speluncæ erunt in æternum, gaudium onagrorum, et pascua gregum*, Isa. 32, 13, et seq.

Asserit professor Gmelin onagrum feminam, quæ sibi erat, duos aliquando dies absque potu manere, salsâque aquâ magis quàm vividâ delectari. Pauci frumenti calami, aridæ herbæ, seu paucarum arbuscularum aut plantarum ustarum cacumina, satis erant ad sedandos famis clamores, illamque contentam felicemque reddendam. Unde intelligere possumus quàm extrema miseria Judæ immineret ex fame quam describit Jeremias in quarto decimo prophetiarum suarum capite : *Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba*, Jer. 14, 6.

Summa Judæorum propensitas ad conjungendos se in idololatrici obscœnique cultûs actibus cum paganis gentibus quæ sibi erant conterminæ, prophetam induxit ut alluderet ad luxuriæ vim et insuperabilem animalis hujus in adimplendâ suâ libidine ardorem : *Quomodò dicis : Non sum polluta, post Baalim non ambulavi? Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris : tu es velox dromedarius, transiens vias suas; onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui;* quis tunc avertet eam? *Omnes qui quærunt eam non deficient; in menstruis ejus invenient eam*, Jer. 2, 23, 24. Quidquid tentatum est ad avertendos Judæos ab eorum idololatricis usibus prorsùs defecit in vanum : *Trahebant ventum amoris sui*, prophetæque Altissimi deficiebant, donec Chaldæorum exercitus mentes eorum subjugaverint, eosque ad tempus disperserint.

Hominis ignorantia et nimia suî ipsius existimatio vehementer asseritur in Job. 11, 12, referendo ad hoc animal : *Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquàm pullum onagri se liberum natum putat*, seu *pullum asini;* proverbialis loquendi modus; nimiam perversitatem feritatemque denotans, et ad quem sæpissimè in veteri Testamento intenditur. Sic in Gen. 16, 12, de Ismaele prædicitur eum fore onagrum virum; durum, agrestem et dissolutum ut onagrum. Sic Osee 13, 15 : *Ipse* (Ephraim) *onager factus est inter rudentia monstra.* Sic rursùm in cap. 8, 9, idem Ephraim tribuitur character, qui ibi vocatur *onager solitarius sibi*, seu forsan onager deserti : fert enim sensum hunc textus originalis. Proverbialis iste loquendi modus, usque nunc apud Arabes descendit, qui, ut observavit Schultens, voces *onager deserti* usurpant ad designandum obstinatum, indocilem contumacemque hominem. In Job 24, 5, fures et prædones odioso *onagri* cognomento insigniuntur. Locus iste, ait D. Good, non tantùm ad superbos ferocesque tyrannos intendit, sed et ad oppressos et miserrimè egentes, Beduinos et alias prædatrices tribus quas sua extor-

(1) *Itin. in Georgiam, Persiam*, etc., vol. 1, p. 459.

quendi vimque inferendi consuetudo à societate hominum expulit, vitæque suæ sustentaculum catervatim publicâ direptione et latrocinio quærere coegit. Hoc in sensu descriptio miram vim et characterem habet. Sic quoque ait filius Sirach, Eccli. 13, 23: *Venatio leonis onager in deserto; sic et pascua divitum sunt pauperes.*

RUPICAPRA, seu IBEX.

Optimam hujus animalis descriptionem præstitit posterior D. Carolus Taylor, ex quo articuli hujus materiem selegimus.

Tribus in Scripturæ locis de animali caprarum genere mentio, sive directè, sive per allusionem facta est. 1 Reg. 24, 3: *Saül... perrexit ad investigandum David et viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus* (*iolim*) *perviæ sunt.* Ps. 103: *Montes excelsi* IOLIM (*ibicibus*); *petra refugium* SAPHANIM. Sed et occurrit tertius locus in quo distinctiùs alluditur ad ibicem, et effusiùs mores ejus describuntur; juxta versionem nostram: *Numquid nôsti tempus quo feræ petrarum capræ parturiunt? Potesne observare quo tempore cervæ fœtum deponunt? Dinumerâstine menses conceptùs earum, et scîsti tempus partùs earum? Incurvantur ad fœtum et pariunt, et gemitus emittunt. Filii earum sub-pingues sunt, et pergunt ad pastum; egrediuntur, et non revertuntur ad eas*, Job. 39, 1-4. Quartus locus animal hoc *ioleth* in formâ femininâ exhibet: *Sit uxor tua quasi cerva charissima, et gratissimus hinnulus*, Prov. 5, 19.

Duo posteriora loca infeliciter redduntur; nam, quòd in uno est, *feræ capræ petrarum*, in altero est *gratus hinnulus*, quæ species adeò diversa est, ut una ex istis versionibus erronea esse debeat. Minimè dubium est, in citato Proverbiorum loco, rupicapram aut ibicem pro *hinnulo* esse debuisse.

Cùm verò rarissimus sit ibex, excelsosque et ferè impervios montes inhabitet, nisi valdè inacuratæ et confusæ de eo datæ sunt descriptiones. Hæc *bouquetin* hinnuli (sic enim provinciales vocant ibicem in Alpibus) descriptio præcipuè deducta est ex observationibus doctoris Girtanner, et D. Van Berchem, in diario Rozier, qui ipse nova addidit documenta:

Specificus hinnuli (*bouquetin*) character ex barbâ et cornibus, quæ in superiore, seu anteriore facie nodosa sunt, et ad dorsum recliva, desumitur. Ferus ibex domestico major est, externâ licèt facie persimilis. Caput pro corpore exilius est; rostrum verò crassum depressumque, et leviter curvatum. Magni sunt et rotundi oculi, ignitissimique et micantissimi. Ingentia sunt cornua, ubi altitudinem suam attigerunt, sexdecim aliquando aut octodecim libras gravia, plana ante, et rotunda retrò, unum vel duos longitudinares, plurimos verò transversos apices habentia, et ad extremam partem in nodos desinunt. Color est nigrè fuscus; longa barba, ferrugineo vel nigro colore; exilia crura, ungulæ breves, intùs perforatæ, et extra salienti orâ, ut rupicapra, ad imam partem ambiuntur. Breve corpus, crassum, robustumque; brevis cauda, infra nudata, longis in cæteris partibus cooperta villis qui ad originem ejus et in lateribus albi sunt, supra verò et in extremâ parte nigri. Longus sed non pendulus, cinereo colore, intermixtis aliquot subalbis, villus est. Nigra linea secùs dorsum extenditur, nigraque macula supra et infra genua adest. Color tamen, sicut et cæterorum animalium, pro ejus ætate et locorum circumstantiis varius necessariò est.

Femina masculo tertiâ parte minor est, nec ita corpulenta; color ejus minùs ferrugineus, nec cornua ultra octo uncias ipsi surgunt. In cornibus et in figurâ similitudinem capri refert, qui juvenis castratus est. Duo sunt illi sicut et domesticæ capræ ubera; nulla verò unquàm barba, nisi fortè in senili ætate.

Quieto in statu, rupicapra caput demissum fert ordinariè; in cursu verò erectum, et etiam leviter ante curvatum tenet. Rupem abruptam quindecim pedibus altam tribus saltibus, vel potiùs tribus successivis jactibus, vel triplici successivo quinque pedum impetu ascendit. Eam nullum in rupe locum pedibus invenire diceres, quam tangere tantùm ut repellatur videtur, quasi elastica substantia quæ solidum corpus pulsat. Si fortè duas inter rupes sit, proximè sibi invicem stantes, unumque cacumen, attingere cupiat, ab unius rupis latere ad alterius latus alternis vicibus salit, donec summum obtinuerit. Glaciei quoque strues rapido cursu urgente persecutore pervolat.

Ibices nocte pascuntur in altissimis nemoribus; sed vix primis solis ignibus aurescere cacumina cœpêre, cùm lignosam regionem deserunt, montesque pascendo conscendunt, donec ingentissimam altitudinem attigerint. In latera sese montium recipiunt, quæ adversa Orienti vel Austro stant, ibique in altissimis fervidissimisque locis procumbunt; sed, ubi sol ter quartam sui cursûs partem et ampliùs perfecit, pasci rursùs et ad nemora descendere incipiunt, quò se recipiunt, nivibus probabiliter imminentibus, ibi semper hiemem degunt. Ibices in greges duodecim, ad summum, vel duodecim, vel quindecim consistentes, sed communiùs minori numero, congregantur. Ibices masculi, qui sex vel ampliùs annos sunt nati, excelsiora loca quàm feminæ et juniores habitant; et quò magis ætate graves fiunt, eò minùs societatis studiosi sunt, frequenterque soli omninò vitam degunt. Anteriora crura, cùm sint posterioribus paulò breviora, faciliùs naturâ ascendunt quàm descendunt. Idcircò nihil nisi sevissima tempestas in inferiores regiones ut descendant impellere potest; et etiam hiemali tempore, si pauci sint saltem boni dies, nemora mox deserunt, et altiora petunt. Hæc sanè Psalmistam non fugerunt, ut ex uno supra citatorum locorum videmus.

Nemo animal hoc venatione insectari præsumit, nisi montium incolæ. Ad id enim non tantùm necesse est ut quis ex altissimis cacuminibus in profundum despicere imperterritus possit, ut solertissimus sit, et securo pede in difficillimis periculosissimisque locis ambulare queat, ut quoque sclopeti emittendi sit peritissimus; sed et requiritur insuper magna vis et robur ad ferendum famem, frigus et nimiam fatigationem. Inde patet quàm propriè sacer scriptor horrendos for-

midandosque scopulos, qui mari Mortuo contra desertum Engaddi prominent, vocet *ibicum rupes*, utpote qui his tantùm animalibus impervii non sunt.

Femina pullos suos mensibus quinque comitatur, magnumque capreolis suis amorem impendit, quos ab aquilis, lupis et aliis hostibus protegit. Directa deest affectuosæ ibicis feminæ fidelitatis probatio, ad quam, ut supponitur, referendum est quod intenditur in Prov. 5, 19; sed, cùm asserat Pennant feminas tempore partûs à maribus recedere, et ad alicujus rivi oram se recipere, ad fœtum deponendum, probabile videtur feminas generaliter cum maribus degere, idque fit etiam probabilius, considerato quòd ibex femina, vulgò unum, rarissimè duos capreolos parturiat.

DORCAS.

De hoc animali nulla fit in nostrâ Bibliæ versione mentio, sed generaliter receptum est *zebi*, quem interpretes nostri pro capreolo sumunt, *dorcadem* esse. Prius enim animal rarissimum est in Palæstinâ et adjacentibus regionibus; dùm posterius in quâlibet Orientis parte vulgare est. Adde etiam quòd *zebi* Hebræis permittebatur in cibum, Deut. 12, 5, vixque de eâ re dubium superesse potest.

Animalis hujus nomen, quod à verbo deducitur cujus sensus est *congregare*, vel simul colligere optimè gregarium dorcadum characterem designat, quæ simul aliquando duorum vel trium millium (1) numero congregatæ vivunt. Septuag., seu Græca versio Bibliæ vocem Hebræam *zebi* constanter δορκάς vertunt, cujus primarius sensus est *pulchritudo*; et ita redditur 2 Reg. 1, 19; Is. 4, 2, Ezech. 6, 20.

Dorcas species est connexionis inter capri et dami genera : priori intùs satis similis, posteriori verò externè, si cornua excipias, quæ sunt annulata, seu annulis circùm instructa, cum longitudinariis depressionibus, ab imo ad summum extensis. Ex omnibus in toto terrarum orbe pulcherrimos habere oculos dorcas refertur, qui valdè nitentes sunt, et adeò tamen dulces, ut orientales poetæ oculis hujus bestiæ oculos amicarum suarum comparent. Virgo discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur *Dorcas*, inde probabiliter nomen acceperat, certi facti sumus, *dorcadis oculis insignita pulchritudo*, verba esse officiosissima quibus orientalis amans uti possit.

Ex doctore Russel discimus Syriæ incolas distinguere inter dorcadem montium, et dorcadem camporum. Forma prioris est pulchrior, mirâque agilitate salit; posterior colore longè nitentiori est, nec ita valida, vel agens. Ambæ tamen adeò sunt veloces ut vertagi, quanquàm optimi reputentur, eas attingere nequeant, quin à falcone juventur, nisi tamen altè mollis sit terra (2). Ad priorem hujus animalis speciem, ut probabile est, alludunt sacri scriptores, quippe qui velocitatis ejus super montes distinctè faciant mentionem, 1 Par. 12, 8; Cant. 2, 8, 9; 8, 14.

Modus dorcadis capiendæ vulgaris est eam falconis vel unciæ (1) ope insectari; sed aliquando sequenti modo capitur. Domita dorcas, ad hoc instructa, suis edocetur se associare ubicùmque eas perspexerit. De tacto igitur dorcadum simùl congregatarum grege venator nodum fluentem circa domiti animalis cornua alligat, ut si quæ vel minimùm tangant illum implexæ hæreant; sicque præparatam dorcadem inter cæteras emittit. Domita vix ad alias accedit, cùm mares gregis irruunt ei obvii, cornibus qui impetentes in nodo capiuntur. Ubi verò se laqueo captum sentit, novas ex metu vires et activitatem sumit, vehementissimèque sese expedire conatur et fugere, antequàm venator (2) ipsum attigerit. Conatus ejus hoc in casu imitandi proponuntur iis qui temerè se pro vicino sponsores constituerunt : *Eruere quasi damula* (vel dorcas) *de manu venatoris, et quasi avis de manu aucupis*, Prov. 6, 5, id est, tu teipsum in periculo constituisti, nullâ morâ, te expedire enitere.

Aliquid adeò altè typicum in hâc sponsæ exclamatione (Cant. 1, 6) : *Indica mihi, ô tu, quem diligit anima mea, ubi pascas*, inesse videtur ut nondùm ulli criticorum occurrerit, quòd scilicet quæ loquitur, assumpto dorcadis vel cervulæ charactere, inquirat de loco ubi greges quiescere solent, ubi ipsa etiam quiescere possit. Generaliter supposuêre eam id inquirere sub pastoralis puellæ personâ, quæ significat se pastorem suum comitaturam, eique mediante die, quando requiescet, consociandam. Sir William Jones tamen locum ex Arabico poetâ translulit, qui amicam suam non tantùm dorcadi aut capreolo assimilat, sed et ait illam è suo proprio loco vagari. Hic est profectò intentus à sponsâ sensus : Cur essem quasi quæ vagatur, quasi vaga, erransque bestia, una ex tuo grege, errans tamem et vaga post (vel inter) greges sodalium tuorum?

His ista se habentibus, puellarum responso alia et magis officiosa forma accedit : *Si ignoras, ô pulcherrima inter mulieres, egredere* (seu potiùs viam tuam insequere), *et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos, juxta tabernacula pastorum* (Cant. 1, 5), id est : Tibi non in personâ vagæ bestiæ, sed in personâ puellæ gregum custodis respondere possumus; tu, in tuâ humilitate, locum assumere potuisti, quem nos humiliorem existimamus, et ad quem deprimere eam nequimus quam inter mulieres pulcherrimam habemus. Hæc ex unâ parte humiliatio et ex alterâ exaltatio, perfectè cum cæteris poematis locis (3) congruit.

CERVUS et CERVA.

Cerva et capreolus, cervus et dorcas magni semper ab orientalibus facti sunt, propter voluptuosam oculorum suorum pulchritudinem, exquisitam formæ elegantiam, suamque in agendo gratiosam agilitatem. In sacris igitur Scripturis, sicut et in aliis Orientalium litterariis compositionibus directæ relationes, seu incidentes ad eorum qualitates moresque allusiones frequentissimè legentibus occurrunt. Cervus una est ex

(1) *Hist. nat.* Aleppi, vol. 2, p. 153.
(2) Ibid., p. 154.

(1) *Uncia* parvula quædam est pantheræ species, quâ Persæ ad venandum utuntur.
(2) Goldsmith.
(3) *Script. illustr. exp. Index*, p. 156.

innoxiis placidisque bestiis quæ sylvas exornare, solitudinesque naturæ animare videntur. Facilis formæ elegantia, motuum agilitas, ingentia hæc cornua, quæ capiti magis ornamento quàm præsidio sunt; statura, vis et velocitas pulcherrimi hujus animalis, illi inter primos quadrupedum et inter maximè conspicua quæ videnda appetunt homines, locum vindicant. Sed cùm adeò sit notissimum illud animal, necesse non est nos multùm temporis in scriptâ ejus descriptione insumere. Cervi tamen cornua, conspicuæ magis sunt descriptionis materies quàm ut ea silentio prætereamus, cùm præcipuè nobis de iis satis peculiari modo agendi sese datura sit occasio, eo fine ut obscuri cujusdam Scripturarum loci genuinum sensum expromamus. Cervini cornu surculorum amplitudo ætati respondet, iique singulis annis labuntur. In cervis qui maturam ætatem obtinuerunt amplissimi sunt capitique expansionem dant et decus, quæ verè conspicua sunt. Illorum augmentum et extensio multis afficiuntur externis circumstantiis, existimatque Buffon eorum accretionem omninò posse impediri, si magnâ victùs sui parte defraudetur cervus. Qui enim in fertilibus pascuis alitur, nec à venatoribus disturbatur, caput habet expansum, surculos cornuorum innumeros, cornuaque ipsa crassa; dùm è contra qui insectationibus sæpè obnoxius est, et malo victu utitur, paucos tantùm cornuorum surculos, parvamque tantùm expansionem habet. Cornuorum igitur pulchritudo amplitudoque vis eorum et vigoris signum est (1).

Cervus est animal ruminans ungulamque dividit; eo igitur vesci licitum erat sub Mosaicâ lege. Deut. 12, 15; 14, 15. Magno id fuit Israelitis commodo, cum Libani Galaad et Carmeli montuosi tractus cervis abundarent, iisque magnam grati cibi copiam præstarent.

Corporis habitudine naturâ fervidâ et aridâ cervus cùm sit, in orientalibus regionibus siti multùm laborat. Ingentissimo igitur studio fontes et rivos quærit, præsertim cùm naturalem sitim auxit venatoris insectatio. Anhelans clamoremque edens in rivum ardenter irruit, ut extemplò urentem febrim, quâ consumuntur ejus vitalia, in frigentibus aquis extinguere possit. Nihil majori vi ardentia amoris suspiria in animâ veri fidelis explanare potens est, eoque usus est sanctus Propheta, mirabili accuratione et effectu, in describendis suis piis affectibus, quandò exul, à domo Domini dejectus vagaretur propè Jordanis fontes : *Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo antè faciem Dei?* Ps. 41, 2, 3. Sic importuna sunt verè sanctorum desideria, sic ardenter uniri cum Deo suo cupit ille; se à sanctuario procul abesse non sustinet nullaque ipsi satis esse possessio nisi sensibilis Salvatoris sui gratiæ possessio videtur.

Cervus capri aliquomodò similis apparet, cùm admodùm firmus stet pedibus, et excelsis locis delectetur. Mirabili præditus est velocitate, unoque saltu, mirâ agilitate magis quàm quinquaginta pedes amplectitur. Mirabili igitur vi et proprietate subitas Salvatoris sui amoris et potentiæ exhibitiones sponsa assimilat cervi saltibus, in montium cacuminibus : *Vox dilecti mei! Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, Cant. 2, 8. Ut aliquo modo nobis exhibeat gaudium triumphumque, quæ Messiæ in humanâ naturâ apparitio, ejus ex mortuis resurrectio, et regni ejus in totâ suâ gloriâ constitutio, in cordibus pereuntium peccatorum productura sunt, eamdem propheta Isaias usurpat figuram : « Tunc saliet sicut cervus « claudus, et aperta erit lingua mutorum. » Is. 35 6 (1).

Cerva, seu cervi femina amabile est animal et elegantis formæ, licèt cervo debilior et cornibus destituta. Notum non est, ut putamus, cervam firmiorem cervo stare pedibus, quanquàm usurpata à Davide et Habacuc figura id indicare videatur. Regius Psalmista ad suum securum statum sub Dei protectione, alludens, ait : *Qui perfecit pedes meos tanquàm cervarum, et super excelsa statuens me*, Ps. 17, 24; atque propheta sub eâdem potentiâ requiescens, plenam è præsentibus turbis liberationem et integram è circumdantibus periculis fugam anticipat : *Ponet* (Deus) *pedes meos quasi cervarum, et super excelsa mea ambulare me faciet*, Hab. 3, 19. In nostrâ Psalmi 28, 9, versione legimus : *Vox Domini cervas parturire facit, et revelat saltus.* Locus iste magnæ inter doctos discussioni locum dedit. Contendit episc. Lowth (2) versionem nostram parùm admodùm congruere cum reliquâ imaginis parte, sive naturâ, sive dignitate. Ipse igitur Syriacum sequitur, qui legisse videtur (3) *quercus.* Doctor Harris sic locum in versus juxta suam versionem expromit : « Audi : vox ejus in tonitrua erumpit; « et quassantur excelsi montes; fortes arbores tempe- « states discerpunt, latasque sylvas denudant! »

Atverò notissimum est cervam summâ cum difficultate et labore parturire. Ad hoc alludit libri Job scriptor : *Potesne observare quandò parturiant cervæ? Sese incurvant, pullos suos edunt, et emittunt suos dolores*, Job. 39, 1-3. Nonne igitur probabile est hujus animalis partum aliquando promoveri posse, ubi timoribus concussa, et corpus ejus tonitruorum motibus agitatum fuerit? Naturalis casus, qui notissimo hebraismo, *vox Domini* significatur. Has inter interpretationes deligere lectori licitum est.

In Prov. 5, 18, 19, admonet Salomon adolescentem virum, ut uxor sinûs sui sit sibi *quasi cerva charissima et gratissimus hinnulus;* pulcherrima allusio ad mutuum cervi cervæque amorem.

Unus tantùm remanet illustrandus Scripturæ locus, in quo de hoc animale agitur, prophetica scilicet benedictio quam moriens patriarcha Nephthali dedit, qui locus ingenti difficultate et obscuritate involutus est. In nostrâ versione sic habet : *Nephthali cerva est*

(1) Buffon et Goldsmith.

(1) Paxton.
(2) Sermon. vol. 2, p. 253.
(3) Differentia in Hebræo ex levissimâ alteratione quæ locum habere potuit, orta videtur.

emissa, et dans eloquia aurea, Gen. 49, 21, quæ versio singularem exhibet idearum confusionem. Prophetiæ subjectum exhibetur quasi sit simul masculinum et femininum; cerva dicitur *loqui verba, aurea verba;* loquendi modus in quo non est allusionis unitas, ne quid dicam de ejus defectu relationis ad subsequentem tribûs istius historiam; quæ relatio, perfectissimo gradu, in unoquoque altero pulcherrimi hujus scripti paragrapho occurrit.

Ad ordinandum textûs sensum paulùm sanè auxilii ex versionibus, sive antiquis, sive recentioribus desumi potest. Septuaginta, Onkelos, Bochartus, Houbigant, Durell, Dathe, Michaelis et Geddes vertunt: « Nephthali est expansa terebinthus, producens pulcherrimos ramos, » quod quidem similitudinem consimilem facit, sed expensâ arbitrariâ originalis textûs adulteratione, quam ferre omninò nequeunt vetera manuscripta. Insuper, cùm arboris symbolum à venerabili patriarchâ filio suo Joseph reservatum fuisse ex consilio videatur, assimilandus hic foret rei inferioris ordinis, si Nephthali parenti arbori antè fuisset assimilatus. Repetitio quoque non est probabilis. Quæ cùm ita sint, recentior Calmeti editor elaboratissimam loci analysim attentavit, sequentemque, ut laboris fructum, dat versionem : *Nephthali cervus est liberè vagus, ipse nobiles ramos emittit* (nobiles cornuorum surculos). Anglica vox *branches, rami*, cervo applicatur eâdem prorsùs allusione ac Hebræa vox; Galli dicunt *bois* (lignum) pro cervi cornibus. Cervi cornua singulis annis labuntur, et nova nascuntur; atque, ut jam diximus, ampla sunt si pascua ejus abundantia sint et nutritia; vel in accretione suâ cohibentur si parcus fuit ejus victus vel nutritionis expers. Effusiùs de hâc materiâ discutit Buffon (1). Adeò intima, inquit, relatio existit nutritionem inter et cornuorum surculorum productionem, etc., etc., ut superiùs statuerimus integram eorum dependentiam ex victûs superabundantiâ. In animalibus generaliter, et in cervo nominatim hæc superabundantia evidentissimis se prodit effectibus; hæc cornua, hæc gutturis tumorem, hæc adipis accretionem, etc., etc., producit. Post primum annum, mense maio, cornua prodire incipiunt, duasque projectiones efficiunt, quæ in longitudinem soliditatemque accrescunt pro eo quod nutrimenti sumit animal. Effectus iste (nutrimenti scilicet) in capitis vertice maximè conspicuus est, ubi magis quàm alio loco cornuum productione apparet. Alia ratio quòd nutrimenti penitùs superabundantiâ exoriantur cornua, discrimen existit quod inter cervorum ejusdem ætatis cornua reperitur, quorum quædam crassissima sunt et expansa, alia verò tenuia et exilia, quod omninò ex nutrimenti quantitate dependet : cervus enim qui fœcundam regionem inhabitat, ubi ad arbitrium pascitur, ubi nec à canibus, nec à viris vexatur, ubi cum quiete comederit, pro libitu suo ruminare potest, pulcherrimum semper ostendet, altum et expansum caput, latas palmas et spississimas, cornuum stipitem crassum, optimè baccatum, cum numerosis surculis, longis et firmis; dùm è contra qui regionem habitat, ubi nec quietus est, nec sufficiens habet nutrimentum, caput tantùm miserabile ostendet, paucos surculos debiles stipites; ità ut, considerato cervi capite, definire semper facile sit utrùm fertilem et quietam regionem inhabitet et utrùm benè vel malè pascatur.

(1) Art. *Corvus*.

Jacob igitur prophetia sic intelligi potest : Nephthali regionem adeò pinguem, fœcundam, quietam, et molestiarum expertem habitabit, ut postquàm abundantissimo victu pastus fuerit, ramos, id est, cornuum surculos augustissimæ magnitudinis proferet. Sic felicem patriarcha Nephthali partem designat, non directè, sed indirectè, non immediatè descriptionis vi, sed ex necessariâ relatione, quæ ex observatis effectibus oritur. Reipsâ tribûs istius pars in pascuis dives erat, solumque ejus, ut observat Calmetus, frumenti et olei feracissimum erat; ita ut prophetiæ verborum proprietatem et subsecutam expletionem in gratiam hujus interpretationis emendaverimus.

Nephthali habitatio erat nemorosa regio, ad montem Libanum extensa, omnisque generis fructuum ferax. Moyses ait, Deut. 33, 23 : *Nephthali abundantiâ perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini.* Josephus, de Bello lib. 3, cap. 2, magnificè loquitur de Galilææ fertilitate, in quâ tribus ejus pars includebatur; et (de Vitâ suâ p. 1017) ducentas cum quatuordecim urbes in hâc provinciâ numerat. Guillelmus à Tyro in suâ sacrorum bellorum historiâ, lib. 18, cap. 2, asserit civitatem Paneadem, quæ in istâ tribu erat, vasto saltu, qui *Paneadum* saltus dicebatur, circumdatam esse. Aptus erat iste saltus ad alendos saginandosque greges, ingensque Arabum et Turcomanorum numerus, inito cum Gotefrido Boloniensi pacis fœdere, cum suis gregibus et pecoribus in illum ingressi sunt. Probare parùm opus est regionem istam cervo quoque probabiliter copiosum victum suppeditâsse, qui prolificam suam vim in cornuum et surculorum incremento et magnitudine exprimeret; ita ut ista regio litterâ impleverit patriarchæ benedictionem ; quod in typico sermone semper expectandum non est. Addi etiam potest, milliario circiter à Paneade stetisse Laïs, seu Dan, cujus populus habitabat *absque ullo timore, quietus et securus*, Jud. 18, 7 ; quod sanè fertilissimam regionem, ne majora dicam, implicat. De adjacenti Kesroan regione, quam nos docet Volney huic Libani lateri homogenam esse, La Roque ait p. 220 (1) : Nihil Kesroan fertilitati par est: mori bombicibus, vineæ exquisitum vinum producentes, olivæ quasi quercus proceræ, prata, pascua, frumenta et omnis generis poma; tales sunt gratissimæ hujus regionis opes, quæ insuper pecoribus, parvis et magnis, avibus ferisque venaticis abundat. Adeò grata regio, sub cœlo sita quod medium censeo, et Syriæ totius temperatissimum aliquo modo ad indolis benignitatem, lenes mores, laudandasque inhabitantium habitudines conferre videtur.

(1) *Fragmenta, supplement. ad Calmet. Hist. nat.*, p. 30-32.

Suppositum est ramosa cervi cornua natorum allegoricè fœcunditatem designare, animadvertere nobis licet, etsi quatuor tantùm Nephthali filii enumerentur, quandò descendit in Ægyptum (Gen. 46, 24), tribus illa in Exodo supra quinquaginta virorum millia numerabat.

SIMIUS.

Risus cuique lectori movebitur, cùm simium inter innoxia animalia aspiciet. Verum est tamen factitias omnes rerum ad historiam naturalem pertinentiam divisiones necessariò esse imperfectas, eò quòd distinctiones delineandi imperiti sumus, ubicumque natura metas suas clarè non definivit. Ex omnibus notis animalibus simiorum tribus pravissima est, et maximè noxia; cùm verò tales sint, ut apparet, ex indolis luxuriâ magis quàm ex sanguinario habitu, culpæ nobis vertendum non esse forsan videbitur, quod in hunc locum ipsos introduxerimus.

Inter animalia simius proximiùs ad humanam figuram accedit, earumdemque physicarum actionum in maximo gradu capax est. Erectus ambulat, caudæ expers est, posteriora carnea habet, in crura parturit, pedesque ejus nostris persimiles sunt.

Doctor Adamus Clarke, in elaboratissimâ ad commentarium suum in Gen. 3, 1, notâ, ostendere conatus est animal quo Dæmonium usus est in tentandis prioribus nostris parentibus, non fuisse, ut generaliter supponitur, serpentem; sed animal ex simii vel satyri specie. Ista opinio, adeò omnium ætatum, Judæorum christianorumque fidei opposita, multos, ut ipse doctor prævidere videbatur, adversarios habuit, paucissimosque ad se convertit. Dissertatio ejus monumentum remanet pravè directi viri scientiâ et ingenio præditi laboris ad statuendam hypothesim, quæ neque Scripturâ, neque naturâ consistit (1).

Traditum est veteres Ægyptios simiam divinis honoribus prosecutos fuisse; nuncque adhuc in multis Indiæ tractibus adoratur. Maffæus magnificum simiæ templum describit, cum atrio ad recipiendas victimas, quæ ipsi immolandæ erant, quod septingentis columnis quæ Pantheonis Romæ columnis non cedebant, sustinebatur (2). Quando Lusitani insulam Ceylan populati sunt, splendidissimum in summo Adam vertice delubrum detexerunt, in quo pyxidiculam invenerunt auro et gemmis refertam, quæ etiam simiæ dentem continebat. Dentem istum, quem devotè colebant, redimere cupientes, hujus regionis reges, septuaginta ducatorum millia offerebant ut sibi redderetur; sed episcopus ad impediendum hunc idololatriæ actum, illum comburendum jussit, cineresque in mare projiciendos. Sunt et nunc in Indiâ templa in quibus et in ipsis contiguis locis non minùs quàm decem simiorum millia servantur et ut sacra animalia retinentur; in pluribus aliis verò minor numerus, sed non minoribus privilegiis et veneratione afficiuntur (3).

(1) Validis argumentis et rationibus nixum in doctoris opinionem scriptum videri potest in *Critic. Bibl.* vol. 1, p. 214.
(2) *Hist. Indiæ*, lib. 1.
(3) *Calmeti Biblia, encyc. Simia.*

LEPUS.

In Lev. 11, Judæorum legislator lepus inter immunda animalia collocat, quia, *quanquàm et ipse ruminat, sed ungulam non dividit.* Quidam naturalistæ asseruêre lepus non ruminare, sed doctor Shaw, in suo exquisitissimo de *generali Zoologiâ* libro, tradit animal hoc, ubi cum omni anatomicâ curâ consideratur, quasdam peculiares structuræ varietates exhibere, quibus ad ruminantia animalia affine clarè constituitur; et insuper vulgare lepus in multis ruminare reputatur. Poeta Cowper hujus rei tamen decretorium affert argumentum; loquens enim de lepore quod apud se retinuit, ait: Cùm illud tractabilissimum reperirem, quotidiè post jentaculum in hortum deferre solebam, ubi generaliter sub cucumerum foliis delitebat dormiens vel ruminans usque ad vesperum.

Lepora vulgatissima semper in Judæâ fuerunt; ita sanè abundant, ut moneat Plaisted eos qui solitudines juxta Bussorah pertransituri sunt, oniones secum deferre, ut iis condire possint lepora quæ sibi occurrent. Tradit ille viginti vel triginta uno die concocta fuisse.

Ut cætera animalia quæ vegetalibus omninò vescuntur, lepus innoxium est et timidum. Cùm ipsi abundantem natura victum suppeditet, hæc in eo non est cibi aviditas, quæ in iis, quibus parcus tantùm sæpè cibus est. Acerrimum est et mirabili velocitate, cui salutem suam potissimùm debet; cùm enim sit rapacium omnium bestiarum præda, incessantibus insectationibus patet. Lati sunt et prominentes oculi leporis, et ita retrò in capite positi, ut ferè post se currendo videre possit. Nunquàm integrè clauduntur, sed, cùm animal semper invigilet, apertis oculis dormit. Auriculæ magis adhuc propter magnitudinem conspicuæ sunt, mobiles sunt et in quamlibet partem diriguntur, ita ut levissimus etiam sonus facilè percipi queat, et ex eo animalis dirigi motus. Corporis musculi validi sunt et adipis expertes, ita ut dici possit superfluum onus nullum ferre carnis in ipsis. Ampliora sunt anterioribus posteriora crura, quod sanè auget adhuc motuum ejus rapiditatem, et cuncta ferè animalia, quæ velocitatis famam habent, excepto equo, simili modo confinguntur. Extra modum sobolescit lepus, et nisi plerorumque aliorum animalium prædationibus pateret, terram brevi cooperiret.

Animalis hujus caro à quibusdam populis deliciis habita fuit, ab aliis verò detestationi. Judæi, veteres Britones et Mahumetani immundam eam reputabant, religiosèque ab eâ abstinebant. E contrario vix ullus est alius populus, quamvis barbarus, qui illam gratissimam escam non reputet (1).

CUNICULUS vel SAPHAN.

Anglici translatores conjunctim cum pluribus aliis animal de quo in Lev. 11, 6, et aliis Bibliæ partibus agitur *coney* esse seu *cuniculum* intellexerunt. Sed ne quomodo contendam probabile non esse ut animal istud in Arabiâ vel Judæâ commune sit, alia est formidanda contra hanc interpretationem

(1) Vide Goldsmith.

objectio, scilicet similitudinis defectus inter cuniculi mores, et qui *saphan* (juxta Anglicam Bibliam cuniculo) à sacris scriptoribus tribuuntur. *Montes excelsi cervis*, ait David, *petra refugium saphan*, Anglicè *conies*, seu cuniculis, Ps. 103, 18. Idem notat Salomon in Prov. 30, 26 : *Saphans* (juxta Angl. vers. *cuniculi*) *grex tantùm invalidus sunt, qui collocat in petrâ cubile suum.* Porrò, notissimum est cuniculum, nedùm cubile suum in saxosis rupibus collocet, generaliter vitam degere in arenosis terris, et constanter campos frequentare.

Bochartus (1), admissis his difficultatibus, *saphan jerboa*, seu salientem murem esse contendit; sed ostendit Bruce unum tantùm huic respondere descriptioni *ashkoko*, seu, ut in Arabiâ Syriâque nominatur *ganam Israel*, seu *Israelis ovis*. Sic visendi hujus animalis descriptio à doctore Shaw datur.

Innoxia est bestia, iisdem ac cuniculus staturâ et qualitatibus, et incurro quoque anteriorum dentium situ et dispositione; fusciore verò colore est; exilioribus oculis, capiteque, ut mus montanus, acuminatiore. Breves sunt anteriores pedes, posteriores verò propè eâdem longitudine, salvâ proportione, ac *jerboa* pedes (2). Quanquàm notissimum sit animal istud aliquando sub terram uniculos agere, cùm tamen usualis ejus habitatio et refugium sit in foraminibus rupium et scissuris, eò magis præsumpta nobis est putandi ratio illud esse posse scripturæ *saphan*, quàm *jerboa*. Discere non potuit doctor cur animal istud *Israelis agnus* dictum fuerit.

Plenissima est D. Bruce descriptio, hæc ex eâ seligemus (3)! *Ashkoko* gregarii sunt et frequenter pluries duodeni super ingentibus lapidibus, juxta os speluncarum sedent, et apricantur, vel etiam egrediuntur, æstivarumque vesperarum frigoribus perfruuntur. Mitissimum quid imbelle et timidum adest in eorum corporis habitu; lenes sunt, facilè domantur, etsi, ubi primùm durè tractantur, gravissimè mordeant. Toto in corpore villos habent diffusos, validos et quasi barbâ suâ politos, et pro maximâ parte duabus unciis et quartâ unciæ parte longos. Rotundæ sunt auriculæ, non autem acuminatæ; clamores non edit, sed certè ruminat. Postquàm igitur contra eorum opinionem qui saphan esse cuniculum contendunt ratione pugnaverit, D. Bruce characterem hujus animalis à sacris scriptoribus datum *ashkoko* applicare conatur. Supra cætera, adeò rupibus delectatur ut celeberrimus viator nunquàm semel illud in terrâ videret, vel remotum à magnis lapidibus juxta os speluncarum ubi constanter remanet. In Judæâ, Palæstinâ et Arabiâ occurrit, et consequenter Salomoni familiare esse debuit. David illum accuratissimè describit, conjungitque cum animalibus omni homini notissimis : *Montes excelsi cervis, petra refugium saphan* (vel *ashkoko*) Ps. 103, 18. Et Salomon dicit : *Quatuor sunt minora terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus..... saphan* (sunt) *plebs invalida, qui collocant in petrâ cubile suum.* Prov. 30, 24. Hoc arguit Bruce, maximè obviè definit *ashkoko* esse *saphan;* nam hæc invaliditas ad pedes ejus alludere videtur, et quàm impares sunt ad effodenda in rupibus foramina, ubi tamen habitat. Ut jam observavimus, perfectè rotundi sunt, pulposissimi, vel carnosissimi, excoriari facilè vel offendi possunt, et carneâ molli substantiâ constant. Hoc non obstante tamen, sibi domos excavant in durissimis petris magis inaccessas quàm cuniculi receptacula, et in quibus majori securitate degunt, non virium exercitio, vim enim non habent, cùm sint reipsà, ut ait Salomon, plebs invalida, sed propriâ suâ industriâ et sagacitate; rectèque igitur *sapientes* describuntur. Id tandem omne tollit dubium, quòd scilicet quidam ex Arabibus, et nominatim Damir dicunt saphan non esse caudam, fele minorem esse, in domibus vitam degere, id est, non hominum domibus, quippè quòd pauci sint homines in locis ubi saphan habitat, sed quòd sibi domos seu ut de eo locutus est Salomon, nidos palearum ædificent, contra ac cuniculus et mus, cæteraque animalia, quæ sibi sub terram cuniculos agunt, nec dici possunt sibi ædificare domos, ut expressis verbis de saphan dictum est.

(1) *Jerosol.*, lib. 3, cap. 33.
(2) *Itin.* vol. 2, p. 160.
(3) *Ibid.* Appendix, p. 139.

Christiani in Abyssiniâ de hujus animalis carne non comedunt, eam immundam habentes; neque Mahumetani, qui, multis in casibus, hujus generis abstinentiam à ferarum carne, eodem modo ac christiani, scrupulosè servant.

MUSCULUS.

Animal istud à Judæorum legislatore immundum declaratum est : unde patet illud ex occasione in cibum receptum fuisse. Una fuit reipsà ex abominationibus quibus operiebatur populus Isaiæ temporibus, pro quibus ipsis insignis pœnæ intentabatur comminatio. Isai. 66, 17.

Sed hebræum *acbar*, quod versio nostra *soricem* vel *musculum* reddit, *jerboa* significare putatur, quod animal ab Arabibus in familiâ *el akbar*, seu maximâ muris montani specie collocatur. Totam per Africam, Syriam et alias orientales regiones invenitur. Quinque tantùm circiter uncias longus est, posterioribus stat erectus pedibus, tergo sedens aliquandò quiescit, raròque quatuor simul cruribus suis stat. Ubi igitur eo modo stat erectus, permixti animalis speciem exhibet, muris scilicet cum avis volantis cruribus. Adeò brevissimi sunt anteriores ejus pedes, ut eis tantùm simiæ et sciuri instar utatur, quasi manibus, ad admovendum ori pabulum, et ut cuniculus ad excavandam sibi subterraneam domum; posteriora verò crura longa sunt, et ita velocissima, ut quasi avis saliat, et tam celeriter, ut à vertago vix attingi possit.

Capite oreque jerboa leporis speciem refert, sed ab eo differt quòd duos tantùm incisores dentes habeat. Corpus breve est : cùmque pari longitudine caudam habeat, muris cognomine donatus est. Cùm tergum et latera cinereo sint colore, intermixtis subcæruleis lineis, dici potest rufo colore. In Ægypto editur,

gustuque existimatur suavissimus : ejus corium quasi commune, licèt pulcherrimum pellis genus, in pellicandis vestibus adhibetur (1).

Notissima haud dubiè lectori est relatio ingentis devastationis quâ Philistia olim ab hoc exili animali affecta est (1 Reg., 6), postquàm incolæ ejus arcam præsentiæ Domini captam propè idololatrica cultûs sui symbola collocaverint. Neque unica illa est occasio in quâ ingentem locorum istorum agris vastitatem intulit. Incipiente enim circiter duodecimo seculo, ut à Guillelmo à Tyro (2) discimus, christianum Jerosolymæ regnum ita omninò ab innumerâ locustarum et musculorum multitudine sibi succedentium, quatuor annorum spatio, devastatum est, et inde orta tanta et tam generalis calamitas, ut pœnitentialis synodus Naplusiæ congregata fuerit ad reformandos mores, Deique misericordiam, ut terribilia hæc ejus judicia averterentur, implorandam.

TALPA.

Conspicuus iste parvus quadrupes ad vitam sub terrâ degendam formatus videtur, quasi voluerit Ens supremum nullum esse locum qui non aliquo modo habitaretur. Si ex propriis nostris sensibus, de vitâ animalis, quòd super terram nunquàm apparet, sed semper in eâ ad victum quærendum remanere jubetur, quòd, quotiescumque è loco in alium transit, viam sibi per obnitentia elementa aperire cogitur, dijudicandum nobis foret, asserere profectò possemus nullam hâc in naturâ horrendiorem esse, vel magis solitariam existentiam. In talpâ tamen, etsi ad omnia hæc apparentia incommoda damnetur, nulla calamitatis vel angoris signa aspicimus. Nullus pinguior quadrupes, nullis levius vel lenius corium; et quàm multis caret commodis quibus cæteri fruuntur, copiosiùs aliis præditus est, quibus cæteri parciùs donantur.

Statura talpæ medium tenet murem inter et musculum seu soricem; sed neutri ullo modo similis est, cùm sit è genere omninò singulari, et perfectè ab omni alio quadrupede absimilis. Nasus ejus productus et acuminatus, porci rostro similis, sed productior; oculi adeò exiles, ut vix discerni possint; loco aurium foramina tantùm habet; adeò breve collum, ut caput humeris infixum videatur; corpus crassum rotundumque, in tenuissimam brevissimamque caudam desinens; ipsa quoque crura adeò brevia, ut ventre planum incubare dicas. Itaque primâ fronte nobis massa carnea apparet, nigro et pulchrè lucido corio cooperta, exileque caput, ulli vix oculi, ulla vix crura, caudaque. Existimârunt veteres, et quidam etiam ex recentioribus cæcam penitùs esse talpam, sed Derham, ope microscopi, omnes oculi partes, quæ in aliis animalibus innotescunt, detexit. Oculorum exilitas, quæ ad eam cæcam reputandam veteres impulit, ipsi peculiari est commodo. Exiguus visionis modus animali ad vivendum in tenebris destinato sufficit; major luminis copia ipsi tantùm carceris sui horrores detegeret, à quo evadendi omnem ipsi facultatem natura denegavit. Latius si fuisset hoc organum, injuriis, labente in illud pulvere, perpetuò fuisset obnoxium; natura verò, ad removendum hoc incommodum, oculos non tantùm exiguissimos fecit, sed et illos villis operuit. His commodis aliud addunt naturalistæ quod ad ipsius securitatem confert, quemdam scilicet musculum, cujus ope talpa oculos retrahere potest, quotiescumque id necesse est, aut periculum adest (1). At certè tota talpæ figura et conformatio ejus vivendi modo mirabilissimè respondet, vehementerque omnipotentis Creatoris sapientiam et artem illustrat.

VESPERTILIO.

Singularis hæc bestia, cui sunt proprietates quæ eam bestiis simul et avibus connectunt, diverso modo in historiæ naturalis systematibus collocata est. Calmeti editor, quem secutus est doctor Harris, ait : Magis est volucris quàm ut propriè bestia dicatur, magisque bestia quàm ut volucris habeatur. Dubium tamen quoad ejus naturam nunc omne sublatum est. Vespertilioni enim nunc locus assignatur inter animalium tribus, quem locum et quòd pullos suos vivos pariat, et villus, dentes et reliqua pars habitudinum et conformationis ipsi evidenter vindicant. Nullâ in re particulari volucris similis est, nisi quòd in aperto aere stare possit; quæ circumstantia vix eorum pondus adæquat quæ ut illum inter quadrupedes collocantia retulimus.

Hebræum vespertilionis nomen designat *volans in subobscuro*, id est, *vespere*. Simili nomine à Græcis et Latinis dicebatur. In Deut. 14, 18, 19, ritè describitur : *Et vespertilionem, et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit, et non comedetur.*

Variæ sunt vespertilionis species, quarum quædam violentissimæ, validæ et injuriosæ. Vulgaris Europæ vespertilio innoxius est, multòque exilior quàm quidam in Oriente noti, ubi numerosiores quàm in hâc regione sunt.

Vespertilionis crura in modum omninò particularem et ab omni alio animale absimilem confinguntur. Ille volatûs sui instrumentorum ope repit. Totâ hieme in suo foramine latet, ut et etiam totâ die ipsâ æstate, exire non audens, nisi vespere, unius vel duarum horarum spatio, ut sibi cibum ministret. In arborum foraminibus, in obscurâ speluncâ, vel in ruinosæ domûs rimis quibus peculiari modo delectari videtur, communiter habitat. Hoc istum Isaiæ locum illustrat : *In die illâ projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui ad talpas et vespertiliones*, Isai. 2, 20; id est, idola sua deferet in obscuras speluncas, in antiqua rudera, vel loca desolata, ad quæ ipse se fugiens recipiet; sicque ea demittet, immundisque animalibus quæ loca hæc frequentant, et quasi proprio domicilio potita sunt, relinquet (2).

(1) Franklin. *Ægyptus*, vol. 1, p. 225.
(2) *Gesta Dei apud Francos*, p. 823; Harmer, *Observ.*, vol. 3, p. 395.

(1) Vide Goldsmith.
(2) Vide Harmer, *Observ.*, vol. 2, p. 455.

SECTIO QUINTA.

DUBIA ANIMALIA.

BEHEMOTH.

Dividuntur aquæ : ecce loricâ instructus caput attollit Behemoth. Perstricto ejus latere ferrum inania in fragmenta dissilit. Ille impavidus per campos incedit vel colles petit, ubi, cùm varia carpit pabula, greges latè circa pascua sua linquunt, et in innoxium peregrinum stupentes oculos conjiciunt.

(THOMPSON.)

Hoc designatum cognomine animal in libro Job, variè à doctis viris definitum est, quorum quidam, antiquiores præsertim christiani scriptores et Judæi rabbini satis absonis opinionibus indulserunt. Eas hìc sigillatim exponere inutile foret, proinde eas silentio præteribimus. Bythner et Reiske vocem *behemoth* plurale putant *behemeh*, *bestiæ* vel *bruti*, illamque bestias in genere designare existimant, peculiaris autem bestiæ naturam annexis certis characteribus definiendam linquentes. Clodius, ut à Scott (1) citatur, observat numerum pluralem ab Hebræis aliquando usurpari ad exprimendam *magnitudinem et præeminentiam;* ita ut *behemoth* sit *magna bestia.* Plerique tamen scriptores in eo conveniunt ut vocem illam nomen singulare cum Ægyptiaco fine(2) peculiare quoddam animal designans habeant; hippopotamusque et elephantus locum sibi in animali creatione vindicare existimantur, qui *behemoth* assignatur. Franzicis, Bruce, Pfeiffer, Schultens, Michaelis et Scott posteriori favent; Scheuchzer verò, Schaw, Taylor et præsertim doctissimus Bochartus pro priore decertant.

Recentior Calmeti editor, cujus immensa scientia et indefessa industria, ipsi semper reverentiam et attentionem vindicabunt, non obstante suo imaginariarum conjecturarum studio, apprimè animadvertit auctorem libri Job magnam operam insumpsisse in delineandis perfectissimis poeticisque conspicuorum horum animalium *behemoth* et *leviathan* picturis, quibus suas animatæ naturæ descriptiones claudit, et sermonis, quem in ore Altissimi ponit, gradationi finem imponit. Hunc etiam interrumpit sermonem, illâque interruptione, ut videretur, has creaturas ab iis quæ jam à se fuerunt descriptæ, separat, de iisque ita disserit ut quo poetico animo scripserit pateat. Leviatham effusiùs quàm behemoth describitur, et ambos quasi socios exhiberi evidenter apparet, sociosque et affines retinendos. Inde pergit D. Taylor ad inquirendum quænam ex creaturis, primævis in temporibus, et in regionibus Ægypto conterminis, ubi poematis hujus scena collocatur, probabiliter conjungi consociarique debuerint; et ex Herculaneis antiquitatibus et Prænestinis pavimentis, famosâque Nili statuâ, eas *crocodilum*, qui nunc generaliter leviathan esse reputatur, et *hippopotamum*, seu *fluviorum equum*, fuisse ostendit.

(1) *Transl. libri Job*, 372, nota.

(2) Editor Bibliæ comprehensivæ existimat *behemoth* idem esse ac Ægyptiacum *pehemon*, *pehemout*, ex *p. articulus*, *ehe*, *vitulus*, et *mout*, *aqua*, id est, *vitulus aquaticus.*

Ex ejusmodi rationibus, animadvertit ille, inferre procul dubio nos posse existimo hanc consociationem nec raram, nec infrequentem fuisse, sed illum reipsà fuisse in antiquis ævis et in regionibus ubi hæc animalia nativa erant cogitandi et consequenter loquendi morem; addereque possumus, cùm in Ægypto notissima, popularisque superbiæ Ægyptiacæ aliquo in gradu essent materia, et ab hujus regionis nativis magnitudine suâ et charactere distinguerentur, ea innotata omitti ab ullo studioso naturalistâ aut historiæ naturalis scriptore non potuisse; ita ut qui ea in hâc libri Job parte omissa supponeret, defectum in libro, quo scriptorem defecisse argueretur, adesse supponeret : si verò ea in eo inseruntur, nulla potest esse alia hippopotami descriptio (1).

Juxta Aristotelem, hippopotamus asini staturâ par est; illum amplissimi bovis staturâ pollere asserit Herodotus; Diodorus altum esse non minùs quàm quinque cubitos, seu septem circiter pedes cum dimidio contendit; Tatiusque illum, ob miram ejus vim, Ægyptiacum elephantum vocat. Sic hujus generis bestiam, quam sibi in occidentali Africâ obviam habuit, describit captain Beaver. Non innatabat bestia, ait, sed in canali, in quinque, ut existimo, circiter aquæ pedibus stabat; immerso toto corpore, capite verò aquas superante. In naviculam nostram defixos firma oculos tenuit donec viginti circiter *yards* ab eà glandem ipsi medium oculos inter et nares defixi, tùm subitò præceps ruit et confestim resurgit, insufflansque in demissiores aquas abiit, ubi totum ejus corpus cernere, hippopotamumque esse novisse potui. Tunc in naviculam paululùm accessit, inde ad oram fluvii, circumque semel aut bis quasi quid agendum sibi nesciret, ex omni parte volvitur, toto hoc tempore vehementer se immergendo. In profundiorem tandem abit aquam, et immergit se : nos verò intenti eramus ad observandum quâ in parte rursùs appareret, et insectabamur; eoque modo tres ferè horas insumpseramus, cùm tandem angusta arenarum moles occurrit, quam pertransiens, in quindecim vel sexdecim aquæ orgyas proripuit. Tunc insequi destitimus, quin alterum in illam ictum explodere potuerimus. Dùm ita persequeremur, non ampliùs quàm viginti minutas sub aquâ delitebat, sed statim post vulnus acceptum, tertiâ quartâve quâque minutâ surgebat. Corpore paulò major quàm major urus videbatur, brevioribus quidem, sed crassioribus cruribus. Caput ejus equini capitis persimile, licèt longius; ingentes prominebant oculi, apertæ et distentissimæ nares, breves et arrectæ aures, in modum equi resectis auribus, ubi eas erigit, vel vertagi ritè sectis auribus simillimæ. Nihil jubæ mihi perceptum est, depileque corium apparuit; de hoc tamen planè certus non sum; cùm enim utrùm bestia fera esset annon penitùs ignari eramus, statim ac glandem explosi,

(1) *Fragm.* ad Calmet, n. 65.

ab eâ recessimus, illam nos insectaturam existimantes (1).

In Job 40, 12, 13, conspicuam behemoth staturæ, vigoris et virium ideam suppeditat sacer scriptor : *Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testiculorum* (femorum) *ejus perplexi sunt. Ossa ejus* (vel costæ ejus) *velut fistulæ æris; cartilago* (vertebræ) *illius quasi laminæ ferreæ.* Inauditi ejus roboris idea crescit adhuc ex iis quæ de ossibus ejus referuntur, quæ validis cupri fistulis et ferreis laminis assimilantur. Ejusmodi figuris vulgò utuntur sacri scriptores ad exprimendam ingentem duritiem et vim; cujus rei conspicua in Michææ hâc prophetiâ occurrit exemplum : *Surge, et tritura filia Sion : quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas : et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.* Mich. 4, 13. Adeò solida sunt et valida behemoth ossa.

Ipse est principium viarum (seu præcipuum opus) *Dei. Qui fecit eum, applicabit* (seu applicavit) *gladium ejus.* Job. 40, 14. His in verbis quasi omnium ab omnipotenti creatore factorum animalium nobilissimum exhibetur. Mas hippopotamus, quem Zernighi à Nilo in Italiam advexit, sexdecim pedibus et novem unciis ab extremo rostro ad caudæ originem longus erat; sex pedibus cum dimidio altus, quindecim pedibus amplus, cruraque ejus duobus pedibus circiter et decem unciis longæ. Capitis trium cum dimidio pedum erat longitudo, octo verò cum dimidio ambitus ejus; oris hiatus duorum cum quatuor unciis pedum erat, dentiumque maximis uno pede longiores.

Itaque, inaudita ejus vis, impenetrabile corium, ingens oris hiatus et portentosa voracitas, dentium nitor et durities, vitæ ejus modus, quam æquè in terrâ marique, vel in imo Nili flumine transigit, nostram æquè vindicant admirationem, illumque, ait Paxton, dignum exhibent qui *principium viarum Dei* habeatur. Nec minùs tamen ob sagacitatem conspicuus, cujus duo à Plinio et Solino referuntur exempla. Ubi se tritico ingurgitavit, et ad aquas distento ventre redire incœpit, multas aversis pedibus semitas describit, ne insectatores plani itineris vestigia sequentes, resistendi impotentem deprehendant destruantque. Alterum exemplum non attentionem minorem demeretur : ubi nimis luxurianter pinguis evasit, obesitatem suam copiosis sanguinis missionibus reducit. Ad id recenter sectas arundines, vel acutas rupes quærit, in quas irruit, donec satis cutem aperuerit ut sanguis effluere possit : ad promovendam verò hanc sanguinis detractionem, corpus agitare suum traditur; ubi verò satis magnam sanguinis copiam emisisse censet vulnus, in luto se volutando, claudit. Inde Plinius illum sanguinis emittendi artis inventorem, curandique artis magistrum vocat (2).

Sacer scriptor subsequenter addit : *Si furit fluvius, non recedit : stat immotus, etsi Jordanis in os suum irrumpit* (Job. 40, 18). Quantam hæc virium Behemoth ideam suppeditant. Ille ad subitam fluvii irruptionem stat immotus torrentisque violento et rapido impetui resistit !

Opinioni quæ prævaluit indulgentes quâ hæc ad hippopotamum descriptio refertur, quædam ex signis similitudinis inter hunc et libri Job Behemoth occurrentibus exhibere rectum duximus; amborum tamen identitatem dubiam habemus, magisque cum doctoribus Good et Clarke sacrum scriptorem ad exstincti generis animal intendere existimamus. *Mastodonton* aut *mammoth* fuisse putat doctor Clarke, cujus quamdam sceleti partem attentâ curâ expendit, et in suo in Genesim commentario descripsit cap. 1, 24. *Mammoth* ob amplitudinem descriptioni versiculi 19 apprimè respondebit : *Ipse est principium viarum Dei.* Ad quam enim hæc sceleti pars pertinuit bestia non minùs quàm viginti quinque pedibus alta, et sexaginta longa computari debet. Unius ex pedum digitis ossa quæ ego metitus sum, tribus pedibus longa inveni. Unus ex minoribus exstincti hujus animalium generis molaribus dentibus, asperitatibus extra horrens, quæ unam amplius unciam altæ sunt, et bestiam carne vesci ostendunt, à me appensus modò fuit, et, ut aridissimus nunc est, quatuor libris et octo unciis gravis inventus : idem quoque elephanti dens molaris à me quoque appensus, duabus libris inventus est gravis. *Mammoth* igitur, servatâ proportione, duorum cum quartâ parte elephantorum amplitudinem habere debuit. Inde staturam ejus deducere licet : elephanti decem et undecim pedibus frequenter alti sunt; mammoth igitur viginti quinque aut viginti sex ad minus pedibus altus fuisse apparet, et, ut multi-digitatus videtur, saltus quos efficere potens erat, ferè incredibiles esse debuerunt : nihil velocitate insectationes ejus aufugere poterat. Illum Deus ad ostensionem suæ potentiæ fecisse videtur, et si prolificum fuisset, nec jam exstinctum hoc animalis genus, universam terram habitatoribus exhausisset hujus generis bestiæ in Job ævo existere debuerunt : ibique ad behemoth intenditur quasi perfectè et generaliter notus fuerit.

LEVIATHAN.

.... *Ibi Leviathan, ex animatis creaturis*
immanissima, in altis fluctibus, quasi promontorium
immensus,
innatat vel dormit, mobilisque terra apparet, branchiisque suis
absorbet, et proboscide emittit mare. (MILTON.)

Vox *leviathan* in quatuor tantùm Scripturæ locis occurrit, in additum sublimissimæ huic creaturæ, cui cognomen illud datur, descriptioni, in quadragesimo libri Job capite; quæ descriptio summo in gradu poetica est, et in minutissimis etiam partibus rectissima. Vix esse potest dubium quin eadem bestia alibi vocetur *tan* et *tannin*, quæ voces diversè vertuntur *cete, draco, serpens* et *monstrum marinum;* eaque versionum diversitas ab ipsis nativis scriptoribus confirmatur, qui his verbis ad istas et plures forsan alias immanes insuper bestias, inter quas præcipuè *crocodilus* voce Leviathan designatur, describendas utuntur.

(1) *Afric. memoranda*, p. 225.
(2) *Illustrationes*, vol. 1, p. 383.

Indè præcipuè probatur leviathan esse Nilosum crocodilum, ait D. Vansittart (1), quòd plurimæ sint circumstantiæ et adjuncta particularia quæ ad Ægypti, nullius verò cujuslibet regionis crocodilos pertinent; et si eæ sint ejusmodi circumstantiæ ut ex illis ideas suas in leviathan descriptione deducere sacrum scriptorem supponere nobis liceat, certos ferè nos faciunt leviathan Nilosum crocodilum adumbrare. Locum deinde citat scriptor noster ex Herodoto, in quo hoc animal ab historico describitur, et quædam ipsi in Ægypti partibus peculiaria refert, animadvertens quosdam ex Ægyptiis crocodilum sacrum habere, et præsertim Thebarum et alios circa lacum Mœrim incolas, qui crocodilum alebant, annulis et armillis adornabant, sacro cibo ipsi destinato pascebant, et præcipuo penitùs honore afficiebant. Maximo igitur ingenio jam tùm illustrat datam in libro Job descriptionem, eamque Thebaidæ crocodili peculiarem characterem exhibere vehementer existimat.

In sequenti articulo in auxilium nobis advocavimus aptissimam doctoris Harris disquisitionem, qui plùs quàm vulgarem operam in hanc materiam profudit.

Leviathan descriptio incipit à versiculo duodecimo, et in tres partes dividitur, quæ sub diversis titulis ordinantur; 1° partes ejus; 2° ingentes ejus vires; 3° armis instructissima ejus statura. Prima earum partium et tertia illum non secùs ac naturalista describunt; secunda verò quasi Deum illum exaltat.

Sequitur igitur ab illo doctore emendata descriptionis libri Job versio, cui paucas explanationes et ad crocodilum relationes subjungemus: *Ecce leviathan! quem hamo circumagis, vel fune quem rostro ejus alligas.* (Job. 40, 20.) Verba hìc usurpata denotare generaliter videntur quibus instrumentis uterentur, partim ad capiendum in aquis vivum crocodilum, partim ad illum regendum, ubi fuisset in terram adductus. Expressis verbis asserit Herodotus, lib. 2, 70, unum ex modis, quo tunc temporis ex occasione capiebatur, hamum fuisse, suillo tergo instructum et medio in flumine projectum: crocodilus postquàm illum deglutisset, in oram extrahebatur emittebaturque.

Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armillà perforabis maxillam ejus (40, 21). Hoc generaliter intendere suppositum est ad modum bestiam capistrandi ut circumduci posset, infixo in naribus hamo vel annulo, ut Deus Pharaoni sub crocodili figurà minatur, Ezech. 29, 4. Sed D. Vansettart verbis illis ornamenta exprimi existimat aitque; secundus versiculus haberi potest exprimere leviathan circumductionem, non ut rem visendam; sed in suo divino statu, cum aureo annulo vel ornamento naribus infixo. In orientalibus regionibus nasi annuli non aliter ac quodlibet aliud ornamentum frequenter occurrunt. Tres proximè sequentes versiculi illum ut domesticum animal exhibent, quasi in fœdus pacis veniens, in ditionem retentum, etc., etc.: *Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia. Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum?* Hic omninò patet ironia. Miram sacer poeta artem ostendit, derisoriam sui sermonis figuram ita ordinans, ut magni Entis cujus in ore ponitur majestatem non minuat.

Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum (seu in caveam includes) *ancillis tuis? facientne socii tui propter eum prandium, et alieni negotiatores in partes illum auferent?* A Job hìc quæritur quid de captivo suo acturus sit, utrùm illum in domo suà ad suum et familiæ oblectamentum, ancillarumque diversiones retenturus sit, vel spectaculum Phœnicensibus catervis ostensurus.

Numquid hamato ferro pellem ejus implevisti, vel caput ejus harpaginibus? hic innuitur pellis ejus impenetrabilitas, effusèque posteà describitur. Joco vertitur missilibus telis eum confodiendi conatus. Nihil ulli animali ità apprimè ac crocodilo convenit. Tela de quibus hìc agitur ea sunt procul dubio, quibus piscatores ad ingentes pisces eminùs confodiendos utuntur.

Pone super eum manum tuam. Aude cum ipso congredi; esto firmus. Ecce spes ejus vana est, et etiam ad aspectum ejus dissipatur (concidit). Absurda est ejus domandi spes. Ipsa ejus adeò formidabilis est apparentia ut congredientis virtus concidat, et audacia frangatur.

Nemo ità confidens est ut illum suscitare audeat. Quis igitur resistere potest vultui meo? Quis stabit coram me confidenter? omnia quæ sub cœlo sunt mea sunt. Confundi nequeo in membris ejus et violentià, neque in potestate ejus et staturæ ejus viribus. Hâc in clausulà docetur Job ad periculum suum formidare quippe qui murmuribus litigationeque terribilis hujus bestiæ creatoris iram provocaverit: Etsi vir Leviatham aggrediendo concidat, tota creatio mea est, ejus magnitudine et structurà ullo modo affici nequeo. Concidere nequeo vel confundi; elinguis reddi non possum.

Statim in hanc descriptionis partem ingreditur poeta, quæ nondùm data fuit, et mirum in modum cum sigillatim depicto bellicosi equi et behemoth charactere congruit. Neque à dignitate in quà hùc usque stetit, descendit, cùm magnum creatorem mirabile suum opus expandentem, hominesque ad consideranda quæque plurima hujus formationis peculiaria invitantem, ut profundiori factoris sui potentiæ sensu afficiatur, exhibet.

Quis revelabit faciem armaturæ (indumenti) *ejus? Et in duplicaturam narium ejus quis progredietur?* obscurus est versiculus iste. Prior tamen pars describere videtur terribilem loricam quà crocodoli caput et facies conteguntur. Verti igitur sic potest: *Quis loricatam ejus faciem revelare poterit.* Si Job tempore, bellici equi omni ex parte loricis contegi mos erat, ad ejus armaturæ revelationem quæstio referetur; eâque similitudine crocodili squamæ exhibebuntur. Posterior igitur pars freni impositionem, sublatà armaturà, ad aliud quodlibet officium, denotat.

Portas vultùs ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido; laminæ squamarum ejus triumphus (seu elatio); *corpus ejus quasi scuta fusilia; una uni ità conjungitur* (squama) *ut ne spiraculum quidem incedit per*

(1) *Observat.* in cap. 41, lib. Job. Oxonii, 1810.

eas; una alteri adhæret, et tenentes se, nequaquàm separabuntur. Ingentissimum est crocodili os, dentiumque apparatus perfectè formidabilem hanc descriptionem confirmat. Indissolubilis contextura, squamarumque quibus contegitur latitudo potentibus versiculorum istorum figuris adumbrantur.

Sternutatio ejus splendor ignis (seu lucis); *et oculi ejus ut palpebræ diluculi.* Juxta Schultens notionem, amphibia quo diutiùs spiritum suum sub aquis cohibuêre, eò vehementiùs, ubi primùm emergunt, illum ducunt, spiritusque diù cohibitus cum in modum effervescit et adeò violenter erumpit, ut flammas evomere videantur. Tenues sunt oculi crocodili, sed undas maximè penetrare dicuntur. Inde Ægyptii oculos ejus, ubi primùm ex aquis emergit, soli, è sinu maris, ubi quiescere supponebatur, orienti assimilantes, ortûs solis, seu auroræ hieroglyphicum signum effecêre.

De ore ejus lampades procedunt; scintillæ ignis prosiliunt. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ et ferventis. Halitus ejus prunas ardere facit, furensque ignis in conspectu ejus egreditur. Hic bestia prædam suam in terrâ insequens describitur; apertum igitur est os ejus, incredibili vehementiâ halitus emittitur, quasi fumus apparet, tantumque caloris gradum obtinuit, ut urens ignis videatur. Fortissimè quidem sunt et hyperbolicæ figuræ, quibus poeta utitur, sed iis pares sunt quæ in Ps. 17, 9: *Ascendit fumus è naribus ejus, et ignis à facie ejus exarsit; carbones succensi sunt ab eo.*

In collo ejus moratur fortitudo, et faciem ejus præcedit destructio. Fortitudo et destructio hìc animantur. Prior in collo ejus residet, quasi potentiæ ejus signum, vel motuum ejus regula; posterior verò quasi saliens saltansque ante eum, dùm prædam insequitur, ad exprimendum horrendam ab eo patratam stragem.

Membra carnium ejus cohærentia sibi, firma sunt, nec ullo modo viam dabunt. Cor ejus induratur tanquàm lapsis, quasi inferior mola asinaria durum est. Vehementes istæ similitudines non materialem tantùm, sed et moralem duritiem denotare possunt, feram et implacabilem ejus naturam. Ælianus crocodilum vocat *voracem carnis voratorem, animaliumque immitissimum.*

Cùm sese extulerit, potentes expavescunt, commotione conturbati quam in aquis excitat. Gladius aggressoris ipso ictu frangitur, sicut et hasta, jaculum aut harpago. Ferrum quasi paleas reputat, quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagittarius; in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam bellicam securim reputat, et deridet vibrantem hastam. His vocibus vivido modo vires, fortitudo crocodilique intrepiditas describuntur. Nihil ei timorem incutere potest. Si quis illum aggrediatur, nec gladii, neque jacula, neque hastæ in illum proficient. De eo inter viatores convenit pellem ejus acutis gladiis esse imperviam.

Cubile ejus sunt silicis fragmenta, quæ fracta rupes in lutum effundit. Obscura est clausula hæc, et diversis modis reddita fuit. Idea hæc esse videtur quòd nempè leviathan quiescere potest in acutis rupibus et saxis, non magis reputans quàm si in luto quiesceret. *Fervescere facit quasi ollam profundum mare; æstum ut unguentum anhelat. Post eum lucet semita, profundum spumâ candidâ circumfunditur.* Ut ampliorem hujus bestiæ virium ideam suppeditet poeta, motuum ejus in aquis effectus describit. Ubi ingens crocodilus in altum se immergit, violenta aquarum commotio liquori in ollâ ebullienti apprimè assimilari potest. Ubi verò in aquarum facie innatat, undas ut cymba scindit, spumâque albescere facit; eodem tempore cauda ejus, quasi gubernaculum, post ipsum fluctus spumis albescere et quasi lucis semita scintillare facit. Hæc vulgares sunt apud poetas imagines. Sic Homerus (Odyss. lib. 12, v. 235) ut à Pope vertitur: *Tumultuantes ebulliunt fluctus, commoti sunt, spumis albescunt, vasta surgit confusio, quasi aquæ super flammeo igne ebullientes.*

Suî similem super terram non habet inter ea etiam quæ timoribus inaccessibilia facta sunt. Omnia arroganter despicit; ipse est rex super universos filios superbiæ. Animadvertit doctor Good omnes interpretes in errorem esse lapsos existimando filios superbiæ vel arrogantiæ ad feras bestias aut immanis molis monstra referendos. Longè hominis superbiæ et arrogantiæ, illegitimæ in propriam suam fortitudinem confidentiæ, quam humiliare sublimis hujus loci scopus est, ignobilius est ipsi, inter ipsam brutam creationem, creaturam assignavisse quam aggredi non audet, et quæ omnem ejus superbiam et ostentationem, et jactantiam ridet, illumque in omnibus his casibus realem suam parvitatem et inferioritatem sentire cogit.

Ea est divinitùs afflata mirabilis bestiæ descriptio; et difficile forsan impossibile est ullam in alicujus ævi aut regionis linguâ descriptionem invenire quæ tam mirè sibi constet. Unicum totum et æquè exquisitum efficere videtur.

Suscitare Leviathan in cap. 41, 8-10, ejusdem libri, quasi ineluctabilis ruina exhibetur. Naturæ consentaneum erat ut terribilis hujus eventûs in vehementissimis abhorrentiæ vocibus mentio fieret, iique lugerentur qui ita miserabiliter pereunt, amarissima calamitoso diei imprecantes. Ejus loquendi modi auxilium ut fatalem ortûs sui noctem exsecretur Job invocat.

Voce Leviathan in Ps. 78, 14, Pharaonem repræsentari supponere licet, quemadmodùm rex Ægypti ab Ezech. 29, 3, vocatur: *Draco magnus* (seu crocodilus) *qui cubat in medio fluminum suorum*, atque, ut ait D. Merrich, si Arabici lexographi, à Bocharto citati, rectè asserant Pharaonem in linguâ Ægyptiacâ crocodilum significare, aliaque esse poterit ad ejus nomen in his Psalmistæ et Ezechielis textibus allusio, ut ad draconis nomen fiebat, quando Herodius, in amarulento joco ab Aristotele, Rhet. lib. 2, c. 23, relato, ait leges ejus quæ severiores erant, leges esse non *hominis* sed *draconis.*

UNICORNIS.

Numquid volet altus unicornis (seu *rhinoceros*) *qui dominum præter me non novit, ad præsepe tuum mugire, vel à te subsidium petere? Numquid jugo tuo non assuetum*

subjiciet humerum, vel obnitentes glebas franget, et super sulcis tuis fumabit? Cùm magna sit vis ejus, ito, confide in eum curis vacuus; colli ejus totius anni labores impone, jube illum ad limina tua æstates (seu messes) afferre, onusque suum inter collectos tuos acervos deponere. (YOUNG, *Job translatio.*)

Lectori parùm prodesset varias sigillatim exponere opiniones quæ de identitate bestiæ, quæ in nostrâ Bibliæ versione *unicornis* designatur, habitæ fuerunt. *Oryx*, quædam feri capri species; *urus*, quædam feri vituli species; quædam cervi aut damæ species, et *rhinoceros* ipse, sive simplex cornibus sive duplex habuerunt qui aptè se sacræ scripturæ *reem* prædicarent.

Quòd autem hanc bestiam dubiis animalibus consociaverimus, haud dubiè inferetur aliquam adesse illam cum noto quodam animale identificandi difficultatem. Res ita se habet : dùm enim quædam sunt similitudinis notæ *reem* inter, ut in Scripturâ describitur, et unumquodque ex supra memoratis animalibus, quædam sunt etiam rationes quibus dubium effici videtur utrùm quoddam ex ipsis idem omninò sit animal ac quod à sacro scriptore describitur.

Omninò animadvertere necesse est unicornem, ut à poetis et pictoribus exhibetur, in naturâ nunquàm extitisse, sed tantummodò in unius mente et in tabellâ alterius. Atverò, antequàm inquirendum suscipiamus quæ creatura voce Hebræâ *reem* designetur, operæ pretium erit certo modo exponere verum ejus characterem, sedulo locorum in quibus de illâ agitur, exsamine. Prima ad illam allusio occurrit in Balaam ad Balac responso, quando à tremefacto hoc rege, ut invadentibus Israel agminibus malediceret importunè incitatus ait : *Deus eduxit illum* (Israelem) *de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis*, seu unicornis, Num. 23, 22; 24, 8. Undè evidenter patet *reem* ingentem fortitudinem habere existimatum fuisse. Huic ideæ congruit Isaiæ locus, in quo propheta illum aliis animalibus consociat magnâ vi præditis, quasi ducum principumque typum hostilis ejus gentis, qui in regionem suam devastationem laturi erant : *Et descendent unicornes cum eis et cum tauris vituli; inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium.* Isai. 34, 7. Ex libro Job discimus illum non fuisse tantùm animal ingenti vi præditum, sed et ferocissimâ et intractabili indole : *Numquid volet rhinoceros* (seu unicornis) *servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loco tuo? aut confringet glebas vallium post te? Numquid fiduciam habebis in magnâ fortitudine ejus, aut derelinques ei labores tuos? Numquid credes illi ut sementem reddat tibi, et aream tuam congreget?* Job. 29, 9. Alia quoque ad hanc rem pertinentia è Psalmo 91, 11, colligimus, nempe quòd animal istud unum tantùm cornu habeat et in recto quidem statu, quod in nullo cornutorum animalium occurrit : *Et exaltabis sicut unicornis cornu meum;* dùm è contrà è sequenti loco evidenter patet plus quàm uno aliquando cornu præditum inveniri : *Cornua rhinocerotis, cornua illius* (Joseph). Deut. 33, 17. Non in ullis Scripturæ locis, duobus exceptis, de unicorni fit mentio, duo verò ista loca sunt Ps. 21, 22, et 38, 6. Nihil amplius et novi à priore discimus, posterior verò non nisi parùm notionibus nostris addet : *Eos salire facit ut vitulus; Libanum et Saron quasi filium unicornium.*

Nunc paratiores sumus ad exquirendum quanti valeant quæ in partem animalium quæ Scripturarum *reem* esse supponuntur allata sunt. Audiamus primò D. Bruce : Valdè mirandum est, ait clarissimus ille viator, duas bestias quales sunt elephantus et rhinoceros, sacrorum scriptorum descriptiones penitùs fugisse. Moyses filiique Israel diù morati sunt in locis quæ regionibus horum animalium nativis conterminæ sunt, scilicet in Ægypto et Arabiâ. Animalium in munda et immunda distributio legislatorem impulisse quasi necessariò videtur ad describendum, in alterutrâ divisione, animal cujus carnibus præcipuè vicinorum locorum paganæ gentes vescebantur. Consideratis diuturnis intimisque Salomonis cum meridionali maris Rubri littore relationibus, ferè impossibile est ipsi non innotuisse hæc animalia, cùm præsertim ipse et pater ejus David copiosè ebore usi fuerint, ut ipsi in scriptis suis frequenter referunt, quod simul cum auro ex iisdem tractibus afferebatur. Præctereà Salomon expressè de zoologiâ scripsit, vixque supponere licet illi non innotuisse duo hujus creationis partis præcipuæ animalia, quæ magnum Asiæ, respectu ipsius, orientalis continentem, et Africæ, ad meridiem habitabant, quibus cum terris constantibus relationibus conjunctus erat.

Duo sunt animalia de quibus frequenter in scripturâ agitur, quin inter naturalistas conveniat quæ fuerint. Unum est *behemoth*, alterum *reem*, quæ ambo ut roboris, fortitudinis et ab homine independentiæ typi exhibentur, et ut talia ab ordinariâ bestiarum sorte scilicet ab hominis dominio et ditione exempta. Etsi hoc in sensu litterali non sit accipiendum, quippe quòd nullum est animal super quod timor hominis non sit et quod ultrà potentiæ ejus metam consistat, id intelligendum est de animalibus quorum adeò excedit fortitudo et statura, ut sub illo respectu cæteræ bestiæ nullam cum ipsis relationem proportionemve habeant.

D. Bruce *behemoth* elephantum esse sumit, in quo ab illo differimus; *reem* verò rhinocerota esse contendit ex his consideratis : verbi etymologia in Hebræo et Æthiopico *rectitudo*, seu *erecta statio* esse videtur. Particularis sanè non est in ipsâ bestiâ qualitas, quæ multis aliis quadrupedibus non erectior, quin imò non æquè erecta est; illa verò qualitas ex circumstantiâ et modo quo situm est cornu desumenda est. Apud cætera animalia cornua ad quemdam cum naso vel osse frontis parallelismi gradum inclinant. Rhinocerotis tantùm cornu erectum vel huic ossi perpendiculares stat rectis angulis; undè illi major virium copia, ut rectis, quàm ullum cornu in alio aliquo situ habere possit.

Felicissimo modo ad hunc cornu situm in sacrâ Scripturâ alluditur : *Et exaltabis sicut unicornis cornu*

meum, Ps. 91, 11. Cornu ad quod hìc alluditur penitùs non est typicum, sed est verum ornamentum, quod magnates in diebus victoriæ, promotionis et gaudii ferebant, cùm novo, suavi, vel recenti oleo peruncti erant : quæ circumstantia à Davide cornu erectioni additur.

Difficilè concipitur cur scriptores quidam impulsi fuerint ad habendum unicornem quamdam capri vel dorcadis speciem, cùm è genere sit cujus verus character est metus et imbecillitas, quod omninò oppositum stat, ut notat D. Bruce, qualitatibus quæ *reem* in Scripturâ ascribuntur. Insuper planum est *reem* non esse inter munda animalia recensendum, recensque viator morosissimè illum pro leviathan, quem piscem esse certum est, sumit. Balaam, Madianites sacerdos, et idcircò in locorum viciniâ, ubi rhinoceros habitat, et Æthiopiæ intimè conjunctus (ipsi enim hujus regionis pastores erant), ex contemplatâ Israelis fortitudine cui ad maledicendum adductus fuerat, subitò supra se raptus, ait de eodem Israele : *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis,* Num. 23, 22. Frequenter Job ad ejus fortitudinem, feritatem, indocilitatemque alludit, cap. 39, 9, 10; quærit enim : *Numquid volet rhinoceros (reem) servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?* Id est, venietne libens in stabulum tuum et ad præsepe tuum vescetur? et rursùm : *Numquid alligabis rhinocerota (reem), ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te?* Aliis verbis, potesne illum aratro vel occæ alligare?

Isaias, 34, 7, cui ex omnibus prophetis meliùs innotuisse videntur Ægyptus et Æthiopia, Idumææ destructionem prophetizans ait *unicornes*, *reem*, cum pinguibus pecoribus descensuros; unde patet illos unicornes in viciniâ habitare novisse. Eumdem in modum ac prædicens Ægypti desolationem, ut illam perficiendi modum affert quòd musca ex Æthiopiâ adducetur, quæ pecora in deserto et inter rubeta obtineat, ibique destruat, quò, nisi jussu, hoc ordinariè non accedit insectum (Isai. 7, 18, 19; et Exod. 8, 22); et ubi singulis annis pascuntur pecora, ut sese ab illo eximant.

Rhinoceros in Geez vocatur *arwe harish*, et in Amharic, *auraris*, quæ ambo nomina immanem feram, cornu instructam significant; quod ad eas pertinere videretur species, quibus unum tantùm cornu est. Ex alterâ parte, in regione Shangalla et in conterminâ Nubiâ dicitur *girnamgirn*, seu cornu supra cornu, hocque illum duo cornua habere denotare videretur. Æthiopicus textus vocem *reem* reddit *arwe harish*, et Septuaginta vertunt *μονόκερος*, seu *unicornis*.

Quòd si Abyssinianus rhinoceros duo constanter cornua haberet, probabile non videtur illum à Septuaginta *μονόκερος* vocandum, præsertim cùm hujus generis animal Alexandriæ expositum suâ ætate, cùm primùm in historiâ recensetur, in spectaculo Ptolemæo Philadelpho, in suâ ad coronam accessione, ante patris sui mortem dato, videre debuerunt.

Præcipua causa cur vox *reem*, *unicornis*, non autem *rhinoceros* vertatur, ea est quòd præsumeretur illi unum tantùm cornu esse debere. Sed illud adeò firmiter non stat, ut sufficiens sit ratio admittendi animal exstitisse, quod post tot seculorum inquisitiones nunquàm apparuit. Scriptura, ut vidimus, de unicornis cornibus loquitur, ita ut etiam indè *reem* esse possit rhinoceros, sicut Asiaticus et partis Africæ rhinoceros esse potest unicornis.

Supra hæc docet nos D. Bruce rhinocerota non fœno vel gramine, sed penitùs pasci arboribus; spinosissimis non parcit, sed iis maximè delectari videtur : nec exilis est ramus qui famem ejus fugere possit, firmissimas enim notæ cujuslibet creaturæ maxillas habet, aptissimasque ad molendum, terendumque quamcumque obnitentem materiam. Atverò, præter arbores quæ maximè obnituntur, sunt et in immensis quos habitat saltibus mollioris consistentiæ et succulentioris qualitatis arbores, quæ in præcipuum ejus pabulum reservantur. Ut altissimos earum ramos obtineat, superius ejus labium ita produci potest, ut majori polleat apprehendendi facultate, eodem modo ac proboscide suâ elephantus. Labii hujus et linguæ ope altissimos ramos quibus major est foliorum copia demissos devorat primùm; nudatâ ramis arbore non tamen recedit, sed tam altè in trunco posito rostro suo quàm cornu penetrare licet, arboris stipitem discerpit, et in tenues particulas, ut totidem regulas, comminuit; et ita præparatas, quantùm valent immanes ipsius maxillæ capere, amplectitur, easque non difficiliùs quàm bos apii radicem intorquet (1).

Ea est descriptio quam clarissimus ille scriptor dat animalis, quod *reem* sacrarum Scripturarum esse supponit; minimique sunt ponderis quæ contra ejus opinionem urgentur objecta. Qui ea perpensa confutataque videre cupit, id in *Naturali historiâ fragmentorum ad Calmetum*, præstitum inveniet.

Ab elephanto animalium fortissimum rhinoceros dicitur. Duodecim ab extremo naso ad caudæ insertionem pedibus longus vulgò invenitur, à sex ad septem pedes altus, corporisque ambitus longitudini ferè æqualis est. Elephanto igitur magnitudine par est; nec oculis ita hoc animali minutior apparet, nisi quòd crura ejus multò breviora sunt. Verbis, inquit Goldsmith, nisi confusissima hujus animalis formæ exhiberi potest idea; et pauca tamen sunt quorum ita conspicua sit forma. Dempto cornu, quod jam descripsimus, caput ejus porcini capitis similitudinem refert : nudum est rhinocerotis corium, durum, nodosum, corpusque rugis, modo prorsùs peculiari, involvit (2). Cutis pulvereo fusco colore, adeò crassa est, ut acinacis aciem vertere, et sclopeti glandi resistere possit.

Ea est generalis animalis descriptio, quod ob cornu è rostro eminens præsertim formidandum apparet, naturâque ad aggrediendum magis quàm ad alliciendum propensum. Elephantus, aper, urusque transversè

(1) Bruce, *Itin.*, vol. 5, p. 89-95.

(2) Id tamen occurrit tantùm in unius cornu rhinocerote; quæ verò species duobus cornibus instruitur, his in cute rugis caret; etsi hàc in notione utraque species ut similis generaliter exhibeatur.

ferire coguntur, rhinoceros autem, cornu suo sic stante, quoque ictu vim suam omnem expromit, ita ut tigris aliud quodcumque animal sylvestre aggredi malit quàm quod viribus suis tam integrè utitur. Reipsà nulla vis est quæ terribili huic animali sit formidanda: ex omni parte corneà crassâ cute protectum, quam leonis tigrisve ungues penetrare nequeunt, et antè cornu armatum cui obsistere non eligit elephantus. Certos nos fecerunt viatores elephantum sæpè enecatum in sylvis inveniri rhinocerotis cornu perforatum.

CAPUT III.

VOLUCRES

Sed quis varias dicere potest gentes quæ frequentatum aerem alacribus pennis arant? Hæ comminutum corticem diffindunt ut insectis pascantur; illæ aduncum rostrum in calidum sanguinem immergunt; quædam juncosas paludes incolunt, solitariosque saltus, quædam argenteas suas plumas in fluctibus lavant.

Nunc ad unam ex pulcherrimis, copiosissimisque naturæ animatæ partibus accessimus. Paucas antecedentes præmittere licebit observationes antequàm ad describendas multas species, quæ nobis in recensendâ Bibliæ ornithologiâ notandæ occurrent, procedamus.

Nostram primo loco attentionem vindicat pennatarum tribuum structura. Si cum homine conferantur, multò rudior imperfectiorque videtur earum formatio; æque in genere etiam quadrupedum docilitatis expertes inveniuntur. Ab illis proximum tamen ordinem tenent, piscesque et insecta corporis structurâ et sagacitate longè superant.

Quoad perfectissimi ordinis volucrum structuram pauca nostram attentionem postulant. Totum corpus modo ad iter per aerem faciendum accommodatissimo confingitur; quippe quod, ut observat D. Ray, juxta sir Isaaci Newtonis minimæ resistentiæ formam proximè constructum sit. Juxta Barr, in suâ Buffonis *Continuatione*, nec extremâ est mole, nec æquè in suis cunctis partibus substantiale; sed, cùm ad surgendum in aerem sit destinatum, latam superficiem absque soliditate expandere potest. Anterior corporis pars est acuta ad aperiendam sibi viam per aeris elementum, gradatim crescit ejus moles, donec justam acquirat dimensionem; et in expansam caudam desinit. Cùm sit duplex volucrum motio, *ambulatio* scilicet et *volatus*, cruribus instruuntur, quæ ad ambulandum mirè coapta sunt, easque quasi elaterium ad volandum sublevant; alis quoque, quarum ope alta petunt et cursum suum hùc et illùc ferunt; caudâ tandem, quâ firmæ stant in aere, in evolutionibusque juvantur et in cursu diriguntur.

Quanquàm plumeum volucrum tegumentum mirabiliter ad levitatem et fluitationem sit dispositum, alæ tamen vi stupendâ polleant, iisque incredibili velocitate impelli possunt. Ut ad volandum aptiores fiant, perfectissimo plumæ disponuntur ordine, unicâ serie jacentes; utque lenius illabantur, glandula quædam in uropygio residet ex quâ, datâ occasione, oleum rostro exprimunt plumasque inungunt.

Rostrum est conspicua artis pars durâ corneâque substantiâ constans, modoque ad perrumpendum aerem accommodatissimo constructum. Aures à capite non eminent, ne morentur earum volatum; itaque sunt oculi dispositi, ut hemisphærium propè ex utroque latere capiant.

Volucribus dentes non sunt ad mandendum cibum, sed granivoris avibus duplex est stomachus; in uno cibus emollitur maceraturque, antequàm in alterum transeat, ut penitùs digeratur. Cùm superiores sæpè regiones pertransire debeant, unde gravi illis foret incommodo si pullos suos more quadrupedum parerent, modus earum generandi sapienter factus est alius, earumque proles ovorum medio exoriuntur. In celeri pullorum avium incremento, quo talem virium et staturæ gradum acquirunt ut sibi mox provideant, nobis quoque teneræ Providentiæ curæ adest exemplum.

Quæ occulta vis parvis his creaturis nemorum amorem inspirat, eo ipso tempore, quo affinitates jungere maximè expedit, id est, cùm genialis cœli temperies arbores frondibus operuit, et graminibus campos, et in futuræ prolis sustentaculum tot insectorum examina profert? Unde igitur, ubi vix connubiale vinculum initum est, tenues illi cantores confestim nidis conficiendis incumbunt, teneræque suæ proli præparant? In nidis construendis quanta ars et ingenium! sive luti et mortarii collectis coalescant particulis, sive levissimis muscorum palearumque materiis, eos in accommodatissimam formam effingere, et quâ indigent soliditatem iis conferre satagunt. Nec minùs est mirandum quòd ejusdem speciei volucres, magnis licèt intervallis divisæ, eumdem omnes architecturæ ordinem in ædificandis sibi domibus sequuntur (1); quòd generi quæque suo convenientissimum locum eligit, et in eo omnes conveniunt ut tot ova deponant quot ad servandam speciem necessaria sunt, nec plura tamen quàm decenter incubare et excludere possint.

In incubando quàm patientes! ovis suis, quantùm necesse est, parvulæ hæ creaturæ insident, donec pulli jam prodituri sint; tunc verò quàm officiosè parvulos captivos in sese eximendo adjuvant! Quàm inimitabili posthàc curâ iis invigilant et victum provident, donec sibimetipsi providere possint! quàm diligenti scrupulosâque curâ, hoc temporis, cuique assignatam cibi partem distribuunt! *Quis potens spiritus*, (vos, sapientes, enarrate nobis!) *percepto, sed non audito sermone, volucres cœli edocet? quis, nisi Deus, inspirans Deus, cujus immensus Spiritus et nunquàm remissa potentia, omnia pervadit, adornat, sustinet et commovet?*

Quæ observavimus pennatæ genti in genere attribui possunt, sed ubi ad peculiaria paucis ex variis speciebus convertemur, nobis Dei sapientia et bonitas non minùs conspicua videbitur. Quàm mira est quarum-

(1) Gallinæ incubanti corvum suppone, nec illum ulla sui generis opera videre sinas, quem tamen nidus confinget, idem semper erit, in bifurcâ stipitis parte, cum omnibus ejusdem speciei nidis.

dam avium migratio, vel iste mirabilis instinctus quo *milvus in cœlo cognoscit tempus suum, et ciconia, hirundoque custodiunt tempus adventûs sui!* Jer. 8, 7.

Pauca sunt hæc divinæ sapientiæ et bonitatis testimonia, quæ in hâc creationis parte elucent; sed quanquàm paucissima, satis multa tamen sunt ad movendam nobis admirationem, adorantisque in omnium Creatorem grati animi sensus ingerendos.

Vulgare volucrum nomen in Scripturis Hebraicis est *tzephur, rapidus motor*, vel *festinans*; quod cognomen volatili huic genti apprimè competit; generalius et indefinitum nomen est *ouph, volucris*; sed hæc appellatio quidquid volat, sive avis sit aut insectum, denotat. Frequenter in Anglicâ Bibliâ *fowl, volucris*, vertitur. Prædantes aves vocantur *oith, irruentes*, ex impetu quo in prædam irruunt. In plùribus ex locis ubi occurrit interpretes nostri verterunt illud plurali formâ *fowls, volucres, volatilia.*

Notarum jam avium numerus, ut existimamus, tria inter et quatuor stat millia. Varia à se invicem discernere genera, ejusdemque generis, ubi variæ sunt, species, magnæ opus est difficultatis; et opus, ubi fuisset absolutum, laborem forsan non compensaret. Linnæus dividit aves in sex classes, scilicet: aves *rapacis generis*; aves *picæ generis*; aves *domestici generis*; aves *passeris generis*; aves *anatis generis*; et tandem aves *ciconiæ generis*. Priores quatuor classes varia terrestrium avium genera complectuntur; duæ verò posteriores eas quæ ad aquas pertinent.

Ex Hebræo legislatore, à quo strictissima de animalibus mundis et immundis prodierunt præcepta, æquè strictæ de avibus, quæ inter se qualitatibus et vivendi modis non minùs distinguuntur, naturâ exspectandæ erant regulæ. Atverò animalium characteres ex pedibus sumpti, hìc deficiebant; notasque definire, quæ doctum simul et indoctum agrestem agricolam, et gravem civem quolibet casu ducere possent, facile non erat. Inde in Mosaicis institutis nulla ad conformationem est relatio, quasi medium aves in mundas et in immundas, in legales et in illegales distinguendi: serie tantummodò exceptionum constat sacrum rituale, certaque prætermittuntur genera, nec unum tantùm verbum de iis quæ licita sunt occurrit.

In describendis variis avibus de quibus in Scripturâ mentio fit, triplicem adoptabimus ordinem, ad quem in nostrâ ad zoologiam introductione retulimus.

SECTIO PRIMA.

AEREÆ VOLUCRES.

AQUILA.

Quanquàm fortis falco sit, quanquàm in volando exercitissimus,
illum tamen in humiliori cœlo aquila relinquit; aquila, quandò
humanum prætervolans aspectum, solem in indefesso cursu suo petit.
Numquid ad præceptum tuum flavas alas tàm altè in aerem
elevavit, et in abruptâ rupe insedit, ubi, longè supra mundum
tuum solitaria sedet, et rupum fortitudinem suam superbè
facit; undè latè super naturam oculi ejus prospiciunt, et
uno nutu prædam suam designant? Pullos suos pascit sanguine
et mactatæ nondùm victimæ imminens, promisso sibi cruore gaudet.
(YOUNG.)

Eumdem aquila locum inter volucres occupat ac leo inter bestias. Ingens ejus fortitudo, velocitas et volatûs altitudo ad innatam ejus ferocitatem et voracitatem additæ, regis avium ipsi cognomen obtinuerunt, terroremque omnibus suis aeris habitatoribus sociis injiciendi contulêre facultatem.

Ab Hebræis aquila dicebatur *nesher, lacerator*; utque rapacitate præcellit, prædamque suam in partes discerpit, satis obvia est hujus cognominis proprietas.

Plurimæ sunt aquilæ species à naturalistis descriptæ, neque unam tantùm complecti Hebraicum *nesher* probabile est. Maxima nobilissimaque quæ nota sit species, à Bruce vocatur *aurea aquila*, et ab Æthiopibus *abou duch'n*, seu *pater longâ barbâ*. ex villorum fasciculo, qui infra rostrum ejus dependet. Ab alâ ad alam avis ista octo pedes et quatuor uncias numerat; et ab extremâ caudâ ad extremum rostrum, ubi mortua est, quatuor pedes cum septem unciis Quæ à D. Bruce descripta fuit viginti duas libras pendebat, media ejus falcula duas circiter uncias cum dimidiâ longa erat.

Ex omnibus notis avibus non modò altissimum, sed et rapidissimum volatum habet aquila. Ad id plurimæ sunt conspicuæ in sacris libris allusiones. Inter calamitates quas Israelitis minabatur propheta, nisi obedirent, ista sequentibus verbis exprimitur: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu*, Deut. 28, 49. Nabuchodonosor adversùs Jerusalem iter similibus verbis prædicitur: *Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus; velociores aquilis equi illius*, Jer. 4, 13; ut et etiam invasio ejus in Moab: *Hæc dicit Dominus: Ecce quasi aquila volabit, et extendet alas suas ad Moab*, Jer. 48, 40, id est, in devotam regionem, quasi in prædam aquila præceps ruet. Vide etiam Thren. 4, 19; Os. 8, 1; Habac. 1, 8.

Ex omnibus avibus acutissimus est aquilæ oculus, sed ipsi odoratûs sensus ita non est acutus. Prædam igitur nisi in aperto non insequitur, sed ubi primùm illam aspexit, ea est motûs ejus rapiditas, ut certa sequatur destructio. Ad hoc alludit Job, rapidam temporis fugam exprimendo: *Dies mei velociores fuerunt cursore; fugerunt, et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves veloces, sicut aquila festinans ad escam*, Job. 9, 25, 26.

Generaliter aves istæ in montosis et non ita frequentatis regionibus occurrunt, et inter altissimas rupes aream suam ponunt. Inde sublimis prophetæ loquendi modus, ad superbiam et degradationem Moab alludentis: *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera po-*

sueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus, Abd. 4, et etiam Jeremiæ, referendo ad vicinam Edom regionem : *Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis; cùm exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus*, 49, 16. Pro rupis vertice proceram aliquando cedrum eligit aquila in habitationem sibi; quæ circumstantia prætermissa non fuit in sacris libris : *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis et varietate* (colorum) *venit ad Libanum, et tulit altissimum cedri ramum*, Ezech. 17, 3.

Aquila, ut traditum est, ad summam senectutem vivit, et, velut rapaces aves, plumas suas incipiente vere amittit. Transactâ hâc æstate, novâ recentique vi ac vigore prædita apparet, ejusque senectus juventutis speciem assumit. Ad id intendit David, cùm grato animo beneficia Dei recensendo ait : *Qui satiat bonis os tuum, ita ut renovetur ut aquilæ juventus tua*, Ps. 102, 5; ita et propheta, renovantem et vivificantem Spiritûs Dei potentiam describendo : *Qui autem sperant in Domino mutabunt* (renovabunt) *fortitudinem; assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*, Is. 40, 31. Ad aquilæ plumarum mutationem alludi suppositum est in eo quòd Michæas populum magno ob Dei judicia mœrore affici jubet.... *Decalvare et tondere super filios deliciarum tuarum : dilata calvitium tuum sicut aquila*, Mich. 1, 16..... Nos verò, potiùs existimamus intendi ad naturale peculiaris hujus avis cujusdam speciei calvitium, eò quòd id longè accommodatius foret. Propheta ad mœroris signum intendit, quod vulgò capitis coronam decalvando suscipiebatur; hìc tamen dilatandum extendendumque erat, ut aquilæ, calvitium. Huic opinioni accuratè respondet à D. Bruce data aureæ aquilæ capitis descriptio : « Capitis ejus corona, ait, erat nuda et calva, « sic et frons quo loco rostrum et os capitis conjun« guntur. Sensus igitur à prophetâ intentus esse vide« tur populo satis non esse capitis coronam merè, ut « de more, tondere; sed sub speciali hâc retribuentis « vel ultricis justitiæ visitatione, calvitium ad integrum « caput extendendum. »

Frequenter sese nobis obtulit occasio altam scientiam mirandi quâ libri Job scriptor plurimas animatæ naturæ partes devolvit; quæ de aquilâ disserit magnam accurationem pulchritudinemque proferunt : *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, et de longè oculi ejus prospiciunt. Pulli ejus lambunt sanguinem, et ubicumque strages fuerit, ipsa adest*, Job. 39, 27-30.

Ad postremam citationis hujus phrasim alludere videtur Salvator noster in Matth. 24, 28 : *Ubicumque fuerit corpus, illìc congregabuntur et aquilæ*, id est, ubicumque populus Judæus, qui morali jam et judiciali morte defunctus est, esse poterit, ibi eum Romanorum exercitus, quibus vexillum erat aquila, et quorum vis et ferocitas reginæ avium, suis comparatæ, similes erant, persequentur et devorabunt.

In Deut. 32, 11, pulcherrima adest Dei curæ et paterni in populum suum affectûs comparatio ad naturalem aquilæ in pullos suos sollicitudinem. *Sicut aquila provocat ad volandum pullos suos; super eos volitat; expandit alas suas, assumpsit eos; portat eos in alis suis; ita Dominus solus dux ejus fuit; et non erat cum eo Deus alienus.*

Ad conspicuam pullos suos super alas portandi circumstantiam in aliâ Scripturarum parte alluditur (Exod. 19, 4); multaque loca, in veterum scriptis ei favent opinioni quòd in præsenti aquila timidos pullos assumit, eosque super alas suas portat, donec volare audeant. Supponendum non est eam implumes adhùc pullos per vacua cœli spatia, aut ad remota loca volando deferre; sensus est, ut probabile videtur, eam alis suis eorum debiles et imperfectos ad volandum conatus adjuvare, donec exemplo ejus, et propriis suis successibus, audaciores facti, sese impavidi aeri committant. Sic Deus, ait Paxton, erga suum electum populum egit. Cùm in Gessen dormitarent, vel libertatem se recuperaturos desperantes gemerent, misit ille servum suum Moysem, qui ab ingloriâ suâ eos inertiâ educeret, libertatem assereret, et vincula eorum in capita opprimentium frangeret. Eos ille eduxit ex Ægypto et per desertum in promissam hæreditatem perduxit; eos fortitudinem suam, et artem belli quoque edocuit, ad pugnam duxit, et omnipotenti manu suâ eorum hostes subvertit (1).

Notandum est Cyrum, in Isaiâ, 46, 11, ad aquilam assimilatum (sic enim vox translata *avis rapax* reddenda foret), aquilam pro signo habuisse à Xenophonte prædicari, qui nescius ipsâ etiam prophetæ voce, addito tantùm Græco fine, utitur. Sic perfectè sibi respondent propheta et historicus prædictio et eventus (2).

In Lev. 11, 18, legimus *aquilam*, Hebraicè *racham*; cùm verò aquaticis ibi avibus consocietur, dubium est utrùm hìc ulla aquilæ species intendatur (3).

Sunt et aliæ duæ aquilæ aut vulturis species quæ inter prohibitas aves à Moyse recensentur, *ossifraga* scilicet et *ospraga*, sed peculiarem nullam postulant notionem.

FALCO ET MILVUS.

Quis milvum invenire edocuit, temporum peritum,
perpetuam æstatem et cœlorum mutationem? Quando nubes
annum deformant, ille ventum ascendit, ad austrum tendit,
nec retrò tempestates timet. Sole recedente, ipse redit iterùm,
in radiis ejus vivit, et malas hominibus dimittit dies.
(Young.)

Avis ista, quæ volatûs sui velocitate conspicua est, propriè vocatur *volans* in Scripturis Hebraicis. Vox autem illa ad peculiaris avis propriè vocatæ *falconis* species non restringitur, sed varias falconis familiæ species, quæ numerosissimæ sunt complectitur. Sic enim vocem hanc generaliter usurpant Arabici scriptores.

(1) *Illustrationes*, vol. 2, p. 11.
(2) Harris, *Hist. nat.*, p. 113.
(3) Vulgata legit *Onocrotalus*.

Apud Ægyptios falco ventorum erat symbolum; unde certissimè patet eos motuum ejus rapiditatem magnâ cum admiratione contemplatos esse. Ob eamdem causam, juxta quosdam scriptores, soli sacra erat avis ista, cui stupendâ cursûs velocitate et facilitate, quâ per immensas cœli regiones movetur similis est. Apollini falconem consecrandi morem ab Ægyptiis, apud quos nullum animal ita sacrum erat ac ibis et falco (1), Græci sumpserunt. Tanta erat illorum in hæc animalia veneratio, ut si quis volens vel inscius quoddam ex ipsis occidisset, morte plecteretur, dùm occiso alio animale ad arbitrariam tantùm mulctam damnaretur.

Etsi verò falconem tantâ veneratione pagani prosequerentur, ille tamen à Judæo legislatore immundus declaratur, abominabilisque populo Israel erat; neque caro ejus comedi, neque tangi cadaver ejus impunè poterat. Legis hujus ratio probabiliter detegi potest in habitudinibus hujus avis et qualitatibus; ipsa rapax avis est, et consequenter sævâ indole, et asperis moribus; vivendi quoque ipsius modus injucundum forsan gustum saporemque carni afferebat, illamque in fervidis præsertim regionibus mensæ impropriam reddebat. Audax ejus mens, ejus sanguinis sitis, mira volatûs rapiditas et in venando perseverantia mox falconem venatori utilem adjutorem ostenderunt, qui libenter tamen cadaver ejus bestiis agrestibus devorandum dimittebat (2).

Pleræque falconis species aves sunt migratoriæ, quam ad rem in Job. 39, 26, refertur: *Numquid per sapientiam tuam volat falco* (3) *expandens alas suas ad austrum?* id est, numquid per tuam artem et sapientiam falco novit ipsum fugæ capiendæ vel migrandi, et alas ad australe vel fervidius cœlum expandendi tempus? Migratio ejus ducem non habet hominis sapientiam et prudentiam, sed superintendentem sustentantemque Dei Providentiam.

De milvo propriè hìc mentio fieri potest, quippe qui ad eamdem volucrum familiam pertinet, nec Scripturæ ad illam relationes satis sint magnæ, ut effusam naturæ et habitudinum ejus notitiam requirant. Ob acutam oculorum aciem conspicuus est, ad quam evidenter in Job, 28, 7, alluditur, etsi vultur in authenticâ versione nostrâ inseratur: *Est semita quam avis nulla novit, nec intuitus est eam oculus milvi* (4).

Vox eadem plurali formâ occurrit in Is. 13, 22; 34, 14; et Jer. 1, 39; quibus omnibus in locis versio nostra legit *feræ insularum bestiæ*, quod de crocutis intelligit Bochartus; sed ex pluribus contextibus, ut notat Parkhurstus, et præsertim ex postremo, immundarum avium speciem æquè designare potest.

CORVUS.

Niger avis hujus color plenè in Hebræo ejus nomine agnoscitur, quod ex *orb*, *vespere*, sumptum est. Rectè animadvertit Bochartus colorem corvi non esse opacum, sed splendidè nitentem nigrum colorem, in modum serici; et propriè tenebrarum et splendoris mixtura est (1). Niger color magni apud veteres factus fuisse videtur, nigrique oculi et corvinæ comæ in eorum muliebris pulchritudinis ideâ includebantur. Ad hanc opinionem accedit quod sponsa de dilecto suo affirmat: *Pendulæ ejus comæ nigræ sunt quasi corvus*, Cant. 5, 11.

In omni mundi regione occurrit corvus. Robustus et firmus temporum mutationibus non afficitur; et quando cæteræ aves frigore torpere videntur aut fame languere, corvus alacer et sanus prædam quærens vagatur, aut sub frigidissimo cœlo ludit; alacer et vorax prædator, omnia in suum commodum convertit; utrùm præda sit mortua an vivens non curat: in eam voraci appetitu irruit, et ubi satiatus fuerit, suos nuntius adit ut prædæ participes faciat.

Peculiarem quibusdam Palæstinæ corvorum characterem dare videtur Salomon cùm ait: *Oculum qui subsannat patrem et matri suæ parere despicit, effodiant eum corvi de vallibus, et comedant eum filii aquilæ*, Prov. 30, 17. Hoc in loco, ait Paxton, intendere potest Sapiens ad corvi speciem quæ valles ad habitandum rupium cacuminibus anteponit; vel forsan alludere potest ad quamdam in terrâ promissionis remotam vallem, avibus istis frequentissimam, quæ inde nomen suum habuit; seu, cùm præcipites rupes, ubi nidum ponere corvum juvat, torrenti (qui etiam genuinus est vocis originalis sensus) sæpè imminent, proceraque arbor, quæ ipsi quoque acceptissima est, in ripis ejus stat, regius Doctor, hoc loquendi modo, ad corvos simpliciter intendere potuit, quibus tales situs sunt acceptiores. Conjicit Bochartus vallem ad quam allusio fit esse Thophet, propè Jerusalem, quam Jeremias vocat *vallem cadaverum*, quòd nocentium cadavera illìc projiciebantur, insepultaque manebant, donec corvorum turmis vorarentur, qui in id ex circumvicinis regionibus coalescebant. Quæ si recta sit conjectura, sensus Salomonis hìc esse poterit: Qui tanti sceleris reus est infamem pœnam incurret; projicietur in vallem cadaverum, nec sepulcrum obtinebit, sed voracem immundi rapacisque corvi alvum. Insinuat Sapiens corvos primum suum et vehementissimum ictum in oculos ferre; quod apprimè moribus corvi consentaneum est; hâc enim semper corporis parte primo loco pascitur (2).

Prima corvi facta mentio in Scripturâ in diluvii narratione occurrit, Gen. 8, 7; unde discimus, decrescentibus aquis, audacem hanc et discriminis contemptricem avem à Noe missam fuisse ad agnoscendum circumvicinæ regionis statum.

Res quædam mirabilis in Eliæ historiâ occurrit, 3 Reg. 17, 4-6, quæ ingenti discussioni locum dedit, eò quòd scriptores quidam sese expedire conati sint à prodigioso narrationis hujus charactere, id quod dicitur, prophetam à corvis pastum fuisse, referentes ad homines qui fortè locum ubi manebat permeabant,

(1) Vide Pritchard, *Ægypt. mythol.* p. 317.
(2) Paxton, *Illustr.* vol. 2, p. 50, 51.
(3) Vulgata verò: *Plumescit accipiter.*
(4) Vulgata verò: *Oculus vulturis.*

(1) *Jerosolym.* 3, 199.
(2) Paxton, *Illustr.* vol. 2, p. 37, 38.

dicebanturque *orebim*, sive ex eorum regione, sive ex laboribus quibus incumbebant.

Adversùs hanc tamen interpretationem insuperabiles moventur difficultates quarum ad duas modò intendimus. Primò avidè Eliam quærebat Achab, omnesque jurejurando adegerat, ut ipsum inter habitatores loci non latere affirmarent : conditio ejus igitur summum secretum, et etiam solitudinem requirebat. Secundo loco, siccato torrente Carith, recessum suum linquere coactus est propheta, quod quidem minimè necesse fuisset si habuisset qui sibi providerent; quippe qui aquam non minùs ac escam sibi afferre potuissent. De ipsissimo miraculo sequentes observationes offert recentior Calmeti editor : supponamus paulisper Eliam in aliquo scopuloso vel montoso loco latuisse quò viatores pedem nunquàm ferebant; et quemdam rapacium avium numerum nidum suum in arboribus circumstantibus, vel in projectis rupibus ponere, etc.; avibus istis quotidiè ad providendam pullis suis escam volantibus, quædam ex iis quæ ab illis afferebantur pars in usum prophetæ cedebat; dùmque naturæ dictatis parentes, proli suæ tantùm providere in animo haberent, ipsas eo ipso tempore ad providendum Eliæ necessitatibus divina providentia impellebat; ita ut quæ ipse sive à nidis, unde vel dimittebantur, vel sibi offerebantur, sive fortè utroque modo colligebat, ad diei sustentaculum satis essent. *Corvi* (orebim) *quoque deferebant ei panem et carnes manè, similiter panem et carnes vespere*, 3 Reg. 17, 6. Sed cùm ibi multi forent corvi, D. Taylor ad existimandum inclinat alios panem, alios carnem, variis vicibus detulisse; ita ut pauca ab unoquoque eorum allata solitariam, sed sufficientem escam conficerent. Tantis urgebatur angustiis exul propheta; adeò obnoxia erat hujus studiosi viri Dei conditio!

Quod objectum est, scilicet corvo hoc fuisse mandatum misericordiæ munus, cùm asperrimâ sit et immundâ naturâ removeri aliquo modo potest, considerato quòd Hebraicum nomen, ut jam observatum est, omnes hujus generis aves complectitur, inter quas quædam corvo minùs immundæ existunt; ut *graculus* cujus speciei solummodò mandatum fuisse hoc munus (1) existimat D. Taylor. Quòd verò Deus *corvis præceperit*, id loquendi modus apparebit quo utebantur, ubi vocalia jussa adhiberi nequibant. Vide Job, 38, 41; Ps. 77, 23; Is. 45, 12. *Mandare* seu *præcipere corvis* significare igitur tantùm potest Deum iis uti ad providendum servo suo necessaria.

A naturalistis traditur corvos è nido pullos suos maturè educere; et ut propriæ suæ vitæ subsidia quærant cogere; quam ad rem probabiliter alludit Psalmista dicens : (Dominus) *dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum*, Ps. 146, 9; et Job : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibum?* 38, 41. Sed Providentiæ cura (2), ait professor Paxton, pullis non stat, parentes quoque complectitur, qui, ut sua proles, *non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos*, Luc 12, 24; et ex inexhaustis suis thesauris cibum providet. Quæcumque sint eorum indoles et mores infinitæ sapientiæ opus sunt et potestatis, et si ejusmodi creaturas condere omnipotentem Creatorem non dedecebat, nec et ipsis vitæ subsidia providere dedecere potest. Ipsi quoque suam actionis sphæram habent; suæque qualitates et instinctus sibimetipsis et aliis terrestris creationis partibus utiliter inserviunt; quin etiam indolis eorum ignobilitas viro considerato non mediocri est commodo, cùm metus ejus compescat, spemque in sapienti et benignâ Providentiæ ordinatione excitet stabiliatque. Domini nostri argumentum supramodùm est solidum et acutum : Si Omnipotens pullorum corvorum clamorem frustra non audit, surdam sanè aurem populi sui supplicationibus non convertet.

COLUMBA.

Pulcherrima hæc et lenis creatura ab Hebræis dicebatur *ioneh*, ad designandum, juxta Bochartum et alios, illam esse Græciæ (Ioniæ) nativam. Ab hâc opinione tamen dissentit Rosenmuller (1), vocem illam ab Arabico potiùs deducens, ubi sensus ejus est *dulcedo*, lenitas, etc. Parkhurstus Hebraicum nomen à radice deducit cujus sensus esse potest *imbellis*, et *rapinæ violentiæque obnoxius*, conspicua speciosæ hujus avis lineamenta, quæ à quibusdam ex veteribus poetis prædicata fuerunt.

Columba, quæ ut simplicitatis, innocentiæ, fidelitatisque symbolum (2) exhibetur, pulcherrimas multas sacris scriptoribus præstat allusiones. A primævissimis ætatibus in sacrificium oblata fuisse videtur, Gen. 15, 9; et in Mosaicis ritualibus legibus etiam atque etiam ad hunc usum præscribitur.

Columba generaliter inter pulcherrima in naturâ habita est. Plumarum ejus nitor, oculorum splendor, habitûs innocentia, qualitatum excellentia, morumque puritas materia laudum et admirationis quolibet ævo exstitêre. Ad niveum alarum candorem, divitesque et aureos colores quibus adornatur collum ejus, alludere existimatur divinitùs afflatus Psalmista his in elegantibus cantibus : *Etsi dormieritis inter medias ollas, vos, ut pennæ columbæ, auro cooperiemini, et plumæ ejus fulvo auro*, Ps. 67, 14 (3). Existimat tamen D. Harmer Psalmistam non ad animal solis naturæ manibus adornatum alludere, sed ad columbas Syriis diis sacras, aureisque ornamentis adornatas. Juxta hunc igitur sentiendi modum locum sic interpretatur : Israel mihi est ut columba sacra, et licèt ex iis quæ acciderunt vobis magis, ut misera columba, nigri facti videamini, quòd in fumosis rupis foraminibus commorati estis, pulchri tamen et gloriosi, ut deargentata Syria columba, quæ aureo quodam ornamento induta est, fictis (4).

(1) Calmeti *Bibl. encyc.* art. *Elias.*
(2) *Illustr.* vol. 2, p. 41.

(1) Jerosol. p. 1, lib. 2, cap. 50, notâ, vol. 2, p. 530.
(2) Harris. *Hist. Nat. Columba.*
(3) Paxton. *Illustr.* vol 2, p. 57.
(4) *Observat.* vol. 1, obs. 16.

Atverò, ex illâ loci interpretatione fit, juxta professoris Paxton observationem, ut sanctus Spiritus cum aliquo assensu, vel saltem absque censurâ de pagano ritu loquatur, quinimò figuram ab eo sumat ad illustrandos divinæ gratiæ inter populum suum effectus; cùmque nihil istius generis in Scripturâ occurrat, illud hìc admitti non posse existimat, quin valentiores iis quæ ab illo clarissimo scriptore proferuntur rationes allatæ fuerint.

D. William Baxter aliam loci dat versionem, hæc animadvertens : Mos erat, inquit, exercituum Hebræorum, sicut et Syriorum, Assyriorumque, columbam pro signo habere; quem ad morem alludens Psalmista ait : Si vexillo vestrò morantes adhæreatis, quod est columba deargentata, cujus pennæ argento sunt depictæ; quando Deus potentiâ suâ reges dissipaverit, victoriæ signa in vexillo vestro devolventur, et vestra columba candida ut nix apparebit. Omnes interpretes cæci in loco isto Septuaginta secuti sunt, qui sive ignoranter, sive fortè voluntariò illum obscuraverunt. Cùm enim Syrios, qui columbam colebant, tàm honorabili numinis sui mentione delectare nollent, nedùm vocem Hebræam, ut fieri debebat, *vexillum* verterant, eam proprium nomen fecêre, et *montem Selmon* reddiderunt (1).

Auctor *Scripturæ illustratæ* in hâc constructione fusiùs immoratur, novamque versionem profert notis illustratam, quibus alia loca elucidantur. Hanc doctoris Harris in suam *Naturalem Historiam* transtulit, paucis emendatis; et ita emendatam hìc transcribere libet.

Animadverto quòd totus Psalmus triumphalis oda ob reportatam victoriam videtur; doctor inquirit quomodò illi ipsi qui reges istos in fugam verterunt et spolia domi familiis suis dimiserunt inter medias ollas jacere potuerint. Quomodò tanto effecti sint dedecore, eo ipso etiam tempore quo victoriâ perfruebantur! Hoc admodùm incredibile est; quòd si verò nobis in mentem revocemus *vexillum columbæ* in militare signum usurpatum fuisse, et ad illud hìc alludi supponamus, omninò diversam loci interpretationem habebimus, et ita inde illum intelligere poterimus : Reges et exercitus fugerunt, et in insectantium domibus dividebantur spolia. Tu quoque sanè, columba, inter belli uncos dejecta jacebas, tu cujus alæ argento imbricatæ erant, et depictæ auro pennæ! Ita dispersi, duce omnipotente Deo, reges albi facti sunt ut nix in Selmon.

Quòd columba fuerit militare signum colligi potest ex historiâ in Chronico Samaritano, in quo legimus Romanos columbam in monte Garizim collocavisse, ne Samaritani hùc cum turmis adorturi venirent. Quidam ex Samaritanis ascendere tentaverunt; sed illos detexit avis, et clamavit, *Hebræi!* Expergefacti custodes, ascendentes occiderunt. Intellige hìc militares vigiles et vexilla, et confestim intelligibilis fit *columba*.

Regum pallor qui vexillum istud comitabantur supramodùm eorum corporis habitum depingit, quo temporis momento dejectum sacrum emblema et ab Israelitis conculcatum viderunt; vel, si in suo præcipiti cursu, ut velociùs fugerent illud ipsi dejecerant, dedecus prorsùs idem est.

Ex his et aliis consideratis ad concludendum ducimur 1° columbam pro militari vexillo certissimè habitam fuisse, 2° cùm Assyrii præcipuè essent et veteres columbæ adoratores, illam supponi posse eorum accommodatissimè esse signum aut vexillum. Hoc plurimorum Scripturæ locorum translationem, à publicâ nostrâ præsenti versione discrepantem confirmabit.

Jeremias loquens de vastationibus quæ à Nabuchodonosor in Judæâ committendæ erant, ait : *Facta est terra eorum* (Judæorum) *in desolationem à facie iræ columbæ*, cap. 25, 38; et rursùs : *Revertamur ad populum nostrum ad avertendum gladium columbæ*, 46, 16; et in alio loco : *A facie gladii columbæ singuli fugient*, 50, 16. Facilè intelligit quisque hunc locum supposito quòd ad regem Chaldæorum alludatur, qui columbam, in memoriam Semiramis (1), in signis suis ferebat.

Mirus oculorum columbæ nitor, simplicitasque et castitas aspectûs ejus qui in suum marem solummodò dirigitur, à Spiritu Dei selecta est ad exprimendam verè fidelis puritatem et fidelitatem : *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*, Cant. 1, 14. Certum sanctitatis quæ intùs est indicium; videri non ambiunt, nec alieni Domini intuitui obvii sunt. Pulcherrimâ eâdem similitudine Redemptoris nostri eximiæ excellentiæ adumbrantur, et præsertim infinita ejus sapientia et scientia, quæ in populi sui commodum semper exercentur, quæ puræ sunt et sanctæ et à quolibet sancto pretio habitæ, sicut et in propriâ suâ naturâ ineffabili modo pretiosæ sunt et gratæ : *Oculi ejus sicut oculi columbarum super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ et ritè constitutæ*, Cant. 5, 12. Oculi columbæ, nitentes semper et speciosi, peculiari decore afficiuntur, cùm juxta crystallinum rivum sedeat : gratissima enim illi est mansio hæc : hìc lavare se amat et extinguere sitim. Sed divinitùs afflatus scriptor intimare videtur columbam rivulo non contentam, his præsertim locis delectari quæ numerosis rivis alluuntur quorum plenus alveus summis oris labentes aquas adæquat, iisque facilem potum offert et abundantem. Lacte lotæ videntur ob nitentem candorem suum, et ritè seu plenè et perfectè compositæ, sicut gemma in auro inserta, nec nimiùm prominens, nec nimis depressa, sed ita composita ut strictâ insertione alveolum impleat. Ita pretiosæ sunt et mirabiliter mediatoris Deum inter et homines muneri accommodatæ Jesu Christi excellentiæ. Deus in unicâ personâ et homo; omnibus simul divinitatis attributis et perfectionibus, quarum natura nostra capax est, investitur. Ut æternus Dei Filius, ipsissima est *sapientia* et *prudentia*; et, ut Filius hominis *sanctus est, innocens, impollutus, et segregatus à peccatoribus*, ad

(1) Bowyer, Visus libri, sub titulo : *Reliquiæ Baxterianæ*, p. 33.

(1) *Script. Illustr. Expos. Index*, in loco; et fragm ad Calmet. n. 269.

Heb. 7, 26; *candidus est et rubicundus, dux inter decem millia; ita, totus est desiderabilis*, Cant. 5.

Columbæ mores non minùs alliciunt quàm forma est elegans et plumæ divites et speciosæ; electus est simplicitatis, lenitatis, castitatis et muliebris timiditatis typus. Ad amabilem ejus indolem mirabili effectu alludit Salvator noster in hoc notissimo ad discipulos suos monito : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, Matt. 10, 16. Sapientia absque simplicitate in astutiam degenerat; simplicitas absque sapientià in stultitiam : ubi verò fuerint unita, altera alterius aut excessum corrigit, aut defectum supplet, ambæque laudum materia fiunt; sed seorsim neque serpentis prudentia, neque simplicitas columbæ hoc in loco Salvatoris commendationem obtinent. Qui ex utrisque coalescit character propiùs ad verum Christianæ excellentiæ typum accedit. Serpentis prudentià fidelis bonum inter et malum, veritatem inter et errorem discernere potest, ut, omnibus probatis, *quod bonum est* firmiter teneat; columbæ verò simplicitate, innoxius fit et sincerus; ut nec decipere, nec offendere proximum suum queat. Eæ sunt qualitates quas Salvator noster sequentibus se commendabat, et quas obtinere Romanos Apostolus cupiebat : *Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo* (1), ad Rom. 16, 19.

Columbæ gemitus apud Isaiam 38, 14 ; 59, 11, alludit ad querulum avis hujus murmur, præcipuè turturis, quæ dicitur inconsolabilis et mœrore interire, amisso mare. Ad id quoque refert Nahum, quando Ninive desolationem prædicens ait : *Huzzab* (2) *captiva abducetur, attolletur, et ancillæ ejus ducent eam, quasi voce columbarum gementium in cordibus suis*, Nah. 2, 7.

Supponitur in Eccles. 10, 20, ad morem alludi tam antiquum et universè admissum, avibus istis quasi nuntiis uti ad nuntia ab uno loco ad alium deferenda : *In cogitatione tuà regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti : quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habent pennas annuntiabunt sententiam.*

Conjugalem columbæ castitatem prædicârunt quicumque de ejus charactere egerunt. Unum tantùm marem admittit cui summo affectu devinci videtur, et à quo separari eam non novimus, quamdiù vita manet. Nigra columba, inquiunt, defuncto mare, vidua reliquo vitæ tempore manet : summum turturis hoc in casu mœrorem jam notavimus. Hoc adjumento esse potest ad illustranda hæc Scripturæ loca ubi individua simul et indissolubilis Salvatoris inter et Ecclesiam unio sub ejusmodi figuris adumbratur : *Columba mea*, (quæ versaris) *in fissuris petrarum, in secretis rupium latibulis, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora*, Cant. 2, 14; — *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, cap. 5, 2; — *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ*, cap. 6, 8.

In novo Testamento columba sancti Spiritûs emblema eligitur, qui in gratiæ ministerio non solùm viris peccatoribus pacis et gaudii nuntius est, sed et lenis illius et pacati mentis habitûs, quo in cunctis orbis partibus veri in Christum credentes insigniuntur : *Fructus Spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides* (seu fidelitas), *modestia, continentia, castitas*, ad Gal. 5, 22.

Samariam obsidente Benadad, rege Syriæ, adeò urgebat fames, qualiter ex 4 Reg. 6, 25, novimus, ut *venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Hoc tamen id non erat quod vox significare videretur, sed quoddam fabæ aut ciceris genus, in Judæâ vulgare, quod isto cognomine vocant Arabes. Vide 2 Reg. 17, 28.

Turtur columbæ tantùm varietas est, sicut et vulgaris *columbus.* Prior paulò exilior est, sed ab aliis hujus speciei avibus in eo præcipuè differt quòd sit migratoria. Ad id evidenter alluditur in Jer. 8, 7 : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur, et ciconia, et hirundo custodierunt tempus adventûs sui*, Jer., 8, 7; ad illud quoque refertur in Cant. 2, 11, 12, ubi agnoscitur ut salutifer veris redeuntis prænuntius : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terrâ nostrâ.*

HIRUNDO.

Sacrâ præscientiâ optimè nôrunt (hirundines) proximè accedere cœli intemperiem; fragosam tempestatem et gelidam nivem, secum omnem inopiam, et mollis vitæ trahentes pestem. Sic edoctæ, promptum fugam meditantur : ad id nunc etiam validas parant alas; ad id consulunt, deliberant, sese comparant, adhortantur, viresque suas multis in aere circulationibus ostendunt. (Iago.)

Avis istius mentio fit tantùm in Is. 38, 14 ; et Jer. 8, 7. In priore loco Isaias alludens ad recentis sui doloris severitatem ait : *Sicut hirundo, vel ciconia, sic clamitabam.* Hirundinis cantus, cùm sit acutus et lugubris, rex alludere supponitur ad preces suas quæ ita gemitibus intermissæ erant, ut acutis hirundinis clamitationibus similes essent. Propter hoc, ut apparet, supplicationum suarum, quæ intermissis tantùm vocibus proferebantur, sinceritatem fervoremque suspicatur pius princeps, et in amaritudine animæ suæ ad infinitam Dei misericordiam confugit, clamans : *Domine, vim patior, responde pro me.* Jeremiæ locus ad notissimam avis migrationem alludit; unde fidelis propheta occasionem sumit electarum tribuum ingratum animum et infidelitatem reprobandi : *Turtur, et ciconia, et hirundo custodierunt tempus adventûs sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

PASSER

In sacris Scriptis vox *tzeppur*, quæ generale est nomen pennatæ genti attributum, in restrictiore sensu passeri applicatur. Hanc notionem in animo retineri

(1) Paxton, *Illustr.* vol. 2, p. 59-68.
(2) Vulgata, *miles.*

maximè necessarium est eò quòd quidam interpretes, et inter ipsos Anglici passerem in textum inseruerunt, ubi evidenter avis ista à sacro scriptore non fuit intenta. In nostrâ tamen propriâ versione unus tantùm locus emendandus est, scilicet Psalmi 101, versic. 7 : *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Ad confirmandam hanc versionem interpretes passerem ut solitariam exhibuerunt avem, morosam, quam in tectis tantùm domorum immorari juvat, et ita timidam, ut in obscurissimis angulis latere conetur, noctemque insomnem et anxiam ducat. At verò huic descriptioni indoles ejus et mores nullo modo congruunt; è contrario, passer est alacer, loquax clamosusque, et, nedùm obscurum et solitarium ambiat angulum, vulgò inter multitudinem pipilans et hùc illùc pervolitans invenitur. Textûs igitur vox in sensu generali intelligenda est et probabiliter ad aliquam bubonis varietatem intendit. S. Hieronymus ita vertit : *Vigilavi, et fui sicut avis solitaria super tectum.* Nihil in Hebræo textu adest quod propriè passerem vel ullam exiliorem avem indicare possit; et proinde nihil à mente Davidis remotius esse videtur. Omnes verò circumstantiæ nocturnam quamdam avem denotant. Psalmista enim severi doloris pondere pressus, hominum societatem fugit, incessantesque suos gemitus et lamentationes lugubribus solitariarum harum avium ululatibus miscet, quibus desertum disturbatur. *A voce gemitûs mei, adhæserunt ossa mea carni meæ. Assimilatus sum pellicano deserti; factus sum quasi bubo solitudinum.* Inde hàc similitudine insequitur : *Vigilavi, et fui sicut avis solitaria super tectum. Vigilavi*, id est, noctem insomnem duxi; vel, ut in Paraphrasi Chaldæâ habetur : *Totam noctem vigilavi, quin semel oculos clauserim.* Quæque descriptionis ejus pars mentem nostram ad quamdam nocturnam avem dirigit, quæ lucem odit, et è latibulo suo, noctis cadentibus umbris, prodit, ad quærendam prædam, et è summo ruinosæ cujusdam turris vertice mundo sopito sua gaudia vel mœrores enarrat.

Locus quidam Psalmi 83, qui à regio Prophetâ, ut probabile est, compositus fuit, quo tempore à solio et sacro tabernaculo, inhumani nati rebellione dejectus est, ad illam avem intendit. Ardenter cupiens populo Dei in præscriptis publici cultûs præceptis consociari, Psalmista pius avibus istis ad sacrum altare accedendi facultatem invidere videtur. *Passer invenit sibi domum, et hirundo nidum sibi, ubi ponat pullos suos, imò altare tuum, Domine exercituum, Rex meus, et Deus meus*, Ps. 83, 4. Quasdam vulgaris lectionis difficultates removet Parkhursti translatio : Imò (ut) passer invenit sibi domum, et columba nidum sibi, ubi ponat pullos suos, (sic ego inveniam) altaria tua, ô Domine exercituum, Rex meus et Deus meus.

Accuratas inter et felices illustrationes quæ argumentis à Domino nostro in specialis et particularis Providentiæ probationem allatis intexuntur, una sumitur ex curâ quam Pater noster cœlestis in vilem hanc et generaliter despectam avem exercet : *Nonne duo passeres asse veneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro;* Matt. 10, 29; vel, juxta Luc.: *Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo*, cap. 12, 6. Neque nos ex his textibus concludemus, ut falsò Pope his verbis : *Ipse* (Deus) *ut omnium Dominus, æquis oculis videt heroem perire, vel passerem cadere;* qui sensus rationis lumini non minùs oppositus stat quàm totius Salvatoris nostri (Matt. 6) sermonis scopo; unde edocemur Dei in creaturas amorem ad illarum in entium scalâ excellentiam relationem dicere, hisque consideratis Providentiæ ejus curam dirigi : *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* S. Matth., 6, 26.

SECTIO SECUNDA.

TERRESTRES AVES.

STRUTHIO.

Quis in crudeli struthione parentis curam et studiosam
sollicitudinem subegit? Dùm procul fugit, dispersa
in arenoso solo ejus ova, absque possessore jacent;
fortunæ derelicta, cujusque arbitrio permittuntur, vitamque
ab indulgente cœlo mutuantur. Sole adoptata, æstu diurno,
sub prolificis ejus radiis maturescunt. Ipsa immemor quòd
infelix quidam pes pullos suos in neglecto cubili opprimere possit.
Interea dùm ipsa celeri cursu campos hùc et illùc prætervolat,
ascensorem equi contemnit et insequentem equum.

(Young.)

Avium amplissima habetur struthio, quadrupedesque inter et volucres connexionis vinculum. Capite et rostro aliquo modo anatem refert, et collo cycnum, sed hujus collum multò longius est. Crura ejus et femora gallinaceis similia sunt, sed valdè carnosa et amplissima. Extrema pedum pars bifulca est, duoque ingentes digiti, quis ut crura, squamis cooperiuntur. Inæquales isti digiti : major, qui est interior, septem uncias longus est, ungue incluso, cujus longitudo ferè ter quartam unciæ partem habet, est tantùmdem latitudo; digitus alter quatuor tantùm unciis longus est, nec unguem habet. Struthio generaliter pedibus septem alta est à capite ad terram, sed à tergo quatuor tantùm, ita ut caput cum collo tres circiter pedes longum sit; à capite ad extremam caudam, collo lineâ rectâ porrecto, septem pedibus longa est. Una ex alis, evolutis pennis, tribus pedibus longa est. Plumæ generaliter albæ sunt et nigræ, quanquàm quædam ex ipsis cinereæ dicantur. In femorum lateribus et sub alis plumæ desunt. Inferior colli media pars tenuioribus plumis quàm quæ ventri et tergo adhærent, operitur, caputque et superior colli pars villosa sunt. Ad extremam cujusque alæ oram quædam adest calcaris species, in modum aculei histricis, uno circiter digito longi; et uno pede circiter inferiùs in alâ aliud quoque ejusdem generis occurrit, sed paulò minus.

Struthioni varia non sunt, ut plerisque aliis avibus, plumarum genera; cunctæ sunt barbatæ, separatis villis vel lineamentis, neque consistentibus, neque invicem adhærentibus; unde fit ut satis magnam resistentiam aeri opponere nequeant, et idcircò nec ad volandum, nec ad dirigendam fugam prosint. Præter peculiarem alarum structuram, struthio volandi incapax efficitur immani suâ mole, septuaginta quinque aut octoginta libris gravi, quod pondus ut in aerem attolleretur immensam alæ potentiam requireret.

In solis nascitur struthio torridis Africæ et Arabiæ regionibus, quasdamque ex pulcherrimis suis similitudinibus sacris scriptoribus præstitit. Sequentes descriptiones illustrationesque ex professore Paxton et ex doctore Harris præcipuè seliguntur.

Struthio aptè à veteribus vocata est solitudinum amica. Timida summo in gradu, et meticulosa, à cultis terris, ubi ab Arabicis pastoribus et agricolis disturbatur, in altissimos Sahara recessus confugit. His in horrendis solitudinibus paucis tantùm vilibus graminibus pascitur, quæ hùc et illùc languescunt, vel paucis aliis solitariis plantis, quæ nutrimento æquè destituuntur, et juxta Psalmistæ loquendi modum, aruerunt antequàm ad maturitatem venerint. Ad aridum hoc et tostum pabulum addi forsan potest ingens limacium copia quibus fortè herbarum istarum folia et calami cooperiuntur, et aliquod afferre possunt ipsi refrigerium. Nec impossibile est quòd lacertis aliquando et serpentibus, insectisque simul et diversi generis reptilibus pascatur. Cæterùm tamen, consideratâ hujus *cameli volucris* (ut in Oriente vocatur) voracitate et ingenti mole, mirum est quomodò pulli victum et incrementum recipiant, et præcipuè quomodò quæ plenam ætatem attigerunt et multò magis sibi providere tenentur, sustentari queant.

Ad amorem quo avis ista in aridas Sahara solitudines afficitur frequenter alluditur in sacris Scripturis, præsertim in Isaiæ prophetiis, ubi vox *ioneh* infeliciter *bubo* reddita in anglicâ Bibliâ, reddenda est *struthio*. In splendidis Babylonis palatiis quæ tot seculis gaudii et orgiorum area exstiterant, timidæ et meticulosæ struthiones, juxta Prophetæ prædictionem, sedem suam collocaturæ erant : vix ulla menti offerri potest major et magis conspicua fortunæ mutatio!

Ubi provocata fuerit struthio, sævum aliquando, iratum et sibilum, inflato gutture et aperto rostro clamorem edit; ubi verò obvium habet hostem timidum, qui debilem tantùm aggredienti resistentiam opponit, ipsa glocitat et singultit ut gallina, facilisque prædæ spe gaudere videtur. Atverò in silentibus noctis horis, ipsa omninò alienum assumit tonum, luctuosissimumque et horrendissimum sonum edit, qui aliquando rugitûs leonis, et aliis vicibus, tauri et bovis mugitûs similis est. Ipsa frequenter gemit non secùs ac si in extremo agone versaretur, quam ad rem pulcherrimè alludit Propheta : *Faciam luctum ut struthionum*, Mich. 1, 8.

Avis istius Hebræum nomen è verbo deducitur quod *altâ voce clamare* significat, et proinde satis propriè struthioni applicari potest cujus vox alta est et sonora, cùm præcipuè verbum istud nullum certè determinatum vocis aut soni modum, ulli particulari animalium speciei peculiarem denotare videtur, sed qui omnibus illis applicari potest. Struthionis clamor, si fides sit doctor Brown, raucæ infantis voci similis est et etiam horridior. Videri igitur nequit nisi lugubris et etiam terribilis his viatoribus qui non mediocri anxietate immensa hæc deserta ingrediuntur, et quibus vivens quælibet creatura, homine non excepto, terroris est et periculi causa.

Non injucundior tamen et horridior rauca lugubrisque struthionis vox solitario in desertis viatori est, quàm Job amicorum huic afflicto viro sermones. De duris et immeritis eorum censuris, quibus aures suæ perpetuò offendebantur, ipse miserabiliter conqueritur : *Frater sum draconum, et socius struthionum*, Job. 30, 29. Ut istæ melancholicæ creaturæ, quæ solitariis locis delectantur et obscuris recessibus, omni ope destitutus et gemens patriarcha, solus sedere delectabatur ut importunâ sociorum suorum protervià liber esse mœroresque suos liberè effundere posset. Ipse verò clamores quoque edebat ut dracones, et gemitus ut struthiones; sors enim ejus non secùs destituta, et lamenta non secùs alta et incessantia ac illorum. Vel etiam his avibus immisericordes assimilat amicos qui, nedùm consolationis balsamum acriter mordentibus ulceribus admoverent, mœrorem ejus inhumano suo agendi modo acriorem reddebant. Struthio in domestico etiam statu, durum est et ferox animal, hostilitatemque suam peculiari acerbitate dirigere dicitur in miserum destitutumque peregrinum, cui obvius in ejus viâ fieri accidit. Non modò ipsum dejicere, furiosè in illum irruendo conatur, sed et rostro violenter pungere et pedibus impetere non desinet, illique gravissima aliquando vulnera infliget. Istis amicorum domesticorumque suorum dispositionibus et agendi modo vexabatur æquè Job et affligebatur, et quàm rectissimè querebatur ex sequenti ratiocinio patebit : *Inquilini domûs meæ, et ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in ocellis eorum. Servum meum vocavi, et non respondit; halitum meum exhorruit uxor mea, etsi* PRO AMORE FILIORUM *uteri mei loquerer... Heu! stulti quoque despiciebant me;... et quos maximè diligebam, aversati sunt me* (cap. 19). *Juventus surrexit ad dexteram meam, pedes meos subverterunt, et struxerunt contra me vias destructionis suæ* (seu vias exitiosas). *Corrumpunt semitam meam, ad perniciem meam strenui sunt, nec habent adjutorem. Invadunt me veluti eruptio aquarum latè patens; in desolatione volvuntur super me*, cap. 30.

Accuratissima et poetica struthionis descriptio in cap. 39 libri Job occurrit : *Alæ struthionum ad exultandum sunt, milvi verò et falconis ad volandum. Derelinquit ova sua in terrâ, et in pulvere calefacit ea; obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Ipsa obdurat se pro iis quæ non sunt sua; vanus est labor ejus absque discrimine, quoniam fecit illam Deus instinctu debilem, et illi intelligentiam non impertivit.*

Cùm tempus tamen fuerit, animos superbè assumit, deridet equum et ascensorem ejus.

Interpretes nostri vulgari servierunt errori, quòd scilicet struthio ova sua ipsis insidens ipsa non incubat, sed illa solis calori dimittit. Ita res tamen non se habet. Ipsa generaliter ovis suis, ut cæteræ aves, incubat; sed inde tam sæpè, tamque procul quærendi cibi causâ vagatur, ut frequenter irrita fiant, cùm ab iis tanto tempore abfuerit. Ad id quoque addendum est, ubi nidum suum sive cibi quærendi, sive timoris causâ reliquit, si alius struthionis ova obvia fortè habeat, ipsam iis incubare, suorum immemorem. Leo Africanus ait ova adesse simul decem vel duodecim; sed observat doctor Shaw, ex repetitis ducum suorum, non minùs ac variorum locorum Arabum narrationibus, se certum fuisse factum ea à triginta ad quadraginta reperiri. Magna hæc ovorum copia, addit ille, nobis habenda non est, quasi cuncta ad propagationem speciei destinarentur. Maxima eorum pars in victum servatur, eaque frangit mater, et juxta pullorum numerum et postulata administrat.

Tot edi à struthione ova negat D. Barrow, notatque, cùm sit polygamus avis, et plures feminæ ova sua in eodem nido numero quæque decem aut duodecim edant, id causam fuisse erroris hujus de ovorum à feminâ struthione editorum numero.

Ex nostrâ subsequentis versiculi versione: *Duratur ad pullos suos, quasi non sint sui*, deductum est illam omni naturali in pullos affectu destitui; cui opinioni à D. Buffon vehementissimè controversum est. Arguit D. Vansittart textum non intendere ad indicandum ullum in pullos curæ defectum; sed cùm ovis plures alternis vicibus struthiones feminæ incubuerunt, pullos indiscriminatim consociam esse parientium avium curam. Eadem vox Hebræa, animadvertit ille, semel tantùm excepto hoc loco in veteri Testamento occurrit, scilicet in Is. 63, 17, ubi propheta ad Deum populum suum expellentem, et alienos in eorum locum substituentem alludit; quod illi Job loco apprimè accommodatur.

Existimamus tamen sedulam hanc textûs censuram omninò intempestivè fieri, quippe quòd ipsa facta quæ à Buffon ex Leone Africano et Holbe afferuntur decretoria sunt adversùs Gallici naturalistæ ratiocinium, et Anglicorum interpretum accurationem corroborant.

Magis adhùc ad rem facit doctoris Shaw testimonium: si vel minimus strepitus auditus fuerit, vel occasiuncula nata, ipsa, ait doctor ille, ova sua vel pullos obliviscitur, nec ad illos unquàm fortè revertitur; vel, si redeat, seriùs est ut illis vita restituatur, vel ut istorum vita servetur. Congruenter his notionibus Arabes aliquando integros horum ovorum nidos inveniunt; quorum quædam suavia sunt et bona, alia irrita et corrupta; in aliis quoque pulli sunt quorum varia est ætas, juxta temporis spatium ex quo, ut præsumitur, à matre derelicti fuerunt. Ab iisdem Arabibus aliquando inveniuntur pulli non majores quàm jam adulti pulli gallinacei, famè ferè pereuntes, circumvagi et gementes, ut totidem orphani derelicti, ad matrem suam. Eo modo struthio dici potest *obdurata ad filios suos quasi non sint sui; labor ejus*, iis incubando, et tam procul intendendo, *vanus est, absque timore;* seu minimè curat quid de iis postea fiat. Iste affectûs defectus quoque refertur in Thren. 4, 3: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto;* id est, quòd, ut videtur, suos deserit et alienos eorum loco suscipit. Indè præcipua lamentationum causa fuit, quòd alieni et hostes ingressuri essent Sion, et illam occupaturi. Sic in duodecimo hujus capitis versiculo dicitur: *Non crediderunt reges terræ et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem;* et in cap. 5, 2: *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.*

Referendo ad hæc verba, *labor ejus vanus est*, D. Vansittart observat illa nunquàm esse posse accurata, dùm eduntur ova, et pulli nascuntur, et etiamsi pullos à se emittat, nec adhùc tamen dici posse vanos labores ejus, eò quòd prole quâdam superstite, evidenter patet eam in vanum non laboravisse. *Labor vanus*, ut inferiùs adnotat, is esse potest qui vel nihil proficit, vel non ei qui laboravit, vel etiam alii proficit qui non laborat. Hoc in casu, ut existimat idem doctor, versatur struthio in interpretatione quæ hìc suggeritur; isque est insuper genuinus Hebraicæ phraseos sensus. Eadem phrasis occurrit in Lev. 26, 16: *Frustra seritis sementem, nam alienus colliget illam, non vosmetipsi.* Simili modo, Is. 65, 21-23: *Et ædificabunt domos, et habitabunt, et plantabunt vineas et comedent fructus earum. Non ædificabunt, et alius habitabit; non plantabunt, et alius comedet...; non laborabunt frustra;* id est, sibi inutiles erunt, et aliis proficient.

Struthio, quod ad cœptum ejus attinet, non minùs stulta et inconsiderata est, præcipuè in eligendo ciborum genere quod sibi detrimentosum valdè est et noxium; omnia enim voraciter et nullo discrimine deglutit, sive sint laceri panniculi, corium, lignum, lapides aut ferrum. Excrementi sui particulari modo avida est quod voraciter absorbet statim ac emissum; nec minùs stercoris gallinarum et cæterorum volatilium avida est; quasi optici ejus et olfactorii nervi minùs quàm in cæteris creaturis ad ejus salutem et conservationem apti et accommodati essent. Divina Providentia in his non minùs ac in aliis respectibus, *privavit illam sapientiâ, nec dedit illi intelligentiam.* Hanc characteris ejus partem plenè admittit Buffon, qui eam iisdem ferè verbis describit.

Postremæ duæ descriptionis lineæ cæteris non sunt minùs accuratæ. Non obstante struthionis stultitiâ, ait doctor Shaw, saluti ejus abundanter providit Creator, datâ ipsi extraordinariâ velocitate, stupendoque ad fugiendum hostem apparatu. Cùm enim *in altum alas erigit, deridet equum et ascensorem ejus.* Opportunitatem illi præbet struthio tantùm admirandi à procul insolitam motuum suorum agilitatem et majestatem, plumarum splendorem et quàm accuratè sibi ascribatur *expansa tremulaque ala.* Nihil sanè visu delectabilius esse potest; alæ rapidis suis et indefessis vibrationibus ipsi remorum velorumque loco sunt; dùm pedes,

qui non minùs adjumento sunt ad illam extra conspectum ferendam, non minùs sunt fatigationis expertes.

Mirandæ avis hujus velocitatis expressa facta est à Xenophonte mentio, in suâ *Anabasis* : loquens enim de deserto Arabiæ, struthionem ibi frequenter aspici asserit; illam à nemine capi posse, quæ mox equitum insectantium conspectum fugit; illam procul recedere, æquè pedibus suis ad currendum, et expansis alis ut velis ad circumvagandum utentem. Hanc descriptionem confirmat auctor *Itineris in Senegambiam*, qui ait: Ipsa concitato cursu proficiscitur, sed postquàm paulùm incitata fuit, alas suas quasi ad capiendum ventum expandit, tantæque velocitati datur, ut terram non tangere videatur. Persuasum habeo, subdit ille scriptor, illam longè retrò velocissimum Anglum cursorem relicturam. Buffon quoque struthionem equo velociùs currere agnoscit.

PAVO.

Quàm dives pavo! quàm splendidus decor à plumâ ad plumam currit, et radiante sole in varios colores transit! Illum decorem superbus aureis radiis explicat, suos cunctis dat colores et adornat diem; consciâ dignitate opes suas in orbem devolvit, et tremulâ luce circumfusus tardè movetur.

(Young.)

Pavonem impropriè introduxerunt interpretes nostri in Job 39, 13, quasi avem in Syriâ ignotam usque ad Salomonis ævum. In tertio Regum libro, cap. 10, 22, et respondenti secundi Paralipomenon loco, cap 9, 21, inter pretiosas res numeratur à navibus Tharsis delatas, quibus Hebræorum rex utebatur, ut gentem suam extranearum gentium productionibus ditaret. Attentè conspiciatur pavo, gloriosè explicatis omnibus caudæ suæ prismaticis coloribus, ait Parkhurstus, nec jam mirum apparebit Salomonis nauticos, qui domini sui in historiam naturalem studii inscii supponi nequeunt, ex suâ ad meridionales plagas navigatione, quosdam ex mirabilibus his avibus secum detulisse.

Pavo avis est Indiæ nativa et inde in Persiam et Mediam allata. Loquitur Aristophanes de *Persicis pavonibus*, et Suidas pavonem vocat *Medianam avem.* Ex Persiâ gradatim diffusus est in Judæam, Ægyptum, Græciam et Europam. Salomonis classes illum habere poterant, sive ex Indiâ ipsâ (1), sive ex Persiâ.

Agnoscitur pavo una ex pulcherrimis pennatarum tribuum avibus. Caudæ ejus plumæ quatuor frequenter pedes longæ sunt, et, ubi explicantur, gratissimorum colorum mixturam exhibent. Caput ejus, collum et pectus pulcherrimi sunt cærulei coloris; tergum et superior alarum pars clarè cineracei, mixtis nigris lineis; et in capite stat plumarum subviridium crista. Pavonis tamen indoles à plumis plurimùm differt; Italiæque incolæ illam apprimè describere traduntur qui dicunt ipsi *angeli plumas esse*, *dæmonis vocem*, et *furis studia.* Alti vocis ejus acutæ clamores injucundè aures offendunt, insatiabilis ejus voracitas et prædatoria mens quàm amplissimè externæ ejus formæ decorem compensant.

(1) *Script. illustr.* Expos. *Index.*

BUBO.

Si lectori ad struthionis descriptionem reverti placeat, plurima Scripturæ loca ad avem istam à nobis referri videbit, quæ in nostris Bibliæ versionibus de bubone intelliguntur. Iis alia accedunt loca in quæ bubonem versio nostra absque causâ introducit, cùm procul dubio originales scriptores alterius generis aves intenderent.

Bubonum familia plures exhibet varietates, quæ pari modo crudeles et rapaces sunt, et quæ feræ suæ indoli additum habent fallaciæ opprobrium, quòd noctu omnes suas deprædationes exerceant. Sic, ut animadvertit Goldsmith, nullus in naturæ catenâ fractus videtur annulus, nusquàm mortua, otiosa quies, sed quisque locus, quæque æstas, quæque noctis et diei hora vitâ personat; et industriæ, propriæ defensionis et invasionis exempla suppeditat.

Bubonum tribus, quantùmvis staturâ et plumis differre possint, in hoc generali charactere conveniunt, quòd scilicet noctu prædantur, et eorum oculi ad nocturnum visum compinguntur. Avium istarum conditor earum oculis optimè providit, unde vel nimiæ luci claudantur, vel satis magnam admittant, dilatatâ vel contractâ pupillâ. Ut in tigrium et felium oculis, qui ad nocturnæ prædationis vitam formati sunt, in retinâ vis quædam residet quâ satis copiosè colliguntur lucis radii, ut in omninò ferè opacis locis videre possint; ita in bubonibus eadem adest organi hujus conformatio, et quamvis, sicut nos ipsi, exclusâ omni luce videre nequeant, ipsi tamen satis sunt perspicaces, quando nos in totali obscuritate remanemus. Insuper quædam adest in aversâ oculi parte irradiatio, ipsaque iris reflectendi luminis radios facultate pollet, ita ut visioni sit adjumento in tenebrosis locis ubi degere aves istæ delectantur.

Prædicens Idumææ desolationem Isaias propheta dicit ejus palatia requiem fore *ossifrago* (Is. 34, 14), cujus horrida et tremenda vox tristè citharæ et tympani melos loco substituetur, quo parietes eorum intùs resonabant. Ut verò quàm latè grassatura sit et quanto tempore ostendat desolatio quam minabatur, propheta versiculo sequenti regionem devotam exhibet diuturnam factam rapacium avium, inter quas occurrit quæ modò à nobis describitur, mansionem. *Ibi nidum suum ponet bubo major, et ova edet, et incubabit, et congregabitur sub umbrâ illius.*

PERDIX.

Hebraicum avis hujus nomen, *ker*, evidenter ex vocis ejus sono (1) sumptum est. *Audire me juvat uocis amantis perdicis* CUR. Loquitur Forshal de perdice cujus arabicum nomen est *kurr*, et Latham refert illam in Andalusiâ, Hispaniæ provinciâ, vocari *churr*. Cùm ita notissima sit avis ista in omni orbis parte, peculiaris descriptio necessaria non est.

(1) Harris, Hist. nat., p. 308.

Duobus tantùm in Scripturæ locis perdicis fit mentio; sed uterque sedulo examine dignus est. Prior in Davidis historiâ occurrit, ubi à Saüle expostulat de injustâ stultâque in se persecutione : *Egressus est rex Israel ut quærat pulicem unum, quasi quis perdicem in montibus venatur,* 1 Reg. 26, 20.

A doctissimo Bocharto contra perdicem hoc in loco objicitur, qui contendit *ker* probabiliùs esse rusticulam, cùm perdix montana avis non sit. In hoc tamen erratur : est perdicis species quæ Davidis descriptioni apprimè respondet, et Barakondæ perdices, in particulari, altissimas rupes et scopulos ad habitandum (1) eligere dicuntur. Modus quo doctor Shaw statuit Arabes perdicem venari, vividam in verba Psalmistæ explanationem affert. Arabibus est alius, laboriosior licèt, aves istas capiendi modus : cùm enim animadversum est ab eis illas, ubi bis vel tribus vicibus fuerunt excitatæ, languidulas et defessas fieri, ipsi confestim irruunt, easque *zerwattys*, seu ferratis baculis feriunt (2). Eodem prorsùs modo Saül Davidem insectabatur, ad ipsum subitò accedens, et è latibulis suis excitans, sperans tandem frequenti hujus agendi modi iteratione fore ut illum opprimeret (3). Ad istam capiendæ perdicis methodum addit doctor Shaw Arabes exercitatissimos esse in hoc capiendi aves modo qui dicitur *tunnelling*, id est, *fornicato reti venatio :* utque abundantiorem prædam faciant, caveam ponè rete ponunt, in quâ cicuratæ quædam includuntur, quæ perpetuò garrientes vocantesque mox ad se omnes à quibus audiri possunt alliciunt, ibique magna earum pars decipulo excipitur. Hoc, inquit ille, ducere nos potest ad genuinam Eccles. 11, 32, interpretationem, ubi vertimus : *Sicut perdix in caveâ capta* (et retenta), *sic est et cor superborum ;* sed esse deberet : sicut perdix illex in caveâ (4), sic, etc., etc. (5).

Locus alter in quo de perdice agitur est Jer. 17, 11 : *Sicut perdix ova fovet, et ea non excludit, sic qui divitias obtinet, et non in judicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.* Clarè patet, ait D. Taylor, avem istam ovis incubare quæ non sunt sua, ut rectè similitudo ad divitias injustè partas fiat. Ab ovis suis abducitur, ea deserit in dimidio dierum suorum, antequàm tempus ea excludendi advenerit. Cur verò hoc de perdice dicitur potiùs quàm de quâlibet avi, quæ ova fovet et non excludit ea? Plana est hujus ratio, ubi notum est, cùm avis ejus nidus in terrâ fiat, ova pedibus hominum aut aliorum animalium frequenter comminui, ipsamque ea deserere intrusorum accessu ; unde frigefiunt et irrita redduntur. Imbres quoque et humores iis nocere possunt (6). Observato quòd D. Buffon separatam speciem faciat ex *bartavellâ* seu Græcâ perdice, illam ut ipsam avem in his locis intentam exhibet D. Taylor. Ad rufas perdices, inquit, et præsertim ad bartavellam referenda sunt quæ à veteribus de perdice relata fuerunt. Aristoteli magis quàm cuilibet alii innotescere debuit Græca perdix, quippe sola hæc in Græciâ, in insulis Mediterranei maris, et, ut probabilissimum est, in his Asiæ partibus, quas ditioni suæ subjecit Alexander, species occurrit. Certos nos facit Belon bartavellam inter rupes ordinariò commorari, sed instinctu duce in campos descendere ad nidum ibi ponendum, ut pulli ab ipso ortu paratam escam inveniant. Aliam quoque ad gallinam vulgarem habet relationem, quæ fovet vel incubat aliena ossa, suis deficientibus. Notio hæc jam pridem stat, quippe quæ in sacris libris occurrit (1). Porrò, si, absente proprio domino, hæc rufa perdix, bartavella, aliena ova incubat, quando verus dominus ad nidum revertitur alienumque ab eo expellit antequàm ova excludere potuerit, expulsa modo isto perdix accuratissima est hominis imago, qui detentâ aliquandiù alienâ fortunâ, rem à se partam relinquere cogitur antequàm ipsi proficere potuerit : hæc est Prophetæ similitudo; et loco huic quoque congruit (2).

(1) Shaw, *Panorama naturæ*, p. 475.
(2) Idem, *Itin.*, vol. 1, p. 425.
(3) Harmeri *Observ.*, vol. 2, obs. 45.
(4) Vide Bochart. Jerosol. pars post., lib. 1, cap. 15.
(5) Shaw, *Itin.*, vol. 1, p. 425.
(6) Harmer. Observ., 43.

GALLUS et GALLINA.

Notissimæ hæ domesticæ aves Israelitis quolibet illorum historiæ tempore valdè notæ fuisse non videntur, cùm Hebraica Biblia ne nomen quidem illorum exhibet, et semel tantùm in novi Testamenti libris occurrunt.

Vehemens affectus et tenera cura quam gallina in pullos expendit adeò sunt nota ut in proverbium transierint. Wetstein quoddam Græcum epigramma citavit, à Merrich translatum, quo gallina pulcherrimè describitur : Ecce gallina, decidentibus nivibus albescens, foventibus alis pullos suos amplexatur, eorumque gratiâ hiemalibus cœlis obluctatur, donec gelu confossa inclinato capite, moritur !

Ad istas in gallinæ domesticæ charactere qualitates alludit Dominus noster in suis patheticis ad olim sanctam civitatem monitis : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matth. 23, 37. Pulcherrima sanè imago, quæ amoris signum est et protectionis ! Gallina, ubi rapacem avem accedere cernit, voce prolatâ pullos congregat, ut illos à periculo alarum suarum operculo defendere possit. Romana *aquila* jamjam erat ut in regnum Judæorum irrueret, malum hoc nisi eorum ad Deum per Christum conversione amoveri nequibat ; clamat Jesus per totam regionem prædicans evangelium reconciliationis; ipsi verò congregari noluerunt ; venit Romana aquila, quæ destruxit omnes. Quamdiù ingrata ista et impia gens tenerrimis ejus curis affecta est ! Bis annorum millia et ampliùs in illos sedulissima benignissimæ Providentiæ studia collata sunt ; et tribus publici Domini nostri ministerii annis prædicatio ejus et miracula hoc unum intenderunt, hujus scilicet insen-

(1) Buffon, vol. 4, p. 197.
(2) *Script. illustr*, p. 90.

sati populi instructionem et salutem. Eorum amore qui dives erat factus est pauper, ut per paupertatem ejus ditescerent, eorum amore humiliavit semetipsum, assumptâ in se servi formâ, *et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis!* Mortuus est ut non perirent, sed vitam æternam haberent. Sic ad salvandam eorum vitam, propriam libenter amisit (1).

COTURNIX.

Inter doctores non convenit quæ avis intenta sit Hebraicâ voce quam vertimus *coturnix*, Exod. 16, 13. Anglici nostri interpretes innituntur, Septuaginta, Joseph, Philone, Appollinario et rabbinis inter veteres; Bocharto verò, Hasselquist, Shaw, Harmer et plerisque commentatoribus inter recentiores. Ex alterâ parte doctissimus Ludolphus contendit *selavim* fuisse *locustas;* in quo eum secuti sunt Scheuchzer et episc. Patrick. Diuturnam hâc in materiâ investigationem prosecutus est D. Taylor, sed operi finem imponit, nullâ expressâ opinione, etsi pro posteriore interpretatione libentiùs stare videatur. Majus quàm materiæ isti expendere nobis licet spatium necesse foret, ut mutuas conflictantium istarum opinionum rationes inquiramus. Allata in partem *avis* argumenta nobis omninò præstare videntur iis quæ in alteram partem afferuntur; prætermisso etiam Psalmistæ testimonio, quod decretorium habendum esse putamus. Describens enim misericordem Dei in populum electum providentiam, quo tempore in magnâ solitudine errabant, sacer hic scriptor, non ancipite loquendi modo intendit ad divinum *selavim* donum, quæ *volatilia pennata* vocat, *ouph canaph;* quæ voces insectis nunquàm applicatæ fuerunt. *Abstulit Eurum de cœlo, et induxit in fortitudine suâ Africum. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.* Ps. 77, 26-28.

Coturnix est avis migratoria et circiter turturis staturâ. Asserit Hasselquist coturnices abundare propè littora maris Mortui et Jordanis, et etiam in desertis Arabiæ, earum immensam copiam capi testatur Diodorus circà Rhinocoluram; quas regiones pertransierunt Israelitæ, iter ad promissam terram facientes.

Bis coturnices murmurantium Hebræorum clamoribus concessæ sunt; et in utrâque vice eventus ad supernaturalem Dei interpositionem refertur, Exod. 16, 12, 13; Num. 11, 31. Primâ vice volucres per castra effusæ sunt in unam tantùm diem; in alterâ verò è mari allatæ sunt in integrum mensem. Ingens *selavim* multitudo, quæ populo concessa dicitur, ferè incredibilis habita est, sed nullâ sufficienti causâ, ut ostendi potest, quin supponantur in hanc ipsam occasionem creatæ fuisse. Asserit Varro turtures et coturnices ex suis migrationibus in Italiam infinito numero redire; additque Solinus illas, quando extra omnis terræ conspectum iter faciunt, ingentibus turmis procedere, tantoque impetu, ut sæpè navigatores in discrimen vitæ adducant, noctu velis insidentes et pondere suo naves subruentes. Inde patet omninò credibilem esse hanc narrationis partem, et in eo stetisse miraculum quòd immensæ earum turmæ in peculiarem locum directæ fuerint, cùm maximè populi effervescerent animi, idque ope venti egredientis à Domino, Num. 11, 31.

(1) Doctor A. Clarke, *Comment. in loco.*

SECTIO TERTIA.

AQUATICÆ AVES.

GRUS.

Ejusmodi clangor per cœlos auditur, cùm incessantes imbres et hiemale frigus fugientes, sumunt alas grues, et super Oceanum effunduntur. (COWPER.)

Avis ista nunc in Angliâ ignota est, et quæ de ejus staturâ traduntur à naturalistis et viatoribus nimium in modum discrepant. Willoughby et Pennant eam à quinque ad sex pedes, à rostro ad caudam longam exhibent, alii verò illam quinque circiter pedibus altam statuunt. E contrario, illam fuscâ ciconiâ paulò minorem describit Bresson, tres circiter pedes altam; et quatuor circiter à rostro ad caudam longam. Posterior scriptor generaliter verior habetur, etsi fieri potuerit ut unam ex parvulis describat. Gruis corpus erectum est et exile, productum collum et longa crura. Admodùm in moribus sociabilis est, et generaliter in turmis numero quinquaginta aut sexaginta vitam degit. Grues sunt aves migratoriæ, recedereque et redire constanter videntur quo tempore sua ipsa prævisio invitat aut repellit. Europam generaliter sub extremo autumni fine relinquunt, et incipiente æstate revertuntur. In interioribus continentis partibus, regionem in turmis quinquaginta aut centum, directo à septentrione ad meridiem itinere, permeantes cernuntur. His in itineribus tàm altè aliquando volatum ferunt, ut ab oculis omninò evanescant, sed illarum via alto quodam et peculiari clangore distinctè notatur. Ad instinctivam prævisionem quâ sese aves istæ à famis miseriis, ab unâ terræ parte ad aliam migrando tuentur, allusio fit in Jer. 8, 7, ubi Judaici populi cæcitas ad proximè instantium judiciorum comminationem vehementer reprobatur. *Grus* (vel ciconia) *et hirundo custodierunt tempus adventùs sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

CICONIA.

Veræ pietatis typus est ciconia, quia cùm annorum numero volandi impotens facta est mater, illam in dorso suo gratus pullus accipit, eique pabulum providet, sic retribuens quam ab illâ accepit teneram curam, ante quàm ipse volandi capax foret. (BEAUMONT.)

Externâ facie ciconia à grue paulùm differt. Eadem est statura, eadem forma quoad rostrum, collum, crura et corpus, nisi quòd tamen paulò corpulentior sit. Leves tantùm sunt differentiæ; velut color qui in grue cinereus et niger est, in ciconiâ verò albus et fuscus. Digitorum quoque ciconiæ ungues omninò sunt peculiares, cùm non sint ut cæterarum avium adunci, sed ut hominis ungues plani. Genuina tamen

ejus discrimina ex moribus magis quàm ex formâ sumenda sunt. Grui vox est alta et acuta, ciconia muta est, nec aliam vocem emittit quàm inferioris maxillæ in superiorem crepitum; grui mira est asperæ arteriæ per os pectoris convolutio; ciconiæ verò aspera arteria à vulgari modo non recedit; grus præcipuè vegetalibus et granis pascitur; ciconia omninò vescitur ranis, piscibus, avibus et serpentibus; grus urbes fugit et frequentia loca; in ipsis vel proximè semper moratur ciconia; duo tantùm ova edit grus, vulgò autem ciconia quatuor. Satis sunt hæ distinctiones ad specierum notam, non obstante formæ similitudine (1).

Propter pabuli genus quo vescitur avis ista, ut probabile est, prohibitum est ne carnem ejus Judæi comederent, Lev. 11, 19, etc.

Hebræum ciconiæ nomen indolem ejus strictissimè describit; significat enim *benignitas* vel *affectus*, in quo conspicua est ut minimè recusandis testimoniis astruitur (2).

Gratissimam ciconiæ descriptionem dedit Parkhurstus ex *Inspector*, quæ est periodica publicatio, eminentissimo naturalistæ sir John Hille attributa, qui hæc in ejus charactere lineamenta in magnam et speciosam lucem profert.

Ambo parentes progeniem alunt mutuò et custodiunt; unus semper nido remanet, dùm alter pabulum quæsiturus abit. Pullos in nido multò diutiùs quàm cæteræ aves retinent, et, ubi illos per diem è nido eduxerunt, vesperè illos reducunt, illum quasi nativum et proprium domicilium servantes. Ubi primùm pullos auferunt, in volando eos exercent, ad paludes et secùs sepes ducunt illis ranas, serpentes et lacertas, qui proprium sunt sibi pabulum indicant; imò bufones, quos nunquàm comedunt, quærere volunt et illos magnâ et sedulâ curâ discernere edocent. Tempore verò reditûs, invisâ calidiore mensibus hiemalibus quâdam regione, infrequens non est, asserit præditus scriptor, videre plures ex annosis avibus quæ diuturno volatu defessæ et debiles factæ sunt, juniorum identidem dorsis delatas; illudque rustici quasi rem certam referunt, plurimas scilicet ex ipsis, ubi domum sunt reduces, in veteribus nidis sedulò deponi, et à junioribus ali et tenero affectu haberi, quos tantâ curâ proximè elapso vere educaverunt.

Ad protectionem quam pullis suis affert ciconia, evidenter alluditur in Job 39, 13: *Penna struthionis est expansa;* (sed) *estne penna ciconiæ, et plumæ ejus?* id est, numquid ut ciconia illis utitur ad tuendos pullos et proli suæ providendum? Non ita sanè: illa enim (struthio) *deponit ova sua in terrâ et in arenâ calefacit ea; et obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* His ducimur ad notandum quod asseritur à Psalmistâ: Ciconiæ abies domus ejus, Ps. 103, 17; qui locus Michaelis induxit ad quærendum *chasideh* sacri scriptoris in aliâ ave ac ciconiâ *quæ nidum suum in tectis domorum ponit* (1); sed hâc in notione evidenter errat Germanicus criticus. Doubdanus, qui ab Harmero (2) citatur, se immensam harum avium multitudinem in Galilæâ vidisse asserit, easque vespere arboribus insidentes immorari. Shaw (3), qui earum ingentem copiam juxta montem Carmelum vidit, Doubdani assertionem confirmat, ut et Barcherodde, qui est auctor à sir John Hill citatus. Insuper, ut observat Parkhurstus, Psalmista dicere nequit *chasideh* nidum ponere (ad id enim valdè diversum verbum usurpatur) in abietibus, sed domum ipsis esse abietes, quod nihil ampliùs significare potest quàm ibi illam avem quiescere, et somno indulgere, cùm jam diurnæ vagationes cessavêre.

Ut grus, ciconia avis est migratoria et ad periodicam ejus migrationem alludit propheta Jeremias, cap. 8, 7. Nobis exhibet Shaw mirabilis illarum in præparando suo itinere instinctûs exemplum quod notatione dignum est. De ciconiis observatum est, ubi tempus suum agnoverunt, illas quindecim intra dies antequàm è regione ad alteram transeant, in certum quemdam campum ex omnibus circumjacentibus partibus constanter simul confluere, sese ibi semel unâquâque die in concilium (juxta Orientalium loquendi modum) congregantes migrationis præfixum tempus definire dicuntur et futuræ habitationis loca (4).

PELICANUS.

Conspicuæ avis hujus Hebræum nomen, *vomitor*, evidenter sumitur ex ejus more sacculum suum iis quæ in eo continentur exonerandi, ut suam vel pullorum famem compescat.

Cycno multò major est pelicanus et aliquantùm ei formâ et colore similis. Præcipua differentia, et quæ avem hanc à cæteris distinguit, immane est rostrum ejus et extraordinarius sacculus. Ab extremo rostro ad oris hiatum, quindecim adsunt longitudinis unciæ, et infra maxillam sacculus est totam obtinens longitudinem rostri usque ad collum, et quindecim, ut traditur, aquæ quartariorum capax. Vacuus sacculus non apparet, pleni verò magna amplitudo et singularis apparentia facilè concipiuntur. Pelicano, ait Labat, robustæ sunt alæ cinerei coloris plumis instructæ quales sunt cæteræ plumæ in totâ corporis facie. Tenuissimi sunt ejus oculi, si capitis volumini conferantur. In corporis habitu inest quædam tristitia totusque ejus aspectus melancholicus est. Non minùs est in motibus tardus et reluctans quàm *flamingo* levis est et acer. Volatus ejus lentus, et ubi ad volandum assurgit, id difficilè et laboriosè perficit; nullâ re, ut videretur, nisi urgente necessitate induci possunt aves istæ sive ad situm mutandum, sive ad ascendendum aerem; sed ipsis fame pereundum est, vel volandum. Ubi igitur triginta circiter aut quadraginta pedes supra mare assurrexerunt, capite et uno oculo deorsùm converso, hoc

(1) Goldsmith.
(2) Vide Bochart, vol. 3, p. 327.

(1) *Lex. Hebr.*, p. 858.
(2) *Itin.*, vol. 2, p. 272.
(3) *Observat.*, vol. 3, p. 323.
(4) *Itin.*, vol. 2, p. 270.

in situ volare pergunt. Statim ac satis aquarum faciei proximum piscem despexerunt, in illum impetu sagittæ irruunt certâque apprehensione correptum in sacculum reponunt. Rursùs assurgunt non sine multo labore, volitareque et piscari pergunt capite in latus inverso ut antè (1).

Pullos suos pascit pelicanus, pabulum in sacculo depositum in os eorum educendo, quocirca rostro sacculum in pectore fortiter comprimit: quæ res, ait Shaw, locum receptæ traditioni relationique dare potuit quòd pelicanus ad pascendos pullos pectus sibi aperiat et illos sanguine suo alat (2).

Psalmi 101 scriptor solitariæ pelicani in solitudine commorationi intendit, ut quàm acerrimo dolore afficiatur, cùm regionem suam desolatam et sacra altaria profanata cernit, describat.

HALACROCORAX, seu CORVUS AQUATICUS.

Avis ista, quæ Hebræis immunda erat, Lev. 11, 17, Deut. 14, 17, staturam habet majoris Moscoviensis anatis et à cæteris hujus generis distingui potest quòd quatuor ipsius digiti membranis simul uniantur et medius digitus dentatus sit vel incisus in modum serræ, ut hoc ipsi adjumento sit capiendis piscibus. Caput et collum fuligineâ sunt nigredine corpusque crassum et grave, formâ ad anserem magis quàm ad gaviam accedens. Rostrum rectum est usque prope aciem, ubi superior pars in uncum inflectitur.

Atverò, non obstante apparenti corporis gravitate, paucæ sunt aves phalacrocorace rapaciores. Agrestissimis subjacens appetitibus, immunda avis ista rancidissimum et injudicundissimum odorem emittit, fœtidiorque est etiam in optimæ valetudinis statu, quàm putens bestiæ cadaver. Forma ejus, ait scriptor ingeniosus, ingrata est, vox rauca et crocitans, cunctæque ejus qualitates obscenæ. Non mirum igitur quòd Milton Satanæ gerendam avis istius personam imponat, cùm illum ignobilissimos ad fines mittit Paradisi splendidissimas opes dolenter exploraturum, et in arbore vitæ mortem meditantem sessurum (3). Animadversum est quidem de poetâ nostro quòd aquaticæ avis in arbore sedentis exhibitio non magnam naturalis historiæ notitiam implicat. Ast in vindicando Miltone, observandum est Aristotelem expressis verbis dicere phalacrocoracem solam esse aquaticam volucrem quæ in arboribus insidet; ita ut epicus noster vates (4) in historiâ naturali non altè minùs quàm in censurâ versatus fuisse videatur.

Phalacrocorax apud Sinenses et in aliis mundi partibus ad capiendos pisces, quos magnâ dexteritate et perseverantiâ immergendo insectatur, instruitur.

SECTIO QUARTA.

DUBIÆ VOLUCRES.

CUCULUS.

Arbitramur avem in Hebræo *shacheph* et in versione nostrâ *cuculus* vocatam nunquàm propriè ad ullam certam speciem fuisse relatam. Bochartus et versiones in genere pro marinâ gaviâ stant; illud tamen vix admittendum, cùm *shacheph* non inter aquaticas aves, sed inter aereas et etiam rapaces ab Hebræo legislatore collocatur, Lev. 11, 16. Posterior hæc circumstantia adversùs avis speciem, cui in Bibliâ Anglicâ locus datus est, decretoria quoque videtur. Doctor Shaw existimat avem intentam esse *rhaad* seu *saf-saf*, granivoram gregariamque avem, cujus peculiarem dat notionem et etiam picturam (1). Eadem tamen objectio contra *saf-saf* valet, non minùs ac contra cuculum; concipereque difficile est avem, qualem istam describit, in immundarum volucrum serie collocari potuisse.

(1) Goldsmith.
(2) Itin., vol. 2, p. 302.
(3) Vide Pennant. *Zoologia*, p. 477
(4) Goldsmith.

HERODIUS, seu ARDEA.

Magnâ libertate in reddendâ voce Hebræâ *anaph* usum est: quibusdam criticis eam de grue intelligentibus, aliis de clorione, quibusdam de milvo, aliis de rusticulâ, quibusdam de pavone, aliis de psittaco, aliis verò de falcone. Lectori tamen molestiam non afferat ista versionum diversitas, quippe quæ necessariò oriatur ex paucitate relationum ad avem istam in sacro textu, et ex omnis characteris earum et qualitatum descriptionis defectu, in locis ubi de iis agitur. Quod verum est, de herodio tantùm in serie avium lege Mosaicâ prohibitarum mentio fit, Lev. 11, 19; Deut. 14, 18; ex solâ nominis ejus significatione, et ex noto avium quibus aggregatur charactere, aliquo modo specificum ejus characterem nobis conjicere licet. Quòd avis intenta sit aliqua ex aquaticis speciebus dubium vix moveri potest, si sacro scriptori ullam in suâ serie accurationem, et in ordinatione systema concedamus; quæ sit verò species ista, definire nobis non licet. Hebræum nomen est à radice cujus sensus est *anhelare, habitum per nares emittere*, ut in irâ fit; cùmque irritabilissimâ indole dicatur herodius, ipse forsan est avis intenta.

Est et herodius minor, seu *ardeola asterias* D. Pennantis. Quindecim circiter unciis longus est, illumque propè Aleppum vulgarem esse asserit Doctor Russell. Singularis ejus corporis habitus innotatus præterire nequit; corpus, non secùs ac caput et collum stat perfectè elatum.

CAPUT IV.

PISCES.

Freta et maria, sinus quisque innumeris scatent pisciculis,
pisciumque agmina pinnis et lucentibus squamis perlucidos
sub fluctus irrepunt, mediumque mare mole suâ impediunt;
pars, soli vel copulati, marinis algis quasi pabulo pascuntur,
perque corallii sylvas vagantur, seu vivido lumine ludentes
soli ostendunt auro flavescentes squamas; vel in margaritiferis

(1) Itin., vol. 1, p. 335.

Conchis placidi humidum pabulum exspectant, vel
Sub rupibus victum suum junctis armis custodiunt.
(MILTON.)

Pauca tantùm occurrunt in divinis scripturis quæ ad Ichthyologiam (1) pertineant. Obvia est ratio; cùm enim agricola gens esset Judæorum, non ità magnam victûs eorum partem pisces constituebant, neque ex illis, ut ex quadrupedibus et avibus, conspicuam ullam similitudinem aut illustrationem haurire poterant sacri scriptores.

Notissimæ biblicæ appellationes sunt *dag* et *taninin*; prior inauditam eorum fœcunditatem (2) exprimit, posterior verò celeres motus. In Gen. 1, 21, vox *taninin*, quæ in Anglicis nostris Bibliis redditur *cete magnum*, adhiberi videtur ad describendum ingentissimæ molis piscem, quin ad ullam peculiarem speciem restringatur.

Quatuor esse videntur aquaticarum tribuum divisiones clarè in naturâ exhibitæ, quæ vulgo dicuntur *spinosi* pisces, seu ossibus instructæ species; *cartilaginosi*, seu quibus cartilagines in ossium locum sunt; *cetacei*, seu qui ex genere ceti sunt; et *crustacei*, seu concham habentes. Quoad Moysis divisionem piscium in mundos et immundos lector remittitur ad nostram *Introductionem*, sub titulo *Pisces*.

Quanquàm pisces vulgaris forent Ægyptiorum cibus, ab Herodoto (3) tamen et Chæremone, ut à Porphyro (4) citatur, traditum est sacerdotes eorum omni sgeneris piscium carnibus abstinere. Inde nobis patet quàm calamitosa fuerit plaga quâ fluminis aquæ in sanguinem versæ sunt, et periêre pisces. Exod. 7, 18-21. Sacer eorum fluvius adeò pollutus est, ut nec de eo bibere possent Ægyptii nec in eo se lavare, neque aquas illius ad usus usurpare quibus superstitiosè addictæ erant, cap. 2, 5; 7, 15; 8, 20; ipsique usualem communis populi, et sacrum à sacerdotibus habitum cibum, nausearent (5).

Ex Neh. 13, 16, discimus ingentem piscium copiam Jerusalem à Tyriis tempore quo Nehemias vivebat illatam fuisse; quòdque illos in sabbato emerent optimates populi, ab illo religionis patriæ retinentissimo viro objurgatos esse. Cùm verò Tyrii rerum maritimarum peritiâ pollerent, dicere impossibile est quousque paterent eorum piscatus; sed à D. Le Bruyn (6) certi sumus ingentem piscium, exquisitissimæ qualitatis, in maribus civitati eorum vicinis reperiri copiam.

(1) Ex duabus Græcis vocibus quarum sensus est *tractatus* de *piscibus*.
(2) Ab abbate Pluche ostenditur ex Leuwenhoek, moruam unam, non tamen maximæ staturæ, 9,334,000 ovorum continere; adnotaturque ab eodem, etsi vulgari cyprino multùm absit, ut tantus sit ovorum numerus, ita tamen incredibilem esse eorum copiam, etiam primo aspectu, ut ad confirmandam suprà datam supputationem quàm maximè inserviat. *Natura explicata*, vol. 1, p. 230, 231.
(3) Lib. 2, cap. 37.
(4) *De Abstinentiâ*, lib. 4.
(5) Harris, *Hist. nat.*, p. 123. Seu viae Briant, *In plagas Ægyp.*, p. 23-27.
(6) Tom. 1, p. 564.

Neque innotatum nobis prætermittendum est in confirmationem S. Joan. 21, 11, mare Tiberiadis piscibus ingenti mole abundare. Hasselquist (1), Egmont, et Heyman (2) *charmud* notant, qui lacui huic et Nilo communis est, et triginta ferè libris gravis est.

Extraordinariæ Jonæ à morte salvationis narratio, cùm in mare à trementibus nautis præceps datus est, amplam incredulorum cavillationibus, philosophorumque et criticorum speculationibus materiam præbuit. In sacro textu, peculiaris piscis qui inobedientis prophetæ salvator exstitit, non designatur; quanquàm septuaginta Interpretes *cete* inseruerint, atque Evangelistæ referendo Salvatoris nostri verba, quæ ad eventum ipsum et ad typicum ejus characterem attinent, eamdem vocem usurpent. Neque inde tamen sequitur Evangelistas in animo habuisse sanctionem suam huic interpretationi conferre: cùm enim Septuaginta versio communiter in usu esset apud suam gentem, illam ipsi inemendatam citabant, quotiescumque ejus ab originali textu deviatio nullas graves consequentias involvebat.

Etsi cete ingentissimus sit piscium qui nobis innotescunt, angustior est gurges ejus ut per ipsum humano corpori patere possit transitus; et proindè nisi addito miraculo, illud esse piscem intentum admittere nequimus. Supponunt Bochartus Linnæusque *charchariam*, seu *lamiam* (3) fuisse, cui fauces et venter ità prodigiosè ampla sunt, ut hominem, ne minimùm quidem læsum, deglutire possit.

Observat Dominus noster Jonam fuisse signum Ninivitis, S. Luc. 11, 30; valdèque mirum est rei istius tam latè percrebuisse famam, et animos ita attentos detinuisse, ut inter pauca quæ nobis remanent antiquorum temporum fragmenta, parvula hæc historia majorem ab ipsis confirmationem quàm plurimæ aliæ ingentioris extensionis et momenti recipiat. Factum ipsum à Paganis servatum est et Alcidæ attributum. Famosus ille *ter obscurus* leo, ait Lycophron, quem olim Tritonis *charchariam* canis horridis maxillis voravit.

Æneas Gazæus eumdem eventum memorans quem Alcidæ quoque refert eâdem voce κῆτος, *cete*, à Septuaginta et S. Matthæo usurpatâ, utitur: Ut et de Hercule traditum est, quòd naufragium passus à cete, κῆτος, seu pisce ingenti, devoratus est, et tamen salvatus. Quòd autem Hercules in locum Jonæ substituatur, id nullam meritò admirationem movet, cùm agnoscat ipse Tacitus, ut clarissimi hujus viri fama promoveretur, non dubitâsse veteres ipsi adscribere quidquid in historiâ extraordinarium et nobile occurrit, cui legitima laus debeatur non curantes. Celebrem alium quemque, quâlibet ex gente virum omni suâ laude spoliaverunt, ut fabulosum suum heroem spoliis adornarent ex veris dominis furto sublatis et ad alios jure ac meritò pertinentibus (4).

(1) Pag. 158.
(2) Vol. 2, p. 33-220.
(3) Vide Bochart. 3, 743; *Hist. univ.* 10, 554; De Pluche, *Nat. explic.* 3, 140.
(4) *Encyclop. metropolit.*, v. 9, p. 179.

Recentior Calmeti editor in dissertationum serie (1), quæ magis ingenio quàm solidis argumentis præstant, ad probandum incubuit fluctuantem salvatorem, in locum viventis animalis, à sacro scriptore fuisse intentum. Juxta ejus interpretationis regulas sic locum legemus : *Præparavit Dominus* DAG (salvatorem) *grandem, ut reciperet Jonam; et fuit in interiore parte* (ventre aut capacitate) *hujus* DAGAH, *tribus diebus, et tribus noctibus; et postea in littus emissus est.* Ad illud, observat ille, Dominus noster advertit in Matth. 12, 40 : *Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus* (in corde maris, ait Jonas, cap. 2, 4); *sic et erit filius hominis in corde terræ.*

CAPUT V.

REPTILIA.

Simul prodiit quidquid reptat in terrâ, insecta aut vermes,
hi ut linea longum suum corpus protrahunt, sinuosoque tractu
terram sulcant, nec cuncti sunt naturæ pumiliones: nonnulli
enim ex serpentis genere longitudine et corpulentiâ conspicui,
serpentinos suos flexus et additas alas involvunt.
(MILTON.)

Numerosa hæc et varia entium classis duplici nomine in sacris scriptis insignitur (Gen. 1, 24, 25; 7, 21); quorum unum motum eorum, id est, *reptatum*, alterum verò abundantem prolem aut incrementum exprimit. Omnis generis reptilia, exceptis quæ pennis instructa erant, immunda reputabantur. Lev. 11, 41. De iis loquemur in triplici divisione: *Lacertæ, serpentes* et *vermes*.

SECTIO PRIMA.

LACERTÆ.

Plurima animalia ad hoc reptilium genus pertinentia in nostrâ Biblicæ versione sub nominibus apparent, quibus agnoscere nobis impossibile est familiam ad quam pertinent, ut testudo, viverra, limax et talpa; quæ animalia longè satis ab iis recedunt quæ à Judæo legislatore intendebantur in his codicis ritualis locis, ubi de iis agitur. Sed illud ita intellectum precamur ut has et ejusmodi in varias operis hujus partes notiones offerendo, mens nobis non sit clarissimorum doctissimorumque virorum labores elevare, quibus vernaculam nostram Bibliæ versionem debemus. De rebus quas tractamus arcti ipsis erant notitiæ fontes; et insuper rectè supponi potest à nobis, Ecclesiæ tunc temporis statum, et spiritualis populorum ædificationis promovendæ sollicitudinem causam fuisse cur minùs ad istas scripturalis institutionis materias, quæ sine controversiâ minoris sunt momenti, attenderint, quàm aliter egissent. De iis dicimus, ut et ipsi de iis qui in eodem magni momenti et laboris opere præcesserant. Laus vobis, et nomini vestro summus honor

(1) *Fragmenta*, n. 145.

qui glaciem frangitis, et illud aggredimini quod promovet salutem animarum. Et cum ipsis addimus : de his tamen omnibus, quemadmodùm nihil incipit et statim perficitur et recentiùs cogitata sapere magis putantur, ita, si fundamento eorum qui venerunt ante nos superædificantes et eorum adjuti laboribus, meliùs reddere conamur quod ita bonum reliquerunt, nemini procul dubio nos improbandi jus erit, ipsique, ita persuasum habemus, si adhuc vitâ fruerentur, grato in nos animo forent (1).

Superiùs enumerata animalia satis ex arbitrio inter lacertarum genera ordinari forsan videbitur; lectori tamen, ut speramus, deficiente meliore ordo iste erit acceptabilis.

TESTUDO, seu LACERTA.

Ostendit doctor Shaw *tzab* aut *tjab*, Lev. 11, 29, quam testudinem dicimus, lacertam esse, nomine in Arabico, quod ad Hebræum proximè accedit, *dhab* aut *dab*, formâ et acutissimis caudæ annulis aut squamis *candiverberæ*, seu motacillæ ferè similis, ut in Gesner et Johnson (2) exhibetur. Huic notioni congruunt Septuaginta, et ipse Bochartus qui in confirmationem Damir et Avicenna (3) citat. Citatur à doctore Harris Jackson, qui ait: *Dab* seu *saharana* lacerta ferè octodecim unciis longa est, et tribus aut quatuor per tergum lata; venenosa non est, ova ut testudo edit; velocissima est, et instante venatore in terram latet, quam nasi ope penetrat; nec inde, nisi effosâ humo, extrahi potest (4).

VIVERRA, seu GECKO.

Hebræum nomen, in Lev. 11, 30, *viverra* redditum, doctor Geddes intelligit designare *newt*, seu *aquaticam lacertam*, et doctor James idem pro *rana* sumit; sed, cùm nomen istud sumptum est à clamore quem animal cui proprium est, edit, lacertæ speciem, in Ægypto *gecko* dictam, esse animal intentum probabile est. Sic à Laccpede describitur: Ex omnibus oviparis quadrupedibus quorum historiam edimus, primus est iste qui lethale virus contineat. Lethalis illa lacerta, quæ ob periculosas suas proprietates nostram omnem demeretur attentionem, quamdam ad chamæleontem relationem habet; caput ejus, ferè triangulare, pro corpore amplum est; ingentes oculi, plana lingua, parvulis squamis cooperta, et ad extremum rotunda; acuti dentes et ita valentes ut juxta Bontium, in durissimis substantiis, etiam in acie vestigia imprimant. Verruculis ferè totaliter horret plùs vel minùs prominentibus; inferior femorum pars tuberculiorum ordine instruitur, erectis et introrsùm incisis. Pedes ovatis squamis, plùs vel minùs in medio cavis, totam inferiorem digitorum faciem complectentibus, et ordine unâ invicem superpositis, ut tecti domûs ardosiæ, conspicui sunt. Gecko cauda communiter corpore longior est, etsi aliquandò bre-

(1) *Translatores, Monitum ad lector.*, in Angl. Bibl.
(2) Gesner, de *Quadr. ovip.*, pag. 23; Johnson, *Hist. quadr.*, tab. 79; Shaw, *Itin.*, vol. 1, pag. 325.
(3) *Jerosol.*, lib. 4, cap. 1.
(4) *Maroci Relat.*, p. 48. Vide etiam Burkhardt, p. 534.

vior; rotunda est, gracilis, circulatisque annulis aut lineis, quæ pluribus tenuissimarum squamarum ordinibus constant, cooperta; color ejus clarè virens, lucido rubro distinctus. Nomen *gecko* ad animalis vocem refertur, quæ antè pluvias præcipuè auditur. In Ægypto, Indiâ, Aboynâ, etc., occurrit. Semiputridarum arborum foramina ad habitandum eligit, non secùs ac humida loca; in domibus quoque sæpè invenitur, ubi magnum terrorem injicit, et omnis generis ad illum destruendum conatus admoventur. Statuit Bontius morsum ejus ita esse venenosum, ut nisi pars morsa excidatur et uratur, post horas paucas mors insequatur.

Existimat D. Carolus Taylor (1) ad illud reptile in Deut. 32, 33, alludi: *Fel draconum vinum eorum; et venenum aspidum insanabile.* Ibi allusio ad *taninim* venenum (Anglicâ verò versione *vinum*) refertur; venenumque istud ex comparatione insanabili aspidum, *petenim*, serpentium, veneno assimilatur.

Quæ sequuntur è Bontio (2) extracta sunt: Javanensibus mos est sagittas suas in animalis hujus sanguine intingere. Qui verò apud ipsos venenorum commercium exercent (quæ ars magni in insulâ Javanensi ab utroque sexu habetur), prædictum animal laqueario, valido fune ad caudam alligato, suspendunt, quod cùm iis mediis summoperè exasperatum fuerit, ex ore flavum liquorem emittit, quem infra positis vasibus colligunt, et postea ad solis calorem in compactum quid coagulant. Hanc exercitationem plures simul menses renovant admoto quotidiè ad animal pabulo. Venenum est sine controversiâ in mundo valentissimum; et urina ejus ita corrodet, ut non modò pustulæ exoriantur in quâlibet cutis parte tetigerit, sed et carnem nigro colore inficiat et gangrenâ vitiet.

CHAMÆLEON.

In Anglicâ Bibliâ chamæleon in talpam convertitur, Lev. 11, 30; quod animal reptilibus lacertæ generis associandum se parùm præsumit. Vox Hebræa, è radice, quæ significat *spirare* peculiari modo conspicuo huic animali propria est, quod juxta vulgi opinionem, vento et aere vescitur.

Formâ crocodilum propè refert chamæleon, sed staturâ et indole longè ab eo differt. Duabus circiter unciis longum caput ejus, et ab illo ad ortum caudæ quatuor cum dimidio sunt; cauda quinque uncias longa, pedes verò duas cum dimidio; corporis crassitudo diversis temporibus varia est, est enim ipsi sese inflandi pro libito, vel contrahendi facultas.

Dùm Orientem inviseret, Le Bruyn plurimos emit chamæleontes, eâ mente ut illos vivos haberet, illorumque naturam et mores observaret; sed nulla majoris interest hujus animalis notio, quàm quæ ab audaci et lamentando Belzoni præstatur: hanc transcribere libet:

Tres sunt, ait chamæleontium species, quibus particularis est color; exempli gratiâ, communior species generaliter viridis est, id est, corpus totum viride est, et, ubi gaudio afficitur, pulcherrimè in utroque latere nigris albisque coloribus viridi, non confuso sed quasi depicto modo, superpositis distinguitur. Species ista abundantissima, ipsique nullus unquàm alius color nisi lucidè virens dormienti, et pallidissimè flavescens ægrotanti. Ex quadraginta ferè qui mihi anno priori, cùm in Nubiâ degerem, fuerant, unus tantùm et parvulus quidem secundæ speciei, cui rubræ erant notæ, mihi super erat. Unus ex ipsis mecum octo mensibus vixit, et pro maximâ hujus temporis parte, ille mihi uni ex vestis meæ globulis fixus erat: in humero meo quiescere solebat, vel in capite. Ubi verò illum aliquamdiù in conclavi meo inclusum detinueram, vix foràs eductus aerem aspirare incipiebat; si verò in aliquo amaraco poneretur, plantâ subitò hâc in illum modò prorsùs mirabili agente, lucidior ejus color fiebat. Pluribus arduum fore existimo dicere quibus ex causis id oriatur. Nisi enim colorem mutarent chamæleontes ubi in domibus inclusi detinentur, sed tantùm cùm in hortos educuntur, ex plantarum odoribus colorum mutationem oriri supponere liceret; sed etiam in domibus, si ad illum intendatur, colores mutare decimâ quâque minutâ videbitur; aliquo temporis momento planè viridis, et alio pulcherrimi ejus colores patebunt; ubi verò irritatus fuerit saturatiori nigro colore inficitur, et intumescit, et unum ex pulcherrimis animalibus, in unum ex horridissimis vertitur. Avidissimi sunt equidem recentioris aeris, et, si ad fenestram ubi nihil oculos afficit afferantur, observare facile erit quantâ sanè in hoc voluptate perfruantur: aerem absorbere incipiunt, et color eorum lucidior evadit. Illud oriri aliquâ ratione existimo ex modo quo tum afficiuntur, cùm levis materia illis bilem movere possit. Si, verbi gratiâ, mensam permeantes cohibere vel in aliam viam vertere conatus fueris, jam movere nolunt, et obstinatissimi sunt; ipsis os aperire satis erit, ut in iram vertantur, tunc verò arma induere incipiunt, intumescendo et nigrescendo, aliquandoque pauca, non multa quidem sibila edent. Tertius, quem ex Jerosolymis detuli omnium quos unquàm vidi singularissimus erat; mente, si licet ita loqui, sagacissimus erat et callidissimus. Iste ad viridem speciem non pertinebat, sed ingrati rupicaprarii coloris erat, neque intra duos menses colorem semel mutavit. Cairi, adventu meo, illum per conclave in supellectili reptare permittebam. Ille verò aliquandò descendere tentabat, si fortè liceret, et latebat à me, sed tali in loco, ut me posset aspicere; aliquandò verò me cubile linquente aut ingrediente, adeò se contrahebat, ut omnibus quæ ibi inerant quasi ad libellam responderet, ita ut illum aspicere nequirem. Sic me sæpè declusit. Quâdam die illum à me aliquantisper dimissum, in cubili latere existimabam; cùm verò frustra requisivissem, illum è cubili exiisse et fugam cepisse putabam. Vespere autem, accensâ candelâ, canistrum adii, cui transversa erat ansa; chamæleontem meum vidi, sed coloribus prorsùs mutatis, et ab omnibus quos unquàm anteà vide-

(1) *Script. illustr.*, in loco; seu *Hist. nat.*, in fragm., p. 73.

(2) Ap. Churchill. *Iter* vol. 2, p. 12.

ram alienum : totum corpus, caput et cauda fusco erant colore, cum nigris maculis, et circum nigras pulcherrimæ aderant saturatioris aurei coloris maculæ. Hoc ego sanè gratissimum habui. Eo autem disturbato, colores evanuerunt; quod in aliis non fit. Deinde verò illum priorem ex omnibus observare in mane solebam, cùm ipsi idem forent colores. Præcipua chamæleontium esca muscæ sunt : quæ quidem non moriuntur statim ac devoratæ, sumpto enim in manibus chamæleonte, muscam bombum edere facilè percipiebatur, præsertim ob aerem quem aspirant; multùm intumescunt, et præcipuè, cùm è loco altissimo ipsis saliendum est, sese in modum follis implendo. Cadendo non offenduntur, nisi os leviter eliditur, eò quòd priùs terram tangat. Aliquandò tres quatuorve dies absque potu manent; ubi verò primùm incepêre, quasi sesquihoram bibunt. Vas manu tenui dùm anteriores ambo pedes chamæleontis in ejus margine starent, in alterâ meâ manu duobus posterioribus stantibus. Recto corporis habitu bibebat, caput volatilium instar attollens. Ita linguam ex ore, juxtà longitudinem corporis emittebat, et velocissimo modo muscas apprehendebat, ut rediret quasi machinatione moveretur. Arietinum succum libenter bibunt chamæleontes.

Quandò in Italiâ manerem, vir quidam historiæ naturalis professor duos habebat qui sibi ex Barbariæ littore missi fuerant, sed diù non vixerunt. Illos ipse dissecuit, et de colorum mutatione existimat se in iis invenisse quatuor tenuissimas pelliculas, quæ variorum colorum causæ sunt. Res ita se habere potest; de hoc ego certus sum, undequàque id oriatur, ipsis varios suos peculiares esse colores, distinctos, ab unoquoque independentes et à sibimetipsis. Alio in loco addit chamæleontes in suam speciem esse inveteratissimos, sibi invicem caudam cruraque mordentes, si eàdem in caveâ includantur (1)

RANA.

Rana ex seipsâ maximè innoxium est animal, sed maximè hominum parti, qui eâ tanquàm pabulo non utuntur, fastidiosissimum. Maxima in eo elucet sapientia quòd Omnipotens ranis usus fuerit in unâ ex plagis Ægyptiacis. Deus, inquit doctor Adamus Clarcke, æquè facilè crocodilos, ursas, leones vel tigros in pœnam hujus populi adduxisset; sed si quo ex his formidandis animalibus usus esset, effectus ita causæ adæquatus visus fuisset ut in pœnâ divina manus oblita forsan fuisset; populique ira mota, quin fracta esset superbia. Hoc autem in præsenti casu Deus potentiæ suæ magnitudinem ostendit, omni noxiâ qualitate destitutum animal terribilis hostibus suis calamitatis instrumentum faciens. Quàm facile Dei justitiæ et misericordiæ est vilissimis et despicatissimis destruere vel salvare instrumentis! Quanquàm Dominus exercituum est, ipsi nec potentibus exercitibus, nec Angelorum ministerio, nec justitiæ suæ fulgoribus ad puniendum peccatorem, vel gentem peccatricem opus est; rana vel musca in manibus ejus sufficiens est ultionis instrumentum (1).

Hìc allatæ tam despicatissimi animalis electûs rationi, aliam addere possumus; cùm scilicet rana in Ægypto emblema foret Osiris aut solis, cui primò idololatricus ab Orientalibus nationibus exhibitus est cultus, nihil ad arguendas illas de superstitiosi sui systematis absurditate aptius erat quàm in hoc casu ranis uti.

Ultricia hæc reptilia, ait Paxton, in alveo Nili et in lacubus qui de aquis ejus implebantur producta sunt, quòd iste fluvius ab illâ delusâ gente non vulgarem sanctitatis gradum habere, et religiosam suam venerationem demereri reputaretur; in ipsum confidebant; magnus eorum quibus fruebantur fons et laudum thema habebatur; rectum igitur erat aquas istas innumerâ immundorum animalium multitudine polluere, quibus veneratio et confidentia quæ soli vero Deo, qui pluviæ pater est, debentur, impiè translatæ fuerant. Versæ primùm in sanguinem, in justam immisericordis ejus feritatis et immanitatis pœnam, quam in masculos Hebræorum infantes exercuerant, alterâ vice ad summam deorum et sacerdotum suorum confusionem pollutæ et ignominiâ affectæ fuerunt.

Scriptor ex quo istas observationes citavimus modo ita admirabili totam hanc materiam tractavit ut lectori gratum faciamus paginas nostras quibusdam selectis completare.

Fastidiosa hæc plaga ad omnem locum et ad omnem hominum classem sese extendit. Ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti, in domos eorum ingressæ sunt et in cubicula; in ipsismet Ægyptiis reptabant, in eorum stratis et in vasis coquinariis. Tota regio, oppida, templa, homines, cuncta fuerunt polluta et odiosa. Neque ipsis licebat nauseosis sordibus, quibus operiebantur, se lavare, amnis quippè totus et lacus pollutione replebatur. Nihil sanè genti quæ scrupulosissimam in suis corporibus, domibus et vitæ modo puritatem consectabatur, nihil, inquam, magis forsan intolerabile quàm plaga ista excogitari potest. Rana, pluribus aliis reptilibus comparata, animal est innoxium, neque morsu unquàm offendit, nec veneno; sed hoc in casu fastidium movere debuit quo vita onus importabile fiebat. Cruciabatur oculus incedentium immundarum harum legionum aspectu, asperoque earum coaxationum auditu auris. Nullo in strato recumbere Ægyptiis licebat, ubi gelidos, sordidosque earum amplexus pati non cogerentur; cibum tangere qui tactu illarum infectus non esset, nec odorem nisi fœtidum glareæ illarum putorem, aut putridas ex cadaveribus illarum emissas exhalationes percipiebant.

Quanta ex hâc calamitate passi sint Ægyptii evidenter patet ex festinatione quâ Pharao Moysem et Aaron requisivit, eorumque precum petivit auxilium : *Orate Dominum ut auferat ranas à me et à populo meo*;

(1) *Relatio operationum in Ægypto et Nubiâ* vol. 2, p. 316-321.

(1) *Comment. in Exod.* 8, 2.

et dimittam populum ut sacrificet Domino. Exod. 8, 8. In extremis positus, nec per falsa maleficorum suorum miracula liberationem accipiens, ad Deum confugit, de quo superbè quæsierat : *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel?* Exod. 5, 2. Subditus adversitate et edoctus, misericordiam ejus implorat, et nominis ejus gloriam agnoscit; sed non sincero corde, ut probavit eventus.

Hæ preces exauditæ fuerunt, et ablatæ ranæ. Non tamen ablatæ sunt ut locustæ, quæ dein subsecutæ sunt, sed destructæ et in facie terræ relictæ. Ad nihilum redactæ non fuerunt, nec in pulverem resolutæ, nec in flumen projectæ de quo exierant, sed mortuæ in terrâ jacebant, ut miraculi veritas confirmaretur, quòd scilicet non manibus hominum, sed divinâ potentiâ interfectæ fuerant, quòd magna hæc liberatio non erat, ut maleficorum opera, ementitum miraculum, sed realis Omnipotentis potentiæ interpositio et divinæ bonitatis effectus. Ægyptii igitur illas in aggeres congregare coacti sunt; undè accidit ut celeriùs putridæ effluxerint exhalationes et ita ad tempus regionis calamitates auxerint. Illarum destructionem, ut probabile videtur, secuta est pestis quâ multi ex populo sublati sunt, omissis iis quibus mortem attulerant horridæ vexationes, quas ex fastidiosis earum incommodis perpessi fuerant : nam in quodam ex canticis Sion dicitur : *Misit* (Dominus) *ranam, et disperdidit eos,* Ps. 77, 45, terram illorum vastavit, et ipsos pestilentibus morbis infecit.

Rana ab inspirationis Spiritu electa est ad repræsentandos in visione falsos doctores et alios antichristi ministros : *Et vidi,* ait S. Joannes, *de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum* (exire) ; *sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.* Apoc. 16, 13, 14. Impuri isti emissarii in luto moralis depravationis generati et educati, quasi ranæ, pacem conturbant et felicitatem omnium qui circùm sunt destruunt. Perpetua eorum loquacitas non fastidiosa minùs est quàm incessans coaxatio immundi animalis cui assimilantur. Questus eorum et reprehensiones, accusationes et maledicta, superbia et vanitas, constantes vehementesque ad movendos in mutuam stragem populos, reges et principes terræ, specie Religionis causæ defendendæ conatus, acerbiora noxiaque magis adhuc sunt quàm obstrepentes clamores, lugubres questus et mutuæ reprehensiones, inverecunda impudentia et superbæ inflationes quibus ranæ in nativis suis paludibus indulgere arguuntur (1).

SECTIO SECUNDA.

SERPENTES.

Ecce viridis anguis è tenebroso suo latibulo, quòd pede premere ipsa mens horret, sole sub medio, irrepens, immensos in orbes corporis tractum colligit, et rursùs emittens, refrigerantem quærit fontem; juxta quem effusus, sinus suos projicit; dùmque minaci lingua et horrendis erectum maxillis monstrum flammantem cristam torquet, cæteri omnes, siti, formidineque correpti, aut tremebundi fugiunt, aut eminùs immoti stant, nec accedere audent.

(Thompson.)

Voce Hebraicâ *nachash* uti videntur sacri scriptores quasi generali totius serpentium familiæ cognomine. Doctor Adamus Clarke (1) in eo quidem incubuit ut quoddam generale esse nomen ostenderet non ad sensum unicum restrictum; sed inaudito modo infelix fuit ejus labor. Voci enim illi, in ejus simplici statu sensus ascripsit doctor, qui veri tantùm sunt, cùm ipsi sub variis modificationibus tribuuntur.

Primus verbi sensus unde Hebræum serpentinæ reptilium classis nomen sumitur, est *inspicere, attentè considerare,* etc., et adeò hoc sub respectu serpentes conspicui sunt, ut serpentis oculus in proverbium apud Græcos Romanosque transierit, et illis applicaretur qui res callidè aut acutè videbant. Scriptor ingeniosus, loquens de suppositâ in oculo serpentis crotali fascinatione ait : Id fortè universalius est inter venenosos serpentes quàm supponitur; in nostrâ enim vulgari viperâ occurrit (2). Serpentis calliditas et subtilitas in Scripturâ exhibentur ut qualitates quibus cæteris agrorum bestiis præstat. Gen. 3, 1; S. Matth. 10, 16. Plurima prudentiæ ejus et calliditatis afferri possent testimonia, ut à naturalistis commemorantur; etsi tamen rectè supponi possit illum, hâc etiam in parte, unà cum cæteris creationis partibus ex communi maledicto graviter esse passum.

Etsi formidabilem ejus progeniem horrori generaliter habeat humana species, gentes tamen fuêre quibus venerationi et cultui fuit. Notissima est in veteri Ægypto serpentis adoratio, ut et draconis Babylone. Loquitur Herodotus de serpentibus cicuratis, Jovi sacris, juxta Thebas; (3) et Ælianus de sacro dracone Dianæ dedicato, et in nemore Phrygiæ servato. (4) Idem idololatriæ genus nunc adhùc in Indiâ prævalet; et in Africâ, ad turpissimos excessus fertur.

Undecim serpentium species à Calmeto enumeratæ sunt, quæ Hebræis innotescebant; 1° *apheh,* vipera; 2° *chephir,* species quædam aspidis, vel leo; 3° *acshub,* aspis; 4° *pethen,* aspis; 5° *tzeboa,* quidam maculis distinctus anguis, qui à Græcis et Ægyptiis *hyæna* dicebatur; 6° *tzimmaon,* juxta S. Hieronymum; 7° *tzepho* aut *tzephoni,* basiliscus, non fabulosus basiliscus, sed anguis aliis similis; 8° *kippos,* acontias; 9° *shephiphon,* cerasta; 10° *shachal,* nigerrimus serpens; 11° *seraph,* volucris anguis.

De iis speciebus loquemur quæ sufficienter identificatæ sunt.

VIPERA.

Serpens iste qui in sacris Scripturis dicitur *apheh,* procul dubio *epha* est Arabum qui ita à doctore Shaw describitur : vulgarissimus, simulque hujus speciei

(1) *Script. Illustrationes,* vol. 1, p. 372-378.

(1) *Comment. in Gen.* 3, 1.
(2) Watson, *Anim. mundus explicatus,* p. 284, à Parkhursto citatus.
(3) Lib. 2, cap. 47.
(4) *De Animal.* lib. 1, cap. 22.

malignantissimus est *leffah* qui, ut nostra vipera aut coluber, minùs uniformi est corporis formâ quàm *zurreike*, et rarò pedem in longitudinem excedit. Ejusdem semper non est coloris, sed aliquo modo mutatur juxta terræ, arenæ aut rupum ubi invenitur, naturam. Torridæ dipsadi apprimè nomen simul et qualitates *leffah* congruunt, qui sic vocatur ex *leffah*, *urere*. Ab Arabibus traditur eamdem *leffah* inter et *taitah* (chamæleontem) antipathiam existere, quæ longè abhinc chamæleonti et viperæ attributæ sunt (1); parvulamque visçosi succi guttulam, quæ ex *taitah* in *leffah* deciderit, hunc in adeò violentas convulsiones conjecturam ut nullâ morâ mors insequatur (2).

Vipera conspicua est ob suum velox et acre virus et idcircò à remotissimis temporibus cujusque rei nocivæ et destruentis emblema exstitit. Reipsà adeò viperarum terribilis erat natura ut communissimè quasi Dei in genus humanum ultionis ministri mitti existimarentur, pro immanibus sceleribus quæ justitiæ cursum fugerant (3). Hujus opinionis testimonium adest in historiâ S. Pauli (Act. 28) quem Melitæ insulæ homines, viperam de manu ejus pendentem videntes, homicidam esse conjecerunt; et confestim deum arbitrati sunt ubi, cùm manus ejus in tumorem convertenda esset et ipse subitò cadere et mori deberet, ipse nihil mali passus reptile in ignem excutiit. Existimare enim satis obvium erat eum saltem in proximâ ad deos relatione stare, qui sic ultionis illorum ministris imperare, et tantâ vi præditorum agentium effectus impedire (4).

Vipera inter venenosa reptilia quæ inaudito numero terram Ægypti infestârunt recensetur apud Isaiam prophetam 30, 6. Maleficam impiorum hominum indolem, et nocivam criminis naturam illustrando, sic iterùm ad noxium hoc animal alludit : *Ova aspidum excluserunt, et telas araneæ texuerunt : qui comederit de ovis eorum, morietur : et quod confotum est, erumpet in viperam.* Isai 59, 5. *Aspis* hìc, ait Paxton, procul dubio viperam significat; ovum enim cujusdam animalis nunquàm, ullo artificio, animal alterius speciei producit. Ubi ovum confotum est, junior vipera expeditur et irrepit parata ad nocendum. Objici potest viperam non esse oviparam (5), sed viviparam (6) et consequenter ad aliud animal à Prophetâ intendi. Atverò in mentem revocandum est, quanquàm catulos suos vivos pariat vipera, illos tamen ex ovis in ventre parentis perfectè formatis erumpere. Hinc de hâc re, ait Plinius, sola inter terrestria animalia vipera in semetipsa ovum uniformis coloris producit et molle quasi piscium ova, seu *lactes*. Conspicuo hoc naturali facto, sacri scriptoris narratio naturalis historiæ veritati concordat. Si quo modo viperæ ovum à corpore separetur, res de quâ loquitur propheta locum profectò habere potest (1). Pater Labat captum viperini generis serpentem præsente se incidi jussit. In ejus utero sex inventa sunt ova, quasi anseris ovarum amplitudine, et à tredecim ad quindecim catulos continentia, qui sex circiter uncias longi erant, et æquè ac anseris pennæ calamus crassi. Vix è carcere excussi sunt, cùm hùc illuc reptare, et in minaci corporis habitu stare inceperunt, sese evolventes et fustem mordentes quo eos interficiebat. Qui verò in uno ex ovis continebantur, eo ipso loco, quo mater cæsa fuerat, ex ovo erumpentes, et inter rubos latentes effugerunt.

(1) Ælian. *Hist. Animal.* lib. 4, cap. 33, etc.
(2) *Itin.*, vol. 1, p. 327.
(3) Mead, *Prælusio in venena.*
(4) Harris, *Hist. nat.* in voce
(5) Ex ovo producens.
(6) Vivum producens.

In Gen. 49, jam è vivis excessurus propheta, Danitas *shephiphon*, probabiliter *cerastæ* comparat, qui est viperi generis serpens, colore leviter fusco, in arenis latens, et in rotarum vestigiis per vias, et inexspectatus transeuntium animalium crura mordet.

Ad depravata scribarum et Pharisæorum corda malignasque dispositiones æquè alludunt Salvator noster et Joannes Baptista in his verbis : *Progenies viperarum, qui demonstravit vobis fugere à venturâ irâ ?* S. Matth. 3, 7. *Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ ?* cap. 23, 33. Terribiliter significantia verba ! serpentina soboles, è serpentino stipite, ut patres sui, sic et ipsi erant filii diaboli ! Sic Deus peccatorem existimat, sive in divitiis innatet, sive fama altum aerem teneat ! Judæi genimina erant serpentium qui feminæ *seminis* calcaneum contererent, et quorum caput ab ipso contereretur (2).

COLUBER et ASPIS.

Veteribus Hebræis nota erat sub variis nominibus *aspis.* Quidam existimant interpretes vocem *shachal*, quæ in quibusdam Scripturæ partibus *leonem* designat, in aliis *colubrum*, aut quamdam serpentis speciem denotare. Sic in Psalmo 90, illam vertunt *basiliscum* : — *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*, vers. 13. — Reverà inter omnes antiquos expositores convenit quamdam serpentis designari speciem ; utque vox *schachal* bestiis applicata nigrum leonem denotat, sic in præsenti applicatione, nigrum colubrum significare putatur.

Hebræum *pethen*, diversè in nostrâ versione transfertur; attamen ab interpretibus ad aspidem referre generaliter habetur. Non unâ vice ad illud alludit Sophar in suâ viri impii descriptione : *Panis ejus in utero illius vertitur in fel aspidum intrinsecùs........ Caput aspidum surget, et occidet eum lingua viperæ.* Job 20, 14-16. Omnium acerrimum est aspidis venenum et immedicabile ; et nisi pars infecta confestim amputetur, patientis vitæ mox finem imponit. Ad hæc profectò intendit Moyses in suo Paganorum charactere : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Deut. 22, 33. Vide etiam Rom. 3, 13. Summo cum periculo super aspidem ambulatur ; et ad exprimendam modo strictissimo securitatem quâ fruitur Homo Deus sub Patris sui cœlestis protectione, promittitur

(1) *Script. illustratio*, vol. 1, p. 336.
(2) Doctor A. Clarke, *Comment. in Matth.* 3, 7.

illum impunè super aspidem et draconem ambulaturum. Ps. 90, 13. Nemo sponte suâ lethalium horum reptilium cavernam adit; quicumque enim vel minimè illa disturbat, in summo constituitur periculo temeritatis suæ culpam vitæ dispendio luendi. Hinc Isaias propheta, prædicens gentium ad Christi fidem conversionem, gloriosumque pacis et veritatis regnum in iis regionibus quæ antè hoc tempus horridâ sævitiâ replebantur, ait: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo : quia replebitur terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes.* Isai. 11, 8, 9. In splendidis ætatis aureæ descriptionibus, quæ lectoribus suis ab Orientalibus scriptoribus, et admiratione stupentibus Græciæ Romæque vatibus, legenda præbebantur, feræ domantur, venenum serpentes exuunt, et herbæ nocivæ deletrices suas proprietates : cuncta sunt pax et concentus, abundantia et felicitas.

Sublime elegantium horum scriptorum ingenium non altiorem tamen gradum obtinere potuit quàm negativam felicitatem; sed divinitùs afflatus vates qui istos pulchritudine et elegantiâ, æquè imaginum varietate, quibus easdem ideas induit et exornat, longè antecellit, splendidam positivæ et permanentis felicitatis picturam exhibet. Lupus et leopardus non modò agnum et hædum devorare metuent, sed et cum ipsis habitabunt, et simul accubabunt. Vitulus et junior leo, et ovis saginata non simul morabuntur, sed et sub eodem tegumento requiescent, et eâdem manu securè et quidem à puero parvulo ducentur. Vacca et ursa non tantùm simul pascentur, sed et catulos suos pro quibus invidiosissimè timere solent, in eodem loco collocabunt. Adeò perfectè innoxia erit tota serpentium progenies, ut infans ab ubere, vel qui nuper ablactatus est manum suam mittat in cavernâ reguli, et delectetur in foramine aspidis. Infirmiora animalia prædari non modò leo abstinebit, sed et cicuratus fiet et domesticus, et quasi bos comedet paleas, Is. 11, 6-9. Tot sunt hæ pulcherrimæ circumstantiæ, quarum ne una quidem à veteribus poetis tacta fuit (1).

Serpentium incantatio una est ex rebus valdè conspicuis, et quæ maximè intersunt in historiâ naturali. Mirabilis ars ista quæ iram compescit, et lethalissimi anguis furorem mitigat, illumque incantantis voci obedientem facit, non est recentioris ævi inventio; ejus enim in remotissimâ antiquitate vestigia manifesta occurrunt. Orpheum, qui confestim probabiliter floruit postquàm litteræ in Græciam fuerunt allatæ, proximè imminentis anguis sibilum inhibere, reptantisque serpentis venenum exstinguere novisse traditum est. Dicuntur Argonautæ vi cantûs horrendum subdidisse draconem, qui aureum vellus custodiebat; eumdemque effectum Ovidius quarumdam herbarum et magicarum sententiarum vis oporificæ adscribit. Alii serpentem fascinare tactu manûs solebant. De isto modo loquitur Virgilius in septimo Æneidos libro. Sed persuasum generaliter veteribus fuisse videtur vim incantandi serpentes præcipuam in musicæ suavitate residere. Plinius igitur in hujus opinionis confirmationem ait serpentes è latibulis suis vi musicæ educi. Idem sentit Seneca.

Quantâ vi polleat musica in serpentium speciem confirmatur plurimorum clarissimorum recentiorum temporum scriptorum testimoniis. Coluber, sonante tibiâ, intumescit, in mediâ corporis parte stat erectus, in orbem se movet, musicos modos notat, et instrumentum sequitur. Caput ejus naturâ rotundum et quasi anguilla longum, latum fit et planum ut flabellum (1). Edomiti serpentes, quorum plurimos in domibus suis alunt Orientales, cavernas suas ubi cœlum est fervidum linquere noscuntur, personante musico instrumento, et in fidicinem concurrere (2). D. Shaw opportunitas fuit plures videndi serpentes accuratos cum dervicensibus in circularibus suis choreis modos servare, super caput et brachia irrepere, ipsis circumactis circumagi, et ipsis consistentibus consistere. Serpens crotalus musicæ vim tantùm sentit quantùm qui maximè ex suâ specie; cujus rei sequens testimonium ratio decretoria est. Cùm D. Châteaubriant degeret in Canada, anguis hujus speciei in castra ejus irrepsit. Junior Canadianus, ex turbâ, qui tibiâ canendi peritus erat, et socios suos demulcebat, serpenti obviàm ivit novo hoc armorum genere instructus. Proximè accedente hoste, ferox anguis in spiram se convolvit, caput complanat, buccas inflat, labia contrahit, venenosos dentes et cruentas fauces detegit; duplex ipsius lingua, ut duplex flamma ignescebat; carbones ardentes erant oculi; corpus rabie intumescens, surgebat recidebatque, ut officinæ ferrariæ folles, dilatata cutis ejus asperam squamosamque faciem induebat; et cauda quâ personabat mortis denuntiatio tantâ vibrabat velocitate, ut levis vapor videretur. Tunc tibiâ canere cœpit Canadianus : stupens salit anguis et caput avertit. Simul atque in eum agebat magica vis, oculorum recedebat furor, caudæ oscillationes lentiores fiebant, et sonus quem emittebat minuebatur et gradatim omninò evanuit. Minùs in spirâ suâ perpendiculares fascinati anguis annuli paulatim evolvebantur, et singuli vicissim super terram in concentricis circulis deciderunt. Suus umbris cærulæi, virentis, albi et aurei coloris in tremulâ cute rediit splendor, capiteque lento motu converso, immotus permansit, attenti et complacentis similis. Tunc verò aliquot passibus accessit Canadianus suaves simplicesque è tibiâ sonos emittens. Reptile autem, demisso variegato suo collo, capite viam per alta gramina aperit et post musicum reptare incipit, consistens illo consistente, et illum rursùs insectans statim ac procedere libebat. Eo modo è castris eductus est, multis cùm sylvicolis, tùm Europæis spectantibus, qui suis vix oculis credere poterant, viso hoc mirando

(1) Lowth in *Isaiam*, vol. 2, p. 114.

(1) Chardin.
(2) Greave, *Itin.*

harmoniæ effectu. Omnes unanimo sensu serpentem qui sibi tantam oblectationem attulerat, fugæ permittendum decreverunt (1).

Attamen quosdam in serpentes illæ incantationes vim nullam habere videntur, et ex Scripturâ patet aspidem in se paratæ fascinationi occurrere : *Surda enim aspis obturat aures suas, et non exaudiet vocem sapientissimi incantatoris.* Ps. 57, 5, 6. Eadem allusio in his Salomonis verbis involvitur : *Profectò mordebit anguis remotâ incantatione ; qui occultè detrahit melior non est.* Eccl. 10, 11. Ex eodem fonte manat Jeremiæ prophetæ comminatio : *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos.* Jer. 8, 17. His in omnibus citationibus, sacri scriptores, dùm probatum habent plurimos serpentes carminibus placari, planè quoque admittunt in alios frustra exerceri fascinatoris artem. In causam hujus exceptionis allatum est auditum, in quibusdam serpentibus esse imperfectissimum, dùm è contrà visus est acutissimus ; sed clarissimi inter naturales historicos contrarium verum esse contendunt, et multò acutiorem esse visu auditum. Alii, veritatis vi resistendi impotentes, contendunt aspidem non naturâ, sed consilio surdam esse ; dicit enim Psalmista : (Aspis) *Obturat aures suas, et non exaudiet vocem incantatoris.*

Sed phrasis nihil forsan magis quàm illud significat, quosdam scilicet serpentes adeò esse obstinatâ naturâ, ut variis incantantium artibus non afficiantur ; quasi animalia sunt auditu destituta, vel quorum aures adeò sunt obturatæ, ut nullus intrare possit sonus. Eadem phrasis in aliis Scripturæ locis usurpatur ad designandum cor durum et obturatum : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur,* Prov. 21, 13. De viro justo in eodem sensu à Prophetâ sumitur : *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum,* Is. 33, 15. Hic sævis et cruentis malorum consiliis æquè immotus stat, ac si obturavisset aures suas.

Arabici scriptores serpentes dividunt in tres classes. In primâ classe adeò intensa est veneni vis ut patiens non ampliùs quàm tribus horis supersit eorum morsibus, nec medicabile sit vulnus ; ad classem enim surdorum aut stridulorum serpentium pertinent qui nec musicâ nec ullis aliis incantationibus afficiuntur, vel qui alto suo et furibundo sibilo animum incantantis deludunt. Unum tantùm adest hoc in casu remedium, instantanea amputatio, vel caustica vulneris cum fervido ferro adustio quæ virus exstinguit, et ne sanguinale systema attingat impedit. Hâc in classe ponuntur regulus, basiliscus, et varia aspidum genera, et ii omnes quorum virus in summo intensitatis est gradu. Notio hæc apprimè iis quæ à Psalmistâ prophetâque in supra citatis locis, de aspide, regulo vel basilisco referuntur. Certum est tamen ex authenticis variorum viatorum traditionibus, quosdam horum serpentium, ut aspis et basiliscus, qui ab Arabibus inter surdos et indomitos angues, quorum morsus immedicabilis est, ponuntur, sæpè incantantis dominio subjectos fuisse ; neque ad id referre necesse est divinitus afflatorum, scriptorum verba, quippe qui nullibi adoptatam ab Arabicis philosophis classificationem agnoscunt. Illud tantùm legitimè ex eorum verbis concludi potest, quòd incantantis ars sæpè deficit, sive aspidem, basiliscum, sive ullius alterius generis serpentem fascinare conetur. Ad vindicandos sacros scriptores, supponere necesse non est cum Arabibus quasdam existere serpentium species quas frustra fascinare tentat incantator ; nam in easdem species agendo, varius esse potest incantationum ejus exitus (1).

(1) Châteaubriant, *Génie du Christian.* Vide quoque longam et quæ magni interest relationem artis incantandi serpentes, in Bruce *Itiner.*

REGULUS seu BASILISCUS.

Anglicæ Bibliæ translatores variè Hebraicas voces *tzepho* et *tzephoni* reddiderunt *aspidem* et *regulum ;* nec ullo modo certi sumus ad quam particularem serpentis speciem vox originalis accommodetur. In Isaiâ, 11, 8, *tzephoni*, ait D. Harris, malignitate evidenter *peten* superat præcedentem ; et in cap. 14, 29, pejorem sanè *nachach* serpentis speciem indicare debet ; sed illud nos adhuc specifici ejus generis ignaros relinquit. D. Taylor, qui multùm insudavit in accommodando illo peculiari cuidam speciei, ait *naja* esse, seu *cobra di capello* Lusitanorum (2), quem ita à Goldsmith descriptum reperimus : « Inter alios *cobra di capello*, seu cucullatus anguis, maximè lethalia insanabiliaque infligit vulnera. Formidabilis hujus animalis quinque aut sex existunt variæ species, quæ æquè sunt timendæ, et quarum morsus velox certaque mors sequitur. A tribus ad octo pedes longi sunt, duoque ipsis longi dentes ab exteriori superioris maxillæ parte pendent ; crassum est collum, et in fronte nigrè fusco colore macula, quæ, si adversâ facie aspiciatur, quasi conspicillum apparet ; si verò à tergo, quasi felis caput videtur. Acres sunt oculi et ignescentes ; exile caput, planus nasus, latissimis licèt squamis flavi cinereique coloris coopertus ; alba cutis, ingensque in collo tumor planus est, et nitidis oblongisque squamis opertus. Insanabilis animalis hujus morsus dicitur, patiensque unâ circiter horâ post inflictum vulnus moritur, toto corpore in putridam corruptionis molem resoluto. Quæ hìc serpentis istius morsibus attribuuntur apprimè iis congruunt quæ de *tzephoni* in Scripturâ leguntur. Sic in Isaiâ, 11, 3 : Isti (*tzephoni* scilicet proximè præcedentes), *non nocebunt et non occident* (corrumpent) *in universo monte sancto meo ;* et in Prov. 23, 32 : *Sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus punget* (venena diffundet ; sic enim habent Septuaginta et Vulgata).

Nobis innotata prætermittenda non sunt validissima adversùs bibendi intemperantiam allata in proximè citato loco argumenta. Quasi lethalis reguli virus, ea mentis pariter et corporis vires debilitat, et per totum corpus corruptionem mox effundit : *Cui væ? Cui luctus?*

(1) Bochart. *Zoolog. sacra*, p. 394 ; Paxton, vol. 1, p. 30, in *Fragm.*, vol. 2.
(2) *Hist. nat.* p. 80, in *Fragm.*, vol. 2.

Cui rixæ? Cui garrulitas? Cui sine causâ vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? cap. 23, 29-30. *Luxuria res vinum*, seu juxta Hebr., *vinum est derisor, et tumultuosa ebrietas; quicumque his decipitur, sapiens non est*, cap. 20, 1.

Ad implacabilem Chaldæorum exercituum, sub Nabuchodonosor crudelitatem, et delectos Dei in Judæorum gentem, quibus suæ eum iniquitates inimicum fecerant, iræ ministros, expressè alluditur in loco isto : *Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos, ait Dominus;* Jer. 8, 17.

In Ægypto aliisque Orientalibus regionibus serpens commune symbolum erat regiæ potestatis : eo regum vestes et diademata picta erant in signum supremæ eorum potestatis et invictæ potentiæ; et etiam quod, sicut insanabile est vulnus à regulo inflictum, ita fatales illorum iræ effectus nec vitari nec ferri poterant. Eæ sunt, ait Paxton (1), allusiones quæ in prophetæ ad implacabiles suæ gentis hostes monitione involvuntur : *Ne læteris, Philistea omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui; de radice enim colubri egredietur regulus, et fructus ejus igneus serpens volucris*, Is. 14, 29. Ozias, rex Juda, Philisthæos subdiderat; sed datâ debilis Achaz regni opportunitate utentes, ipsi rursùs regnum Juda invaserant et aliquot meridionalis regionis partis civitates in suam ditionem redegerant. Mortuo Achaz, hanc prophetiam edit Isaias, iis severiorem minitans pœnam de manu Ezechiæ, qui erat nepos Osiæ, cujus victricibus armis pacem petere coacti fuerant, quam ipse perfecit, quandò *percussit Philistæos usque ad Gazam, et omnes terminos eorum*, 4 Reg. 18, 8. Ozias igitur virgâ significari potest, quæ percussit eos, et à serpente ex quo oriturus erat igneus serpens volucris, Ezechias, qui formidabilior quàm ipse Ozias hostis exstitit. At regulum in signum regiæ potestatis cæteris omnibus anteponebant Orientales reges. In hujus facti testimonium adest ipsum ejus Arabicum nomen *melecha*, ex Hebræo verbo *malach*, regnare, ex græco ejus nomine βασιλίσκος, et Latino *regulus;* quæ omnia, ut asseritur, alludebant ad conspicuum locum quem in orientis regum ornamentis tenebat.

Dicuntur omnes aliæ serpentium species basilisci seu reguli supremam auctoritatem agnoscere, è conspectu ejus fugientes et in pulvere latentes. Vitâ quoque cæteris longiore frui supponitur ; unde pagani veteres illum immortalem pronuntiârunt, et in deorum suorum numero recensuerunt; quodque validissima animalia pestiferâ sui halitûs vi occidendi facultate præditus generaliter haberetur, vitæ et mortis potestate instructus videbatur. Gratus igitur evasit regum typus, eoque propheta ad designandum magnum bonumque Ezechiam strictâ proprietate usus est.

SERAPH, SEU IGNITUS SERPENS.

Serpentis hæc species nomen suum *seraph* habet à radice quæ significat *urere*, sive ex suo vivido ignis colore, sive ex æstu et urenti dolore cujus causa est morsus ejus. In n. 21, 6, etc., legimus venenosis his reptilibus usum fuisse Deum ad puniendos incredulos et rebelles Israelitas; undè factum est ut plurimi ex ipsis mortui sint; cæteri verò ab hâc calamitosâ plagâ liberati sunt per serpentem æneum, quem Moyses in medio castrorum pro signo exaltare jussus est, quique signantissimus erat typus promissi Salvatoris, 1. Joan. 3, 14-15.

In Is. 14, 29; et 30, 6, vox eadem, addito epitheto, occurrit, et in nostrâ versione translata est *igniti volucres serpentes;* et si veterum testimoniis inniti fas est, testium nubes afferri potest, de his volucribus, seu pennatis serpentibus (1) loquentium ; etsi tamen, ut observat Parkhurstus, nullus ex ipsis asserat se ejusmodi viventem volantemque reipsâ vidisse. Michaelis tamen adeò his afficiebatur testimoniis ut in suâ quæstione 83 à viatoribus enixè postulet ut de existentiâ naturâque volucrum serpentium inquirant. Ex commendatione hâc Niebuhr (2) sequentem communicavit notionem : « Basna occurrit « serpentis species quam vocant *heie sursurie*, seu « *heie thiare.* Palmis vulgò immorantur isti serpentes, « et, cùm ipsis laboriosum foret è quâlibet altâ arbore « descendere, ut aliam ascenderent, caudâ prioris « arboris ramo cuidam inhærent, quo, motu sibi « impresso saliente, ipsi in alterius ramos insiliunt. « Inde recentiores Arabes eos vocant volucres ser- « pentes, *heie thiare.* Nescio utrùm veteres Arabes, « de quibus loquitur D. Michaelis in suâ quæstione 83, « ullos unquàm volucres serpentes viderint. » Alludit quoque Niebuhr ad id quod refert lord Anson de serpentibus volucribus in insulâ Quibo. Sic habet locus : « Certos quoque nos fecerunt Hispani sæpè in « nemoribus malignissimum reperiri serpentem, « nomine *volucrem serpentem* qui, ut aiunt, ex ramis « arborum in homines bestiasve qui intra captum suum « veniunt insilit, et cujus aculeum certam mortem ferre « existimabant (3). » Citatis his locis, concludit Parkhurstus *seraph moupheph*, de quo agitur in locis ad quos allusimus, hujus fuisse serpentibus speciei qui ex veloci motûs impetu à Græcis *acontias* et à Romanis *jaculus* dictus est. Hujus generis serpentibus enim tam propriè in Hebræo vox *moupheph* applicari potest quàm *volucris*, quæ ipsis à Lucano Latinè applicatur : *Jaculique volucres.* Atverò aliam professor Paxton originalis phraseos interpretationem proposuit, quam æquè ferret textus. Verbum *ouph*, observat ille, aliquando significat *micare*, lucis coruscationes emittere; hoc in sensu vox *thopah* frequenter in sacris Libris occurrit. Sic Sophar, (Job. 11, 17) ait : *Coruscatio* (thopah) *erit quasi manè.* Vox in textibus de quibus

(1) *Illustration.* vol. 1, p. 352-354.

(1) Vide inter alios Herodot., lib. 2, c. 75, 76; lib. 3, c. 107, 108, 109; Ælian. *Hist. animal.*, lib. 2, c. 38; Joseph. *Antiquit.*, lib. 2, c. 10, § 2; Ciceron. *Nat. Deor.*, lib. 1, c. 36; Mela, lib. 3, c. 9; Lucan., lib. 6; Solinus, c. 32; Amm. Marcellin., lib, 22

(2) *Arabiæ Descriptio*, p. 186.

(3) *Iter à Walter*, p. 308, in-8°, 1748.

nunc agitur, referri potest ad pallidè rubrum hujus serpentis colorem, et splendorem exprimit quem ejus squamæ sanè splendidissimæ (1) emittunt, ubi radiis solaribus collustrantur. Probabile igitur videtur *seraph* non fuisse hydrum aut chersydrum, ut supponit Bochartus, sed presteris aut dipsadis ex genere.

DRACO.

Vox ista quæ frequenter in Anglicâ Bibliâ occurrit generaliter respondet Hebræo *tan* et *tannin*, quanquàm voces illæ aliquando reddantur *serpentes*, *monstra marina* et *cete*. R. Jacobus Hurdis, in Dissertatione de verâ significatione vocis tanninin, contendit illam in variis suis formis haud variè crocodilum significare; quæ opinio authenticis nullis factis aut legitimo ratiocinandi modo consistere potest. Doctissimus Calmeti editor, qui sermone luculento contendit solis amphibiis animalibus competere vocem istam, in eâ involvi arbitratur lacertarum classem, à lacertâ aquaticâ ad crocodilum, et etiam phocam, manati, morsam, etc. Rationes ejus sanè sunt ingeniosæ et attentionem merentur, iis tamen de deductionum ejus veritate convinci non potuimus. Multâ adhuc caligine obvoluta est materia, ob apparentem sensûs latitudinem, in quâ vox illa à sacris scriptoribus usurpatur. In Exod. 7, 9 et seq.; Deut. 32, 33; et Jer. 51, 34, ingentem serpentem indicare videtur, seu draconem propriè dictum; in Gen. 1, 21; Job. 7, 12, et Ezech. 29, 3, *crocodilum*, vel aliquod ingens marinum animal; et in Thren. 4, 3, et Job 30, 29, quoddam feræ genus, probabiliter *crocutam* aut lupum, ut denotat Arabica vox teenan. Nos verò ad draconem propriè dictum intendemus.

Quæ sequitur boæ descriptio ex D. Lacépède præcipuè deprompta et translata fuit à D. Taylor, qui illum propriè dictum draconem esse arbitratur.

Boa idem inter serpentes locum tenet atque leo et elephantus inter quadrupedes; vulgò viginti pedum longitudinem attingit, et ad hanc speciem referendi sunt ii qui à viatoribus describuntur, quadraginta vel quinquaginta pedum longitudine pollentes, qualiter ab Owen traditur. Loquitur Kircher de serpente quadraginta palmis longo; ejus generis serpens à Job Ludolph, quasi in Æthiopiâ existens refertur (3). S. Hieronymus in suâ Hilarionis vitâ ejusmodi serpentem *draconem* vocat; illos dicens vocari *boas*, quòd boves deglutire possint et integras vastare provincias. Homines sæpè, inquit Rosman, inventi sunt integri intra serpentium fauces in Littore Aureo (Côte-d'Or), sed longissimus de quo quid legi; à Livio et Plinio prædicatur qui Romano exercitui, duce Regulo, obstitit, juxta flumen Bagradam, in Africâ. Plurimos ille milites devoravit et adeò duræ erant ejus squamæ, ut sagittis et jaculis resisterent; tum demùm, quasi obsidione, cinctus est, et in eum instructæ machinæ ut in munitam civitatem. Centum et viginti pedes longus erat.

(1) *Illustr.* vol. 1, p. 359.
(2) *Hist. nat. serpent.*, p. 15 et 16.

In insulâ Bataviâ captus est serpens qui integrum cervum majoris speciei deglutierat; et alter Bunda captus nigram mulierem eodem modo absorbuerat (1). Leguat in suis *Itineribus* ait esse serpentes quinquaginta pedibus longos in insulâ Java. Bataviæ servatur adhuc cutis serpentis qui viginti tantùm pedes longus puellam deglutivisse traditur (2). Ex iis quæ de boâ dicuntur existimat Taylor probabile esse S. Joannem illum in animo habuisse, quando persecutricem potentiam sub ingentis rufi draconis figurâ exhibet. Veterum draco serpens erat immanis molis, maximèque conspicuus color ejus rufus erat; Apocalypseosque draco caudâ vehementer ferit; sub quibus respectibus apprimè cum boâ congruit (3).

Et *visum est aliud signum in cœlo; et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem et cornua decem, et in capitibus ejus diademata septem. Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram*, Apoc. 12, 3-4. Allegoricus sanè est capitum reptili huic assignatorum numerus; ita et decem cornua et diademata iis alligata. Sed in omnibus his, ait Paxton, divinitùs afflatus scriptor ad historica facta aut naturales apparentias alludere præsumitur. Notissimum est anguis esse quamdam speciem, *amphisbenam* seu, cui duplex caput est, dictam, etsi unum caput in caudâ animalis stet et tantummodò fictitium sit. Quædam enim serpentis species tam sæpè occurrit duplex caput ex eodem collo ortum habens, ut plures arbitrati sint eam peculiarem esse speciem, sed nondùm nobis satis multæ suppetunt rationes ut ejusmodi conclusionem asseveremus. Attamen, supposito quòd serpens amphisbena innaturalis sit productio, hâc ipsâ de causâ à Dei Spiritu eligi potuit ut monstri, de quo in Apocalypsi, typus esset. Cornua referre videntur ad *cerastem*, seu cornutum serpentem; cùm boæ, vel propriè dicto draconi, cornu non sit. Sed immani huic bestiæ crista est clarè flaventis coloris, et in capite protuberantia, cujus color ardentis carbonis similis est; qoud satis obviè diadematis ideam suppeditat. Cætera peculiaria lineamenta ad facta intendunt quæ in boæ et aliorum serpentium historiâ occurrunt. *Draco magnus rufus stetit ante mulierem, ut filium ejus devoraret* (Apoc. 12, 4). Ubi boa inimico suo fit obvius, ipse caudâ stat erectus *stanas*, et horrendâ rabie hominem æquè ac bestiam impetit. Cauda draconis magni rufi *trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram*, ibid. Boa frequenter caudæ ictu victimam suam occidit.

Eventum quoddam in suâ ad Surinam expeditione narrat. Stedman unde maxima et copiosissima in hanc operis nostri partem illustratio fluit. Eventum istud intendit ad unum ex his immanibus serpentibus qui, etsi certè à rufo Asiæ Africæque dracone differant, plurima tamen in se complectuntur quæ ad materiam nostram faciunt. Vix viginti *yards* à navi per aquas et limum processerat, cùm serpentem in delapsis ar-

(1) Baldeus in *Churchill.*, vol. 3, p. 732.
(2) Barbot in *Churchill.*, vol. 5, p. 560.
(3) *Script. illustr.*; vel *Hist. nat.* in *Fragm.*, vol. 2.

borum foliis et reliquiis convolutum detegit, et ita coopertum ut nonnisi elapsis aliquot momentis monstri caput distinctè perciperet, à quo non ultrà sexaginta pedes amotus erat, bifulcam linguam moventis, dùm occuli ex insolito suo nitore igneas scintillas emittere viderentur. Tunc ipse sclopetum explodit; sed aberrans à capite glans in corpore infigitur; tum verò tantâ vi et impetu circùm ferit bestia, ut cæduam sylvam cædat, quaci falce fœnum cæditur, exagitatâque caudâ lutum et pulverem super caput suum procul latè spargit. Mox ad prælium redit ille, serpentemque à priori loco paululùm remotum invenit, sed quietissimum, capite ut ante posito, inter lapsas frondes, abscissos ramos et veteres muscos jacentem. Confestim in illum sclopetum explodit: serpens verò levi tantùm vulnere confossus tantam terræ et pulveris nubem emittit, ut scriptor noster asserat idem nisi in tempestatibus non vidisse unquàm. Tertio sclopeti ictu, serpens in capite confossus est. Cuncti adstantes Nigritæ juniorem esse solummodò anguem, mediâ tantùm staturâ asseverârant, etsi viginti duobus pedibus et aliquot unciis longus esset, et amplitudine nigrum adolescentem circiter æquaret, qui duodecim circiter annos natus erat.

Ex his circumstantiis ingens eversio, quam cauda, Apocalypseos draconis inter cœli stellas patravit, illustratur: allegoricum hoc in litteralis draconis naturâ structurâque fundatur. Una tantùm nunc explicanda manet circumstantia, aquæ scilicet flumen à dracone ejectum (c. 12, 15), postquàm frustra mulierem et semen ejus devorare tentâsset. Venenosorum serpentium virus, in ipso morsu, ex dentium molarium foramine emittitur. Certi tamen facti sumus ex pluribus factis, de quibus loquitur D. Taylor, serpentibus facultatem inesse ex ore suo naturâ suâ noxii liquoris copiam emittendi, quæ copia à magno rufo dracone emissa immani corporis ejus moli consentanea est, et dicitur fluvius vel flumen quod terra, quæ adjuvit mulierem, aperto ore suo absorbuit. Gregorius, Ludolphi amicus, in suâ Æthiopiæ Historiâ ait: Est in nostrâ provinciâ genus quoddam serpentis brachii longitudinem habentis; color ejus acriter rubens, licèt subfuscus. Noxius ejus est halitus adeòque venenosum fœtidumque virus emittit, ut quicumque homo vel bestia intra jactum ejus moratur, celerrimâ morte, nisi prompta adsit cura, procul dubio pateat. Mourææ, serpens ingens cujus media pars sub lapidum tumulo latebat, alterâ extra patente, à viro quodam in duas partes sectus est in ipsâ corporis parte quæ extra lapides jacebat; statim verò ac amotus est lapidum tumulus, anguis facie versâ, et in virum intendens tantùm veneni in vultum ejus expuit, ut omninò obcæcaverit, sicque aliquot diebus cæcus remansit, sed tandem visum recuperavit (1).

Ad horridam boæ voracitatem alludit Jeremias, prænuntians exitium Babylonis quæ populum suum crudeliter oppresserat: *Devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis...* (1), *replevit ventrem suum teneritudine meâ*, c. 51, 34. Idem sacer scriptor in sævæ famis descriptione exhibet onagrum in summâ rupe *trahentem ventum quasi dracones*, 14, 6. Neque terribilia ista reptilia fugacem ventum trahere satis habent; sed et ingenti halitûs sui vi, aves supra volitantes, ad se ex aere attrahere dicuntur. Quando veteres Hebræi dracones erectos stantes et expanso ore altum halitum attrahentes aspiciebant, hoc interpretabantur quasi, sublatis in cœlum oculis, apud Conditorem suum de miserrimâ suâ sorte conquererentur, quòd scilicet odio omnibus creaturis et in urentibus et sterilibus desertis conclusi, tædiosam et miserabilem vitam traherent.

Silentes et aridæ solitudines draconis sunt electa habitatio. Hâc de causâ prophetæ Domini populo frequentissimarum civitatum excisionem prænuntiantes, tam sæpè asserunt: *Fient habitatio draconum;* quibus verbis omnimodam et perpetuam desolationem significare videntur. Eadem allusio in hoc Psalmistæ conquesta involvitur: *Confregisti nos in loco draconum*, seu, ut Aquila non impropriè vertit, *in loco inhabitabili* (2).

Vox *draco* in Scripturâ aliquando usurpatur ad designandum dæmonium (Apoc. 12, freq.), probabiliter ob ejus magnam potentiam et ultionis avidam feritatem, quanquàm non sine ad originalem humani generis lapsum relatione.

HIRUDO vel SANGUISUGA.

Vocis Hebraicæ quæ vertitur *hirudo* in Septuaginta, Vulgatâ, Targum, æquè ac in Anglicâ et aliis recentiorum temporum versionibus Scripturæ sacræ nullo modo certa est significatio. OLUKEH, *sanguisugæ*, ait Salomon, *duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer*, Prov. 30, 15. Existimat Bochartus interpretes imprudenter unius vocis sensum pro alterius persimilis sensu sumpsisse, vertendumque esse *fatum*, seu *moriendi necessitas*, cui Rabbini duas dant filias, *Eden* seu Paradisum; ἀδὴν, seu infernum; quarum prior bonos invitat, et posterior vocat malos. Hanc interpretationem confirmare videtur cap. 27, 20: *Infernus et perditio* (ἅδης et sepulcrum) *nunquàm implentur.* Paxton, ex alterâ parte contendit interpretationem communem esse sub omni respectu jure ac meritò præferendam. Salomon, postquàm in præcedentibus versiculis, de iis qui devorant substantiam pauperis, tanquàm de pessimis omnium quas designavit generationum locutus est, nunc in vers. 15, pergit ad astruendam illustrandamque insatiabilem aviditatem, quâ sua rapinæ et deprædationis consilia prosequebantur. Ut igitur sanguisugæ sunt duæ filiæ, crudelitas et sanguinis sitis, quæ satiari nequeunt, sic pauperis oppressori duæ sunt dispositiones animi, *sævitia* et *avaritia* quæ nunquàm dicunt, *satis est;* sed perpetuò novas postulant gratificationes (3).

(1) Barbot in *Churchill*, vol. 5, p. 213, citatus in *Fragm.* ad Calmet. vol. 2, p. 95, *Hist. nat.*

(1) Hìc deest in auctore phrasis ista, quam supplendam contextus postulat: « *Absorbuit me quasi draco.* »
(2) Paxton, *Illustrat.* vol. 1, p. 364-367.
(3) Idem *Illustrat.* vol. 1, p. 334.

LIMAX.

Reptile hoc in duobus Anglicæ Bibliæ locis occurrit; sed impropriè in Lev. 11, 30, ubi Hebræa vox indubiè quoddam lacertæ genus indicat. Sapientissimus naturæ auctor, denegatis limaci pedibus unguibusque, quibus reptare et adrepere posset, ipsi modo pro vitæ genere commodiore in compensationem dedit crassam pellem secùs utrumque ventris latus, et undantem motionem quæ hâc in parte corporis conspicitur. Posteriore hoc limaces reptant; priore verò, additâ glutinosâ glareâ, quæ ex corpore emittitur, omnis generis superficiei firmiter et securè inhærent, partim glareæ suæ tenacitate, et partim atmosphæræ pressione (1). Sic limax, ut ait Paxton (2), sese propriâ suâ motione comminuit, quâcumque undulatione aliquid humidi sui succi retrò linquens; et eodem modo malorum actiones ipsis destructionis causa fiunt. Possunt quidem, ut limax, secum suum præsidium ferre, et in illud, imminente quolibet periculo, se recipere; possunt suis propriis opibus confidere et mali metum procul repellere; sed in ipsis agunt ruinæ principia, et quamvis tardè progrediantur, finis tamen certus est. S. Psalmista, duce Spiritu inspirationis, rogabat: *Quasi limax* (Vulgata *cera*) *quæ fluit*, *unusquisque eorum auferatur*, Ps. 57, 8; et Dominus respondebat: « *Convertentur peccatores in infernum*, *omnes gentes* « *quæ obliviscuntur Deum*. Ps. 9, 18. »

SECTIO TERTIA.

VERMES.

Animalia vermis generis à scientificis scriptoribus quasi prima in zoophytorum (3) classe ponuntur; cùm verò, velut serpentes reptando moventur, ita in genere sub communi reptilium appellatione complectuntur. Quanquàm tamen vermes, æquè ac serpentes, plerùmque pedibus careant, et in ventre super terram reptare existimentur, valdè tamen differunt eorum motus. Serpens, cùm sibi dorsalis spina sit quæ contrahi nequit, corpus suum in modum arcûs incurvat, et à caudâ prosilit; sed vermi sese ad libitum producendi contrahendive inest facultas. Secùs totum corpus, à capite ad caudam spiralis extenditur musculus, æneі staminis subsimilis baculo circumvoluti, quod, subtracto baculo, et uno extremo extenso et firmiter retento, alterum extremum ad se trahit. Hunc in modum terrestris vermis emisso vel extenso corpore firmiter inhæret ope glareæ anterioris suæ partis, sicque contrahit et adducit posteriorem partem et ita progreditur (4). Ex hoc movendi se modo vermis iste in hebræo *projector* vocatur.

Nihil in totâ naturali historiâ mirabilius occurrit quàm quod aliquando videtur in reptilibus vermis generis. Quidam ex ipsis, absque membris suis vivere possunt, eaque sæpè ipsi regenerant; quidam verò, licèt in duas secti partes, non desinunt tamen vivere, nobilioribus partibus vitam retinentibus, dùm cæteræ, quæ resectæ sunt, pereunt. Ast terrestris vermis, et cuncta zoophytorum familia separatis partibus vitam retinent, unumque animal, resectionis ope in duas distinctas existentias, et aliquando in mille dividitur. Plurima Spalanzani experimenta in terrestri vermi tentavit, quorum multa ipsi juxta spem successerunt, etsi cuncta tamen vitale principium in eodem firmitatis gradu non retinuerint. Quidam, statim ac in duas partes secti penitùs periêre; aliis vita tantùm in nobilioribus partibus superstes erat; dùmque caput vividum esset, cauda omninò mortua erat, et alia nova ab extremâ parte germinare videbatur: quod verò cæteris omnibus mirabilius est, in utrâque extremâ parte operandi supererat facultas; caput producebat caudam cum ano, intestinis, annulari musculo et aculeatis barbulis; cauda quoque ex alterâ parte, nobiliora organa proferre videbatur, et, ante elapsos tres menses, caput, cor et cæteros omnes apparatus et instrumenta generationis. Pars ista, ut facilè supponitur, longè priore lentiùs producebatur; novo capiti tres vel quatuor menses et ampliùs ad plenam perfectamque existentiam necessarii erant, dùm novæ caudæ vix idem hebdomadarum numerus requireretur. Sic duo animalia, sectionis ope, ab uno prodiebant, quodque suis cum separatis appetitibus, quodque vitâ et motu præditum, et apertè æquè ambo perfecta ac singulare animal ex quo originem ducebant! Singulare hoc factum signantissimum comparativæ organorum eorum imperfectionis argumentum exhibet, confirmareque videtur illorum inter *zoophyta* classificationem; quod nomen, ut animadvertimus superiùs vegetalem naturam animali vitâ donatam implicat.

Ut apertâ et clarissimâ luce exhiberetur hominis infirmitas et abjectio, sacri scriptores illum sæpè vilissimo huic reptili assimilant. Job, 25, 6; Ps. 20, 6.

In S. Marco, 9, 44, de vermi agitur qui non moritur, et de igne qui non exstinguitur; qui locus evidenter sumitur ex Isaiæ 66, 24, ubi loquitur propheta de pœnis infligendis iis qui in hâc vitâ emendari nolunt, eâ mente ut, juxta scriptorum Judæorum morem, alterius mundi judicium describat. Prætermissâ hâc circumstantiâ, quidam scriptores, qui contra futurarum pœnarum æternitatem arguerunt, improprio prorsùs et inexcusabili modo loci hujus sensum restrinxerunt. Reproborum sedes agro assimilatur quò projiciuntur cadavera, et à vermibus roduntur aut igne consumuntur. Ejusmodi erat eorum gehenna aut vallis Hennon, prope Jerusalem, quæ vallis odio et horrori habebatur, primùm ob sacrificia ibi in honorem Moloch oblata, et postea quòd facta fuerit commune sepulcrum. Clericus et alii quidam existimant ibi ad duas funebrium rituum species, *ustionem* scilicet et *sepulturam* alludi. Indè, ait episc. Lowth, vermes qui cadaveribus vescuntur, et ignis qui consumit victimas (1)

(1) Derham, à Parkhurst., Hebr. Lexic., citatus.
(2) *Illustr.* vol. 1, p. 335.
(3) Id est, substantiæ quæ animalis simul et vegetalis vitæ participes sunt.
(4) Goldsmith, *Hist. nat.*; *Nat. explicata*, vol. 1, p. 4; Derham, *Physico-Theol.*, vol., 1, cap. 1, notâ 1.

(1) Vide Bloomfield, *Recens. synopt.*, *Annot. sac.* vol. 2, p. 74.

CAPUT VI.

INSECTA.

Ex his gradatim quàm numerosa descendunt genera, quæ
microscopicum etiam oculum fugiunt! Tota natura vitâ scalet :
mirabilis animalium moles, vel organis instructi atomi
vitalem halitum expectabant, quando parens cœlum spiritum
suum flare juberet. (Thompson.)

Ex omnibus quæ à naturâ procreata longè numerosissima sunt insecta; cùmque variis reptandi, volandi, natandique facultatibus donentur, vix aliquis est locus quantùmlibet securus et remotus, ubi non inveniantur. In infimis naturæ animatæ ordinibus à naturalistis ponuntur; eorumque conformatio, instinctus et incredibilis numerus ejusmodi classificationis accurationem ostendere dicuntur.

Atverò in numerosâ hâc animatorum entium classe, numquid occurret nobis ullus casus in quo detegatur imperfectio? In omni prodigiosâ varietate quæ scorpionem inter et curculionem intercedit, certè nobis patebit in insectorum structurâ, copiosa exquisitissimæ artis demonstratio; et si microscopii ope inquisitiones nostras infra producamus per munitissimum hunc entium ordinem, donec ad hæc invisibilia animalcula perveniamus quæ millies vigesies millies exiliora curculione ipsâ reputantur, eadem sapientiæ et consilii in quâlibet gradatione argumenta occurrunt, et quælibet imperfectionis ideæ removentur (1).

Minimè igitur mirum est quòd adeò sedulus et accuratus in opera naturæ inquisitor, clarissimus D. Boyle animadvertat se minùs in majoribus naturæ horologiis quàm in ejus *manualibus horologiis* (Gallicè *montres*) admiratione moveri. Pluribus in insectorum speciebus antea humano oculo invisibilibus facilè detegitur, boni telescopii ope, externa eorum orium apparentia, cornua, proboscides, et cætera membra, sed et ipse cordis et pulmonum motus! Cùm igitur exilia hæc animalia, corpora inveniantur organis instructa, quàm tenues subtilesque esse debent plurimæ partes quibus componuntur! Quàm difficilè concipitur summa musculorum tenuitas ad motum cordis necessariorum, glandularumque ad secretionem humorum, stomachi et viscerum ad ciborum concoctionem, exilitas quoque calamorum, nervorum, arteriarum, venarum, et præsertim sanguinis, lymphæ et animalium spirituum, quæ longè magis adhuc quàm quodlibet ex istis exiliora esse necesse est! Hìc quantacumque tentet et enitatur mens, adæquatæ semper perceptionis impotens manet. Hæc autem supra captum mentis miracula, nedùm ullam quoad artificis peritiam imperfectionis ideam suppeditent, varios è contra, juxta id quod apparent, in attenti spectatoris mente motus elicere debent, ipseque clamare cogitur : *Tu verò, quàm mirabilis!*

Minutorum quorumdam horum animalium pulchritudo et symmetria, eo modo conspecta, verè mirabilis est. Quam ergo metamorphosim sub magicâ vitri actione subire videntur! Quæ anteà exilia et despicienda videbantur, nunc naturæ decus apparent, in quod exquisitiorem et perfectiorem artem contulit, colorumque effusiùs divitem picturam, speciosiorem elegantiam et ornatum, quàm in ullam ex majoribus animalium speciebus profudit. Imò ipse pulvis qui papilionis alis inhæret, et cui pulcherrimos et variegatos quibus adornatur colores debet, innumerabilis dicitur tenuissimarum plumarum collectio, non minùs in structurâ et compositionis symmetriâ perfectarum quàm in coloribus speciosarum.

Præterea, ea ipsa quæ in insectis quasi imperfectionis signa afferuntur, videlicet quòd aliquantisper vivere queant cùm organa ad vitam in altioribus ordinibus necessaria amiserunt; et quòd incredibilis sit eorum multitudo, magis in partem oppositæ sententiæ momenta sunt habenda. Prius quidem haud dubiè omninò necessarium est ad servandas species quæ tot casibus obnoxiæ sunt, quales sunt eæ præsertim quæ sanguine pascuntur, nec vesci idcircò possunt, quin inimicis suis notam faciant præsentiam suam; posterius verò ad impediendam exstinctionem gentis brevi viventis, quæ ad vitam prodit eo ipso tempore quo multa ora ad eam devorandam parata sunt.

Præter ambas has insectorum tribuum characteristicas distinctiones, etsi ab imperfectioribus cæcultantium mortalium facultatibus imperfectiones habeantur, probabile est, in antiquissimis ætatibus quasdam ex his exquisitis naturæ peritiæ partibus à creatione abscessisse, et deficientibus his connexionis vinculis, totam pulcherrimam universi orbis fabricam in eo fuisse, ut jamjam corrueret. Nam quantùmvis contemptibilia videri possint minuta hæc et imperceptibilia, sic loquitur de iis Philosophia : Quodque reptile insectum magni momenti locum in ejus consilio tenet qui totam entium scalam confinxit; locum tenet, quo amisso, frangeretur vinculum, et rima maneret cujus ipsam naturam pœniteret.

Nedùm igitur hunc peculiarem creaturarum omnipotentis Dei, in remotissimo gradu, stigmare præsumamus, quasi imperfectionis signa afferret, nos potiùs, his consideratis, accutissimi Swammerdam verba adoptemus : Attentè consideratis, ait ille, tenuissimorum æquè ac amplissimorum animalium naturâ et anatomiâ, non possum non prioribus æqualem, vel fortè majorem dignitatis gradum concedere. Si, dùm sedulò ampliora animalia dissecamus, admirationem nobis movet elegans eorum partium dispositio, quantò majori affici debemus admiratione, cùm easdem illas omnes partes in eodem concinno ordine, apud etiam tenuissima compositas

(1) Artis defectus ope microscopii facilè deteguntur; sed quò strictiùs opera naturæ hujus instrumenti ope inquirimus et scrutamur, eò magis inimitabilis artificis patet perfectio. Per hoc vitrum conspectus tenuissimus acus, quàm politissimus, obtusum asperumque acumen oculis offert; sed aspis aculeus, quantùmvis magnificatus, acuminis semper totam retinet tenuitatem.

delegimus! Atque, ut materiam in verbis alterius naturalistæ recapitulemus (1), ex hoc discursu id tantùm notare necesse est, Creatoris sapientiam ita in cunctis ejus operibus elucere, et adeò mirabilem in cujusque creaturæ corporis machinâ artem detegi, ut difficillimum, si non impossibile, dicere sit ubi magis, vel ubi minùs eluceat.

Jam de Mosaicâ in munda et in immunda insecta divisione egimus, ad quam lectorem remittimus. (Vide Introductionem nostram, sub titulo *Reptilia* et *Insecta.*)

SECTIO PRIMA.

INSECTA PENNIS DESTITUTA.

SCORPIO.

De hoc generaliter convenit, vocem Hebræam *akreb* scorpionem designare, qui maximum est insectorum et malignantissimum. Astaco in generali suâ apparentiâ subsimilis est, sed multò horridior. Qui in Europâ inveniuntur scorpiones, quatuor rarò uncias in longitudinem excedunt, sed sub tropicis non infrequenter duodecim unciis longi occurrunt.

Pauca sunt adeò formidanda animalia, nec ullum scorpione iracundius; sed pro humani generis bono, suî ipsius speciei æquè ac aliorum animalium destructor est. Asserit Goldsmith centum ferè scorpiones in eodem vitreo vase à Maupertio inclusos fuisse; vixque in contactum venerant, cùm totam suam rabiem in mutuam destructionem exerere cœperunt, ita ut paucos post dies quatuordecim tantùm superstites essent, qui reliquos omnes occiderant, devoraveruntque. At illorum malignitas magis adhuc patet ex eorum in fœtus suos crudelitate. Ipse feminam scorpionem fœtam in vitreo vase inclusit, quæ pullos suos statim ac emissos vorare visa est; unus tantùm generali ex ruinâ evasit, cùm in parentis dorsum confugisset, moxque postea fratrum causam vindicavit, vice sua veterem scorpionem occidendo. Adeò terribilis est insecti hujus natura! Quinimò traditum est illos, ubi in quoddam discrimen incidere unde sese eximendi nulla patet via, sibi aculeo mortem inferre. Pro certo, ait D. Taylor, scorpionum mentionem meritò facit Moyses inter pericula solitudinis, Deut. 8, 15. Et quid nobis videbitur de periculosâ Ezechielis conditione qui inter scorpiones, gentem æquè iracundam ac terribile hoc insectum, habitare dicitur? Nec accuratiorem seligere oppositionem poterat Dominus noster: *Si* (filius patrem) *petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?* cap. 12, v. 11-12.

Atverò Scripturæ locus in quo scorpio ampliùs describitur adest, Apoc. 9, 3-10, ubi notandum est hujus insecti aculeum non mortem illaturum, sed cruciatum, et ita intensum, ut miseri patientes mortem quærerent et appeterent, magis quàm cruciatibus ejus sese submitterent. Statuit doctor Shaw scorpionis aculeum non esse semper lethalem; cùm virus malignitas illorum corporis staturæ et complexioni consentanea sit (2). Cruciatus quo homo à scorpione percussus afficitur, ita à Dioscoride describitur, ut citatur à D. Taylor: Percussa à scorpione pars corporis succensa fit et obdurata, tensione rubescit, interdùm crucians, nunc gelida, nunc verò urens. Mox augescit dolor, et aliquando plùs, aliquando minùs urget. Succedit sudor quem suscipit tremor et trepidatio; extrema corporis frigescunt, intumescit inguen, intestina ventum suum emittunt, horrent capilli, pallescunt membra, et cutis in toto corpore perpetuâ quasi acuum puncturâ afficitur, lib. 7, cap. 7.

Discipulis suis Dominus noster potestatem dedit ambulandi super terribilia hæc animalia et ab iis omnem nocendi facultatem auferendi, Luc. 10, 19.

Notare necesse est de oppositione à Domino nostro scorpionem inter et ovum institutâ, insecti hujus corpus ovi simillimum esse; et præcipuè *albi generis* corpus, quæ prima est species, cujus ab Æliano, Avicennâ et aliis mentio fiat; ostenditque Bochartus scorpiones Judææ ovi circiter staturam habuisse.

Flagellis aliquando utebantur Judæi quæ, ob cruciatus quorum causa erant, scorpiones dicebantur. Ad illa, ut probabile est, superbus Roboam alludebat, quandò in gravescentem domui Israel oppressionem comminabatur, 3 Reg. 12, 11.

ARANEA.

In tenebroso loco latens scelesta vivit Aranea, callida et ferox;
horrida mixtio! Inter mutilorum cadaverum acervos, in speculâ vigil
stat, undantia sua retia circumspiciens. Quotiescumque
formidabilem propè cellam impavidus transit concursator, totiès
scelerata frontem prodit: prædâ tandem retibus irretitâ, ipsa
rapido impetu secùs inhærentem lineam tremenda irruit; *infixisque*
in miseram sævis dentibus, retrò ferit horridâ voluptate gaudens.

(THOMPSON.)

His in lineis poeta fastidiosum notissimi hujus insecti characterem accuratissimè describit. Cùm ad rapacem vitam nata sit aranea, neque de alio pabulo quàm insectis vesci possit, cunctæ ejus propensiones in fraudibus et dolis versantur. Telas expandit ad irretiendam prædam; patientiâ prædita est ad exspectandum adventum ejus; armis et viribus ad illam, ubi in retibus illapsa est, destruendam, instructa est.

His in regionibus, ubi cuncta insecta humanâ industriâ comprimuntur, araneæ parvæ tantùm sunt et innoxiæ; in aliis verò orbis partibus terribiles sunt et formidandæ. Unam describit Burkhardt (1), quam juxta montem Sinai occisam vidit, quasi quatuor ferè unciis cum dimidiâ longam, cujus corpus tribus unciis erat. Ex utroque latere quinque ipsi longa crura erant, ut et corpus, setis leviter flavescenti colore cooperta. Caput longum erat et acutum, ingentes oculi nigri,

(1) Bar, in suâ *Buffonis Continuatione.*
(2) *Itin.*, vol. 1, p. 346.

(1) *Itin. in Syriam*, etc., p. 598.

osque duplici dentium superpositorum, acutissimorum aduncorumque pari instructum. Genus hoc aranearum maximè horrent Beduini, morsusque earum, juxta ipsos, si non semper lethalis, magnum saltem tumorem, ferè instantes vomitus et excruciantem dolorem affert.

Bis tantùm araneæ in Scripturâ mentio fit, et in utroque loco sacri scriptores ad agendi modum et sortem impiorum alludunt. Prior locus in quo occurrit est Job, 8, 14-15, ubi denuntiatur hypocritæ pœna, *cujus spes auferetur, et sicut tela aranearum fiducia ejus. Innitetur super domum suam, et non stabit; fulciet eam et non sustinebit.* Proverbialis allusio, ait D. Good, et ita eximia, ut nulla concipi possit figura quâ strictiùs vehementiùsque describatur summa spei et prosperitatis impiorum vanitas (1). Locum hunc nondùm rectè intellectum fuisse existimat ille scriptor, et idcircò, licèt mille varios in modos versum, nondùm satis accuratè translatum esse. Translationem ejus et notæ partem subjungere libet : *Numquid vivere potest scirpus* (vel papyrus) *absque humore* (vel luto)? *Numquid crescere potest carectum sinè aquâ? Cùm adhuc sit in flore* (vel cùm adhuc medio sit in virore) *nec carpatur, ante omnes herbas arescit. Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. Sic computrescet sustentaculum ejus, et opus araneæ erit fiducia ejus : et innitetur super domum suam, et ipsa non stabit; illi adhærescet, sed ipsa non sustinebit,* Job. 8, 11 et seq.

Qui loquitur, similitudines suas producit, et ad integram loci pulchritudinem refert ut illum in eo evolvendo sequamur. Sicut jurulentarum harum plantarum succus ante aliarum succum evanescit, ita perit hypocritæ fiducia; et sicut lutum et stagnans aqua, unde suum sustentaculum sumunt, nedùm salubre suum nutrimentum incessanter præstet, computrescit, intolerabilemque cœtorem emittit, ita et computrescet hypocritæ sustentaculum; in vacuum dissolvetur, evanescendoque ipsi nauseam movebit.

Alter locus est apud Isaiam 59, 5, 6 : *Ova aspidum rumpunt, et telas araneæ texunt.... ; telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum opera sunt iniquitatis, et actus violentæ in manibus eorum.* Quo involvit characteris sui deformitatem dolosum velum brevi tantùm stabit tempore; sicut araneæ tela, mox abripietur, et fastidiosa ejus forma omnium oculis patebit. In ipsis domûs hujus ruinis peribit quam tantâ curâ exstruxit, et ubi in fatali securitate quiescit.

Interpretes nostri araneam invenerunt in Prov. 30, 28; sed accuratior est opinio Bocharti existimantis ibi lacertæ minoris speciem significari. In regiis palatiis reperiendam dicit divinitùs afflatus scriptor, Belloniusque de lacertæ specie loquitur, quæ intra domorum parietes irrepit, muscasque apprehendit; et à Græcis dicitur σαμιαμάτον, quod nomen proximè ad Hebræum *sammiath*, quod hic usurpatur, accedit. Loquitur Plinius de *stillione*, quasi in foribus, fenestris et conclavibus immoranti (sanctus); verò Augustinus quasi de domestico animali. Parvularum cinerearum lacertarum numerus (lacerta agilis Linn.) ait Sonnini, hominum ad habitacula accedere delectabatur. Videndæ sunt in parietibus, et etiam intra domos; ista species per totam Ægyptum communis est; et ibi dicitur *bourse.* Sacrum est animal apud Turcas et Ægyptios, et veneratio quâ illud prosequuntur haud dubiè cum hujus hospitalitatis (1) exercitio quæ nunc in Oriente generaliter adoptatur, connexa est.

(1) *Translatio libri* Job, notâ, in loco.

PULEX.

Parvulum hoc despiciendum et sanguinem sitiens animal notissimum est in quâlibet orbis terrarum parte, assumptumque est ab exagitato filio Jesse in signum similitudinis ad reprobandam irati regis Israel stultitiam, 1 Reg. 24, 14; 26, 20. Idea hæc esse videtur, scilicet, cùm tantâ operâ quem persequitur apprehenderit Saül, victoriam illam parùm ipsi commodi allaturam.

PEDICULUS.

Una ex plagis quas in terram Ægypti attulit obstinata et iniqua oppressio quâ filii Israel à Pharaone afficiebantur, causam habuit examina *cenim,* qui *pediculi* à Josepho, Rabbinis et plerisque recentis ævi commentatorum, in quorum confirmandam opinionem multa et ingenti arte et doctrinâ stabilita argumenta adduxerunt Bochartus (2) et Bryant (3), redduntur. Ex alterâ parte Septuaginta, qui in Ægypto commorati sunt, et, ut supponendum est, quibus notum magis esse debuit, quàm nobis præsumere licet, quid Hebraicâ voce intenderetur, verterunt *culices;* eorumque interpretatio à Philone ipso, qui Judæus Alexandrinus, et ab Origene (4), qui Pater christianus fuit, et Alexandriæ quoque commorabatur, confirmatur. Illos hic ut pennata insecta describit, sed adeò exilia, ut oculum nisi acutissimum fugiant, additque illos, ubi corpori adhærent, illud acutissimo et excruciantissimo aculeo pungere. Doctor Geddes, qui pro hâc sententiâ stat, animadvertit Bocharto et Bryant adeò confidenter ad Syriacas, Chaldaicasque versiones non appellandum fuisse, quasi pro suâ parte militarent; vox enim quâ utuntur, absque sufficienti ratione redditur *pediculus* in Polyglottâ et à Buxtorfio. Ex Bar Bahlul, Syriacorum lexicographorum facilè principe discimus respondentem Syriacam vocem *animalcula palpebris inimica* denotare; nec dubium quin Chaldaica eumdem sensum habeat.

Notandum est, ait D. Taylor, cuncta miracula quæ in Ægypto perfecta sunt præcipuè, si non omninò ad aquam et aerem referri. Culices utriusque essent mixtio, cùm in aquâ generentur; citatisque pluribus scriptoribus, qui de cruciatu quem affert hujus insecti morsus, et de ingenti copiâ quæ eorum in Ægypto et quibusdam Orientis partibus occurrit, loquuntur, ipse

(1) *Itin.*, vol. 3, p. 508, ut citatur in Harris *Hist. nat.*, p. 353.
(2) *Jerosol.*, p. 2, 1, 4, cap. 18.
(3) *Plagæ Ægypti*, p. 56 et seq.
(4) Vide loca apud Bochartum.

concludit hæc notando : Ex his expositis judicabit lector utrùm culex non possit esse Hebræum *cenim;* cùm enim sit pennis instructus, sese æquè super regionem aut gentem ac super pagum aut urbem extendere potest, et æquè pecoribus ac hominibus tremendus foret. Insuper *sciniphi* aut *zimb* accuratissimè anteire videtur (1).

Isaias, 52, 6, in versione nostrâ redditur : *Ipsi* (habitatores terræ) *eodem modo interibunt;* quæ versio vim et pulchritudinem sensùs à prophetâ intenti evertit. Meliùs verti potest : *Terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut culex interibunt.* Profectò, ephemera quarumdam culicum specierum vita, ut observat Geddes, accuratior esse potest humanæ vitæ brevitatis figura quàm incertissima vitæ pediculi duratio; prætereà minùs ignobilis figura foret, et rei dignitati magis consentanea.

SECTIO SECUNDA.

PENNATA INSECTA.

Sylvarum rami quos innumeros agitant auræ ludentes, humilia virgulta, et liquescentes maturi fructûs pulpæ, innominabiles alunt insectorum evanescentium gentes.

MUSCA.

Recensuit Bochartus in Hebræis Scripturis vel antiquis versionibus septem insectorum species, quas inter muscas, *zebul*, reponit; sed cùm plurimarum ex ipsis in suis propriis locis mentio fiet, eas hìc non recensebimus.

Una ex plagis in inemendabiles Ægyptios emissis muscarum examen constitit; Exod. 8, 21, 24. Originalis usurpata vox est *oreb*, quam Septuaginta vertunt *κυνόμυια*, *musca canina*, quos secutus est doctissimus Bochartus et plerique recentioris ævi interpretes. Insecti hujus, qualis, in Æthiopiâ invenitur, D. Bruce exclusivè descriptio debetur. Vocatur *zimb*, et in staturâ paulò majus api, exilioris est formæ, pennæque ejus, quæ pennis apis latiores sunt, quasi pennæ muscæ separantur : mera *gaza* sunt, absque ullis colore vel maculis. Amplum est caput, superior maxilla, vel labium, acuminata est, et in extremâ parte villum habet, cui firmum est acumen, quarta ferè unciæ parte longum; inferiori maxillæ duo sunt ejusmodi acuminati villi; illeque villorum penicillus, digito tangenti resistit, eodem ferè modo quo firma porci seta. Crura intra sunt serrata, et omninò fusco villo aut lanugine cooperiuntur.... Statim ac istæ *muscæ* apparent et earum susurrus auditur, cuncta pecora pabulum suum obliviscuntur et hùc illùcque per campos currentia vagantur, donec labore, tremore fameque consumpta intereant.

Camelus ipse sustinere nequit violentos morsus quos ipsi acutâ suâ proboscide infigit musca; et absque morâ ipsi recedendum est ad arenas Albara; simul enim atque impetitus fuerit, totum corpus ejus, caput et crura in ingentia tubera turgescunt, quæ tumescunt, rumpuntur, putrefiuntque, in certum ipsius exitium. Quinimò elephantus et rhinoceros sese in cœno lutoque volvere coguntur, quo, ubi siccatum fuerit, quasi armatu proteguntur, et contra pennatum percussorem obniti possunt.

Ex iis omnibus qui de his regionibus scripserunt, ait D. Bruce, solus Isaias propheta hujus animalis ejusque agendi modi mentionem fecit, cap. 7, v. 18-19 : *Et erit in die illâ : sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti..., et venient, et requiescent omnes in desolatis vallibus et in cavernis petrarum, et super omnibus spinis et super omnibus rubis.* Id est, pecoribus solitam suam ad desertum viam intercludent, occupatis iis locis, ibique ipsæ congregatæ quò nunquàm venire solitæ erant, et quò idcircò pecora confugiebant.

Plagarum quas Deus per manus Moysis Pharaoni irrogavit narrationem legere nequimus, quin aliquantisper stemus in considerandâ peculiari quâdam et valdè præcipuâ ad hanc muscarum plagam pertinente circumstantiâ. Exod. 8, 20, etc., eo ipso temporis momento, et hujus generis insectorum ope dixit se Deus divisionem inter populum suum et Ægyptios positurum; lexque ipsis data fuisse videtur quâ fines habitationis eorum constituerentur. Notissimum est, ut jam pluries dixi, terram Gosken, aut Gessen, quæ erat possessio Israelitarum, pascuis abundare, nec arari aut seri, eò quòd Nili aquis non superflueretur. Regio autem quæ Nili undis superfluebatur, nigra erat vallis Ægypti terra, et in eâ muscas concluserat Deus; *illud enim*, ait ille, *erit signum hujus divisionis populi, quam ipse perfecit, quòd nulla musca videbitur in arenâ; seu terrâ pascuâ,* id est, terrâ Gessen; et reipsâ, terra hæc semper posteà omnium pecorum recessus fuit, quæ à nigrâ terrâ ad humiliorem Albara partem emigrabant. Isaias quidem ait muscas fore in omnibus desertis locis, et consequenter in arenosis; hæc tamen erat peculiaris Providentiæ dispensatio, ad specialem finem, Ægypti scilicet desolationem; nec quidem generalis legis abrogatio, sed ipsius confirmatio, exceptio scilicet ad peculiarem finem et definitum tempus.

Versio Chaldaica tantùm illud animal *zebub* vocat, quod muscam in genere significat, ut et nos Anglicè dicimus. Arabes illud vocant *zimb* in suâ versione, quæ generalem eumdem sensum habet. In Æthiopicâ versione dicitur *tsaltsalya*, quod genuinum est specialis hujus muscæ nomen in Geez; et idem erat in Hebræo (1).

Res est notissima Ægyptios divino cultu plures muscarum et insectorum species prosequi; unde, ut ostendit doctissimus Bryant, peculiaris accedit proprietas judicio quod in ipsos muscarum plagâ Deus exercuit, cùm inflicta ipsis fuerit pœna iisdem rebus quas reverebantur, et quas nullæ maleficorum sacerdotumque cantiones aut magica carmina ullo modo propitiare potuerunt.

Inter ridicula idola quæ Chanaanitæ divinis honoribus afficiebant, *Beelzebud, Deus muscarum* locum habuisse patet, quippe cui in temporibus historiæ veteris Testamenti celeberrimum erat Accaron templum et oraculum, 4 Reg. 1. Nomen istud posteà usurpârunt

(1) *Fragmenta*, vol. 2, *Hist. nat.*, p. 118.

(1) *Itin.* Bruce, vol. 5, p. 5, et alibi.

Judæi ad designandum *principem dæmoniorum* (1), Matth. 10, 24, etc.

Apud Osee, 4, 16, legitur Israel *declinans sicut vacca lasciviens*, ubi vox originalis propriè denotat vaccam quæ à tabano vel alio insecto puncta fuit, et intendit ad hos salutis recessus, quò in ejusmodi circumstantiis animal confugit.

CRABRO.

Vorace hoc et destructore insecto usus est Dominus ad hostes Israel à terrâ promissâ amovendos, Exod. 23, 38; Deut. 7, 20; Jos. 24, 12. In Hebraicis Scripturis dicitur *tzeroeh*, cujus vocis radix in linguâ non occurrit, sed idem probabiliter est ac Arabicum *saraah, dejicere*, vel prosternere, et idcircò accurata est crabronis descriptio. Loca hæc sensu metaphorico à pluribus commentatoribus intelliguntur, quasi designarent Dei terrorem, vel aliquam conspicuam calamitatem, cui regionem ante copias Israel vastare mandavisset, eâ opinione quòd hujus speciei insectum omninò ad perficiendum tale consilium impar existeret. Sed nulla nobis patet à litterali textuum interpretatione recedendi necessitas. Insectum enim istud, quod ad crabronis speciem pertinet, et de vespæ genere est, voracissimum est, et pro corpore valentissimum, quod generaliter unciâ longum est; quanquàm D. Clarke asserit se quædam unciâ cum dimidiâ longa vidisse, et adeò valentia ut cùm unum ejus generis tenui forcipe apprehendisset, istud pluries violentis contorsionibus aufugerit, ita ut tandem omnem illud vivum retinendi, ut ardenter cupiebat, spem amittere coactus fuerit. Quanta calamitas, quantaque desolatio afferri posset ab ejusmodi insectorum multitudine, nemo non conjicit, ait ille clarissimus scriptor; imò unius alvei apes mille viros stultitiâ percutere possunt; sed quantò pejores esse debent vespæ et crabrones! Neque arma, neque gladius contra ipsos prodesse possunt. Pauca eorum millia sat omninò multa forent ut optimâ disciplinâ exercitatum exercitum in confusionem et fugam projicerent (2).

Veteres multi auctores testantur gentes integras è suâ regione expulsas fuisse à variis insectorum generibus; et, quod peculiari modo ad propositum nostrum attinet, juxta Ælianum (3), Phaseliani, qui gens erant à Chanaanitis oriunda, et juxta montes Solymæ commorabantur, è regione suâ à vespis (4) expulsi fuerunt.

CULEX.

De insecto hoc in S. Matth. 23, 24, tantùm mentio fit; Bochartusque in eo insudavit ut probaret voce Græcâ genus insecti designari quod in vini fæcibus exoritur, et postea semper in acidis, dulcia fugiens, vivit. Ita res se habere potest; sed à plurimis statutum est scriptoribus numerosissimos in Oriente culices esse, et in vinum, nisi sedulâ curâ coopertum fuerit, delabi paratissimos. Hoc nobis adjumento esse potest ad intelligendum locum ad quem intendimus, ubi evidenter oppositio ponitur inter culicem quem hypocritæ sanctitatis professores excolare, et camelum, quem deglutire dicuntur.

(1) Harris, *Hist. nat.*, p. 142.
(2) D. A. Clarke, *Comment.*, in loco.
(3) Lib. 11, cap. 28.
(4) Vide Bochart., lib. 2, cap. 13.

Præter hæc quæ jam à nobis de hoc textu dicta sunt superiùs, animadvertere licet D. Bowyer notam, in quâ rationes discutit quibus stabilire conatur *excolare* adulterationem esse genuini textûs, à D. Nichols satis accuratè ponderatam confutatamque. Ista nota in Bibliâ archiep. Parker invenitur; et idcircò in subsequentibus editionibus, *excolure* typographicum est erratum. D. Bowyer vocem originalem vertit (obscurum per obscurius) *dissubstantiare;* vocem *excolare* rejicit (quæ D. Campbell insolitè sonabat, et nullâ stare auctoritate videbatur), observans etiam *excolare culicem* aut impedire ne in liquorem pertransiret, sibi contradictionem in terminis videri; et ita mihi quoque videtur, ait D. Bloomfield. Atverò is non est vocis *excolare sensus*. D. Bowyer aliam proponit vocem quæ non ita propria apparet. Insolentia de quâ conqueritur doctor Campbell non oritur ex Anglicâ phrasi, ut criticus ad quem modo retulimus ostendit, sed ipsi textui originali inhæret cujus sensus est simpliciter *liquorem quemdam percolare*, eo animo ut solidæ particulæ ab eo separentur. Sic apud classicos scriptores sæpè usurpatur, et in Amos, 6-6, juxta Septuag. versionem. Bis in veteri Testamento impropriè de opere liquefaciendi metalli vel liquefactum expurgandi usurpatur. His in cunctis casibus vox ista *liquori* tantùm colando vel expurgando applicatur, nunquàm verò de solidâ materiâ in liquido sumitur. At in loco de quo nunc agitur, res ita se non habet. Vocem igitur intelligere possumus, eam tantùm quasi vocem *prægnantem* habentes, et videre quid significet. Significat igitur *colare* (liquorem), ita ut culices amoveri ab eo et excuti possint. Itaque quilibet vocem hanc per simplicem ullius alterius linguæ terminum vertendi conatus, originalis textûs obscuritatis particeps esse debet; quod ut avertatur circumlocutione uti necesse est. Attamen molestæ sunt ejusmodi circumlocutiones; ut exempli gratiâ, quæ à doctore Campbell datur: *Qui liquorem vestrum colatis ne culicem glutiatis. Excolare culices* igitur, quod satis intellectu facile est, retineri potest. D. Bloomfield vertendum proponit; *excolare culices et camelos glutire*, observans, quod ad præsentem locum attinet (nec infrequenter), vim articuli, quo totum animalis genus denotatur (1), etc.

Septuaginta, Sapientia, Philo, Origenes et Hieronymus insecta quibus producta est plaga quæ dicitur *pediculorum* (Exod. 8, 16) potiùs *culices* esse existimant.

TINEA.

Argentea tinea tenebris delectatur.

De hoc insecto in pluribus Scripturæ locis agitur, exhibeturque sive ut vastationem inferens, sive ut strictissimum humanæ vitæ velocis transitûs et fragi-

(1) *Recensio synopt. annot. sacr.*, in loco.

litatis symbolum. Hominem ob suam parvitatem et vitæ suæ brevitatem, vermi vel insecto assimilare sacris Scripturis vulgare est; sed in nullâ earum parte, nec in quibuslibet aliis scriptis metaphora tam latè applicatur et mirabiliter suscipitur quàm in libro Job. Sic in monitis Eliphaz ad reverendum patriarcham : *Quid igitur de iis qui habitant domos luteas, quorum fundamentum est in pulvere? Deficiunt antè tineam*, Job. 4, 19. Ad eumdem finem, Dei judicia deprecans, Psalmista ait: *Amove à me plagas tuas. Ego consumptus sum ictu manûs tuæ. Quandò in increpationibus pro iniquitate corripis hominem, desiderabilia ejus tanquàm tinea consumuntur : verumtamen vanitas omnis homo*, Selah., Ps. 38, 11, 12.

His in locis idea esse videtur quòd, sicut tinea in pulvere, si vel levissimè prematur aut lenissimè tangatur, conteritur; ita homo facilè dissolvitur et in tenebras evanescit, sub digito Omnipotentis.

Quàm sublimis est sensus, et quàm significantia verba in sequentibus locis, commentario opus non est. *Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos*, Isai. 50, 9. *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Justitia autem mea in sempiternum erit, et salus mea in generationes generationum*, cap. 51, 7, 8.

In Job. 27, 18, alia occurrit notanda ad insectum hoc relatio. Loquens de pauperis oppressoribus, afflictus patriarcha ait : *Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum*; id est, structurâ et materie infirmam, brevi tempore duraturam, et æquè vel tempestati vel imbribus resistendi imparem. Sic in cap. 8, 14 : *Spes ejus auferetur, et sicut tela aranearum fiducia ejus.*

Genus phalenæ aut tinea dividitur in tineam ligni et tineam vestium; ad posteriorem hanc in his locis directè alludi generaliter supponitur. Dubium est; sed de hâc quæstione non magni refert. Domus ad quam hìc intenditur ea est quam sibi in suâ larvâ aut erucæ statu providit insectum, ad temporariam mansionem per mirabilem suam à chrysalide in pennatum aut perfectum insectum mutationem. Mansionis hujus tenuitas iis omnibus notissima est qui vel ad visendas bombycis operationes vel ad species arboribus regionum nostrarum indigenas attenderunt. Ex istis quædam solitariam habitationem construunt, dùm alia gregatim, ingentique numero, sub communi textili, summâ curâ ordinato, commorantur. Vestium tineæ textile ex ipsâ vestis in quâ quiescit substantiâ constat, quæ ad hoc consilium devorata est et postea in tabularem thecam, extremis apertis, et generaliter ad vestis quâ vermis alitur colorem accedentem elaborata (1).

Inter injunctiones quas Salvator noster mentibus discipulorum suorum in inimitabili sermone in monte, apud Matth. 6, insculpsit, una occurrit quâ ad insatiabilem tineæ voracitatem intenditur : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo et tinea demolitur*, vers. 19. Destructio quæ à tineis fit in laneis vestibus in nostrâ regione cuique ferè notissima est; sed in Oriente variæ sunt insecti hujus species et quædam naturâ affines quarum vastationum imperfectissimam tantùm animo ideam concipere possumus (1).

(1) Good, *Translatio lib. Job*, notæ, in loco.

APIS.

Creaturæ, quæ naturali regulâ, ordinis exercitium
frequens populo regnum docent. Ipsis sunt rex et varii
generis duces;
ubi quidam, ut magistratus, domi corrigunt; alii, ut
mercatores latè procul negotiari audent; alii, ut
milites, aculeis instructi, in æstivis floribus prædam
agunt,
quam prædam læto gradu ad imperatoris sui regale
tabernaculum deferunt, qui in suâ majestate occupatus
advigilat structoribus, aurea canendo tecta ædificantibus,
civibusque mel suum pinsantibus, et miseris bajulis qui,
gravibus oneribus oppressi, in angustâ suâ portâ densantur;
nec non et gravi oculo justitiæ quæ, severo susurro,
executoris
palo ignavè oscitantem fucum dimittit.

(Shaskpeare.)

Hoc in loco magnus noster poeta mirabili modo industriorum illorum, utilium, notissimorumque insectorum communitatis leges et ordinem descripsit. Cùm verò extremum etiam historiæ naturalis apis ambitum delineandum attentare, majus spatium requireret quàm integro huic articulo concedi potest, lector idcircò ad alia opera remittendus est, nobisque procedendum ad notanda illa Scripturæ loca, ubi de api agitur, et quæ elucidationem postulant (2).

In Jud. 14, 8, narratur Samsonem, inspecto leonis à se aliquantò ante occisi cadavere, examen apum invenisse quæ in eo sedem suam collocârant. Hanc notamus circumstantiam eo quòd Aristotelis et aliorum clarissimorum naturalistarum opinioni contradicere supponitur qui asserunt apes cadaveribus insidere unquàm nolle, vel carnem tangere; easque in loco immundo sedem ponere nunquàm velle, nec in ullâ re quæ insuavem odorem emittit. Discrimen tamen inter hanc opinionem et sacri scriptoris narrationem apparens tantùm est. Frequens occurrens phrasis, *post aliquot dies*, quæ in textu introducta est, ostendit rem de quâ agitur diù post leonis mortem locum habuisse, cujus cadaver, cùm bestiis et rapacibus avibus objectum remansisset, et fervido solis æstu, in merum sceletum redactum erat et putrido quolibet effluvio exutum. Quòd apes in aridis ossibus examina condiderint nobis adest Herodoti (3), Serani et Aldrovandi (4) testimonium. Enimverò cùm ossa, naturâ

(1) Vide artic. *Formica.*
(2) Apud Goldsmith valdè conspicua est apis relatio; maximè verò peculiaris et anecdotica continetur in *Bibliothecâ ludicræ notitiæ, Insectorum architectura.*
(3) Lib. 5, cap. 114.
(4) *Insect.*, lib. 1, p. 110.

suâ, ubi semel arida, aridissima sunt, nihil jam amplius contra talem mansionis sedem quàm contra eamdem inter rupes et lapides dicendum est.

Quidam scriptores contenderunt apes auditu esse destitutas, sed nullo prorsùs fundamento stat eorum opinio. Hoc, si qua necessaria foret probatio, ex sequenti prædictione pateret: *Et erit in die illâ : sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api, quæ est in terrâ Assur*, Is. 7, 18. Allusio quam involvit textus iste, ad morem intendit apes è suis alveis ad suum in agris laborem sibilo vocandi, iisque reditum præcipiendi, quandò cœlum desidere, aut vespertinæ umbræ cadere incipiunt. Eo modo comminatur Dominus se hostes Juda suscitaturum, et in prædam ducturum. Quantumvis latè sparsi, et procul à loco actionis remoti, vocem ejus audient, et ut apis veloces quæ domini sui vocem agnoscere, et ei vocanti obedire didicit, copias suas congregabunt; et quamvis debiles et minimè metuendi, quasi examen apum in superbi et infatuati populi existimatione, ipsi tamen vi irresistibili venient, et divitem pulcherrimamque regionem à pavidis suis habitatoribus derelictam occupabunt (1).

Moysis allusio ad aggressionem Amorrhæorum, quæ relationem involvit ad irascibilem et injuriam persequentissimum apis animum, justa simul et pulcherrima est: *Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens; persecutus est vos, sicut solent apes persequi, et cecidit de Seir usquè Horma*, Deut. 1, 44. Quicumque disturbatarum apum examen vidit, facilè hostium Israel ferocem hostilitatem et implacabilem iram concipiet, quas designandas intendit ista locutio. Eadem observatio applicari potest, Ps. 18, 12, ubi similis adest allusio.

Mirabilis apis industria à remotissimis ævis generi humano gratissimum quid et utile præstitit in melle quod producit.

In Palestinâ vulgatissimum erat. In Exod. 3, 8, etc., circumstantia hæc, quòd scilicet *flueret lacte et melle*, selecta est ad stricto modo probandum illam esse omnium terrarum decus; et in Deut. 32, 13, et Ps. 80, 16, habitatores *sugere mel de rupibus* dicuntur. His congruunt 2 Reg. 14, 25; S. Matt. 3, 4, etc., et peritissimorum viatorum testimonia. Acram inter et Nazareth, ait Hasselquist, ingens sylvestrium apum copia invenitur in habitantium loci commodum; observatque Maundrel se in ingenti Jerichuntis campo mellis ceræque odorem pluribus in locis percepisse, quasi in apiario fuisset.

Rectè tamen ac meritò supponitur mel de quo in quibusdam locis istis agitur, non produci ab apibus, sed suavem esse liquorem ab arbore palmâ defluentem, quæ communis est in Palestinâ, et hujus generis quid præstitisse noscitur (2). Est et in quibusdam Orientis partibus quædam mellis species quæ in arborum foliis colligitur, rosi subsimilis, et ab incolis magnâ copiâ congeritur. Statuit Burkhardt unam ex præcipuis vallis Jordanis productionibus esse *beyrouck mel*, vel ut ab Arabibus dicitur, *assal beyrouck*. Ipsi descriptus est succus à foliis ramusculisque fluens arboris nomine *gharrab*, cui est oliveæ statura foliaque populi similia, sed paulò latiora. Mel in foliis quasi ros congeritur, et inde vel è terrâ, quæ eo sæpè totaliter cooperta est, colligitur; novumque recensque suavissimum est, sed duobus diebus si servetur, acescit. Illud cum butyro comedunt Arabes; in polentam quoque suam infundunt, et eo in deliniendis aquariis suis pellibus, eâ mente ut excludatur aer, utuntur. Mensibus maio, junioque colligitur, et à quibusdam viatori nostro traditum est eamdem substantiam spinosâ arbore *teresh resh*, eâdem anni æstate, produci (1).

(1) Paxton, vol. 1, p. 312.
(2) Vide Harmeri, *Observ.*, vol. 2, obs. 12.

Ne mel in altari offerretur prohibitum est sub levitico regimine, Lev. 2, 11; primitiæ tamen ejus in sacerdotum sustentaculum afferebantur. Supposuêre scriptores quidam has fuisse mellis palmæ primitias, sed ejusmodi interpretatio contorta est et non genuina: quæ enim intenduntur in vers. 12 eadem prorsùs sunt ac quæ in præcedenti vers. recensentur.

Melli è favo modò expresso peculiares sunt saporis deliciæ, quæ frustrà quærentur cùm jam aliquandiù expressum est, aut dilutum. Id adjumento esse potest ad explanandam vim verborum quibus utitur Psalmista loquens de divinis præceptis: *Desiderabilia super aurum* (sunt)*; ita, super exquisitissimum aurum, et dulciora super mel, et super id quod ex mellifluis favis defluit*, Ps. 18, 10.

Exquisito modo temperantiæ necessitatem docet Salomon: *Mel invenisti? comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus evomas illud*, Prov. 25, 16. In hunc locum citatæ sunt à D. Harris sequentes doctoris Knox observationes: Homo quidem in figurativo dicendi genere dici potest apis. In inquisitionem rerum suavium varias pervadit regiones et invitantem quemlibet florem prædatur, Quidquid pulchram exhibet faciem, illius animum sollicitat, et gratiam, si non affectum ejus, sibi conciliat. Vivido sæpè colore et allicienti formâ quæ nedùm mel præstet, acerrimum venenum producit, decipitur; ipse tamen ab inquisitione suâ non deficit, et, si sæpè adversa patiatur, sæpè quoque prospera non desunt. Id tamen calamitosum est, quod invento melle in illud ita voraci appetitu ruit, ut nimio usu et satietate suas vulgò delicias destruat (2).

FORMICA.

Vade ad formicam, disce ex ejus viis, sapiens esto:
sua maturè congregat horrea, ne superveniat egestas.
Variarum anni tempestatum perita, providè sapiens
æstatem videt in rigoribus hiemis gelatam.
Considera artes ejus: in quâlibet partitâ cellâ
œconomia et abundantia commorari dignantur.
(Devens.)

Celeberrima fuit à totâ retrò antiquitate formica

(1) *Itin. in Syriâ*, etc., p. 392.
(2) *Sermones*, p. 424.

quidem absurdum est. Responsionem suppeditat ipse Augustinus. Mathusalem diluvio superstes indè inducitur, quòd 167 tantùm annos natus Lamechum genuerit. *Verùm in codicibus antiquioribus et veracioribus, anni leguntur non* 167 *sed* 187. Huncce, non illum si teneamus numerum, ut suffragatur Augustinus, prorsùs evanescit difficultas; cùm, hoc posito, 14 annis antè diluvium Mathusalem decesserit. Aliundè numero 167 longè probabilior est numerus 187. Si enim Hellenicam seriem Hebraicæ conferas, illam ab istâ centenario numero discrepare reperies, ubique superaddito; quam quidem rationem solus fugit numerus, de quo hìc agitur. Hebraicus codex 87 annos exhibet; ergo Græcus 187, additâ centuriâ, non verò 167 annos collegisse, jure habetur.

Objicitur tertiò, 70 Interpretum versionem à solis Hellenistis acceptam fuisse, secùs verò à Judæis hebraizantibus, qui eam adeò repudiârunt, ut solemne et annuum jejunium indixerint, in peractæ translationis infamiam. Verùm primò quidem falsum allegatur. Interpretum versionem lætissimi exceperunt, testibus Josepho et Philone, Hellenistæ Judæi; atqui illi auctores quorum prior Pharisæus erat, et sacerdos, et inter Hebraizantes conspicuus, ne verbulum quidem emiserunt, undè vel suspicari liceat, Hebraizantes versionem respuisse, aut saltem ægrè tulisse. Pœnitentiale jejunium mera est Rabbinorum institutio, nuperrimi natalitii, cui scopus aliundè is erat, ut nefasta haberetur illa dies, *quâ gentibus revelata fuerat Scriptura*. Undè fit ut mirum in modum exsudet Rabbinica cohors, cùm hodiernis doloribus antiquorum doctorum gaudia laudesque opponantur, ut videre est apud Morinum. Inprimis tandem notandum est, inter illa quæ Græcæ translationi objiciunt adversantes Judæi, nihil esse quod ad ipsam chronographiam pertineat.

Quartò objicitur, potuisse Interpretes Mosaicos evertere numeros, tali scilicet ratione et incitamento: Sibi portentosam jactitabant Ægyptii antiquitatem; porrò Ægyptiacos Hebraici offendebant numeri; undè istos in gratiam Ægyptiacæ sententiæ latiores fecerunt Interpretes. At certè, si sanis aut non ebriis, somnolentis saltem arrisit tale figmentum. Sit enim pro nihilo, quòd nequiverint Interpretes, in re tam gravi, tam omnibus conspicuâ, toti Judæorum genti eatenùs illudere; undenam, quæso, chronographiam violandi consilium iniissent? Ut Ægyptiis blandirentur, inquiunt! Verùm undenam illud studium placendi? Quid ad illos Iliacæ plebis fides aut gratia? Philadelpho adulati fuissent, vix de nobilibus viris conciperetur. Quid autem Philadelphum tangebant Memphiticæ annales? Græco imperatori, vel nulla, vel Niloticâ longè strictior erat chronologia. Esto tamen in id consenserint benevoli interpretes. Ut Ægyptiacis consentirent fabulis, 4000 ad minùs annos Hebraicæ chronologiæ assuere, necessum habebant; quo etiam posito, deorum semi-deorumque Ægyptiaca regna, inter fabulas exulâssent. Atqui Mosaici textûs violatione, non magis quàm secula septem concessissent interpretes! Ecquis seriò dicet septuaginta viros ex suâ gente electissimos, ne uno renitente quidem, in sacros libros violandos conspirâsse; cùm is tantùm eis fuisset scopus, ut sibi despectæ plebi blandirentur; nec minùs quàm quadraginta secula petentibus, septem tantùm gratis mentiendo, concessissent?

Quintò objicitur, quòd, cùm inter primigenium cæterosque textus aliquid discriminis intercedat, primigenio certè sit fides adhibenda. *Ei potiùs linguæ credatur*, inquit Augustinus, *ex quâ in alienam facta est translatio*. Quod quidem argumentum, pace S. Doctoris dicam, mera est *petitio principii*. Universis enim, qui Græcis suffragabantur numeris, persuasum erat se veram Moysis chronologiam tenere. Iisdem consequenter Hebraici numeri non primitivæ Scripturæ putabantur; indè cùm illos invocaret Augustinus, quod erat sub lite, pro concesso tenebat. Et eò magis animadvertere debuisset eximius Doctor, litigiosam esse Hebraici textûs integritatem, quòd Judæos tunc plerique Patrum violatæ Scripturæ insimularent; nec diffitebatur ipse Hieronymus. Imò cùm negavisset doctissimus presbyter, Christum et Apostolos, juxtà 70 Interpretes Scripturam legisse, quandò ab Hebræis discrepant, multa Hieronymo objecit Augustinus undè contrarium pateret. Ergo ex ipsâ re, ipsoque Augustino, Christus et Apostoli, *ei linguæ* non *potiùs crediderant, ex quâ in alienam facta erat translatio*, et sic ipse suam D. Augustinus regulam profligavit.

Ex hactenùs dictis, certissimè sequitur:

1° Latiorem chronologiam eamdem esse quam codici suo inscripserunt 70 Interpretes.

2° Eamdem fuisse quam archetypo inscriptam præ oculis habebant, sicque archetypum iis numeris referri.

Sin aliter, gravissimis rationum momentis eam esse reformandam, tùm 70 Seniores censuisse, tùm universam Judæorum gentem, cùm nullus omninò reclamaverit.

Ergo legitima est 70 Interpretum chronologia.

Si quis sedulò expendat quibus nitatur fundamentis Hebraici textûs auctoritas, in hoc præcipuè versari defensionem animadvertet, legitimos esse numeros, eo ipso quòd exstent. Ita exstant, inquiunt; ergo iidem semper exstitêre; si quidem fuisse vitiatos, quo *pacto*, *scopo*, vel *tempore*, haud intelligitur. Valet quidem istud argumentum; nam difficultatem enodare tentantibus, nihil suppetit, nisi meræ conjecturæ, vero plus minùsve propiores, sed quæ nimis impeditos quæstionis reticulos nunquàm fortassè solvent. Verùm et Græcis codicibus auxiliatur idem argumentum. Nulli eos vitiatos affirmare liceat, nisi etiam quo *pacto, scopo*, vel *tempore* vitium invaserit; quod quidem impossibile demonstravimus. Imò textum violare voluerint et potuerint, de 70 Interpretibus difficiliùs quàm de Judæis intelligitur. Nimirùm si in quibusdam mutandis consenserint rabbinorum synedria, quos penès semper fuit Judæorum fides et disciplina librorum, facilè et libros et credentium pecudem ad arbitrium finxis-

sent. Longè aliter autem de 70 Interpretibus; hi enim infideli translatione, et plebem, et doctores, et Hebraizantes, et Hellenistas movissent, nec ullâ reclamantes auctoritate compescuissent. Non quidem gregi Synagogæ decreta avidè glutienti, sed ipsis magistris, sed doctoribus, judicibusque concionabantur, iisdemque nec faventibus nec infensis, ideòque violatores non civium assensus, sed sibila excepissent. Invocent ergo sibi argumentum, textus Hebraicus ut grave, Interpretes ut gravissimum. Sed æquipendere fingantur. Concedamus, quòd si in solis codicibus, hìnc quidem Græco, illinc Hebraico, causa versaretur, neutram in partem incumberet statera. Ergo quærendum est an sint argumenta extrinseca, quæ alterutri systemati faveant, libramque hùc vel illùc deflectant. Atqui talibus argumentis gaudent Græci numeri, saltem si ad eos attendas ex quibus à diluvio ad Abrahamum intervallum coalescit, quosque solos alicujus esse momenti, cum omnibus arbitramur. Hellenicis assentiunt universi testes : Hebraicis nullus tantulùm vir honestus. Quod nunc ordinatim explanare libet.

De Samaritani Pentateuchi auctoritate.

Dùm illi qui codici Hebræo patrocinantur, hunc esse archetypum jactitant, cæteras verò meras imagines, id certè non animadvertunt, nos non Moysis autographo potiri. Hodierno Judæorum libro liber quidam æmulatur, eodem ex fonte manans, eâdem majorique etiam antiquitate venerandus, nec minùs authenticis signatus characteribus. Porrò evolvatur ille codex, Hebraicis Græcisve manibus intemeratus; alterutri enim adversantium textuum consonaverit, is meritò genuinos numeros, Mosaïcamque scripturam retinuisse judicabitur. Atqui tali stadio vincunt 70 Interpretes, quippè quibus suffragatur Samaritani Pentateuchi chronologia.

Ne verò hìc moremur in hujus Pentateuchi auctoritate vindicandâ, si quidem adversùs carpentes ita causam obtinuit, ut nihil ambigui incertivè remaneat. Prorsùs eumdem esse cum antiquiore hodiernum multis evincitur testimoniis Hieronymi, Eusebii, aliorumque Patrum, siquidem Samaritanos textulos ab Hebræis dispares, dùm ex coævo codice referunt, hodiernum legere sanè putarentur. Consonant inprimis chronologici numeri, quos exhibet Eusebius. Et Esdrâ antiquior est ille codex, nec eum à Judæis Samaritani recepêre : nam si secùs, iisdem Chaldaicis characteribus exaratum haberemus; dùm è contra pristinas Hebraicæ linguæ figuras retinuit, ut cum omnibus ipsi Judæi consentiunt. Hocce eodem Pentateucho potiebantur decem Israeliticæ tribus, nullis unquàm manibus recuso, qualiter Hebraico codici, Esdræ temporibus, accidit. Hæc omnia renitentium confessione, postremò sancita sunt (1).

Atqui diluvium inter et nascentem Abrahamum, 70 Interpretibus consonat Samariticus codex, nisi quòd juniorem omittat Cainanem, quem multi auctores à Græco textu relegârunt, quique ab Eusebiano canone exulat. Ergo ex samaritico computo, 942 anni à diluvio ad Abrahamum effluxêre; dùm 292 tantùm si Hebræis credas; et illud inprimis notandum, Samaritanos numeros ita esse Græcis concordes, ut toties anni centeni à secundâ vitæ patriarchalis parte, ad priorem transiliant; quanquàm in pluribus aliundè dissonent. Undenam illa in numeris de quibus res est, concordia? Necessariò sequitur Hebraicum hujus ævi codicem Samaritano fuisse congruum, et utriusque systema 70 Interpretes retulisse. Isti videlicet, utpote Judæi, Hebraico codici incumbentes, suum sanè ex alieno invisoque æmulorum codice non reformâssent; nimirùm, præter hæc reciproca utriusque gentis odia, Samariticum systema, quod nullâ aliunde auctoritate fulciretur, nullâ ratione proprio præposuissent interpretes; nullusque concipitur sic agendi scopus. Si autem ad Samaritanos spectes, et fingantur diversos ab his quos nunc legunt numeros, eâ ætate tenuisse, quâ ratione, quo scopo, ad Judaicæ translationis fidem, composuissent suos, cùm illa translatio, tùm à proprio codice, tùm ab ipso Hebraico textu, discreparet; in eamque impugnandam simul conspirarent, et odium, et consuetudo, et utriusque primigenii textûs auctoritas?

Insuper animadvertendum est illud, ea quæ adversùs 70 Interpretes jaculantur adversarii, etsi quid contra vigerent, Samaritanum codicem ne quidem tangere. Sint ea in exemplum quæ postremò tractavimus. Fingentur ne Samaritani suos in Ægyptiorum gratiam numeros violavisse? Et ità quidem conspirâssent, non unus vel alter, aut pauculi, sed gens universa! An verò dicetur Hebraicum codicem ut potè archetypum, aliis pro normâ esse habendum? Verùm Samaritanus non ex Hebraico, sed ex communi fonte rivus alter emanat; ac proindè æquè archetypus haberi debet.

Attamen notandum est antediluvianos Samaritici textûs numeros, à Græcis esse maximè dispares, nec verò iidem cum Hebraicis consentiunt; nam leguntur in Samaritano codice 1307 anni; in Hebraico 1656; dùm ibidem 2262, 70 Seniores assignant. Forsan etiam integrè verum fuit quod annotat Eusebius Samaritanos ante diluvium numeros Hebraicis consentire; postdiluvianos verò 70 Interpretibus. Quidquid sit, ibi sanè obnubilatur chronologia; ibi quassatur, adversante Samaritano, Græci textûs auctoritas. Sit ergo pro incertâ, ætatis antediluvianæ supputatio; verùm si de posteriori agatur, ex concordantiâ codicum prorsùs à se invicem alienorum, primævam Moysis Scripturam, eam esse quam in utroque nunc et in Hebraico antiquitùs legebatur, firmissimè evicimus.

Nunc de his quæ adversùs Samaritanum codicem objiciuntur, quid sit sentiendum, expendamus.

1° Quidem hodiernum non eumdem esse quem decem tribus retinuêre, plurimi somniârunt. Nostrates auctorem fecêre Dositheum quemdam Apostolis coætaneum, qui cùm se pro Messiâ haberi studeret, Pentateuchum

(1) Vid. Morin., Exerc. in Pentat. Samar.... Waltonis Proleg. in primo hujus *Cursûs* tomo. El. Dupin., *Prolégom. de la Bible*, tom. 2.

in suî gratiam penitùs disturbaverat. Debile istud figmentum hìc quidem pendere non curabimus, siquidem de eo fusiùs et sufficienter tractatum est in Waltonis Prolegomenis, ut videre est in primo hujus *Cursùs* volumine; unum modò hìc animadvertendum videtur, scilicet, quòd Dosithei minimè interesset Biblicam chronographiam immutare. Multi eam à Judæis violatam arbitrati sunt, eò quòd ita confusis Messiæ temporibus, ad longè tardiora confugere poterant; quæ sanè hypothesis, vera sit necne, rationi saltem consentanea videtur. Dositheo autem, Christi coævo, implicati numeri minimè favissent. Ergo, etiamsi cætera, numeros saltem Pentateuchi haudquaquàm immutâsset.

2° Objiciunt, vitiatam è proposito esse Samaritanam Scripturam potissimo in loco, ubi vox *Garizim* vocis *Hebal* locum usurpavit (1); unde patet quòd non pepigerit Samaritanos Mosaicum textum aliquando violare. Facile responsum res ipsa suppeditat. Istius violationis origo prorsùs manifesta, quippe quæ Samariticam hæresim redoleat; unde in eam instituendam conspirare potuit tota gens Samaritanorum. At secùs de chronographicis numeris; cùm enim nullus esset violandi scopus aut commodum, gens suæ Scripturæ tenax adversùs violatores, si qui esse potuerint, certè insurrexisset. Sic, inter cætera, celebrem versiculum, fatente Hieronymo, in Hebraico textu violaverunt Judæi, quem ita de Græco translulit S. Doctor: *Foderunt pedes meos et manus meas*, in cujus vicem, ex industriâ Judaicâ, uno charactere in ferè similem substituto, nunc ita legitur: *Quasi leo manus meas et pedes meos* (2).

Unde evanescit et prophetica vox, et sensus quilibet. Indenam inducent adversarii textum Hebraicum spurium esse, et qui nullam omninò fidem mereatur?

3° Ex Samaritano codice, non ex Hebraico, Græcam translationem exorsam nonnulli finxerunt. Hanc verò sententiam nullo fundamento nixam, simpliciter negando satis refelleremus. Verùm aliunde ex se ipsâ corruit, si attendatur: 1° Judæos translatores, non proprio codice usos sed alieno, et quidem æmulorum hæreticorumque, id ita absurdum sonare, ut contradicere pigeat. 2° Si ex codice Samaritano transtulissent 70 Interpretes, ejusque numeros essent mutuati, universos et ubique usurpâssent, quod à vero maximè abhorret. Et enim in antediluvianâ ætate 900 annis minor est Samariticus computus. Aliunde à Samaritano codice junior Cainan exulat, quemadmodùm ab Hebraico, quem 70 Interpretes, et cum eis Evangelista Lucas excepêre. Talia sanè non intercederent discrimina, si Græco Samaritanus codex typus fuisset et exemplar. Quòd si in cæteris magis inter se consentiant, quàm alteruter cum Hebraico, inde tantùm sequitur istum cum Samaritano, Interpretum temporibus optimè consensisse; nec illud mirandum, quippe quòd eodem ex fonte manaret uterque codex.

(1) Deut. 5, 22; Exod. 20, 18.
(2) Psalm. 21, 18.

4° Denique multotiès illud, et sub multiplici formâ plerique objecerunt, pristinos Samaritani codicis numeros evanuisse, quorum in locum 70 Interpretum numeri irrepserint. Verùm hìc eodem scuto Samaritanos numeros tuemur. 1° Gratis allegatum negamus. 2° Si Græcos numeros ita fuisset aucupatus Samaritani textûs violator, antediluvianos Interpretum annos pariter excepisset, quod procul abest à vero; idemque rei Græcæ tam studiosus et imitator, juniorem non tacuisset Cainanem, de quo in Græco textu plurimæ disserunt lineæ. 3° Nulla erat reformatori ratio, cur Judæorum interpretum numeros, et suis et ipsis Judaici textûs numeris præhaberet. 4° Nec tantùm sufficiebat ut ita sentiret et statueret scriba nescio quis; nam et fraudi assentiri debuisset universa gens Samaritanorum; siquidem innumera obstitissent integri textûs exemplaria.

Et nunc alio sistamus tribunali, unde et 70 Interpretum chronographiæ plenissima intercedet confirmatio.

De Flavii Josephi auctoritate.

En adest optimus quæstionis judex. Rei chronologicæ peritus indagator, omnibus suppetentibus elementis, unde causa æquissimè tractaretur, 70 Interpretibus adversùs Hebraicos numeros, patrocinatus est. Quanti ea valeat auctoritas, sedulò expendamus.

Testatur Flavius in Autobiographiâ se à Tito Cæsare donatum sacris codicibus qui in templo servabantur, nec in dubium venire potest quin ita fuerit, cùm in celeberrimo opere, ubique diffuso, rem auctor asserat, ipsumque Titum, et regem Agrippam testes invocet. Aliunde in proœmio libri de Judaicis Antiquitatibus, quem diù post peractum bellum in lucem ediderat, testatur totam hanc historiam *ex Hebraicis litteris* à se excerptam; unde patet, illam cui suffragatur Josephus chronologiam, eam fuisse quam exhibebant coævi Judæorum codices.

Fatendum est libri Antiquitatum numeros, scribarum manu ita fuisse vitiatos, ut intricatum absurdumque inde evaserit systema; verùm rei circumstantias attentiùs expendenti, minimè obstant fraudes et vitia, quin genuini auctoris numeri luce clariores manifestentur. Inde quos hodierni ostentant codices, hi quidem strictiori, illi verò latiori chronologiæ consonant, quòd cùm ab ipso auctore perpetratum nemo sanus defenderit, omnesque etiam adversarii diffiteantur, hujusmodi portenti ea ratio est: Scilicet illi scribæ, qui Flavianum opus tractabant, cùm animadverterent ejus numeros ab illis discrepare quos veros arbitrabantur, eos corripiendos et in melius immutandos esse rati sunt; inde textûs incongrua violatio, sed imperita nimis ut sibi ipsi consentiat. Nos liti facem admoveamus; ipsos eosque solos qui strictiori chronologiæ favent, mendosos esse clarissimè evincetur.

1° In libri Antiquitatum proœmio, historiam hanc quam ordinare aggreditur, ex sacris gentis suæ codicibus, 5,000 annorum intervallo comprehensam esse declarat. Iterùm sonant ea quinque annorum

millia, in operis initio, quem contrà Apionem Alexandrinum instituit, cùm pridem Antiquitatum librum edidisset; ita ut si in eo 5,000 annorum numero primò quidem erràvisset, tanto intercedente postea intervallo, auctori detectus fuisset sanè et castigatus error, nec eumdem numerum in posteriori opere recantâsset.

Insuper in priori etiam testatur sacram quam ordinat historiam, ad Artaxerxem Longimanum tantummodò produci : cætera verò se non à sacris libris, sed ab alienis mutua tum fuisse. In idem consentit sacrorum librorum elenchus, quem in opere contra Apionem instituit, quippe cui sit finis Estheris historia; desint autem Machabæorum libri. Ergo 5,000 annos circiter ad Artaxerxem dinumerat Flavius; ergo ad nascentem Christum, si iidem credas, non minùs quàm anni 5,400 effluxêre.

An Hebraicis adhæsit numeris Flavius, quos ex 4,000 circiter annis coalescentes, 1,400 seculis suo prætergressus est computo? Hunc, si errore quodam, in ipsâ historiæ fronte scripsisset, eumdemne longo jam tempore elapso, in aliud opus intrusisset, nullo interea reclamante, vel mendam saltem revelante?

Exinde, cujus mentis fuerit Flavius in re chronologicâ, satis et abundè patet. Et illud præsertim animadvertatur, cum 5,000 annorum numerum, quem primùm et denuò jactitat, apud omnes ut genuinum et sincerum constare, semperque ab omni lite fuisse immunem.

Insistamus operi, et quid de antediluvianâ ætate senserit Flavius, ab ipso sciscitemur. Porrò, eo auctore, tantùm senuerat quisque patriarcharum usque dùm sibi filius nasceretur, quantùm assignant 70 Interpretes; hisque 6 annis tantùm in ultimo contradicit. Unde 2256 annorum summa conflatur; quæ ab Hebraicâ longè abhorret.

Cui scriptor faveat, minimè dubium est. Verùm in luculentum computum, character quidam irrepsit, ex quo litem suscitârunt pauculi Hebraici textûs asseclæ. Etsi ex singulis partibus summa 2256 liquidè coalescat, in Flavianâ paginâ, 2656 leguntur. Errorem scribentis in secundo charactere facilè quivis agnosceet, nisi ipsi Josepho tribuatur arithmeticus error; sed etiam hâc subeunte hypothesi, nihilominùs ad 2256 summa exurgeret, quæ meritò Flaviana diceretur sententia. Verùm ex ipsâ numeri 2656 compositione arguitur, quòd cùm primo tantùm charactere discrepet ab Hebraico numero 1656, inde colligere liceat hunc fuisse in Flavianâ historiâ primigenium. Supponitur et scriba Græcis tantùm assuetus numeris, qui primum characterem immutârit, de cæteris non curans; idemque singulares vitæ patriarchalis ita tractaverit numeros, ut hellenicis concordes evaderent. Gratis affirmatum gratis negaremus; sed vitiis multò majoribus laborat ea sententia.

Etenim nonne luce clarius est quòd si iidem primitùs fuissent Flaviani numeri, quos in Hebraico textu legimus, eosque Hellenica manus ita evertisset et extorsisset, ut 70 Interpretibus concordarent, eadem partium summam sedulò collegisset, quæ prioris in locum subrogaretur? Sin contra hodierni Flavianæ historiæ numeri, iidem sint, qui primitùs et semper, facilè intelligitur Hebraicam manum, quæ quidem partium curam non habuisset, isto numero 2256 offensam fuisse, cùm contradiceret Hebraicus 1656 numerus; eamque secundum characterem, ut Hebraicus fieret, sic immutâsse. In adversantium hypothesi, Hellenicus scriba ad primum modò attendisset characterem, de cæteris tribus non curans; in nostrâ verò, priori neglecto, in posterioribus tribus hæsisset manus Hebraica. Has adversas hypotheses, licèt nostra ex se verisimilior, talisque magis et magis videatur genuinos numeros prænuntianti, verborumque sonos perpendenti, æquales tamen, et quæ se pari staterâ elidant, fingamus. Superest illud quòd partium summa, quocumque scripta fuerit modo, ad numerum 2256 nitidè assurgat, nullâ adversante Josephi editione. Ergo, si de ætate antediluvianâ agatur, ab Hebraico textu longè dissentit Flavius; 70 verò Interpretum computo maximè favet.

Et nunc res sit de ætate postdiluvianâ. Ibi quoque summam invenimus ab illâ quæ ex additis partibus coalescit, longè disparem. Verum ibi manifestè patet et intumescit fraus Hebraica. Unicuique patriarcharum dum filium generat, eosdem annos assignat Flavius, quos et 70 interpretes et Samaritanus codex, centenario ubique transiliente numero. Unde 992 annorum summa luculentè exsurgit; et tamen in hodiernis paginis 292 leguntur, quemadmodùm in codice Hebraico. Porrò quis liberæ mentis, inficiabitur, posteriorem hunc numerum Flaviani locum evidenter usurpâsse? Et rem tamen manifestiorem faciamus. Duplici tantùm ratione cur Flaviana summa partibus contradicat, intelligi potest. Vel enim cùm hodiernos Hebraici textûs numeros et summa et partes simul referrent, illam quidem servando, istas evertisset Hellenicus scriba; vel contra Hellenicis numeris et summa et partes assentiebantur, et tunc priorem, integris partibus, ad Hebraicam mentem scriba imperitus reduxisset. Atqui hæc nostra posterior hypothesis, non verò prior humani ingenii naturam et agendi habitum, optimè refert. Primò enim scribam fingamus, strictiori chronologiæ tantummodò attinere. Dùm singulares vitæ patriarchalis partes calamo retingit, de his quidem non curat; quippè quòd nihil sit in ipsis animadvertendum, nisi quâdam mente intentoque animo considerentur. Postremò autem summa occurrit 992, quæ cùm ab Hebraicâ valdè discrepat, scribentis animum vehementer offendit; undè ille mendam esse ratus, Hebraicum et benè notum sibi numerum 292 supponit, quocum prior ille ferè consonat, ideòque magis mendam redolet. Sic egisse facilè intelligitur scriba quidam imperitior; sicque et nunc rem componeret quilibet, omnis chronologiæ, nisi vulgaris, inscius. Cùm enim nascentem Abrahamum à diluvio parùm distare ex vulgari sententiâ, fuerit arbitratus, pro mendoso textum illum haberet, qui mille annos huic intervallo addiceret. Non autem ita facilè nectitur prior hypothesis. Fingitur scriba 70 Interpretum ala-

cer assecla, qui primigenios Flavii numeros ad suam mentem detorserit. Quo posito, non unum alterumve characterem, sed decem numeros, hìc et illùc vagantes immutat; et cùm eam fraudem ita assiduò nexerit, de summâ minimè curâsset, et quam ducebat absurdam, pleno calamo iterùm exarâsset! Facilè animadvertitur summa conspicua, quin simul animadvertantur partes quæ non vividè legentis mentem sollicitant; sed de partibus quis curet, eæque pertractentur et immutentur, nec tamen intendatur in summam quæ partibus quàm quòd maximè contradicit, illud nullo pacto intelligitur. Aliter, summas longè magis, partes longè minùs esse conspicuas, illasque multò pluribus innotescere, fatendum est. Indè sequitur summam vitiari potuisse, quominùs vitiarentur partes, eo ipso quòd præcurrant minùs spectabiles, partes autem immutari non potuisse, quin animadversum fuerit in summam, siquidem ea post jam mutatos numeros occurrit.

Ergo à diluvio ad nascentem Abrahamum 992 annos Flavius numerat; quemadmodùm ferè 70 Interpretes et Samaritanus codex, expuncto juniore Cainane. Undenam hæ discrepantiæ ducant originem, tractare hìc animus non est. De hoc tantummodò agitur Flavii numeros ab Hebraicis prorsùs esse alienos; et 7 seculis majores evadere.

A nascente Abrahamo ad eumdem vocatum 75 annos ut universi codices, numerat Josephus; exindè ad Israeliticam ab Ægypto migrationem 430; et ad morientem Moysen 470; ab Exodo, ad erectum templum 592; tandemque ad idem Babylonicis flammis eversum 470 anni assignantur. De istis numeris, quatenùs à Flavio scriptis, controversia nulla est; aliundè et vulgaribus computis apprimè consentiunt. Indè à nascente Abrahamo ad eversum templum 1567 annorum integra summa exsurgit; cui si 123 annos assuas, ut occurrat ineunte regno Longimanus, 1690 anni conflantur; totque reverà, ex ipso Flavio, fatentibus omnibus, ab Abrahamo ad Artaxerxem effluxisse constat.

Ex illo inconcusso lemmate, plurium numerorum fraus brevi patefiet, quos in Flavii librum intruserunt Hebraici textûs cultores, dùm è contra illorum plenissima fiet confirmatio, ex quibus coalescit summa 5,000 annorum, quam prætendit Flavius. In hodiernis paginis 3,513 ab Adamo ad eversum templum, 3,102 autem ad erectum, anni fluxisse dicuntur. Id digito maximè ostentant adversarii, quòd ea sit ipsius Hebraici codicis supputatio, undè et ita scripsisse Flavium arguunt. Verùm isti ipsi numeri, quos indè supposititios concludere est, adversùs invocantes, versâ facie, bellantur. Expendamus enim quâ ratione, ex ingenii humani naturâ, res processisse, putandum sit.

Ex iis quæ diximus, præsertim de 5,000 annorum numero quem, nullâ lite, prætendit auctor, manifestè sequitur, intervallum ab Adamo ad eversionem templi quæ paululùm Longimanûs regnum antecedit, in Flavii mente *paulò minus* 5,000 annis fuisse; et 4,800, verbi gratiâ, constitisse. Occurrit hic numerus Judæo scribæ, qui ex Hebraico textu, 4,000 tantùm annos ad nascentem Christum numerat, ideòque 3,500 circiter ad eversionem templi. Hìc certè mendosum 4,800 numerum clamat, et continuò expungit. Sed in expuncti locum aliquem subire oportebat. Aderant Hebraici textûs numeri, quos, sive Flavianos in partibus adversari nesciret, sive ex omni parte vitiatos fuerit arbitratus, in genuinorum Josephi numerorum vicem intrusit. Aliâ etiam ratione, non ità scripsisse Josephum, manifestum fit. Fingitur enim 3,513 annos ab orbe condito ad eversum templum numeravisse; 3,102 verò ad erectum. Porrò cùm, eo auctore, 470 annis templum steterit, non potuit geminos, quos supra, scribere numeros, siquidem 411 tantùm annis, inter se differunt. Ergo hìc manifesta fit fraus Judaica, cùm à Flaviano calamo, allegati numeri suam ducere nequeant originem.

Nunc verò ordinemus summam additis partibus ætatum quas nitidè suppeditavit Flavius. Occurrit primò 2256 numerus; dein 992 succedunt anni: postremò tandem 1690 ad Longimanum producuntur. Confice summam: 4938 exsurgent: scilicet, si 62 tantùm addas, ille ipse 5000 annorum numerus, quem semel et bis Flavius protulit! Atque ità patet, quòd si summæ singulares suis partibus, Hebraicâ fraude, contradicant, attamen quæ ex singularibus coalescit *summa integra* ea sit quam in ipsâ operis fronte exaravit Josephus!

Tali argumento catenùs simplici nitidoque, causam esse peractam jure dici potest. Ne tamen hìc moremur; siquidem et alia sunt ex quibus quid in Josephum auserint, magis ac magis manifestum fiet.

In priore contra Apionem libro, intervallum ab orbe creato ad Moysis interitum, 3000 annis *paulò inferius* esse docet Josephus. Mendacem hunc numerum jactitârunt adversarii; eò quòd à Flaviano, qualem admisimus computo longè abhorreat; siquidem ex nostris antè Moysis interitum numeris, anni longè plures quàm 3000 successerint. Verùm si paululùm in rem intendatur, contra adversarios facilè cardine vertetur difficultas. In primigenio Josephi textu, non 3000 sed 4000 olim exstitisse pro certo habendum est, quod quidem ex supradictis necessariò sequitur. Nam ille quem jam induximus Hebraicus scriba, cùm circiter 4000 annos ad Moysis mortem effluxisse legeret, dùm ille vix totidem annos ad Christi ortum numeraret, Flavianam lectionem, ut mendosam, expungere non dubitavit; cujus in locum, uno mutato charactere, 3000 tantùm inscripsit: qui quidem numerus, favente voce *paululùm*, ab Hebraico computo non maximè discrepare visus est. Ea sanè agendi ratio tam facilis occurrit, ut nullis eam argumentis fulciri necesse sit. Verùm etiam ex ipsâ numerorum collatione, res evincitur. Numerus 3000 pro extraneo haberi debet, si, dùm numerus æmulus 4000, toti Flaviano systemati consentit, prior ille nec cum Josepho, nec cum ipsis Hebraici textûs numeris ullo modo consociari queat. Atqui se ita res habent. Etenim Josephus cùm 2256

annos ad diluvium, 992 ad ortum Abrahami; indè 75 ad eumdem vocatum, posteàque 470 ad Moysis mortem, elapsos pronuntiet, sic coalescunt 3793 anni; qui cùm à numero 4000, circiter 200 tantùm annis deficiant, intervallum illud 4000 annis *paulò inferiùs* esse, dici potuit. Si quis verò Hebraicos ordinet characteres, numerosque 1656 et 292 quos ipsi Flavio adscribunt, cum inconcusso numero 545 Moysis mortem attingente, inde summa 2493 annorum coalescet! An verò quis arbitrabitur de tali summâ dixisse Josephum, eam 3000 annis *leviter* inferiorem fuisse?

Institerunt quidam, et antediluvianum 2256 numerum Josepho adscribendum censentes, indè illum de quo hìc disceptatur, nectere tentaverunt. Verùm ita 3093, exsurgunt anni. Hanccine summam dixisset Josephus majori numero 3000, esse inferiorem?

Unum tamen in Flaviano systemate enodandum superest. Declarat Josephus Moysem jam ante annos bis mille natum, continuamque Pontificum seriem per eosdem 2000, Judæis fuisse. Hi si tribus millibus de quibus supra res erat, apponantur, 5000 annos conficient quos adeò jactavimus. Non ergo suppositiius erit ille prior numerus; qui cùm judaicis assonet, Josephum Judaicè sensisse, saltem in pristinis temporibus, manifestum videtur.

Verùm primò notandum est, hos 5000 annos ex nitidis Flavii verbis, ad initium regnantis Longimanûs, nec ultrà procedere; undè ad scriptoris ætatem anni plusquàm 5500 intercedunt. Ergo fictitius ille 3000 annorum numerus nullo Josephi testimonio nititur. Ex 5500 annis, bis mille demas, 3500 circiter supererunt ex orbe enato, ad Moysis interitum. Fatemur hoc numero 3500, vocem illam, 4000 *annis paulò inferiùs*, non apprimè referre, sed certè fatebuntur omnes, eumdem cum minori numero 3000, cui paulò inferior diceretur, multò minùs etiam consentire; aliundè ab Hebraicâ chronologiâ, decem seculis integris distat. Ergo detur prædictum hunc numerum, illud quod Josepho tribuimus systema vellicare, idem Hebraicum jugulabit; illinc difficilis tantùm, hinc impossibilis prorsùs quæstionis enodatio

Quomodò tamen solvatur, forsan sciscitere. Me in hoc cæcutire fateor, et quidem minimi interest. Sententiam dicere coactus, res ità componerem. Fortassè hunc numerum 2000 pro certo non semper habuit Flavius; cui dubio assentient omnes, quibus sacræ extra Pentateuchum chronologiæ nubila innotescunt. Verùm illam, in quâ postremò hæsit, sententiam, cæteris sui systematis partibus, coaptari non apprimè curavit. An verum attingat, necne, hæc hypothesis, liquidum est Hebraicæ chronologiæ sequacibus nihil indè favere; quos, ut sit torquendi finis de Flavianâ chronologiâ, ultimum istud sciscitabimur.

Si Hebraicos numeros fovisset et retinuisset Josephus, num eâ paginâ quâ 70 Interpretum historiam instituit, Græcam translationem primigenio textui prorsùs consentaneam dixisset, idque Judæos omnes, re sedulò perpensâ, et fuisse miratos et conclamâsse? Nonne de vitiatâ chronologiâ, intricatisque mirum in modum numeris verbulo saltem, legentes monuisset?

Cæterùm antiquissima videtur ea Flavianorum numerorum disturbatio, quam Judaica manus perpetravit, ut Latinâ Ruffini translatione constat. In quibusdam istius translationis exemplaribus, singulares ætatum summas quæ in universis Græcis codicibus, 70 Interpretum systemati consonant, truncas et minusculas, ad Hebraicam normam, reperire est; imò in quibusdam lineæ illæ à proœmio abscisæ sunt, quibus 5000 annorum summam prætendit Flavius. Quisquis sit quem violati auctoris meritò insimulemus, extraneis temeratum manibus adeò manifestum est, ut adversantium plerique, sibi nòn auxiliari Flavium fateantur; imò et infensissimum esse; ideòque ejus auctoritatem labefactare conati sint. Nunc ergo expendamus quatenùs eis res successerit.

1° Quidem negaverunt fuisse Josephum calami seduli et veracis, eumdemque pluries esse mentitum in libro ostentârunt. Verùm etiamsi Josephum ea legitimè vituperia premerent, quod de plerisque negari potest, id ad quæstionem nihil omninò attinet. Fingatur, si placeat, Flavius, imperatorum adulator; fingatur temerarii aut pusilli scriptor ingenii, aut quidquid aliud conviciari velis, nemo tamen inficiabitur quòminùs præpalam testatus sit, se suam ex Hebraicis litteris historiam deprompsisse; quo posito, Mosaicos numeros immutare non tentavisset. Nullus enim aderat immutandi scopus; nulla, si voluisset, perpetrandi ratio; conclamâssent enim contribules, eòque libentiùs quòd in ipsum auctorem erant infensissimi. Si fingatur non proposito, sed ex oscitantiâ auctoris irrepsisse errorem, præterquàm in mendas æquè fuisset conclamatum, ita accidisse supponi nequit, si id attendatur, Flavianum computum, et 70 Interpretibus, et Samariticis numeris esse consentaneum, quod certè dormientem scriptorem non redolet.

2° Flavianam historiam, non quidem ab Hebraico textu, sed à Græcâ 70 Seniorum translatione, derivatam plurimi censuerunt. Quæ sanè sententia eorum est qui à Josephi paginis prorsùs sunt alieni. Non ità enim sentirent, si legissent Flavium, dùm publicè testatur, se sacris libris munere donatum, qui in templo servabantur, testesque et regem Agrippam et ipsum imperatorem Titum invocat. Cùmque se ex *Hebraicis litteris* historiam deprompsisse subjungat, quis aliundè quàm ex Hebraicis suos illum composuisse numeros, somniari possit?

Et tamen ita somniatum est. Quod quidem istic tueri debebant, illi qui Josephum Hebraicæ linguæ ignarum seriò dixerunt. Et reverà se ita sentire professi sunt viri maximi et portentosi, Georgius Horn, et Basnage, et fortassè cum eis pauculi. Mirificam sententiam in lucem largiùs prodire faciamus, cui laudes et admiratio, utpotè dignissimæ tribuantur. Arbitrati sunt stupendi illi viri, Græcam linguam fuisse Josepho patriam et naturalem. Atqui in ipsâ libri Antiquitatum fronte palam declarat Josephus, hanc à se primitùs *patrio sermone* conscriptam historiam, sed eamdem

à se in græcum sermonem, qui *suus non sit*, (ξενη διαλεκτω) ideò translatam, ut plerique legere et doceri possint. Idem testatur in priore contra Apionem libro, et hæc subjungit: se Græcis auxiliatoribus usum, ad Græcam translationem, cùm sibi non sit Græcus sermo patrius, ita ut Græcorum verborum rectam pronuntiationem nunquàm potuerit adipisci.

Hæc in talium nugarum ruinam è Josepho deprompsisse supervacaneum censebitur. An enim vir sanæ mentis adeò suî incompos reperiatur, qui neget Josephum, et ipsis Hierosolymis natum, et doctorem legis, et sacerdotem, et Machabeæ familiæ insitum, et rerum Judaicarum gestorem, et qui saltem pluribus annis inter concives degit, patriam, et eorum quos inter degebat, linguam calluisse? Fingeturne illum hujus tantùm linguæ fuisse expertem, quâ scripti erant libri Biblici quæque vulgari illius ætatis sermoni non consonabat! At si talem linguam non calluisset Flavius, nemo certè alius novisset. Putabiturne vir ille eximius, inter suæ gentis nobilissimos eminens, adeò et gentilium disciplinarum peritus, ut mirum in modum testantur universa ejus opera, præsertimque gemini contra Apionem libri, putabitur, inquam, biblicam linguam nescivisse, quam vulgaris ferè referebat, quamque apprimè callebant tot inter Judæos pusilli et obscuri? Tum ecquis esset, harum linearum sensus? *Excusandus sanè Eupalemus, qui plurimos in Judæorum historiâ admiserit errores, quippè qui cùm non satis Hebraicam linguam noverit, ex ipsis fontibus haurire documenta nequiverit.* Ergo ex ipso fonte Hebraico hausit ipse Flavius! Plurima quid memorem? Et tamen hos quoque textulos producere libet. *Omnia hæc quæ narro, in sacris litteris hausi, utpotè ex sacerdotali stirpe, et sacris edoctus scientiis* (1)...; et alias: *Ego tribulorum meorum confessione, eorum disciplinas egregiè calleo*; *Græcanicis quoque litteris operam dedi* (2).

Esto tamen ea Flavianæ ignorantiæ fabula. Quid inde sequeretur? Auctori fuisse ignotam textûs Hebraici chronologiam? Dicere quemvis pudebit. Si enim non eosdem numeros protulisset Hebraicus textus, quos 70 Interpretes, ea sanè Judæis innotuisset discrepantia, et si quibusdam, certè doctioribus, quos inter Josephum præstare nemo inficiabitur. Sunt et hodiè plerique hebræi sermonis prorsùs expertes, qui apprimè noverunt et ipsam discrepantiam, et quid sit de eo discrimine disputatum. Ergo si 70 Interpretum chronographiam referat Josephus, et Hebraici codicis numeros referebat. Aliundè, si ex Hebraicæ linguæ inscitiâ, Græcos numeros tenuisset, hoc eum sanè monuissent, unus aut alter, ex iis omnibus qui librum de Antiquitatibus legerant, et quos inter ne ullum exstitisse quidem, qui Hebraicam Scripturam noverit, nemo defendere audeat. Quo posito, suos ipse numeros castigâsset; quòd nedùm ita sit, iidem ab ipso prolati sunt, in opere contrà Apionem, quod longè posteriùs edidit.

(1) Contr. Ap., lib. 1, cap. 3.
(2) Antiq. Jud., lib. 20, ad finem.

Quid tamen arguant illi qui Flavium in Hebraicis rudem asserant, fortassè inquiritur. Aliquas invocant biblicæ linguæ voces, quas græcè interpretatur Josephus, et malè, ut illi autumant. Adeant Is. Vossium, quo patrocinante, reus abluitur. Sed quid operis, si cum illo respondeatur ea interpretatum fuisse Flavium, non aliter ac Origenes plurimique Hebræi sermonis non inscii? Nonne evidens est, quòd etiamsi sacræ linguæ rudis ipse fuisset, biblica nomina, ex coævorum doctorum auctoritate fuisset interpretatus? unde in ipsos sacræ linguæ magistros causam agunt adversarii. Quidni autem? Nonne ipsos 70 Interpretes, ut Hebræi sermonis ignaros, quidam impetierunt?

3° Objicitur Josephum ideò suum edidisse librum, ut Judaicæ gentis antiquitatem præ cæteris extolleret; unde et ejus originem altiùs producere studuit. Idcircò Moysem antiquiorem Inacho, finxit, et 2000 ante æram christianam ortum. Ad hæc responsio facilis occurrit. Hebrææ gentis cùm sit Abrahamus fons et origo, eumdemque aliæ auctorem habeant, nulla erat ratio, nihil honoris aut commodi, cur tempus à diluvio ad Abrahamum elapsum, ultra metam Josephus produceret. Moysen æquo vetustiorem fecerit, id fingi potest, quin obsistat ratio, siquidem à Moyse ducit originem Hebræorum respublica. Quid verò de eâ ætate curâsset quæ Abrahamum antecedit? Imò et plurimas gentes jam exstitisse concedebat; ut constat ex ipsâ Abrahami historiâ.

Ex dictis sequitur Hebraici textûs chronologiam si de ætate post diluvianâ agatur, diversâ trium testium auctoritate confutari, quos in id unanimes primigenios Moysis numeros referre manifestum est; ergo Hebraicæ longè præstat 70 Interpretum chronographia.

Si verò de antediluvianis numeris res sit; cùm inter se disceptant tres biblici codices, de hoc quidquam stabiliri nequit. Josepho autem 70 Interpretibus consentiente, illùc quò premunt, incumbit statera. Quo posito, numerum 2256, quem Josephus exhibet, cæteris potiorem arbitramur. Et nihilominùs hanc ætatem pro incertâ habendam censemus. De juniore Cainane, quem expungentibus cæteris, exhibent Interpretes, quæstio maximè ardua nec fortassè quæ solvi queat. Gravis etiam circà Tharræ ætatem versatur difficultas. Sed ultra citravè pendeant eæ quæstiones, illud certissimum enatat: Intervallum à cessante diluvio ad nascentem Abrahamum, non minùs quàm 942 annis constare.

Et illud quod tergemini textus adversùs Hebraicum conclamant, aliunde confirmatur, si quædam species in Hebraicis numeris stupenda; et quæ nisi diremptoria videantur, pro gravissimis tamen non habere nequeant.

1° Si numeris Hebraicis credas, 100 tantùm anni, diluvium inter et nascentem Phaleg intercedunt. Porrò cùm in Babelicæ divisionis memoriam, hoc nomine signatus fuerit ille patriarcha, patet, eo nascente, peractam jam fuisse linguarum discordiam. Atqui ex trinis tantùm patribus adeò increvisse orbis incolas, quantùm inducit Scriptura, conceptu arduum est. In

adverso systemate, 4 aut 5 jam effluxerant ante nascentem Phaleg secula; unde penitùs evanescit difficultas.

2° Consentientibus omnibus, post diluvium vixêre, Noe quidem 350, Sem verò 500 annis. Atqui cùm 292 tantùm post diluvium, natus fuerit Abrahamus, si Hebraicis numeris credas, Jacob verò 460 postea, cum Abrahamo Noe vixisset, Jacobo autem Sem fuisset coævus. Hujus et filium Arphaxad ille novisset, unde sequitur Abrahamum patremque Tharram plurimis patriarchis, diluvium attingentibus, fuisse coætaneos. Porrò cùm à patribus filii nequiverint esse alieni, exstitisse tunc idolorum cultum non concipitur, dùm tot exstarent diluvii testes. Insuper Babelicam turrim exsurgentem vidissent et Noe, et filii, nec tamen obstitissent, siquidem de illis nil Scriptura memorat. At sanè obstitisset Noe vir sanctus, nec sanè incassùm; patribus enim quanta eâ ætate fuerit auctoritas, neminem latet.

Nunc inter hodiernum Hebræorum, Græcumque textum, expendamus, uter præstantiores sibi patronos invocet.

De Apostolorum, et SS. Ecclesiæ Patrum auctoritate.

Si nobis incumberet cura probandi, quanti præstet ea 70 Seniorum translatio, quam in textûs primigenii locum, Christiani Judæique ipsi tamdiù suffecerunt, non quorumdam quidem, sed omnium quotquot exstitêre primitùs Ecclesiæ doctorum unanimem assensum objiceremus. Eam solam, pro authenticâ habitam, nec ulli liti obnoxiam fuisse pateret; eam fuisse *Græcam veritatem*, ut aiebat Origenes, antequàm *veritatem Hebraicam* jactâsset Hieronymus. Hoc inprimis fieret manifestum, Scripturam, *juxta* 70 *Interpretes*, eam fuisse quam gentibus Apostoli et evangelistæ revelârunt; ipsumque Christum dùm Scripturam invocaret, ut seniores locutum, etiam quoties ab Hebraico textu discrepant (1). Unde sequitur, et Apostolorum judicio, *Græcam veritatem* scripsisse Interpretes; textumque illum, quem dùm Judæos alloqueretur invocabat Christus, non hodierno quidem Hebraico, sed 70 Interpretibus fuisse consonum. Undè eos fideliter vertisse manifestum fit.

Verùm illud tantùm hìc probare intendimus, Scripturam qualem eam finxit Interpretum versio, pro legitimâ et authenticâ tunc fuisse habitam, divinâque niti auctoritate. Num verò, divini nutûs honore ita gloriaretur, si temeratum quidquam ex Interpretum aut cujusdam scribæ proposito, eo ex fonte manâsset? Græcam translationem suo sigillo signaverunt Christus et Apostoli; idem de Hebraico textu dici potest, qualem eum habemus, aut ipse Hieronymus habebat?

Huic telo clypeum sic objecêre Hebraici textûs sequaces. Ideò, hoc relicto, Græci textûs, ad normam prædicârunt Apostoli, quòd longè diffusior in gentibus foret. Verùm non valet tale argumentum, siquidem eò

(1) Vid. Pezr. *Diff. de l'antiq. des temps*, pag. 157 et suiv.

quòd falsa sint veris diffusiora, non ideò pro veris haberi debeant. Ergo si unicus tunc exstitisset Græcorum textus, nonnisi iniquè sic egissent Apostoli: verùm iniquius fuisset, si cùm æmulus exstaret Hebraicus codex, unde Hellenicæ mendæ castigari potuissent, has tamen retinuissent Apostoli, remotâ genuini textûs veritate.

Sed et sunt notanda quædam exempla, quæ nequidem tangit Hebraizantium hypothesis. Ex iis duo tantùm in scenam prodeant.

1° Dùm ascenderet Jacob in Ægyptum, 66 animas secum abduxit, quibus si Josephum addas, *duos*que ex eo natos, si Hebræis fides sit, 70 coalescunt, et sic reverà numerantur. Porrò, si Interpretibus credatur, *novem* animabus constabat Josephi familia; unde annumeratis qui Jacobum sequebantur, numerus 75 et liquidè exsurgit, et ita scriptus legitur. Hæc sanè adversantur vividè, et gemini systematis gemina mentio fit. Atqui, dùm in synagogâ concionatur D. Stephanus, Græcum numerum usurpat, ideòque falsum (1). Sed ita dicentem non tuetur Hebraizantium excusatio, siquidem coram Judæis orat Stephanus, coram legis doctoribus, qui Hebraico textu sanè utebantur.

2° In Hierosolymitano Apostolorum concilio, S. Jacobum orantem Lucas inducit. Prophetæ Amos verba invocat Apostolus, qualia refert versio Græca, à quibus verò mirum in modum discrepat Hebraicus textus. Non in formâ quidem, sed in ipso sensu discordia est, quàm quod maximè (2); hic ergò Hebraicum textum respuit præco divinus. Nunc ratio ex adversariorum hypothesi ducetur? Dicentne Jacobum ex Græco locutum, ex eo quòd Hebraicum ignoraverint, Deo frustrà afflante, Apostoli, vel quòd Hebraicæ linguæ, cæterarum dono gaudentes, expertes fuerint?

Quod ad chronographiam attinet, quid in hoc senserint Apostoli, non tradidêre; sed inconcussum manet illud, eam quæ ex 70 Interpretibus ducitur, totius Ecclesiæ christianæ fidem, prioribus seculis, habuisse, uti ex Clemente Alexandrino, et Africano, et Origene, et Lactantio, et cæteris constat, usquedùm contrà enisus fuerit S. Hieronymus. Atqui non concipitur universos catenùs fuisse unanimes, si in adversum sensissent apostolici viri, quorum insolutâ catenâ, et mentem et omnes doctrinas primævi illi Patres susceperant. Cùm Stephanum videmus Græcis numeris hærentem; cùm Paulum Hebraicos respuentem, Græcumque testimonium suscipientem, quando de mansionis Ægyptiacæ tempore agitur, concipi nequit quominùs de sacrâ chronologiâ identidem locuti sint apostolici viri; hocque dato, si Hebraicam admisissent, timuissent pariter et primævi doctores, dùm è contra in adversum militant; quid fallor! ita loquuntur unanimes, ut aliam quàm Hellenicam pro verâ haberi posse eos ne quidem suspicari credas!

Quarto tantùm Ecclesiæ seculo, S. Hieronymi studiis primò titubavit Græca sententia. In neutram firmiter inclinavit S. Augustinus; nimirùm, cùm He-

(1) Act. Apost., cap. 7, v. 14.
(2) Act. Apost., cap. 15, v. 1 et seq.

braico textui patrocinetur, in orbis historiâ quam adversùs paganos instituit, Græcorum numerorum sequitur fidem. Et minimè obstitit Vulgatæ editionis auctoritas, quin ad nonum seculum antiqua chronographia pro authenticâ haberetur, in orbe christiano, ut docent Alcuinus et Gregorius Turonensis. Primus in Occidente strictiorem amplexus est Beda, de quo facetè narrat Usserius, quantùm obnoxius ideò fuerit rusticorum injuriis, qui ut in hæreticum conviciabantur. Si Orientalem ad Ecclesiam spectes, Interpretum chronologiam ibi semper regnâsse reperies, ut constat ex Trullano concilio; iisdemque numeris hæsisse Nicænam synodum II, S. Tarasii apologiâ manifestum est.

Et veteris fidei testem se præbet adhuc Romana Ecclesia, quæ Græcam, ut ordinavit Eusebius, retinuit chronologiam; si quidem in Romano martyrologio 5200 circiter computantur anni ab orbe creato ad Christi natalem.

Ergo nobis suppetunt jus et ratio dicendi, Græcos Hebraicis, si patronos expendas, numeros præstare. Sed et quibus concinant gentilitiæ historiæ, nunc inquirendum.

QUID PROFANI DOCEANT HISTORICI.

Triplicis generis ætatibus constant veterum gentium annales libri. Cæteras anteit fabulosa; sequitur dubia, tandemque incedit authentica. Eam dubiam dico, quæ jam non sit fabularum mera series, sed vulgaribus humanæ naturæ fatis generaliter constet, etiamsi quibusdam identidem figmentis adornetur. Et hæc aliquam aliquandò fidem meritò sibi vindicat. Si plurium defectu claudicet eventuum series, aut, urgente criticorum scalpro, quorumdam et formæ et circumstantiæ evanescant, res ipsa nihilominùs in solido sæpè stat, cæterisque coordinatur. Sit in exemplum Atheniensis marmorum Oxoniensium Elenchus. Ibi Cecropis in Atticam adventus, ibi Thesei regnum, et Herculis labores; ibi appulsus Danai ad oram Argolicam; ibi demùm Deucalionis diluvium suo quæque loco assignantur. Atqui certè Cecrops in Atticam adventavit, et regnavit Theseus, et appulit Danaus, nec quæ subnectuntur figmenta rem dubiam faciunt; et hisce meritò credet, qui Cecropem anguiformem, et Thesei descensum ad umbras, et Danaidicum dolium tamen irridebit. Imò et pluribus gestis sat certa assignari sæpè potest epocha, ut cum maximè inconcussis, et de quibus nullus dubitet, ordinari queat synchronismus.

Porrò inter vetustas gentes nulla est quæ integrâ annalium serie, fastisque ab initio fide dignissimis gloriari possit; sed nec obstant nubila quibus vagientes obvolvuntur populi, quin homines, quin facta quædam certo lumine appareant, et suo loco rectè opponantur. Cujus generis fidem si primævarum gentium historiis impertiamur, id animadvertemus, eas cùm 70 Interpretum chronologiâ esse concordes; strictioribus autem Hebraici textûs numeris strangulari. Duas in exemplum gentes promere sat erit.

1° In authenticâ Sinarum historiâ, qualem in libro *Chou-King* exposuit Confucius, primus imperator apparet nomine Yao. Non ii sunt hujus regni plerorumque sequentium eventus, quos in dubium revocare non liceat; quædam sunt verè absimilia; plurima hyperbolen redolent, aut rudioris ætatis ignorantiam. Verùm certè exstitit ille Yao; et certè multis in his Asiæ finibus dominabatur; nec ibi deerat omnis ingenii artiumve cultus. Porrò hujus regni initium, si potioribus computis credatur, in 2357 annum ante æram christianam incidit; pari epochâ ac ipsum diluvium, ex Hebraico computo! Huncce igitur vivide remordet Sinensis chronologia, dùm Græcis numeris apprimè consentanea videtur.

Hanc quidem epocham remotiorem arbitrati sunt plurimi; sed parvi refert an ille aut alter negaverit, tùm in id illi consenserint quorum auctoritatem colunt subeuntque universi. Eo scilicet charactere signatur celeberrimus P. Gaubil. Prædictum hic numerum fovet, nonnisi collatis omnibus Sinensis historiæ monumentis; cùmque de sacrâ chronologiâ non curans, ab omnibus præconceptæ sententiæ impedimentis sit liber. *Quosnam*, inquit, *verè ordiatur Scriptura numeros, me penitùs latet, et doctioribus decernendum relinquo. Et tamen si qui velint hunc detruncare numerum quem addixi, ita ut etiam 150 annis minor evadat, diluvianam ætatem altiùs removendam censeo, ita ut quam assignant epocham Usserius, Petavius, cœterique strictioris chronologiæ sequaces, plurimis seculis prætergrediatur* (1).

Adeò inconcusso solo niti hunc numerum SS. J. Patribus visum est, ut de verâ chronologiâ ambigerent, vulgaremque quassari Romæ nuntiârint. Responsum indè excepit R. P. Schall, anno 1637, ex quo regnum imperatoris Yao ad 2357 referri, et 70 Interpretum chronologiam pro verâ haberi fas esse censebat Romana auctoritas; testibus adductis, et SS. Patribus, et Romano martyrologio (2).

2° Sinensibus relictis, ad Ægyptios convertamur. Isti pariter Hebraicis numeris plus æquo stringuntur. Evanescant Ægyptiorum annalium bullæ, quales prætendit historia Manethonica, certum est tamen ex monumentorum omnium consensu, 18 dynastiam 1830 circiter anno antè æram christianam, imperium iniisse; 16 autem antè natum Abrahamum jam Ægypto imperitâsse, ut refert Eusebius; undè jam diluvii dies attingerentur, in Hebraico systemate. Si collateralibus dynastiis fides habeatur, quam meritò dandam infra demonstrabimus, locum facilè tenebunt cæteræ 15 dynastiæ diluvium inter et Abrahamum, positis 70 Interpretum numeris. Hebraici si promantur, impossibilis evadit ea ordinatio; nam si et simultaneæ fingerentur illæ 15 dynastiæ, quod absurdum est, plurimæ sunt quæ si singulares spectentur, multò diutiùs duraverint, quàm quod sineret Hebraicum intervallum (3). Ergo Hebraico textui

(1) Chron. du P. Gaubil, P. Sylv. de Sacy, 3e part., p. 277.

(2) Ibid. p. 284.

(3) Jul. 4a, 13a, 14a.

adversatur, moderatior et certa Ægyptiorum historia.

Ergo et cæterorum omnium textuum consensu, et annuentibus tum sacris, tum profanis auctoribus, firmissimo nititur fundamento 70 Interpretum chronographia. Nunc ea argumenta expendamus, quibus suam fulciri sententiam, Hebraici codices sequaces arbitrantur.

Refelluntur Hebraizantium argumenta.

I. Inter ea quæ in suî gratiam invocant Hebraici textûs asseclæ, plurima sunt de quibus jam superiùs et abundè dictum est. Sic sibi parcere Josephum quidam existimabant; sic et quibusdam prototypus videbatur Hebraicus codex unde derivaretur Samaritanus. Quid de his sentiendum sit, nunc apertè patet. Insuper de Hebraicæ violationis ratione et modo, id probavimus, quantùmvis ardua sit hujus nexûs solutio, majorem implexum subire, si de cæteris ea quæstio fiat. Et inferiùs aliunde de hoc tractabimus.

His positis, ad hæc tria tantùm referuntur argumenta, quæ in Hebraici textûs gratiam prolata sunt.

1° Objicitur maximam fore Biblicæ auctoritati jacturam, si in textum primigenium errores irrepsisse concedatur.

Ad hæc respondemus :

1° Numericos errores nullius esse momenti. Ita Patres, præsertimque Hieronymus, et theologi postea ferè unanimiter censuerunt.

2° Si judicetur Deum Hebraico textui ita providere debuisse, ut illum ab omni etiam numerorum mendâ esse immunem voluerit, pariter et à fortiori Græcam translationem tueri debuisset ea providentia, siquidem eâ ætate quâ revelabatur Evangelium, non alia erat ethnicis, et neo-christianis, plerisque Judæorum sacra Scriptura. Hanc gentibus ipsisque Judæis commendabant Apostoli, cùm eam in testimonium semper et ubique vocarent; unde manifestum fiebat, eam ab ipsis pro authenticâ haberi, et veri Dei sermonibus consonam reputari. Itane unquàm Hebraicum textum divina auctoritas sancivit.

Aliundè si primigenium textum fideliter referebat Interpretum versio, jam mendis fœdari poterat archetypus, quin ejus sinceritate Deus providere debuisset, siquidem pristino archetypo alter subierat; insuper et istius ad normam prioris errores castigari potuissent. Theologicam rationem, omniumque Patrum et doctorum sensus temerariò tractaret, ille cui foret dubium, quin singulari providentiâ, 70 Interpretum translationem Deus suscitârit, quæ esset christianæ doctrinæ prænuntia et instrumentum. Hoc posito de quo nullus ambigit, Interpretibus favere et affiari, Deus sanè debuit : novamque Scripturam, quæ in veteris vicem, et scopum et honores subibat, divinâ mente tueri. Ergo nequeunt hinc divinam invocare providentiam hodierni textûs sequaces, quin illinc eam negent et evertant.

3° Quidquid de immutabili Hebraico codice concinatur, certissimum est plurimas in eo violationes reperiri, tum numeros, tum etiam plura majoris momenti attingentes. Primò quidem numeros; nam post natum filium Arphaxad in editione Vulgatâ 303 annis Sem vixisse dicitur; in Hebraico textu, qualem habemus, nunc leguntur 404. Secundò, dicuntur in Ægypto vixisse filios Israel 430 annis. Porrò, non solùm ex 70 Interpretibus et Samaritano codice, sed ex ipso Paulo et Stephano, et concomitante textu 215 tantùm Ægyptiacæ habitationi tribuendi sunt, ut nunc fatentur omnes. Tertiò, inextricabilis torsit exegetas, ipsosque SS. Patres nodus, de ætate patri tribuendâ, cùm natus sit Abraham. Hunc indissolubilem fatebatur Hieronymus, et abundè sic esse patet, dummodò pendantur variorum systemata qui sic in eam rem sudaverunt. Porrò facilè solvitur nodus, si numericus error fingatur. Omnis enim evanescit difficultas, si in locum numeri 205 quem et ipsi Interpretes exhibent, numerus 145 sufficiatur, quemadmodùm tenet Samaritanus codex.

Nunc cætera proferamus quæ graviora sunt. Inter multa, duo tantùm seligemus, in exemplum vitiati codicis, et quidem ex concilio. Jam de celebri actum est psalmi 21 versiculo, quem ex 70 Interpretibus ita transtulit Hieronymus : *Foderunt manus meas et pedes meos.* Pro voce, *foderunt*, nunc in hebraico textu legitur, *quasi leo*, quod ab omni sensu prorsùs alienum est. Manifestum est hunc Judæos versiculum temerâsse, quippe qui Christum clariùs vaticinaretur. Fatetur plenissimè Hieronymus, Hebraici textûs fervidissimus defensor (vid. Bonfr. Proleg., pag. 180).

Secundò jam quoque diximus de verbis Jacobi Apostoli, in Hierosolymitanâ synodo. Ab illo plurima referuntur verba prophetæ Amos; sed ea ad Græcam fidem retulit Apostolus; quod longè ab Hebraicâ distat. Sic enim refert Apostolus : *In die illâ reædificabo tabernaculum David... ut requirant cæteri homines Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus :* Sic verò legitur in Hebraico textu, vertente Vulgatâ : *Suscitabo tabernaculum David, et reædificabo illud... ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes, eò quòd invocatum sit nomen meum super eas, dicit Dominus.* Porrò prophetiam Amos gentium conversionem prænuntiare inducit Apostolus, omnesque homines in Dei hæreditatem, cum et ipsis Judæis jam esse assumendos. Num aliquid simile sonat Hebraicus textus? Nequaquàm et ita intricaverunt ut ad solos Judæos referri videatur, eisque et in Idumæam finitimam et in omnes gentes imperium polliceatur, ex eo quòd soli verum Deum coluerint. Nec ibi tantùm immensa sensûs disparitas, sed evidens est, textum propheticum in suî gratiam Judæos detorsisse, et de eo quem, duce Messiâ, aucupabantur, orbis imperio fuisse interpretatos. Num quid animadvertent in Græco textu adversarii, quod tam aut etiam minùs industriam redoleat ?

II. Hoc secundo suos numeros Hebræi tuentur argumento.

Plurimi extant libri Biblicis affines, quos eamdem ac textus hebraicus, chronologiam referre certum est.

Sic paraphrastes Chaldaici, Jonathan et Onkelos, sic versio Syriaca, sic demùm Mosaicorum librorum quædam exemplaria, quæ secum Indici et Sinenses asportârunt Judæi, cùm in longinquas oras migrârint, plurimis, ut supponitur, antè æram Christianam seculis. Porrò, inquiunt, antiquissimi illi codices Hebraicam hodierni textûs chronologiam integerrimam mansisse demonstrant.

Verùm responsio multiplex adhiberi potest.

1° Legitimè negatur eamdem esse his omnibus antiquitatem, quali gloriatur 70 Interpretum versio. Etenim :

Syriacæ versionis ætas penitùs ignoratur. Sed Christo recentiorem esse indè patet, quòd pluries ad hunc alludatur. Aliundè Origenis obeliscos continet.

Incertior adhuc paraphraseon ætas; de quibus apud Hieronymum nulla mentio fit. Notandum est quòd in illà quæ Jonathani tribuitur, de Constantinopoli, et Longobardiâ, et Talmude sermo sit.

De Indicis autem et Sinensibus libris, nihil hucusque stabilitum est unde et eorum antiquitas et origo definiri queant.

2° Ea sit, quam contendunt, illorum librorum antiquitas, pristinam chronologiam hodierna fortassè non ideò referret. Etenim cùm rabbinicas penès manus fuerint, fieri potest ut rabbinicis manibus decurtatè fuerint eorum numeri, si mendosos ideòque castigandos Judæi doctores arbitrati sint.

3° Aliundè de omnibus istis minimè curamus. Nimirùm, si genuini forent et sinceri libri, id tantùm indè sequeretur, plurima jamdiù extitisse Mosaici operis exemplaria, variasque lectiones. Hodiernus hæc sufficienter probat textus; probat et ille diversus codex quem transtulerunt 70 Interpretes. Huic plurimi adhæserunt; illum alii præhabuêre; in hoc stat quæstio, utri fides sit adhibenda. Ex dictis major assurgit latiori chronologiæ auctoritas; verùm de his fusiùs infrà disseremus.

III. Tertium hoc pro Hebraico textu militat argumentum. Vulgatam editionem pro autenthicâ habendam esse decrevit Tridentina synodus. Atqui non esset authentica, si falsos numeros referret. Ergo legitima est quam ex hebræo suscepit chronologia.

Tenuiore filo texitur tale argumentum. Multis enim testimoniis constat, non eam fuisse sanctæ synodi mentem, ut eam catenùs sinceram editionem decerneret. Nihil esse in editione Vulgatâ quo fides divina moresque offendantur, id certè, sed nec plus ultra concilium decrevit, ut probaverunt Bellarminus, Baronius, aliique plurimi. Undè Græcam chronologiam sectari, planè licitum, eamque retinuit in martyrologio Ecclesia Romana. Quid et Romæ decretum fuerit erga imperatoris Yao ætatem, supra exposuimus. De his omnibus sanè secùs foret, si Hebraicam chronologiam Tridentinum decretum compleeteretur.

Nonne Græcis numeris annuerunt œcumenicæ synodi, ut Nicæna II? Atqui tam explicitus assensus Interpretum chronologiæ plus favet, quàm adversatur Tridentina declaratio.

Denique, si ex eo quòd alicujus textûs authenticitas constaret, eâdem auctoritate pollerent et quos assignat numeri, nullo dubio jam obnoxia foret 70 Seniorum chronologiæ; siquidem cùm eos Interpretes ubique produxerint Apostoli, sic et pro authenticis eos fuisse habitos manifestum est.

Postquàm ita Græcam chronologiam hebraicæ præhabendam esse probaverimus, nunc discordiæ causas et originem scrutari libet. Meris conjecturis arduum aggredimur; sed quanquàm fortassè quæstionem obvolutura sint in æternum nubila, non minor ideò stabit chronologiæ quam defendimus auctoritas.

DE CODICUM DISCORDANTIIS QUID SIT CONJECTANDUM.

Ad tria referri posse videntur hâc de re hypotheses, quas juxtà crescentis probabilitatis ordinem expendemus.

I.

Fingi potest, ut plurimi SS. Patrum arbitrati sunt, Judæos suî textûs, numeros violâsse et intricâsse, ut futuri Messiæ tempora disturbarentur. Si ea fuerit apud Judæos ipsosque christianos fides, futurum esse ut adventârit Messias in *sexto millenario*, *tanquàm in sexto die*, quemadmodùm habent Augustinus, Lactantius et alii, facilè concipitur eam fuisse Judæis mentem ut tempora contraherent, undè Christum ante Messiacam ætatem adventâsse contenderent. Atqui hoc tantùm pacto jam elapsa tempora truncare poterant, scilicet patriarchales annos mutando, et ad morem hodierni textûs componendo.

Haudquaquàm absimilis veri foret hæc prior hypothesis, si certiùs constaret ea opinio de ætate Messiacâ quæ veteribus Judæis ipsisque christianis adscribitur. Sed hâc datâ, et si numeros evertere studuissent Judæi, id facilè perpetrâssent, quanquàm ex adverso contendant D. Augustinus, et Hebraizantium turba. Judæos *longè latèque diffusos*, in unum conspirare non potuisse, ut suos violarent libros, ne quicquam dictitatur. Nonne enim duplici genere constat gens illa Judæorum? Hos quidem docentes, plebisque fidem ad nutum ordinantes videmus; illi verò, servum pecus, quidquid albi nigrive cogitent, ad doctorum normam sedulò fingunt. Unde si hanc vel illam Scripturæ vocem immutari suâ interesse judicaverit synagoga, sic fiet, et assentient sine morâ, grex legentium, præsertim si populum eadem odia vel studia moveant. Et ita peractum esse ex supra allatis constat. Eodem modo geminis in locis intercessit Samaritani Pentateuchi violatio; cùm in locum vocis *Hebal* vox *Garizim*, nullo renitente, subierit.

Objici potest Hebræos codices, in Judaicis manibus tantùm non fuisse versatos; undè nulla fieri potuisset immutatio, quin eam vel denuntiâssent, vel saltem animadvertissent Christiani, qui plurimis Hebraici styli codicibus potiebantur. Verùm è Christianis paucissimi de textu hebraico curabant, cùm Græca translatio suppeteret; sicque præsertim post Hierosolymiticum excidium; quâ ætate, plurima immutari po-

tuerunt, si cautè et separatim, quominùs id Christiani animadvertissent. Et sanè sic subierunt, quas retulimus corruptelæ, haudquaquàm obstantibus, qui penès christianos erant Hebraicis codicibus.

Hanc igitur arcem commodè defendi posse arbitraremur, si qua ratio pateret, undè Judæi in biblicam chronologiam immutandam et studere et conspirare debuerint; quod quidem non abundè liquet. Et reverà in hanc sententiam graviter incumbunt S. Julianus Toletanus, in libro contra Judæos, et Abulfaragius (1). Hi coævam Judæorum gentem multùm id jactitare referunt, quod è biblicis numeris, nondùm 6000 anni effluxerint, nec proindè ætas messiaca jam illuxisset. Hàc sanè jactantiâ firmiter et meritò niterentur hujus opinionis sequaces, si eamdem fuisse et antiquioribus, et recentioribus Judæis, de messiacis temporibus mentem constaret. Sed nullo id hucusque satis probabili evincitur argumento.

II.

DE CODICUM DISCORDIIS SECUNDA SENTENTIA ILLA EST.

Hodierno textui consonabat, si litteram species, ille quem Interpretes transtulerunt Hebraicus codex; verùm eam litteram *interpretati sunt* Seniores, sensumque minùs æquo explicitum liquidiorem fecerunt.

Sint enim in promptu patriarchales anni, præeunte diluvio. Centesimum annum jam vixisse Sem dicitur, cùm genuerit filium Arphaxad; subjungitque Scriptura: *Vixit Arphaxad* 35 *annis et genuit Salam.* Fingi potest seculum quod jam vixerat pater, ut subauditum taceri, quando de Arphaxad agitur; sicque rem componi debere: *Vixit Arphaxad* 35 *annis, ultrà centesimum, de quo superiùs.* Sicque et Sala, *præter centesimum*, 34 annis vixit, et genuit Cainan.... sicque de cæteris. Similes dicendi formas usurpat et Gallicus sermo: sic sæpè dicitur anno 92, pro 1792; cùm ex præmissis liquidum sit 1700 annos esse præhabendos.

Fingatur hanc sermonis rationem Hebraico stylo fuisse congruam eâ ætate, quâ scripserit Moyses, et tamdiù usurpatam, ut è doctiorum, quales erant 70 Interpretes, memoriâ nondùm excidisset, apprimè concipitur, eos talem sensum ambiguis verbis implicari novisse; et cùm in illorum gratiam verterint, qui intacta verba non intellexissent, se centenarium numerum, qui non luculente pateret, rescribere debere arbitrati sunt. Ea tum fuisset nec violatio textûs nec etiam castigatio, sed mera verborum et necessaria *explanatio.*

Sed utrùm meritò et jure id facesserint Interpretes, aliquis fortè sciscitabitur. Verùm ne quem fugiat, nos hìc meras conjecturas versare; nec, si ita decreverint Seniores, 2000 jam intercedentibus annis, an rectè ratiocinati sint, nunc dijudicari posse. Sed quidquid et quibuslibet rationibus egerint, eos omnibus fuisse probatos, conspicuum est, nec certè ullum decet, quòd et ipsi laudaverunt Judæi, in vituperium vocare. Sed etiam concipitur, meram siccamque textûs Hebraici lectionem præ legitimâ interpretatione, postea invaluisse; sicque nunc gemini textus sibi planè adversari videntur.

Huncce interpretandi modum prælibaverant Samaritici codicis regulatores; nec forsan iidem alieni fuêre, ab invehendâ, quam amplexi sunt 70 Interpretes, sententiâ. Verùm et fieri potest, ut ad hanc normam ætas postdiluviana æquissimè appendatur; malè autem antediluviana. Nam eodem pacto haudquaquàm explanaretur undè numerus 130 quem Adamo anti natum Seth hebraicus textus addicit, in 230 mutatus esset, ut habent Interpretes. Latet pariter quâ ratione post eumdem genitum, 800 annos Hebræi, 700 verò tantùm Græci numeraverint. Afferri quidem possunt in hunc nodum solvendum hypotheticæ quædam numerorum ambages; sed minoris refert, nec aliud indè liquidi constaret, nisi unum illud: scilicet, inter dubios antediluvianæ ætatis numeros relegandos esse.

Cæterùm huic hypothesi auxiliatur gravissimum istud. De annis quos in Egypto exegerunt filii Israel, certum errorem admisit textus Hebraicus, de quo inter omnes convenit. Cùm nisi 215 annis in Egypto manserint, et tamen 430 in textu legantur, addidère *interpretationis causâ*, 70 Interpretes et Samaritanus codex hæc verba:... *Ipsi et patres eorum in terrâ Chanaan*, undè benè numerus 430 conflatur. Nisi Hebraico textui adscribatur error crassissimus, fatendum est, Interpretes consultò textum immutâsse, sed benè et meritò, siquidem aliter nulli patuisset Scripturæ sensus. Forsan et ejusdem generis necessitas, scilicet, numerorum patriarchalium ambages solvendi, 70 Interpretibus incubuit.

Quin ita fieri potuerit nequicquàm negaretur, ideòque probabilitate non levi gaudet secunda hæc hypothesis.

III.

Tertia subit sententia, quæ quidem primigeniam discordiarum originem non aucupatur, nec aliquando revelandam sperat, sed nullam sive ab Interpretibus, sive à recentioribus Judæis mutationem patratam fuisse contendit. Ita autem res ordinatur.

Jam plurima exstabant Mosaici textûs exemplaria, cùm vertere Scripturas 70 Interpretes adorti sunt. Porrò diversis lectionibus in quibusdam illa discrepabant, et inprimis patriarchales numeri sibi invicem contradicebant. Undenàm coaluerit ille dissensus, nec decernere nec suspicari quidem tentant ita sentientes, eò quòd altiùs retrocedat, spissiorique antiquitatis velamine obvolvatur origo. Sed hunc legendi modum Interpretes, illum verò recentior Synagoga, ut potiorem quique retinuerunt; unde numerorum conflictus; nec ulla intercessit ab his vel illis textûs violatio.

Quin variis codicibus varia jam legerentur, dubitari nequit. Nam primò quidem exstabat ille codex, quem suis numeris retulerunt Interpretes, ut inconcussis argumentis probavimus; exstabat Samaritanus liber, istis modò discors, modò consentiens; exstabat et ille quem secutus est Josephus, Interpretum codici aliunde affinis. Sed ex adverso stabat ille æmulus, quem He-

(1) Hist. dynast., dyn. 7.

braicum textum hodiè vocamus; quique à prioribus discrepabat, tum patriarchalibus numeris, tum aliis quibusdam. Hunc talem tunc exstitisse certiùs adhuc constaret, si quæ fides esset Indicis et Sinensibus illis libris habenda, qui in Hebraici textûs confirmationem invocantur. Sed de his minimè curandum, siquidem in eâ, de quâ res est, sententiâ, authenticos fuisse diversæ lectionis libros et quidem antiquitùs, libenter fingitur.

Porrò causam hucusque diximus, in eâ hypothesi quòd unicus fuisset Interpretum ætate Scripturæ codex; nec jam legerentur diversa diversis; et unicum illum ab Interpretibus fideliter referri debuisse evicimus. Sin autem duplex aut multiplex fingatur, non ideò deficient ea quæ protulimus argumenta. Fidem faciet ille totius nostræ dissertationis Elenchus.

Vel nulli exstabant Mosaicæ scripturæ codices, præter unum, cujus cuncta inter se consentirent exemplaria; et hunc sedulò retulerunt 70 Interpretes. Quin diversa ab archetypo scripsissent, fieri non posse demonstratum est :

Vel plura à se invicem dissonantia sacrorum librorum exemplaria jam vagabantur. Hoc dato, quodnam sincerius et castigatius, aut potiori jure fidem sibi vindicet, expendendum est. Atqui illud exemplar quo latior chronologia pandebatur, cæteros longè majori auctoritate præcellebat. Quod ut manifestum sit, denuò animadvertendum est :

1° Septuaginta Interpretes, viros scilicet eximios et certè doctrinâ clarissimos, quippe quos inter omnes sua gens elegerit, in sacrorum librorum versionem concinnandam, ita sensisse. Imò et quod secum abstulerunt exemplar, illud nisi ex Synagogæ nutu et consilio cæteris præhabuerunt; unde patet Judæorum doctorum turbam isti favisse; ac proinde illud præ cæteris sincerum et majori fide dignum arbitratos esse (1).

Aliundè et Scripturæ quam tunc gentibus revelari curabat, pro sapientiâ Deus providere debuit, quod quidem non contigisset, nisi ex purissimo fonte derivata fuisset græca translatio :

2° 70 Interpretum exemplari consonabant Samaritana, non tantùm in numeris, sed in aliis pluribus à quibus longè abest Hebraicus textus. At nisi genuinus fuisset Interpretum codex, nullatenùs paterit hujus concordiæ ratio.

3° Ita sensit et Josephus, sacerdos inter suæ gentis doctissimos eminens. Is, cùm duplex iter pateret, illud elegit quo ad latiorem chronologiam duceretur; ergo Interpretum exemplar cæteris fide dignius et ipse judicavit.

4° Cùm certum sit Christum et Apostolos etiam Hebræis concionantes suos ita textus à Scripturâ deprompsisse, ut ab Hebraico textu ferè semper dissentiant, Græco autem consonent, inde sequitur quòd, cùm è puriori fonte sine dubio hauserint pro tali habendum sit illud exemplar, unde verba deprompserunt. Atqui ipsum illud est quod latioris chronologiæ numeros prætendit.

Ergo è puriori fonte derivatur, evaditque probabilior 70 Interpretum chronographia.

Ergo fortassè plures, at saltem non pauciores quàm 942 anni diluvium inter et Abrahamum effluxerunt. Probabiliter et 1072 numerari debent, advecto juniore Caïnane, quem, si spurius foret, ita in patriarchalem seriem intrusum, nullo modo enodari posset; quamque retinuit Lucas evangelista. Unde circiter 3000 anni (une moyenne) à diluvio ad nascentem Christum successere : unde sacra profanis coæquantur, nec ampliùs Mosaicæ gentilitia obstrepet historia (1).

(Editores.)

(1) Notandum est insuper veteri Synagogæ suppetivisse auctoritatem, quâ de sacris libris decerneret; nullam verò recentiori Synagogæ post Christi mortem. Porrò hæc una Hebraicum textum qualem habemus, retinuit; illa verò 70 Interpretum codici favit.

(1) Cùm hæc prælo mandarentur, altera quædam nobis proposita est objectio, quâ nostram de 70 Interpretum chronographiâ sententiam haud parùm labefactandam censuerunt adversarii. Hæc porrò sic se habet : « Ideò obstupuit Abrahamus, cùm filium ab « eo nasciturum angeli nuntiarent, quòd centenarius « esset : id verò certè non fuisset miratus, si atavos « habuisset qui 130 annis nati filios genuissent, ut « 70 Interpretes finxerunt. »

Imbelle verò telum, et quod nisi ipsos lædat, qui illud inconsultò jactârunt. Etenim :

1° Rectà eò tendunt ita ratiocinantes, ut 130 annis natos patriarchas gignere potuisse negent, aut veri absimile ducant. Eam autem sententiam à vero multò magis abhorrere facilè evincitur. Quinque enim secula degebant illi primævi patriarchæ; quid ergo mirum si 130 annis nati filios genuerint? Tantùm vixerunt primi à diluvio septem, ut si quisque 363 annos degisset, et quisque pariter 128 annos consecutus, filios eos genuerit, quos memorat scriptor Biblicus. Ii verò numeri ita inter se habent, quemadmodùm 80 et 28; ita ut si fingantur hujusce ætatis homines 80 annos degere, eumdem referret 28us quem olim 130us in patriarchali vitâ. Ex adversariorum sententiâ sequeretur, jam seniores esse viros qui 28um annum tantummodò attigerunt, ut filios gignere possint!!!!!

2° Non ad atavos quinque seculis tantùm senescentes spectare debebat Abrahamus, sed ad coævos homines, qui bis centenarium annum non attingebant; rem scilicet longè disparis momenti. De centenario Abrahamo dicit Scriptura, eum jam esse *senem*, non secùs ac de sexagenario nunc loqueremur. Cùm verò 175 annos natum defunctum esse refert scriptor Biblicus, eum senem admodùm et diebus plenum ita jactitat, qualiter de centenario nunc diceremus. Unde sequitur centenarium Abrahamum, jam ultra mediam vitam satis largiter processisse; ideòque eum fieri patrem jam fuisse verè absimillimum, ut de sexagenario nunc dici posset. Porrò in 182°, tantùm anno atavorum vita media hærebat : ii ergò pro *junioribus* haberi debebant, et ad generandum aptissimi, cùm 130um degerent : senex verò Abrahamus, dùm centesimum. Is ergo se patrem fieri meritò mirari poterat, et nisi pollicerctur Deus, pro joco ducere.

3° His addas quòd si ultra facilem generandi ætatem jam processerat Abrahamus, hosce, nonnisi leviter, limites erat prætergressus. Ipse enim 85um Sara verò 75m annum agebat, cùm ea se prorsùs sterilem agnoscens, ancillam Agar viro suscipiendam innuit : quâ ille genuit Ismaelem. Ergo non plus quàm 14 anni effluxerant ex eâ ætate quâ tum Abrahamus, tum uxor ad sobolem suscipiendam nondùm erant impares. Insuper cùm ea concepit Isaacum, *Saræ desierant fieri muliebria*, quòd sanè seriò non annotaret Scriptura, postquàm eamdem *nonagenariam* dixit, si

eâ ætate *jamdiù* infecunda mulier evasisset. Ergo nonnisi post 75m annum Sara, Abraham autem post 85m, ad prolem inhabiles, ut quilibet coætanei, facti sunt. Si ergo, nonnisi 85 annis elapsis, ad prolem idonei esse desierint ejus ætatis homines, qui citra bis centenarium annum vivebant, nonnisi post 180m in idem incidere debuerunt patriarchæ primævi, æquâ proportione servatâ.

Insuper notandum est, ut ipse inducit S. Augustinus eos quos Scriptura memorat patriarchas, non natu majores esse habendos, sed meram seriem atavorum tum Abrahami, tum Christi. Notandum et illud; eâ scilicet ætate, providisse Deum, ut fœcundissimi homines evaderent, quod ipsi adversarii jactitant, cùm orbem in ætate Phaleg incolis refertum canunt (100 annis scilicet, post diluvium). Ergo non mirandum esset, si primævos patriarchas induxisset Scriptura, annis non quidem 130, sed 200 aut etiam ampliùs natos, eosdemque tamen prolem suscipientes.

Ergo, cùm de congruâ generandi ætate litem suscitant adversarii, ipsis 70 Interpretum numeris inconsultò blandiuntur et favent.

LE QUIEN VITA.

Le Quien (Michael), ex ordine S. Dominici, Bononiæ in Galliâ natus est, anno 1661. Lutetiam, ad perficiendum studiorum curriculum, se contulit, ibique linguarum peritissimus, theologiæ et antiquitatis ecclesiasticæ nobilis indagator evasit. Sodalibus acceptissimus doctis responsa dabat, ab omnibus dilectus, eò quòd artis criticæ sciens, litterarum urbanus cultor, propriam libenter doctrinam communicaret. Obiit Lutetiæ Parisiorum, anno 1733, septuagesimum et secundum annum ætatis agens.

Inter præcipua ejus scripta numerantur : 1° *Defensio textùs Hebraici*, adversante P. Pezzon, cum novâ responsionis ejusdem confutatione; 2° *Opera sancti Joannis Damasceni*, Græcè Latinèque edita; 3° *Panoplia contra schisma Græcorum*, quod auctor retundit, delitescens sub nomine *Stephani de Altimurâ;* 4° *Nullitates ordinationum anglicanarum;* 5° *Dissertationes plurimæ*, *in Memoriali litterarum et historiæ*, à P. Desmolets collectæ; 6° *Oriens christianus in quatuor patriarchatus digestus*, *in quo exhibentur Ecclesiæ patriarchæ cæterique præsules Orientis*, impensis regiis editum opus. In hoc, omnes Ecclesias Orientales complectitur, ipsas quatuor magnis patriarchatibus assignando, Constantinopolitano scilicet, Alexandrino, Antiocheno, et Hierosolymitano. Diœcesim quamque auctor geographicè delineat, episcopatui suo eam adscribens; ecclesiarum originem, exstructionem, jurisdictionem, jura, potestatem, ordinem et privilegia, episcoporum seriem, politicam administrationem, mutata et correcta, etc., in aperto facit. Huic operi multùm proficit *Gallia christiana*, D. de Sainte-Marthe, cujus apprimè vestigiis institit Le Quien.

Porrò, ne fortè mirentur lectores quòd P. Le Quien *Defensionem textùs Hebraici* eo loci typis recudamus, editâ jam septuaginta Interpretum chronologiæ propugnatione, proprio quidem labore elucubratâ, illud iterùm enuntiare juvat, quod sæpiùs jam monuimus, nempe in his quæ circa res dubias versantur, utramque opinionem in nostro opere conjungendam, ut lector unusquisque alterutram, prout libuerit, amplectatur, ac proprio in sensu possit abundare.

DEFENSE
DU TEXTE HÉBREU ET DE LA VULGATE.

DE L'INTÉGRITÉ DU TEXTE HÉBREU ET DE LA VERSION VULGATE DANS CE QUI REGARDE LA CHRONOLOGIE.

CHAPITRE PREMIER.

Des traditions judaïques touchant le temps de la venue du Messie. Que les Juifs n'ont point corrompu les années du texte hébreu, pour empêcher les Chrétiens de vérifier que Jésus-Christ a paru dans le temps marqué par ces sortes de traditions.

Comme l'auteur de l'*Antiquité des temps* n'a soutenu la corruption du texte hébreu que pour faire tomber sur la malice des Juifs toute la diversité qu'il y a entre la disposition des années qui se trouve dans cet original d'avec celle qui se trouve dans la version des Septante, qu'il fait profession de suivre, il a jugé qu'il était nécessaire de rechercher et de produire le motif qui pouvait avoir poussé les Juifs à commettre ce crime. Il croit l'avoir trouvé enfin dans Vossius (1) qu'il suit pas à pas; et l'on peut dire qu'il ne fait qu'étendre ce que ce savant homme nous avait donné en abrégé dans son livre qu'il a intitulé : *De Ætate mundi.* Voici donc comme il parle dans le chapitre quatrième. « Mais, dira-t-on, pourquoi les Juifs « auraient-ils changé les années des patriarches? A « quoi tendait cette altération? Quelle vue, quel des- « sein avaient-ils en faisant ce changement? Pour- « quoi auraient-ils ravi aux patriarches près de quinze « siècles? C'est, à la vérité, ce que je ne puis conce- « voir, et ce qui semble avoir été caché jusqu'à notre

(1) Præf. in lib. de 70 Interpr.

« temps. Cependant voici le développement de ce « mystère. Tous les anciens Juifs croyaient deux cho-« ses, qu'ils tenaient comme par tradition. La pre-« mière, que le temps de la loi serait de deux mille « ans, *duo millia annorum lex*, comme il est porté « dans leur Talmud. L'autre, que le Messie ne vien-« drait que dans le sixième âge ou sixième millénaire « du monde, comme je vais le faire voir. Jésus-Christ « a paru vers la fin du sixième millénaire, et la loi « avait près de deux mille ans quand il s'est manifesté « au monde. Les premiers chrétiens ont prouvé cela « par les Écritures et par la durée des siècles, et ont « pressé les Juifs de le reconnaître pour le véritable « Messie, qui, selon les prophètes, devait paraître « vers les derniers temps de la loi, *in novissimis « diebus*.

« Qu'ont fait les Juifs, continue-t-il, pour éluder « la force de ce raisonnement, qui était invincible ? « Ils ont eu recours à la fraude ; ils ont corrompu les « livres saints ; ils ont ravi aux patriarches environ « 1500 ans, et ont raccourci le reste du temps qui « s'est écoulé sous la loi. Après cette perfidie, ils ont « osé dire que le Messie n'avait point encore paru, « et que son temps n'était pas encore arrivé, parce « qu'il ne devait paraître que dans le sixième millé-« naire, dont on était encore beaucoup éloigné, se-« lon la supputation de leurs écritures. »

Si l'auteur de l'*Antiquité des Temps* avait examiné les Traditions des Juifs et leur Talmud, il n'en aurait point parlé si hardiment, comme il fait ; il n'en aurait point fait le fondement de son système, et il n'aurait pas cru si facilement que les Juifs ont corrompu leur ancienne chronologie, pour ôter le moyen aux chrétiens de leur faire voir que Jésus-Christ doit être reconnu pour le véritable Messie, parce qu'il a paru dans le temps marqué par ces traditions.

Car premièrement, il ne prouvera jamais que ce fut une tradition commune parmi les Juifs, que le Messie dût se manifester dans le sixième millénaire. L'on trouve au contraire dans le Talmud, au traité du *Sanhédrin*, que selon la tradition d'un certain Elie (que plusieurs croient avec raison avoir été quelque fameux rabbin, et non pas le saint prophète Elie) il devait paraître quatre mille ans après la création du monde, c'est-à-dire, à la fin du quatrième millénaire, ou au commencement du cinquième. Voici ce qu'elle porte : *Traditio domûs Eliæ. Mundus sex millibus annis durabit. Duobus millibus inanitas : duobus millibus lex : duobus millibus tempus Messiæ.* Le Talmud répète la même chose dans le traité de l'*Avodah Zarah*, ou bien de l'*Idolâtrie*, et dans celui du *Sabath*, et elle est devenue si commune, qu'à peine y a-t-il un auteur qui l'ait omis en écrivant contre les Juifs.

Rabbi *Salomoh Jarchi*, qui nous a donné l'explication de cette tradition, dit que les deux mille ans de *Tohu*, ou d'*Inanité*, ont duré depuis la création du monde jusque vers la cinquante ou soixantième année d'Abraham, et que les deux mille ans de Loi ont commencé vers ce temps-là, lorsque Dieu le fi sortir de la Chaldée, et lui donna des lois pour lui et pour toute sa postérité, principalement celle de la circoncision ; et qu'ils ont fini vers la destruction de Jérusalem par Titus. Il ajoute enfin ces paroles : *Mais nos péchés sont la cause que le Messie n'est point venu au bout des quatre mille ans.* L'on peut voir l'explication de ce rabbin dans le *Pugio Fidei* de Raymond-Martin, et par conséquent dans Galatin (1). Génébrard en fait aussi mention dans les collections qu'il a faites des endroits du Talmud qui regardent le Messie, et Malvenda après lui dans son ouvrage de l'Antechrist, liv. 2, ch. 21.

Voilà l'ancienne tradition des Juifs reçue et expliquée par eux-mêmes. Je demande maintenant s'il est croyable que les Juifs aient falsifié leurs écritures saintes en abrégeant les années, pour empêcher les chrétiens de la vérifier ? N'aurait-ce pas été nous donner des armes pour les battre et pour les confondre, en leur faisant voir par un argument *ad hominem*, qu'ils ne peuvent plus se dispenser de reconnaître Jésus-Christ pour le véritable Messie, puisqu'il est venu dans le temps porté par leur tradition, non pas dans le sixième millénaire, comme dit l'auteur, mais après 4000 ans depuis la création du monde, selon le calcul même de leurs bibles hébraïques ?

Je sais que Vossius (2), prévoyant la force de ce raisonnement, a prétendu que les six mille ans ne devaient commencer qu'après le déluge : mais c'est une explication qu'il a inventée, et qui n'a jamais été reçue ni connue des Juifs ; quoique cependant elle semble assez favoriser la fausse croyance qu'ils ont, que la venue du Messie est retardée. Si cela était, ils pourraient encore dire que le temps de sa naissance marqué dans leurs traditions, n'est point arrivé ; c'est néanmoins ce qu'ils ne disent point : au contraire, ils conviennent que ce temps est passé, et que leurs péchés leur ont retardé ce bonheur, ils espèrent cependant toujours. De là vient que leurs rabbins les détournent tant qu'ils peuvent de s'arrêter à ces sortes de traditions ou de prophéties, et qu'ils ont fulminé cette malédiction dont parle l'auteur, sur ceux qui s'appliqueront à les vérifier : מחשבי תפחרוחן של קצין *Animam exhalent illi qui supputant terminos.* C'est ainsi qu'ils font connaître que leur tradition se peut vérifier parfaitement, en la comparant avec la chronologie qu'on tire aujourd'hui du texte hébreu, et qu'ainsi elle leur est entièrement contraire et confond leur opiniâtreté, aussi bien qu'une autre que Génébrard rapporte (3) après celle-ci, selon laquelle le Messie devait venir dans le quatre-vingt-cinquième jubilé, c'est-à-dire, un peu après 4000 ans depuis la création du monde.

On ne peut pas dire aussi qu'ils en avaient autrefois une, selon laquelle le Messie devait paraître dans le

(1) Pugio fidei, 2 p., cap. 10 ; Galat., lib. 4 de Arcan., cap. 9.
(2) In præf. ad lib. de septuag. Interp.
(3) In Collect. de Christo ex Talm. deprompt.

sixième millénaire, et qu'ils l'ont supprimée pour introduire celle qui est à présent dans le Talmud. Ce serait se tromper : car il n'est pas croyable que ceux qui se sont réduits à dire que *leurs péchés sont cause que la venue du Messie a été retardée* aient aboli une tradition, selon laquelle ils pourraient toujours nous répondre, que ce temps heureux n'est point accompli et qu'ils doivent encore l'attendre ; parce que selon leur calcul le sixième millénaire n'est point passé.

Ils firent, à la vérité, une réponse semblable au roi *Erviges* et aux chrétiens d'Espagne, vers la fin du septième siècle ; mais ce ne fut qu'une défaite, dont ils se servirent pour les tromper ; puisque leur Talmud, qui avait été composé longtemps auparavant, et qu'ils avaient alors entre les mains, dit positivement le contraire en trois endroits, comme je viens de le faire voir.

Si S. Julien, archevêque de Tolède, qui disputa contre eux, avait su cette tradition du Talmud, il n'aurait pas tant déclamé contre les écritures hébraïques pour soutenir la version des Septante. Il aurait trouvé dans la nouvelle tradition de S. Jerôme, qui était alors reçue de toute l'église latine, et particulièrement en Espagne, selon le témoignage de S. Grégoire-le-Grand, et de S. Isidore, évêque de Séville, et qu'il avait lui-même entre les mains, de quoi réprimer leur effronterie, et leur prouver par les années de cette édition latine, qui sont les mêmes que celles de l'hébreu, qu'ils devaient reconnaître Jésus-Christ pour le véritable Messie ; parce qu'il a paru au bout des 4000 ans depuis la création du monde, selon la tradition du Talmud : et que ce qu'ils avaient eu l'audace d'avancer, qu'il ne viendrait que dans le sixième millénaire, n'était qu'une nouvelle invention de leur perfidie. Enfin, il ne se serait pas exposé au reproche, qu'ils auraient pu lui faire, s'ils y avaient pris garde, d'avoir cité fort mal à propos les Pères de l'Église qui l'ont précédé, soit lorsqu'il soutient qu'ils s'étaient tous attachés uniquement aux Septante, quoiqu'il y eût plus de 200 ans que la version de S. Jérôme était reçue est estimée des Latins, soit quand il prétend se servir de l'autorité de S. Augustin pour maintenir les années de la tradition des Septante, quoique dans le chapitre treizième du livre 15 de la Cité de Dieu, dont il fait mention, ce saint docteur ait fortement soutenu l'intégrité du texte hébreu, et qu'il ait reconnu la corruption de la version des Septante dans la chronologie, et une corruption faite à plaisir, et non pas par hasard, *nec casum redolet sed industriam.*

Il ne sera pas peut-être inutile de découvrir ici le peu d'exactitude avec laquelle ce saint archevêque cite les Pères de l'Église, et particulièrement S. Augustin ; cette digression fera voir leur sentiment pour ce qui regarde la chronologie du texte hébreu, qu'ils ont suivi et approuvé comme authentique et fidèle, et il n'en faudra pas davantage pour dissuader ceux qui pourraient se prévaloir de son autorité dans la question que je traite. J'avoue que j'ai été surpris quand je m'en suis aperçu. Il faut qu'il s'en soit un peu trop fié à quelqu'un de ses secrétaires, ou qu'étant pressé d'écrire il ait pris ce qui se présentait tout d'un coup à ses yeux, sans examiner ce qui précédait et ce qui suivait ; car il n'y a pas d'apparence qu'il y ait eu de la mauvaise foi dans sa conduite.

Il commence par l'autorité de saint Epiphane, à qui il veut faire dire que l'on doit préférer la version des Septante à l'hébreu, quoique dans le livre *De Ponderib. et Mensuris*, qu'il cite, ce Père parle de notre original dans des termes qui expriment admirablement l'estime qu'il en faisait. Je ne les répète pas ici, parce que je les ai rapportés dans la première partie, chap. 2.

Il s'arrête ensuite aux livres de la Cité de Dieu de saint Augustin. Il fait mention premièrement du chapitre 43, du livre 18, où ce saint docteur assure que l'Église avait préféré la version des Septante à toutes les autres éditions ; mais il serait à souhaiter que ce saint archevêque et notre auteur, qui l'a voulu imiter dans cette citation, eussent fait un peu plus d'attention sur le commencement de ce chapitre. Ils auraient reconnu que saint Augustin ne parle que de la préférence que l'Église a donnée à cette version grecque par-dessus celles d'Aquila, de Symmaque et de Théodotion, et une autre qui fut trouvée dans un tonneau, sous l'empire d'Antonin *Caracalla.* Le seul titre du chapitre les aurait avertis de ne point tant abaisser l'autorité du texte hébreu en voulant appuyer celle de la version des Septante, mais de conserver pour l'un et pour l'autre l'estime et le respect qu'ils méritent. Voici ce qu'il contient : *De auctoritate septuaginta Interpretum, quæ*, SALVO HONORE HEBRÆI STYLI, *omnibus sit interpretibus præferenda*, et s'ils avaient continué leur lecture jusqu'au chapitre suivant, ils auraient remarqué que saint Augustin, après avoir déclaré que son sentiment était que Jonas prêchant aux Ninivites s'était servi des paroles qu'on trouve dans l'hébreu, *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, et non pas de celles des Septante, qui ont traduit *Adhuc tres dies*, etc., il conclut en disant que, pour maintenir l'autorité du texte hébreu et de la version des Septante : *utrâque auctoritate non spretâ*, l'on doit tâcher de les accorder lorsqu'ils semblent être opposés, et que, pour son particulier, il ne faisait pas difficulté de consulter l'un et l'autre, à l'exemple des apôtres, qui ont tenu la même conduite en annonçant l'Évangile, parce qu'ils n'ont qu'une même autorité divine, *quoniam utraque una atque divina est.*

Saint Julien de Tolède rapporte ensuite le chapitre 11 du livre 15 de la Cité de Dieu, dans lequel saint Augustin demande d'où peut venir la grande diversité qui se trouve entre le texte hébreu et la version des Septante, dans les années des patriarches qui ont précédé Abraham, sans y répondre à la difficulté qu'il résout dans le chap. 13, où il dit nettement qu'il y a de la corruption dans cette version, et purge entièrement les Juifs des soupçons qu'on pour-

rait former contre eux sur ce sujet (1). « A Dieu ne « plaise, ce sont les paroles de S. Augustin, qu'un « homme sage s'imagine que les Juifs, quelque mé- « chants et artificieux qu'on les suppose, aient pu « faire couler cette fausseté en tant d'exemplaires « dispersés en tant de lieux, ou que les soixante-dix « interprètes, qui ont acquis une si haute estime, se « soient accordés entre eux pour cacher la vérité aux « gentils. Il est donc plus croyable de dire que, quand « on commença à transcrire ces livres de la bibliothè- « que de Ptolémée, cette erreur se glissa d'abord dans « un exemplaire par la faute du copiste, et passa de « celui-là dans les autres; cela paraît assez dans les « années de Mathusalem, et dans cet autre endroit (il « parle des années de Lamech) dans lequel on trouve « vingt-quatre ans de moins que dans l'hébreu. »

Saint Julien n'a pas pris garde à tout ceci en citant saint Augustin, il s'est contenté de rapporter les paroles suivantes : *In his autem annis in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita ut ante genitum filium qui ordini inseritur, alibi supersint centum anni, alibi desint. Post genitum autem, ubi deerant supersint, ubi supererant desint.... videtur habere quamdam, si dici potest, error ipse constantiam, nec casum redolet sed industriam.* Notre saint archevêque s'arrête ici sans passer plus avant. C'est cependant dans ce qui suit que saint Augustin se déclare encore ouvertement pour l'intégrité du texte hébreu, et qu'il reconnaît pour la seconde fois de l'altération dans les années des Septante. « C'est pourquoi, continue ce saint docteur, « l'on ne doit point imputer la diversité qui se trouve « entre les bibles hébraïques et les grecques, ni à la « malice des Juifs, ni à la prudence des septante In- « terprètes; mais on doit l'attribuer à la faute de « l'écrivain qui a le premier entrepris de transcrire « leur traduction qu'on conservait dans la bibliothèque « du roi Ptolémée. » Il ajoute que cet écrivain a pu être porté à faire ce changement dans cette version grecque, de peur que les gentils, lisant cette version de l'Écriture, ne s'imaginassent que les années des premiers patriarches aient été beaucoup plus courtes que les nôtres, et que c'est pour cela que le nombre en est plus grand; et qu'ainsi cet écrivain a jugé à propos de retarder de cent ans la naissance de la plupart de leurs enfants, de peur qu'on ne crût qu'ils en avaient eu avant l'âge de puberté, et qu'on ne tirât de là occasion de rejeter les Écritures comme si elles eussent été remplies de fables. Il conclut ensuite par ces paroles, que saint Julien cite encore mais qu'il n'achève pas : *Sed quomodòlibet istud accipiatur, sive credatur ita esse factum, sive non credatur; sive postremo ita, sive ita non sit; rectè fieri nullo modo dubitaverim.* Ici finit la citation de saint Julien, au milieu de la phrase, que saint Augustin néanmoins achève encore en faveur de l'hébreu : *Rectè fieri nullo modo dubitaverim; ut cùm diversum quid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, ei linguæ potiùs credatur undè per interpretes in aliam est facta translatio.* Le saint archevêque de Tolède ne fait point mention de tout ceci, il se contente de dire que saint Augustin ne parle dans ce chapitre 13, que fort incertainement et sans rien déterminer mais qu'il se déclare hautement dans celui qui suit, lorsqu'il dit (1) : *Ce n'est pas sans raison que personne n'a osé corriger les Septante sur l'hébreu dans plusieurs endroits où ils semblent différents. Car cela fait voir qu'on n'a pas cru que cette diversité fût une faute; et je ne le crois pas non plus. Mais à la réserve de celles des copistes, lorsque le sens est conforme à la vérité, il faut croire qu'ils ont voulu dire autre chose, non en qualité d'interprètes, mais comme des prophètes inspirés par l'esprit de Dieu.* S'il avait lu trois ou quatre lignes plus haut, il aurait vu que ce saint docteur y approuve encore aussi ouvertement les années de l'hébreu que dans le chapitre précédent, et qu'il ne prétend autre chose par ces paroles que de maintenir l'autorité des Septante auxquels il était fort attaché, et de prévenir ceux qui pourraient conclure quelque chose contre leur version, de ce qu'il avait dit auparavant. C'est pour cela qu'il soutient, qu'il faut la suivre, lorsqu'il n'y aura pas d'apparence qu'elle ait été altérée par les copistes, *ubi non est scriptoris error*, et cela sans préjudice à l'hébreu. Voici donc comme il parle (2) : *Et quant à la différence qui se rencontre entre les exemplaires hébreux et les nôtres, elle ne concerne point du tout la longueur de la vie des hommes, dont les uns et les autres conviennent, outre que lorsqu'il y a de la diversité, il s'en faut plutôt tenir à la langue originale qu'à une version. Cependant ce n'est pas sans raison* (non tamen vacat, etc.) *que personne n'a osé corriger les Septante sur l'hébreu, dans plusieurs endroits où ils semblent différents, etc.*

Ce saint archevêque de Tolède n'est pas plus exact

(1) Sed absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ, tantùm potuisse credat in codicibus tam multis, tam longè latèque dispersis; vel septuaginta illos memorabiles viros, hoc de invidendâ gentibus veritate, unum communicâsse consilium. Credibiliùs ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliothecâ Ptolomæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse, in uno scilicet inde priùs descripto, unde jam latiùs emanaret, ubi potuit quidem accidere scriptoris error; sed et hoc in illâ quæstione de vitâ Mathusalem, non absurdum est suspicari, et in illo alio ubi, superantibus viginti duobus annis, summa non convenit. (*S. August., lib. 15 de Civit. Dei, cap. 13.*)

(1) Non vacat quod 70 Interpretes in plurimis quæ diversa videntur, ex Hebræis codicibus emendare ausus est nemo. Non enim est illa diversitas putata mendositas, nec ego ullo modo putandam existimo. Sed ubi non est scriptoris error, aliquid eos divino spiritu, ubi sensus esset consentaneus veritati, et prædicans veritatem, non interpretantium more, sed prophetantium libertate, aliter dicere voluisse credendum est. (Aug., lib. 15 de Civ., cap. 14.)

(2) Illa verò annorum varietas quæ inter codices Hebræos invenitur et nostros, neque de hâc longævitate dissentit; et si quid habet ita diversum ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab eâ linguâ repetenda est ex quâ interpretatum est quod habemus. Quæ facultas cùm ubique gentium præsto sit, non tamen vacat quod, etc., ut supra. (Aug., lib. 15 de Civit., c. 14.)

